T. 1 - De Theol. Generatim 1-96
T. 2 De Revelatione in abstracto 1-187
T. 3 De Revelatione Christiana 1-194
 l. 1 Test. Christi de Se 1-83
 l. 2 Probatio Chr. ergo Xti 1-194

Repetitorium De Theol. Generatim 1-5
 De Revelatione 6-19; 398-403
 De Rev. Christiana 20-74; 387-397
 De Ecclesia Apostolica 75-137
 De Fontibus - Traditio 138-142
 Tr. 6 De Inspiratione 143-184
 De Ecclesia Dogmatice 185-230
 De Interpretatione Scripturae 231-237; 309-325; 371-38[illegible]

T. Dogmat. de Ecclesia 238-308; 326

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS

AUCTORE

HERMANNO VAN LAAK S. I.

TRACTATUS I.

DE THEOLOGIA GENERATIM

ROMÆ
TYPIS CUGGIANI
1910

CALIF. PROV.

DE THEOLOGIA GENERATIM

AUCTORE

HERMANNO VAN LAAK S. I.

FASCICULUS I.

Theologiæ notio, divisiones atque scientiæ auxiliares, methodologia.

Historia literaria Apologeticæ.



AD USUM PRIVATUM

AUDITORUM UNIVERSITATIS GREGORIANÆ

ROMÆ

TYPIS CUGGIANI

1910

1883

TRACTATUS I.

DE THEOLOGIA GENERATIM

PRÆNOTANDA

CAPUT I.

DE NOMINIBUS SCIENTIÆ THEOLOGIÆ

§ 1. — De nomine theologiæ.

1. — **Literatura.** — Quoad ethnicos: *Stephanus,* Thesaurus linguæ græcæ I sub voce θεολογία, θεολογεῖν, θεολόγος. — *Natorp,* Thema u. Disposition der Aristot. Metaphysik in: Phil. Monatshefte (1887) f. 1 et 2. — *Willmann,* Geschichte des Idealismus I (1894) in §§ diversis, præcipue 1, 10, 13, 14, 28, 34, 39, 41.

Quoad Patres: *Petavius,* de theol. dogmatibus Proleg. I (ed. Rom. 1857) 1-3. — *Suicerus,* Thesaurus ecclesiasticus e Patribus græcis sub v. — *Du Cange,* Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ Græcitatis, s. v. — *Id.,* Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ Latinitatis, sub v. divinus, divinitatis. — *S. A. Sophocles,* Greek Lexicon of the Roman and Byzantine Periods (1888) s. v.

Quoad ethnicos et Patres: *Schanz,* in Kl. ²XI (1899) 1555-60. — *Krieg,* Encyclopædie der theol. Wissenschaften (1899) § 22, 23 p. 34-37. — Indices ad quasdam editiones tum Scriptorum class. Græc. præcipue philos., tum Patrum græcorum, præcipue ad eas, quæ partes faciunt Corporis Berol. Patrum antenicænorum.

2. — *Etymologice* theologiæ nomen derivatur a θεός et λόγος. Significat proinde sermonem de Deo vel diis. Qui talem sermonem proferebant vocabantur θεολόγοι, actio eum proferendi θεολογεῖν, ea quæ ad eum spectabant dicebantur θεολογικά.

3. — *Usu* tum scriptorum ethnicorum tum Patrum hæc vox significabat diversas species cognitionis de rebus divinis, prout inter *ethnicos* habebatur.

a) Usitatissime vocabantur theologi *ii prisci poetæ ethnici, qui de origine deorum et rerum canebant* ea, quæ fere quadam traditione vel inspiratione vel

revelatione hausisse censebantur. Cf. *Plutarchus* (1): « Longissime aberrant οἱ Δελφῶν θεολόγοι ». *Clemens Alex.* (2): « Omnes igitur θεολογήσαντες cum barbari tum græci de principiis rerum sub allegoriis docuerunt ».

b) Theologia etiam vocabatur *cognitio philosophice exculta de entibus immaterialibus, præcipue de Deo,* qui summum immaterialitatis gradum obtinet. Opponitur philosophia mathematica quæ quantitatem, physica quæ res materiales considerat. Cf. *Aristoteles* (3): « ὥστε τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαί, μαθηματική, φυσική, θεολογική ». S. *Iohannes Damascenus* (4): « Theologiæ proprium est considerare incorporea et immaterialia... » —

c) Tandem omnis qualiscunque doctrina de Deo vel diis rebusque ad eos spectantibus theologia dicebatur. Talis doctrina proponebatur vel a reipublicæ legibus, quæ fere cultum deorum determinabant (θεολογία νομική), vel a poetis, qui præcipue mythos, i. e. narrationes de deorum origine et rebus gestis referebant (θ. μυθική), vel a philosophis, qui præcipue naturam deorum scrutabantur (θ. φυσική). V. g. *Varro* (5) (116-27 a. Ch.) et divisionem hanc et voces tradit.

4. — At præcipue nomen theologiæ applicatum *est ad eam cognitionem Dei vel rerum divinarum, quæ a Iudæis et Christianis habetur, in quantum eam immediate vel mediate hauriunt e Scriptura sacra et revelatione,* per prophetas et Christum atque apostolos impertita. Opponitur omnis ea cognitio de Deo rebusque divinis, quæ a solis principiis rationis habetur, atque ideo hodie Theologia naturalis dici solet (Theodicea). Speciatim vero theologia dicuntur *diversæ quasi species cognitionis de Deo rebusque divinis, quæ e principiis præternaturalibus procedunt.*

a) *Doctrina de ipsa Dei natura eiusque proprietatibus.* Opponitur doctrina de Dei operibus, etsi ea in sua relatione ad Deum considerantur. Quæ opera Dei, in quantum ad redemptionem nos disponunt, præcipue si omnia simul in complexu suo considerantur, vocantur dispensatio, οἰκονομία. Inter quæ opera divina quia primum locum tenet incarnatio, Verbi incarnati natura humana et quæ ad eam pertinent, ideo hæc ipsa operum species singulari ratione οἰκονομία vocatur. Exempla quam maxime continentur in usu expressionis θεολογεῖν τινα, i. e. aliquem ut verum Deum pronuntiare. Cf. *Isidorus Pelusiota* (6): « Latro in cruce peccatorum multitudinem θεολογία (i. e. confessione Deitatis Filii) correxit ». Cum hoc usu cohæret, quod S. Iohannes evangelista inde a sæculo IV et S. Gregorius Nazianzenus theologi nomen acceperunt. Ille enim inde ab ipso exordio sui evangelii Iesu Christo vere divinam naturam disertius quam cæteri evangelistæ attribuit; hic vero et generatim divinam Christi naturam strenue defendit et sermones celeberrimos edidit, qui, de divinitate Filii disserentes, περὶ τῆς θεολογίας inscripti erant.

b) Theologiæ nomen obtinet doctrina *de Deo vel de rebus ad eum spectantibus,* quæ inspiratione vel revelatione vel alia ratione præternaturali habe-

(1) De defectu oraculorum post n. 15, Moralia ed. Bernardakis, III, 89, 417 F. — (2) Stromata, l. 5 c. 4 MG 9, 41 A; CB 15, 340, 5. — (3) Metaph. l. 5 c. 1 Becker, II 1026 a 19. — (4) Dialect. c. 3 MG 94, 535. — (5) Antiquitates rerum divinarum, apud Aug. de civ. Dei l. 6 c. 5 ML 41, 180-82; C. V. 40, 1 p. 278-80. — (6) Epist. l. 1 ep. 255 MG 78, 355.

tur vel nuntiatur. Unde v. g. *Ps. Dionysius* (1) toties prophetas vocat theologos ut qui, explicante ita Pachymere (2), « λόγους θεοῦ nobis annuntiant ».

c) Θεολογεῖν quoque dicitur disserere *de rebus, quæ aliquo modo cum revelatis cohærent.* Opponitur agere de re mere profana. Ita v. g. apud Græcos *Simon S. Mamantis Hegumenos* († 1050) ob multa theologica, præcipue ascetica, scripta vocatur νεὸς θεολόγος (3). Vocatur νεός in oppositione ad S. Gregorium Nazianzenum.

d) Tandem *theologum agere dicitur, qui scientifice res theologicas tractat, theologia vero dicitur scientia rerum theologicarum,* i. e. systema demonstrationum de iis, quæ de Deo rebusque divinis e fontibus revelationis erui possunt. Opponitur ea talium rerum tractatio, quæ scientifica methodo caret. Civitatem obtinuit hic modus loquendi eo quod magni Scholastici s. 13 doctrinam sacram scientifice compositam, quam « Summis » suis exhibebant, partim aliquando, partim generatim theologiam vocabant. Ita *Alexander de Ales* (4), *S. Bonaventura* (5), *S. Thomas* (6), *B. Albertus M.* (7), *Henricus Gandavensis* (8), *Scotus* (9).

§ 2. — De aliis quibusdam nominibus.

5. — 1) Tum apologetæ sive Iudaei sive Christiani, tum Patres cæteri, non raro omnem doctrinam nobis divinitus revelatam dicunt *philosophiam.* Similis modus loquendi haud rarus est tempore renascentiæ. — Innui hoc termino videtur, plurima quæ revelata sunt, cum ratione esse positive conformia, nihil vero ostendi posse ab ea positive discrepare. — V. g. *Tatiano* (10) religio christiana est « ἡ ἡμέτερα φιλοσοφία ». *Hadrianus Cardinalis Chrysogoni* (a Carneto, † intra 1518 et 1526) scripsit « De vera philosophia seu tractatus de vera religione ex quatuor ecclesiæ doctoribus ll. 4 » (11).

2) Attendendus est etiam terminus γνῶσις vel γνωστικός. Qui aliquando ita describi videtur ut ad γνῶσιν præter alia elementa ex parte perfectionis voluntatis, etiam pertineat quædam profundior cognitio etiam theoretica tum rationabilitatis actus credendi tum sublimitatis rerum credendarum, quæ cognitio tandem visione beatifica ad omnimodam perfectionem perducenda sit. — Quem modum loquendi præcipue sequi videtur *Clemens Alex.* (12).

3) *Sapientiæ* quoque nomen theologiæ inditum est. — *S. Agustinus* (13) optat ut « rerum divinarum scientia proprie sapientia vocetur, humanarum autem proprie scientiæ nomen obtineat ».

4) Per medium ævum præcipue usque ad tempus « Summarum theologicarum » *non paucæ aliæ voces* in usu erant v. g. *sacra scriptura, sacra lectio, sacra doctrina, divinitas.* — V. g. *Abælardus* (14): « Constat quippe, philosophos, nedum *divinos,* i. e. sacræ lectionis exhortationibus intentos, continentiæ

(1) V. g. De cœl. hier. c. 8 § 2 MG 3, 242. — (2) Paraphr. ad l. Dionys. ib. 251. — (3) Cf. *Krumbacher,* 152-54. — (4) V. g. Universæ theologiæ Summa, Prolog. qu. 1. membr. 1 (ed. Venet. I 1576 f. 1). — (5) V. g. Comm. in ll. sent. qu. 1 (I 1882) p. 6. — (6) V. g. 1 qu. 1 a. 7. — (7) In 1 sent. dist. 1 art. 1 sq. continuo. — (8) V. g. Summa theologica pars 1 inde ab art. 6 usque ad 20 incl. (ed. Ferrar.) I 106-308. — (9) V. g. Oxon. in l. 1 sent. ante qu. 1 deinde continuo .— (10) Oratio ad Græcos, c. 31 MG 6, 868; Otto VI 118. — (11) Coloniæ 1548. — (12) V. g. Strom. l. 7 c. 10 MG 9, 482; de qua gnostici ratione apud Clem. v. v. g. *Kleutgen,* I ed. 2 n. 461-68; V ed. 2 n. 491-94. — (13) De Trin. l. 14 c. 1 n. 3 ML. 42, 1037. — (14) Histor. Calamitatum suarum c. 5 ML 178, 126.

decore maxime polluisse ». Unde olim *Galli:* « Maistre de Devinité » et hodie *Angli:* « Doctor of Divinity ». — *Alexander de Ales* (1) continuo eandem significationem tribuit terminis « *sacra scriptura* », « theologia ». — *S. Thomas* (2), theologiam sæpe nominat « *sacra doctrina* ».

CAPUT II.

LITERATURA DE THEOLOGIA GENERATIM (EXCEPTA HISTORIA)

6. — **Literatura de dogmatica.** — Generatim theologi scholastici in Prologum in l. 1 sent., vel in S. Th. p. 1 q. 1, vel in tractatu de fide, vel in Introductione speciali in theologiam.

In specie conferri possunt *e medio ævo*: *Mag. sent.*, Prologus, brevissime. — *S. Th.*, p. 1 q. 1 a. 1-8. — *S. Bonaventura*, Proœmium in Prol. l. 1 sent. (I 1882) 1-15; cf. præterea index s. v. theologiæ in indicibus ad tomos 1-14, p. 361, 362. — *Scotus*, Oxon. q. 1, 3, 4, 5 (ed. Wadding V 1639) p. 3-40, 67-170; in: Montefortino, Scoti Summa theol. q. 1 (ed. Rom. 1900) I 1 (27)-69. — *Henr. Gandavensis*, Summa theologiæ 1 pars art. 6-20 incl. (ed. Ferrar. 1640 in fol.) I 106-308. — *Io. Capreolus*, Defensiones theologiæ D. Thomæ Aquinatis, Prologus (ed. Turonensis 1900) 1-61, ubi sententias S. Thomæ contra difficultates Scoti, Aureoli, Gregorii Ariminensis, Durandi defendit.

Post medium ævum. Petr. Trigosus, O. Cap., S. Bonaventuræ Summa theologica (ed. Lugd. 1616 in fol.) 1-30. — *Caietanus*, in Th. l. c. (ed. Venet. 1599) 1-8. — *Melchior Canus*, De locis theologicis l. 8 c. 1, 2, 3; l. 12 c. 2-5. — *Gregorius a Valentia*, in eund. l. q. 1 (ed. Venet. 1600 in fol.) col. 1-64. — *Vasquez*, i. eund. l. (ed. Venet. 1587 in 8) col. 1-108 usque ad doctrinam de locis theologicis. — *Suarez*, de fide disp. 3 sect. 11 (ed. Paris. 1858) 12, 95-100. - *Cursus Salmanticensis Compendium*, disp. 1 (ed. Parmæ 1725 in fol.) I 1-25. — *Gonetus*, Clypeus theologiæ thomisticæ, disp. proœm. a. 1-12 (ed. Antwerp 1744 in f.) I, 1-21. — *Petavius*, l. c. 1-49. — *Mastrius*, in 1 sent. disp. 1 a. 1-3 (ed. Venet. 1698 in f.) 1-12. — *Frassen*, Scotus academicus, I disp. proœm. q. 1-4 (ed. Rom. 1900) 1-85.

Tempore recentiore. Kleutgen, pars 1 Introd. I² (1867) 3-48; pars 2 sect. 1 c. 1-4, IV² (1873) 9-71; pars 5, c. 1-4, V² (1874) 3-293 (169). — *Id.*, Institutiones theologicæ, q. 1 I (1881) 1-27. — *Scheeben*, I n. 1-4, (1874) 1-7; § 49-54 n. 907-1010 p. 377-414. — *Schrader*, de theologia generatim, commentarius in Sacram Theologiam ὁδηγός (Pictaviis 1874) pp. 245. — *Heinrich*, Dogmatische Theologie (1875) I 1-63. — *Urraburu*, (1890) I n. 251 p. 886-91; n. 306, 307 p. 1030-36 num sit vera scientia; n. 299 p. 1013-15 num subalternata. *Pesch*, I² (1903) n. 1-31 p. 1-13. — *Schanz*, art. Theologie in KL² XI, 1555-71. — *Bloetzer*, art. Scholastik ib. X (1880-98). — *Kihn*, (1899) n. 204-245.

(1) V. g. Universalis theol. Summa qu. 1 membr. 1-4 (ed. Venet. 1576 in fol.) I 1-4 b. — (2) 1. qu. 1 art. 1-8.

Lit. de theologia fundamentali. — De huius disciplinæ essentia paucissima scholastica methodo conscripta sunt. Unde ad eam mutatis mutandis ea fere *applicare studuimus, quæ scholastici de essentia dogmaticæ disputant.* Quæ mox citavimus. — Præterea ea consideranda sunt, quæ imprimis *Scholastici s. 16 et 17* in tractatibus theologicis tractant *de natura iudicii credibilitatis* eiusque proprietatibus, de eius applicatione ad religionem christianam et catholicam, *de ecclesia ut revelationis custode et interprete* infallibili, de *locis theologicis.* — Neque ea negligenda sunt, quæ de essentia huius scientiæ quasi per accidens continentur in operibus magis directe ad eum finem compositis, ut homines iudicium credibilitatis sive acquirant sive retineant. De quibus in historia theologiæ agetur. — At præcipue ea conferre oportet, quæ *inde a medio fere s. 18, quo tempore theologia fundamentalis a dogmatica separari cœpta est,* de essentia eius magis data opera conscripta sunt.

Ex operibus eiusmodi, quæ universam theologiam fundamentalem complectuntur, in quibus et tota ratio libri ex indice videatur et pp. citatæ conferantur, v. g.: *Theologia Wirceburgensis:* I *Kilber* S. I., De principiis theologiæ; II *Neubauer* S. I., De religione (uterque [1]1771, [3]1879). — *Liebermann,* Inst. theol. I – II (Maguntiæ 1819-27) p. I-XIII – 1-5. — *Perrone* S. I., Prælect. theol. I – VIII ([1]Romæ 1835, 1841) I-III ([34]Taurini 1900). – *Puig et Xarrié* O. P., Inst. theol. I (Barcinone 1861). — *Gatti* O. P., Inst. apol.-polem. de veritate ac divinitate relig. et eccl. I-III (Romæ 1866, 1867). — *H. Hurter* S. I., Theol. gener. (Oeniponte [1]1876, [11]1906). — *Hettinger,* Lehrbuch der Fundamentaltheologie (Freiburg [1]1879, [2]1888). — *Id.,* KL[2] I (1887) s. v. 1097-1102. — *Zigliara* O. P., Propædeutica ad s. Theol. (Romæ [1]1884, [5]1905) VII-XV. — *Gutberlet,* Lehrbuch der Apologetik I-III (Muenster [1]1887, [3]1903) 1-6. — *Casaioana* S. I., Disquis. schol. dogm. I (Barcinone 1888). — *Didiot,* Logique surnaturelle subiective (Paris [2]1894), obiective (ib. 1892). — *I. Mendive* S. I., Inst. theol. dogm. — schol. I (Vallisoleti 1895). — *Ottiger* S. I., Theol. fund. (Freiburg 1897) 1-15. — *G. Wilmers* S. I., de relig. revel. ll. 5; de eccl. ll. 6 (utrumque opus Ratisbonæ 1897). — *Ch. Pesch* S. I., o. c. I[3] n. 65-70. — *Schanz,* Apologie des Christentums (Freiburg [3]1903) 1-22. — Ex operibus de scientiis theologicis *Kihn,* o. c. 206-12.

E disquisitionibus specialibus de nostra disciplina: Kleutgen IV[2] pars 4 n. 164-268 p. 319-532. — *De Groot* O. P., in: Summa apol. de eccles. cath. qu. 1. (Ratisbonæ [3]1906) 1-39. — *Le Bachelet* S. I., De l'apologétique traditionnelle et moderne (Paris 1895) præcipue 59-99. — *Schwalm* O. P., L'apologétique contemporaine, in: Revue Thomiste (1897) 62 sq. — *Pesch Ch.* S. I., Alte u. neue Apologetik, in: Theol. Zeitfragen I (1900) 67-130. — *von Schmid,* 1-2, 93-124 ubi sententias diversissimas exhibet. — *Glossner,* Begriff u. Aufgabe der Apologetik, in: Jahrb. für Philos. u. Spekul. Theol. IV (1890) 399-429. — *Maisonneuve,* Apologétique: Notion et but, Objet, in: Diction. de Théol. cath. (ed. a Vacant et Mangenot) I 1511-33. — *Civ. Catt.,* a. 57 (1906) I 513-33. — *Gardeil* O. P., La crédibilité et l'Apologétique (Paris 1908) l. 3 ch. I 138-56. — *Le Bachelet,* Apologétique, in: Dictionnaire Apologétique I (1909).

Sententias Protestantium colligit *Lemme,* RE I[3] sub. v. Apologetik (1876) 679-89. — *Emery,* Introduction à l'étude de la théol. Protestante (Paris 1904) § 21 p. 178-85, lit. protest. p. 638-44. — *Zöckler,* 1-9. — *Crafer,* art. Apologetics, in: Encyclopaedia of Religion and Ethics, ed. by Hastings I (1908).

Quæ sive catholici sive acatholici de essentia huius scientiæ singulis annis scribunt, collecta v. in: *Theologischer Jahresbericht,* inde ab a. 1882; ultimis annis præcipue in sectione: Religionsphilos. mit Einschluss der Apologetik, in parte: Apologet. Principienfragen, Methode, Aufgabe, v. g. pro lit. anni 1906 p. 497-98.

PARS I.

DE NOTIONE THEOLOGIÆ

Art. 1. De munere utriusque disciplinæ.

7. — *Munus dogmaticæ.* — Dogmatica, omnibus consentientibus, *est* scientia fidei, i. e. *scientia de rebus a Deo revelatis, in quantum ab ecclesia catholica infallibiliter proponuntur atque explicantur.* Unde eius munera hæc sunt: *a*) singulas veritates revelatas methodo scientifica e Verbo Dei colligere; *b*) collectas in unum systema componere, internas earum rationes, quantum fas est, indagare, conclusiones ex iis deducere.

Munus theologiæ fundamentalis. — Dogmatica igitur iam supponit ut notum, Deum locutum esse atque ea quæ elocutus sit, in ecclesia catholica infallibiliter custodiri. Iamvero hoc utrumque factum non est per se notum. Ergo necesse est, ut dogmaticam antecedat aliqua *disciplina, quæ probet utrumque hoc factum, scilicet Dei locutionem eiusque in ecclesia catholica conservationem.* Quam disciplinam ideo cum plurimis vocamus *theologiam fundamentalem,* quia aliquod theologiæ principium seu fundamentum, scilicet locutionem Dei, demonstrat, non vero ac si esset pars theologiæ intrinseca. De aliis nominibus huius disciplinæ postea.

Art. 2. De subiecto utriusque disciplinæ.

8. — Subiectum seu subiectum principale seu subiectum primo intentum seu, ut alii loquuntur, obiectum attributionis est « illud, cuius præcipue intenditur cognitio tamquam finis totius scientiæ, ad quem proinde finem reliqua omnia quodam modo referuntur » (1).

Subiectum theologiæ fundamentalis. — Mox vidimus, unicum finem theologiæ fundamentalis esse, ut perducamur ad cognoscendum

(1) *Urraburu,* o. c. p. 922.

factum Deum locutum esse, atque ea quæ elocutus sit, per ecclesiam catholicam custodiri. Ergo hoc factum, *seu factum revelationis humano generi communicatæ, est subiectum* theologiæ fundamentalis.

Subiectuum dogmaticæ. — Subiectum dogmaticæ est Deus sub ratione deitatis, i. e. Deus « quo pacto solum dicit pro explicito constitutivum metaphysicum naturæ divinæ »; « exludere volumus... non solum creaturas sed etiam attributa divina et relationes » (1). — Subiectum dogmaticæ esse *Deum*, probat auctoritas fere omnium theologorum celebrioris nominis (2); insinuat ipsum nomen « theologiæ », nomen enim generatim subiectum scientiæ alicuius exprimit; probat modus quo theologi procedere solent. Etenim in theologia ab iis omnia « tractantur sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia ordinem habent ad Deum ut ad principium et finem » (3). — Subiectum dogmaticæ esse Deum *sub ratione deitatis*, primo iidem fere auctores tenent. Deinde ex eo sequitur, quod theologi perfectiones divinas, imo ipsas personas in Trinitate, quantum hominibus datum est, ad ipsam essentiam divinam ut ad ultimam rationem essendi reducere student. Tandem accedit ratio theologica hæc: scientiæ fidei idem est subiectum, quod est subiectum ipsius fidei; fidei vero idem est subiectum atque visionis beatificæ, ad quam fides perducit; visionis vero beatificæ subiectum est Deus in ratione deitatis.

9. — Ob. 1. *Hugo a S. Victore* (4) statuere videtur ut subiectum « opera restaurationis humanæ »; *Petrus Lombardus* (5) « res et signa (sacramenta) »; *S. Bonaventura* (6) Christum; *Durandus a S. Portiano* (7) actus nostros meritorios; *Hirscher,* (8) († 1865) regnum Dei his in terris fundandum; *generatim recentiores Protestantes* (9) religionem christianam (et ecclesiam). — R. *Hugo* contra philosophos, qui opus conditionis considerant nonnisi quandam principalem differentiam in materia premere (10), *Lombardus,* Augustinum secutus, tantum principalia obiecta materialia enumerare velle videtur. Quodsi vero subiectum statuere intendunt, errarunt. — *S. Bonaventura* l. c. concedit, Deum esse « subiectum radicale », seu « subiectum, ad quod omnia reducuntur ut ad principium », Christum tantum habet « subiectum integrale » i. e. quod « comprehendit naturam divinam et humanam, ...caput et membra ». *Cæteri* oblivioni dant, nos ad eum finem ultimatim considerare media salutis, ut iis cognitis perfectius cogno-

(1) *Salmant.* o. c. tract. 1, dub. 5 § 1 p. 19. — (2) *Alex. Alens.,* Sum. theol. III q. 68 membr. 7 (vel pars 1 q. 1 membr. 3) — *Th.* l. c. a. 7 — *Scotus,* o. c. q. 3. — Quos duces *Thomistæ, Scotistæ, cæteri* fere sequuntur. — (3) *Th.* l. c. a. 7. — (4) De sacram. christianæ fidei, Prologus, c. 2 ML 176, 183. — (5) l. 1 dist. 1 ab initio. — (6) o. c. p. 7, 8. — (7) in Prol. q. 5 (ed. Paris, 1539 f. 7-9, præcipue inde a f. 7 b). — (8) Das Verhältniss des Evangeliums zu der theologischen Scholastik der neuesten Zeit (De relatione inter evangelium et scholasticam theologicam recentissimam) (1823) pars 1 sect. 3 p. 92. — (9) V. g. *Gottschick* in art. Theologie in RE ed. 3 15 (1885) 419-28; *Hagenbach,* o. c. § 15 16 p. 35-38, § 22-24 p. 52-59; *Dorner.* Grundriss der Encyclopædie der Theologie (1901) 3-20. — (10) l. c. c. 1, 183; evolvit rem c. 1-3 usque 184.

scamus Deum, hic quidem per fidem quasi in speculo, illuc per visionem facie ad faciem (1).

Ob. 2. Cum *Gregor. Arim.* (2): « Si Deus sub ratione deitatis absolute esset subiectum in theologia nostra, *Deus esset comprehensibilis per nostram theologiam* actu habitam vel possibilem haberi ». — Respondeo cum *S. Thoma* (3): « Pro tanto veritas prima est obiectum fidei (et consequenter scientiæ fidei), quia de ea est fides. Nec tamen oportet, quod quodlibet enuntiabile, de Deo formatum, sit credibile, sed tantum illud, de quo divina veritas testificatur ». Hæc autem non de omnibus, quæ Deus ipse de se ipso cognoscit, testificata est. — De hac similibusque difficultatibus cf. *Capreolus* l. c. p. 59-61.

Art. 3. De obiecto formali utriusque disciplinæ.

10. — Obiectum formale alicuius scientiæ est ea cognoscibilitas, quæ in eius subiecto vel obiecto attributionis invenitur. Quæ naturalis dicitur, si hauritur ex principiis obiectivis cognoscendi creatis, supernaturalis (vel præternaturalis) si ex principio cognoscendi obiectivo increato, i. e. Deo. Iamvero Deus principium obiectivum cognitionis nostræ fieri potest aut ut visus aut ut loquens. Deum a creatura videri posse, sola revelatio demonstrat, eum nobis loqui posse etiam philosophia probat.

11. — *Obiectum formale theologiæ fundamentalis.* — In theologia fundamentali *primo probandum est factum, Deum esse locutum.* Iamvero hoc factum primo et per se pro nobis nequit habere cognoscibilitatem ex principio increato cognito. Nam *a*) visionem Dei non habemus. Constat enim experientia et sana philosophia, obiectum formale intellectus nostri esse intelligibile in sensibilibus. Neque *b*) Deus in quantum auctoritatem suam loquendo interponit, potest esse principium, unde eius locutionem primo cognoscamus. Nam aliquid a Deo ut auctoritatem suam loquendo interponente discimus, in quantum ei id credimus quod dicit. Iamvero credere aliquid quod quis dixit idem est atque admittere id quod dixit ob auctoritatem loquentis cognitam. Ergo credere alicui aliquid, supponit iam prius, saltem prioritate naturæ, esse notum, aliquem loqui atque habere auctoritatem in loquendo. Ergo impossibile est, nos ob Dei loquentis auctoritatem amplecti primam cognitionem de facto locutionis divinæ. Ergo *obiectum formale eius partis theologiæ fundamentalis qua factum locutionis divinæ primo probatur, est cognoscibilitas huius facti e principiis creatis.*

(1) Doctrinam *Hirscher* v. ample expositam et refutatam *Kleutgen*, o. c. I ed. 2 n. 151-59, p. 238-53; V ed. 2 n. 297-304, p. 25-38. — (2) In Prolog. q. 4 a. 2. — (3) De verit. q. 14 a. 8 ad 16.

Hæc cognoscibilitas est *historico-philosophica. a)* Est *historica.* Nam demonstrandum est factum idque, ut in prima parte argumenti vidimus, e principiis rationis. Iamvero cognitio humana, in quantum versatur circa facta stabilienda, vocatur historica. — Res ita magis illustrari potest: Tum id quod in theologia fundamentali probandum est, tum omnia argumenta, quibus id probandum est, in factis sita sunt. Ergo certo certius cognoscibilitas obiecti attributionis theologiæ fundamentalis est historica. Probatur antecedens: Id quod in theologia fundamentali probandum est, remote est locutio divina active spectata, prout est in ipso Deo, proxime vero est signum eius a Deo in mente humana effectum. Iamvero effectio talis signi est factum historicum. Porro in decursu tractatus data opera videbimus, omnia argumenta pro locutione divina, seu omnia motiva credibilitatis, iterum vero quodam modo in solis factis esse posita. — *b)* Hæc cognoscibilitas est historico-*philosophica.* Probandum enim est, revelationem revera ad ipsum Deum ut causam esse reducendam. Iamvero philosophiæ est, res ad ultimam causam reducere.

In theologia fundamentali *secundo loco probandum est factum, ea quæ Deus locutus est, ab ecclesia catholica infallibiliter custodiri.* Iamvero Deus ipse per Christum nobis revelavit et modum, quo revelatio conservanda est, scilicet per auctoritatem infallibilem societatis a se fundatæ, et notas quibus hæc societas dignoscatur. Ergo *factum conservationis revelationis habet cognoscibilitatem e principio increato* seu verbo divino. — *At idem factum habet etiam aliam cognoscibilitatem e principiis creatis, eamque historico-philosophicam.* Nam factum historicum est, ecclesiam catholicam se confiteri custodem revelationis divinitus institutam. Factum historicum est, hoc testimonium ecclesiæ de se ipsa probari miraculis aliisque motivis credibilitatis ad illud testimonium commendandum divinitus patratis. — Patet, hanc secundam cognoscibilitatem esse minus perfectam illa priore.

12. — *Obiectum formale theologiæ dogmaticæ. — Theologiæ dogmaticæ obiectum formale est demonstrabilitas alicuius veritatis ex verbo Dei, uti ab ecclesia proponitur et declaratur, sive formaliter in eo invenitur sive mediantibus conclusionibus ex eo derivatur.* Etenim theologia dogmatica est scientia fidei seu rerum credendarum. Iamvero in tali scientia duplici tantum processu ab incognitis ad cognita perveniri potest. Unus progreditur ab hac fide: « Credo quæcunque Deus sive Scriptura inspirata sive revelatione hominibus elocutus est atque ecclesiæ custodienda tradidit », desinit vero in cognitionem singularum veritatum quæ sive in Scriptura sive in reve-

lationibus ab ipso Spiritu sancto scripto non consignatis continentur. Alius progreditur ab aliqua veritate determinata particulari atque ex ea, mediante alia veritate sive revelata sive non revelata, eiusmodi veritates cognoscendas derivat, quæ ut tales in fontibus revelationis non inveniebantur. Medium autem utriusque progressus est demonstratio. Quæ aliquando syllogismo expositorio utitur, ut in pluribus autem deductivo.

Ad obiectiones: 1) Theologia quoque naturalis seu theodicea quæ dicitur, *partem quandam earum rerum divinarum* demonstrat quas ipsa theologia dogmatica cognoscit. At *theologia naturalis* ea *haurit e principiis creatis,* scilicet ex effectibus a Deo productis, dogmatica vero ea discit a principio increato, a Deo loquente.

2) *Et ipsa fides divina et scientia fidei versantur circa obiecta revelata, at duplici præcipue cum differentia, e quibus una se habet ex parte extensionis obiectorum, alia ex parte motivi assensus.* Etenim fides divina, e plurimorum saltem sententia, tantum circa revelata versatur, scientia vero fidei etiam circa conclusiones e revelatis. Fides assentit ob auctoritatem Dei revelantis, scientia vero fidei, hoc assensu supposito, singulis veritatibus assentit ob evidentiam demonstrationis, qua hoc vel illud in verbo Dei formaliter contineri aut ex eo fluere probatur.

3) *Aureolus* (1) ita arguit: « *Nulla scientia procedit ad sua principia concludenda,* sed potius concludit ex illis. Sed certum est, quod... omnes doctores theologiæ formant quæstiones de articulis fidei... et ad eas concludendum procedunt; ut cum quæritur, utrum Deus sit trinus et unus... ». R. Nulla scientia principium suum ultimum probat, tr. et n. sup. hoc in theologia locum habere; nulla scientia principia sua proxima ex ipso remoto probat, n. Cd. min. — Ad explicationem: Deum locutum esse atque eius verba in ecclesia catholica custodiri, theologia dogmatica non probat ipsa sed uti a propædeutica probatum accipit. Ex quo facto generali demonstrato singulas veritates concludit, quæ ipsæ se habent loco principiorum, e quibus ulteriores conclusiones speculativas deducit.

Art. 4. De distinctione theologiæ fundamentalis a philosophia et theologia dogmatica.

13. — *Theologia fundamentalis non est pars theologiæ dogmaticæ aut doctrinæ fidei.* — Obiectum formale doctrinæ fidei catholicæ est verum ut est cognoscibile ex verbo Dei, ab ecclesia custodito et explicato, theologiæ dogmaticæ verum ut est demonstrabile ex eodem verbo Dei. Obiectum formale theologiæ fundamentalis, uti articulo 3 vidimus, est cognoscibilitas ex principiis creatis, eaque historico-philosophica. Ergo obiectum formale theologiæ fundamentalis aliud est atque obiectum formale theologiæ dogmaticæ, atque proinde illa non se habet ad hanc ut pars ad totum.

(1) Apud Capreol. o. c. p. 9, 10.

14. — **Corollarium.** Unde patet, nostram disciplinam cum theologia dogmatica in unum cursum completum theologiæ vel in unum eundemque librum theologicum non ideo conflari, quasi essent duæ partes, quæ in unum totum homogeneum concrescant, sed quia sunt *duæ disciplinæ, quarum una ad aliam essentialiter est ordinata.*

15. — Ob. *Theologi usque ad sæculum fere 18 probationem de facto locutionis divinæ eiusque custodiæ, non præmiserunt tractatui dogmatico de universa theologia, sed tantum hoc vel illo loco intra limites theologiæ dogmaticæ eam proponunt.* Ergo non aliam doctrinam de hoc facto admittunt, quam dogmaticam. — R. 1) N. antec. esse universaliter veram. 2) Etsi esset universaliter vera, n. consequentiam.

1) Ad antec. In proœmiis ad theologiam dogmaticam factum illud probant v. g. *Scotus* (1), *Trigosus* (2), *Frassen* (3) data opera; *Bonnez* (4), *Gregorius a Valentia* (5) remissive. In libris non dogmaticis ad quos theologi tamen remittebant v. g. *S. Th.*, Summa c. Gent. l. 1 c. 6; *Savonarola* O. P. in: Triumphus crucis (6); *Michael de Medina* O. S. F. in: Christiana parænesis, quod totum est de fidei principiis (7).

2) Consequentia deest. Nam *a*) in genere multas res mere philosophicas in Summis theologicis tractant idque modo mere philosophico. *b*) In tractatu de fide, ubi de iudicio credibilitatis agere solent, data opera docent, illud actum fidei præcedere atque e principiis creatis procedere. Imo aliquando præterea addunt, fontes argumentandi in doctrina de motivis credibilitatis et de rebus dogmaticis materialiter quidem posse esse eosdem, formaliter autem esse diversos. Cf. v. *Suarez*, de fide disp. 4 s. 3 n. 8 (ed. Paris.) 12, 123. — *c*) Rationes, cur multi doctrinam de motivis credibilitatis tantum in dogmatica tractaverint, videntur fuisse hæ: debet etiam dogmatice tractari; tractatio ampla apologetica iis temporibus minus necessaria videbatur; fortasse ob has ipsas rationes non placuit, eam etiam externe a dogmatica plene separare.

16. — *Theologia fundamentalis non videtur esse pars philosophiæ.* — Etenim philosophia est scientia, quæ necessarias rerum essentias, easque in tantum considerat, in quantum ex principiis creatis, non vero e principio increato, i. e. ex Deo loquente demonstrari possunt. Id quod etiam de suprema philosophiæ parte, theologia naturali, valet. Ergo ad philosophiam non pertinet considerare ordinem fidei. Iamvero si ordinem fidei non considerat, neque ea considerare debet quæ totam rationem essendi habent in hoc ordine de facto fundando. Atqui locutio Dei ad hoc essentialiter ordinata est, ut fundet ordinem fidei. Ergo extra ambitum philosophiæ est.

(1) Oxon. Prolog. qu. 1 de necessitate revelationis, 2 de motivis credibilitatis, 3 et 4 de essentia dogmaticæ. Deinde ad dogmaticam proceditur. — (2) Sancti Bonaventuræ Summa theologica qu. 1 quæritur 3 dub. 1 de modo procedendi et motivis credibilitatis (p. 26-28). — (3) Scotus academicus proœm. art. 3 qu. 4 concl. 2 (ed. Romæ 1900) I 83-84. — (4) in 1 qu. 1 a. 8 Dub. 2 concl. 2 (ed. Venet. 1587) col. 105. — (5) Com. in Th. disp. 1 qu. 1 punct. 2 (ed. Venet. 1600) col. 8 E. — (6) c. 1 de modo procedendi. — (7) l. 2 de motivis credibilitatis.

17. — Ob. *Etiam philosophia locutionem Dei eiusque probationem v. g. miraculis instituendam considerat.* Etenim hanc quoque materiam philosophi haud ignobiles in suo cursu philosophico, etiam scholis destinato, non raro tractant. Favet eorum modo procedendi natura rei. Nam Deum posse loqui atque locutionem suam miraculis confirmare ad necessarias eius perfectiones pertinet, quæ natura duce cognosci possunt. — R.: Philosophi est considerare locutionem Dei eiusque probationem ut possibilem, c., uti factam atque ordinatam ad ordinem fidei actu fundandum, n. Possibilitatem illam auctores tractare solent, non vero factum. Possibilitate illa ignorata, cognitio nostra etiam naturalis de Dei perfectionibus manca est; scire vero, num factum vere locum habuerit necne, hanc cognitionem per se non reddit perfectiorem.

Inst. Etiam factum locutionis divinæ philosophus qua talis considerare potest. Nam, uti concessimus, ad eum spectat locutionis divinæ eiusque probationis possibilitatem demonstrare. Iamvero quamvis via, quæ ex infinitate Dei ad possibilitatem loquendi arguit, perfectior sit, tamen etiam ea legitima est, qua ex facto locutionis divinæ ad eius possibilitatem concluditur. — R.: Sequitur, philosophum factum locutionis in tantum considerare posse, in quantum ad demonstrandam vel confirmandam possibilitatem locutionis inservit, c.; in quantum ad ordinem fidei actu fundandum refertur, n. Unde philosophus factum ut factum considerare potest, theologiæ fundamentalis cultor debet. Illi sufficit demonstrare, si tamen ullum demonstrare vult, quodlibet factum revelationis sive privatæ sive publicæ, hic in omnia illa facta inquirat necesse est, quæ speciem revelationis præ se ferre atque ad universum genus humanum, sive ad communitatem, cuius ipse facit partem, sive ad se solum dirigi videntur. Ille rem breviter expedire potest, quippe quæ ad finem scientiæ suæ necessaria non sit; hic maxima cum cura omni argumentorum vi eam stabiliat necesse est, quippe quæ sit ipsum scientiæ suæ principale subiectum. Ille, intra philosophiæ fines se continens, in facto confirmationem quærit ideæ suæ de perfectione essentiæ divinæ; hic, philosophiæ limites excedens, in illo facto fundamentum quærit non sciendi sed credendi, non inhærendi evidentiæ creatæ, sed veritati increatæ, discendi non ex effectibus Dei de Deo, sed a Deo de Deo eiusque operibus.

Inst. Affirmavimus n. 11, cognoscibilitatem theologiæ fundamentalis esse e principiis creatis eamque historico-philosophicam. Ergo duobus modis concessimus, eam ad philosophiam pertinere: 1° quia cognoscibilitas eius ex principiis naturalibus procedit, 2° quia eam etiam arctiori sensu diximus philosophicam. — R.: Concessimus, obiectum formale commune esse philosophiæ et theologiæ fundamentali, præterea unam e duabus scientiis auxiliaribus quibus maxime utatur theologia fundamentalis esse philosophiam, c; concessimus philosophiam et theologiam fundamentalem habere idem obiectum formale et idem subiectum, n. Cf. argumentum.

Art. 5. De nominibus utriusque disciplinæ.

Considerato munere atque obiecto formali utriusque disciplinæ, etiam nomina utriusque facile capiuntur.

18. — *Nomina theologiæ fundamentalis.* — Ea plurima sunt. Desumuntur partim ex finibus huius disciplinæ, partim ex subiecto, partim ex aliqua accidentali functione.

19. — *Nomina secundum finem.* — Finem theologiæ fundamentalis diversa nomina diversis modis exprimunt. Eam post philosophiam ea docere, quæ dogmaticam antecedere debent, significant nomina ut: *prodromus, propædeutica* ad theologiam. Ita v. g. *Th. Aq. Mayer* s. 18, *Pesch, Zigliara* s. 19. — Hanc propædeuticam esse in eo, ut intellectui possibilem reddat modum cognoscendi theologiæ proprium, exhibent nomina huius generis: *doctrina de cognitione theologica*, quod habet v. g. *Scheeben*, Logique surnaturelle quod adhibet v. g. *Didiot.* — Eam demonstrare fundamentum seu principium theologiæ, quod est verbum Dei loquentis, exprimere intendunt ii plurimi qui eam *theologiam fundamentalem* vocant, uti v. g. s. 19 *Schwetz, Hettinger, Casanova, Ottiger*, s. 20 *Stummer, Zaccherini.* Non vero hac appellatione insinuare volunt, theologiam fundamentalem esse partem intrinsecam seu aliquod principium theologiæ sed tantum, eam esse conditionem sine qua non. — Finem qui in (iudicio credibilitatis vel) fide vel in unitate fidei inter omnes homines situs est, efferunt v. g. nomina *Pistica, irenica atque henotica.*

20. — *Nomina secundum subiectum.* — Subiectum huius disciplinæ vario modo alia nomina referunt. Illud esse veritatem, Deum generatim revelasse atque revelata custodire, in quantum hæc veritas singulis revelatis opponitur, designat nomen: *dogmatica generalis*, quod adhibent v. g. *Hurter* s. 19, *Minges* s. 20. — Illud esse ipsa principia theologiæ, scilicet constitutivum quod est verbum Dei, et regulativum quod est infallibilis ecclesia, effert nomen: *de principiis theologicæ*, quod adamavit v. g. *Kilber* s. 18, *Schill, Mendive*, s. 19. — Quod subiectum magis determinant alia nomina v. g.: *de vera religione* (scilicet revelata), *de religione revelata, demonstratio christiana*, quo principium constitutivum determinatur, *de ecclesia, demonstratio catholica*, qua ratione principium regulativum magis declaratur. Adiuncta tertia pars *de locis theologicis* sedes argumentationis theologicæ etiam magis determinat. Huiusmodi nomina elegerunt v. g. *Stattler* s. 18, *de Vivo, Perrone, Wilmers, Cam. Mazzella* s. 19.

21. — *Nomina secundum functionem aliquam.* — *Functionem defensivam vel aggressivam* enuntiant nomina: *apologia atque apologetica, polemica. Apologia* vi nominis significat defensionem omnem, etiam singularis cuiusdam veritatis, proinde apologia religionis christianæ defensionem omnium et singularum veritatum saltem principalium huius religionis. Usu factum est, ut *apologetica* sumi soleat pro systemate defensionum idque non tam singularum veritatum vel collectionis earum, quam duplicis illius facti, Deum per prophetam et Christum locutum esse atque hanc divinam revelationem ab ecclesia infallibiliter custodiri. — *Polemica* intelligi fere solet oppugnatio doctrinarum falsarum, quae sive ab incredulis sive ab hæreticis catholicæ veritati opponuntur. Usus tamen obtinuit, ut nunc præcipue ea opera dicantur polemica, quæ hæreticas doctrinas aggrediuntur, imo quæ catholicam ecclesiam infallibilem contra eos demonstrant.

Patet haec nomina non intimam theologiae fundamentalis essentiam exhibere. Etenim primo etiam in dogmatica veritates contra obiectiones defenduntur vel falsæ hæreticorum atque incredulorum sententiæ impugnantur. Deinde integra theologia fundamentalis tradenda esset, etsi nulli adversarii existerent. Retinentur tamen hæc nomina, præcipue ut videtur ob rationes duas. Primo ii qui revelationem primis christianis sæculis stabiliebant, id sæpe in iis scriptis faciebant, quæ data opera apologiæ erant, i. e. Christianorum personas, mores, dogma'a

defendebant. Deinde adversarii principales religionis christiano-catholicæ imprimis duplex factum revelationis eiusque custodiæ negant.

Unde intelliguntur eiusmodi tituli multorum operum theologiæ fundamentalis, uti *Pichler*, s. 18: cursus theologiæ polemicæ universæ; s. 19; *Gatti*, Institutiones apologeticæ-polemicæ; *Gutberlet*, *Devivier*, ect.: Apologetik; *Schanz*, *Weiss*: Apologie.

22. — *Nomina theologiæ dogmaticæ.* — Inde fere a tempore « Summarum » usque ad s. 17. eam generatim dicebant *theologiam* sine addito, vel uno ex nominibus aequivalentibus vocabant. (Cf. Prænotanda § 1 n. 1-5). Successit nomen *dogmaticæ*, quo significaretur, eius esse singula dogmata stabilire. Dogmata autem sunt veritates revelatae atque ab ecclesia ut tales propositæ. Vocantur ita, quia per modum decreti, placiti auctoritativi (δόγμα) a legitima auctoritate credendæ imponuntur. Cuius nominis evolutio proponitur cum de ipso dogmate sermo est. Dogmata tum theoreticas tum practicas veritates complectuntur. Quo sensu generaliori nos hoc nomine utemur (1).

Sæpe utique nomen dogmaticæ ei parti huius disciplinæ applicatur, quæ dogmata mere theoretica, non practica tradit, quo sensu ipsa dogmatica et moralis ut partes duæ integrantes theologiam (sine addito) constituunt.

Art. 6. **Quæritur, num utrique disciplinæ ratio veræ scientiæ conveniat.**

23. — Scientia et obiective et subiective sumitur: obiective pro systemate demonstrationum, in quantum hoc singulis quibusdam conclusionibus opponitur; subiective pro certo quodam modo perfecto cognoscendi.

Si scientia subiective sumitur. — Utraque disciplina, et theologia fundamentalis et dogma, suum unaquæque completum habet systema demonstrationum, atque proinde scientiæ veræ nomen meretur, si scientia obiective sumitur. — Etenim theologia fundamentalis statuit, revelationem esse impertitam a diversis prophetis, Christo, apostolis, contineri in libris a Deo inspiratis vel etiam in traditione, custodiri in ecclesia catholica a Romano Pontifice, corpore episcoporum, Patribus, theologis, fidelibus, quorum infallibilitas in docendo vel credendo etiam ad ea obiecta extendatur, quæ cum revelatione connexa sint. — *Dogma* vero considerat Deum, unum in natura, trinum in personis; opus creationis; gratiæ multiformia dona inde ab Adami

(1) Cf. v. g. Scheeben l. c., porro plurimos modernos, qui methodum apologeticar dogmaticæ opponunt.

elevatione usque ad consummationem eorum in visione beatifica; totum ordinem officiorum, quibus homo ad hanc visionem tendere debet. — Quæ plurimæ conclusiones in utraque disciplina in unum corpus doctrinæ componuntur, eo fere modo quem insinuavimus, vel alio quodam simili.

24. — *Si scientia subiective sumitur.* — At præcipue quæritur, num utraque disciplina nostra scientia dicenda sit, si scientia subiective sumitur Quodsi quis *cum recentioribus* scientiam definit « *cognitionem certam quæ ex principiis certis via et ratione, seu secundum regulas generales, ignota deducit* » (1), sine dubio affirmative respondendum est. Nam theologia fundamentalis factum revelationis ex experientia secundum historiæ et philosophiæ, custodiam vero revelationis præcipue secundum hermeneuticæ principia rite applicata e verbo Dei deducit. Dogmatica vero et singulas veritates credendas secundum hermeneuticam, conclusiones vero ex iis secundum philosophiam colligit.

E *mente autem Aristotelis et veterum* scientia definienda est: « *cognitio certa et evidens per demonstrationes comparata* » (2). Evidentem autem cognitionem ita intelligebant, ut conclusiones ex principiis intrinseca evidentia fulgentibus procedere deberent. Iamvero patet, quasdam singulares veritates, quibus dogmatica ut principiis ad novas conclusiones deducendas utitur, non esse intrinsecus evidentes, imo fides docet, eas esse mysteria sensu stricto. Porro quæcumque theologia directe e verbo Dei deducit, non qua evidentia tradit sed qua credenda.

Unde capitur, cur scholastici generatim theologiæ rationem scientiæ aut simpliciter negarent, uti *Scotus* (3), *Durandus, Gregor. Arim. cum nominalibus,* aut saltem nonnisi cum addito ei attribuere auderent. Ex his quidam, ut *Caietanus* (4), *Bannez* (5), *Toletus* (6) statuunt, theologiam esse scientiam perfectam in beatis, quippe qui quæ fides docet in ipso Deo cum evidentia videant, imperfectam vero in nobis, quippe qui ea nonnisi fide teneamus. Citant pro se eos locos *S. Thomæ,* quibus theologiam scientiam vocat, quin ei tantum Esse improprium vel analogicum in ratione scientiæ ascribat. Quidam, ut *Gregorius a Valentia* (7), *Vasquez* (8), eam nonnisi analogice scientiam habent. Provocant ad alios locos sancti doctoris. — Erant tamen, qui, ut *Alex. Alens.*, *Canus,* putarent, Aristotelem, si cogitasset de disciplina, quæ

(1) *Tilm. Pesch,* Logica pars 2 v. I, n. 1095 p. 577, collat. cum n. 1131 p. 614. — *Ch. Pesch,* I n. 8. — (2) Cf. v. g. *Urraburu,* o. c. p. 881. — (3) L. c. 4 « Sed aliud », inde ab initio. — (4) In 1 q. 1 a. 2 ad finem. — (5) Ib. ab initio, concl. 1 et 2. — (6) In Th. qu. 1 a. 2 concl. 4. — (7) o. c. disp. 1 qu. 1 punct. 3 § 1. — (8) In 1 q. 1 a. 2 disp. 4 c. 6-8.

procederet e principiis etsi non evidentibus, at fide divina certis, eam veram scientiam vocaturum fuisse.

Cum his temporibus vivamus atque proinde pro hominibus horum temporum scribamus, *potius definitio recentiorum tenenda est.* Alias theologiam deprimere videbimur. — *Si tamen veterum definitionem ad verbum intellectam retines,* quia *nostra,* non beatorum theologia definienda est « non eiusdem speciei cum aliis scientiis nec univoce scientia » (1) dici potest. At præter evidentiam principiorum omnia elementa veræ scientiæ tenet: discursum, regulas universales methodice applicatas, veram, imo maximam certitudinem. Est ergo *scientiæ simillima* atque hoc sensu analogice scientia dici potest.

25. Ad obiectiones. 1) Sunt *Rationalistæ* recentiores (2), qui aliis quidem disciplinis hodie excultis, uti v. g. *physicæ, rationem scientiæ ascribunt, theologiæ vero eam ideo negant, quia primo dogmatum serva sit, deinde via auctoritatis utatur.* — R. In hac disparitate affirmanda sibi contradicunt. Nam primum quod attinet: Sicuti physicus ex experimentis via et ratione institutis facta colligit, collecta vero explorare studet, ita dogmaticus prius e fontibus revelationis via et ratione singulas veritates eruit, statutas scrutari incipit. Num forte physicus, ut scientiam colat, facta statuta negare debet? — Secundum quod attinet, nonne physicus quoque experimenta multa ipse instituere nequit, ab alio autem instituta fide humana accipit, acceptaque explorat?

2) *Loisy* (3) affirmat, obiectum theologiæ « non pertinere ad ordinem scientiarum (recentiorum) ». Etenim Deum qua miracula edentem et loquentem (a propædeutica) probari non posse, quia qua talis « neque factis solis neque ratiocinio demonstrari » possit. Simili modo singula dogmata, v. g. divinitatem Christi, non pertinere ad historiam, etsi Christus eam in evangelio proposuisse assumatur; eam enim simplici discussione evangelici testimonii colligi non posse. Et illa facta et has singulas veritates dogmaticas aliter demonstrari non posse quam eo « quod quis vires conscientiæ moralis intendat, quæ utique scientia et ratiocinatione iuvanda sit »; agi enim de « facto (donnée) religioso et morali ». — R. Facta illa Deum locutum esse, etc. a propædeutica simpliciter probari possunt; facta autem supernaturalia quæ obiectum locutionis divinæ constituunt v. g. incarnatio, indirecte ad historiam pertinent, in quantum scilicet in testificatione miraculis probata continentur, testificatio vero ad historiam spectat. — Ratio autem a *Loisy* addita errorem manifestat, qui fere omnes eius doctrinas pervadit. Confundit nempe inter se dispositionem voluntatis, generatim necessariam ut argumenta de quibus sermo erat rite considerentur atque admittantur, cum facultate aliqua propria vel actu quodam proprio aliarum facultatum, v. g. ipsius voluntatis, cuius actus obiectum sint res divinæ quasi experimento vel intuitioni cuidam subiectæ vel quæ amatæ, etc. (4).

(1) Th. in 3 dist. 33 qu. 1 a 2 quaestiunc. 4 solutio 4. — (2) V. apud *Fonsegrive,* Le catholicisme et la vie de l'esprit, (1899), 102 sq. — *Bellamy,* La théologie catholique (1904) 197-201. — (3) Autour d'un petit livre 213-216. — (4) Cf. v. g. *Ch. Pesch,* Theologische Zeitfragen, Vierte Folge: Glaube, Dogmen und geschichtliche Tatsachen (1908) 139-156.

Art. 7. Quæritur, num utraque disciplina vere sit scientia una.

26. — *Unitas dogmaticæ. Theologia dogmatica*, cum unum habeat subiectum, Deum sub ratione deitatis, unum obiectum formale, demonstrabilitatem e verbo Dei uti ab ecclesia proponitur et declaratur, sine dubio *est scientia perfecte una.*

Unitas theologiæ fundamentalis. Theologia fundamentalis ex parte quidem subiecti una est, quippe quod communicatione veritatis revelatæ in humano genere contineatur, ex parte vero obiecti formalis non. Nam, uti n. 11 vidimus, obiectum formale ejus partis propædeuticæ, quæ impertitionem revelationis probat, est demonstrabilitas veritatum historico-philosophica, obiectum vero formale eius partis, quæ custodiam revelationis probat, potest quidem esse idem, at e methodo perfectiore etiam hæc ipsa custodia demonstratur e verbo Dei revelato. Iamvero disciplina quæ diversa obiecta formalia adhibere saltem potest, in quantum ea adhibet, certe perfecte una dici nequit.

Ob. *Si pars theologiæ fundamentalis e verbo Dei procedere saltem potest, in quantum hoc facit, dicenda esset dogmatica.* At omnes eam distinguunt a dogmatica. Ergo nobis ipsi contradicimus. — R. Dogmaticæ essentia non eo solo constituitur, quod obiectum eius formale est verbum Dei utcunque sumptum, sed *a*) ex eo quod est verbum Dei universum quod publice traditum est, tum inspiratum tum simpliciter revelatum, quod porro *b*) dogmatica ex hoc verbo Dei procedit, in quantum per infallibile magisterium ecclesiæ proponitur et in locis theologicis explicatur. At propædeutica neque ex omni verbo Dei argumentari potest, cum v. g. inspiratio omnium librorum Scripturæ convenienter tantum a magisterio infallibili ecclesiæ hauriri possit, neque explicationem ab eodem magisterio ecclesiæ infallibili sumere. Unde eius explicationes sæpe etiam minus perfectæ sunt quam eæ, quas dogma subministrat.

Art. 8. Finis utriusque disciplinæ si spectatur, dicenda est principaliter speculativa, secundario practica.

27. — Agimus de fine operis, i. e. de fine intrinseco ipsius scientiæ, non vero de fine operantis, i. e. de eo, ad quem quis doctrinam acquirendam dirigere sive vult sive debet. — Doctrina speculativa dicitur, in quantum ut finem intrinsecum habet notitiam veritatis, practica (effectrix), in quantum regulationem operationis. Unde cum « oporteat materiam fini esse proportionatam » (1), scientia practica ea est, quæ habet materiam operabilem ab eo qui doctrinam acquirit, quamque ut

(1) *Th.*, super Boethium de Trinit. q. 5 a. 1. — Alia optima de definitione scientiæ speculativæ et practicæ : de verit. q. 3 a. 3 in corp. — *Capreolus*, l. c. q. 2 p. 20-32. — *Urraburu*, l. c. n. 253-59 p. 896-911. — *Suarez*, de anima l. 4 c. 9 n. 1.

talem respicit; speculativa vero est, quæ circa talem materiam tali modo non versatur.

Theologia *dogmatica* ut subiectum, et proinde ut materiam principalem habet Deum in ratione deitatis, theologia *fundamentalis* vero revelationis divinæ impertitionem atque custodiam. Iamvero evidens est, neque Deum neque revelationem divinam ab hominibus efficiendam esse. Ipsa quoque custodia revelationis principaliter providentiæ divinæ extraordinariis auxiliis perficitur, secundario tantum ab ipsa ecclesia. Singuli vero propædeuticæ studentes tantum aliquid ad eam conferre possunt.

Nihilominus pars quædam theologiæ agit de virtutibus et vitiis, pars propædeuticæ de quibusdam conclusionibus practicis e revelatione impertita et custodita, v. g. de necessitate inquirendi in revelationem, iudicio credibilitatis et credentitatis formandis, etc. Iamvero hæc sunt operabilia ab iis qui his disciplinis operam dant atque ab iis etiam ut talia respici videntur.

28. — Ob. 1. *Theologia omnis est practica.* Nam ut habet *Scotus* (1) « ea profecto est cognitio practica, quæ est aptitudinaliter conformis voluntati rectæ [natura sua apta cui voluntas recta conformetur], et naturaliter illa prior ». Atqui ita se habent omnes veritates theologicæ, etiam illæ quæ a cæteris speculativæ dicuntur. V. g. « nescientem Deum fecisse mundum, oportet errare, non rependendo amorem qualem gratitudo requireret... ». — R. Omnis tandem veritas, quippe quæ sit aliqua imitatio Dei, natura sua apta est, circa quam voluntas humana cum laude Dei occupetur, atque proinde ex natura veritatum iam nulla esset distinctio inter scientiam speculativam et practicam. Quod cum falsum sit, illa definitio scientiæ practicæ minus recta est.

Ob. 2. *Theologia saltem principaliter practica est.* Etenim principalior est caritas quam fides; ergo theologia est principalius de caritate quam de fide, ergo magis practica quam speculativa. — R. Theologia practica est et in quantum agit de actu caritatis et in quantum agit de actu fidei, qui actus sane sunt quædam operabilia a nobis. Speculativa vero est in quantum agit de ipsis obiectis quæ amanda et credenda sunt, a nobis vero effici non possunt. Difficultas procederet, si dici posset: principalior est caritas quam ea quæ sunt amanda et credenda, v. g. Trinitas. Quod quam falsum sit, patet.

Ob. 3. *Neque ideo theologia dogmatica vel fundamentalis practica dici potest, quia de fide vel iudicio credibilitatis vel similibus actibus intellectus agit.* Nam teste *Scoto* (2) « praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu ». — R. Praxis, quæ ad constituendam scientiam practicam sufficit est omnis « actus in nostra potestate constitutus, quatenus dirigibilis aut regulabilis per humanam rationem » (3). Iamvero dicti actus intellectus ab eo procedunt ut iam regulati ab aliis actibus intellectus. Cæterum ita ipse *Scotus* definitionem suam intellexisse videtur *Suaresio* (4).

(1) *Oxon.* q. 4 n. 31; q. 3 n. 6. — (2) *Oxon.* q. 4 Secundo, Dico igitur. — (3) *Urraburu*, l. c. n. 258 p. 908. — (4) Metaph. disp. 44 sect. 13 n. 23-26 (ed. Paris. 26) 728, 729.

Art. 9. Quæritur, num theologia dogmatica sit scientia suprema, et fundamentalis prima post eam.

29. — *Dogmatica est scientia suprema.* — Hoc dicendum est ratione 1) *principii cognitionis,* quod est Deus revelans, ergo veritas increata; 2) *materiæ,* cum Deus principaliter de se ipso nos instruxerit, imo etiam ea de se revelaverit, quæ rationi naturali impervia sunt; 3) *certitudinis.* Etenim cum ipsa principia fide divina credantur, conclusiones quoque certitudine plus quam mere naturali tenentur. Accedit quod infallibile magisterium ecclesiæ se vadem exhibet legitimitatis demonstrationum multarum, quibus sive sensus Scripturæ atque traditionis sive conclusiones e veritatibus revelatis determinentur. — Cum quo cohæret, quod theologia est *norma negativa omnium aliarum scientiarum,* quippe cum nefas sit ullam ex iis legitime discrepare posse a veritate quæ vel revelata sit vel e revelatis consequatur. — Hæ eminentiæ theologiæ propriæ sunt, in quantum est *speculativa.* — In quantum vero *practica* est, actus omnes vitæ nostræ tum singulorum, tum familiæ atque societatis publicæ et civilis et ecclesiasticæ non ad beatitudinem naturalem sed ad ipsam visionem beatificam dirigit. Unde 4) etiam ratione *finis* est suprema inter scientias humanas.

Corollarium. — Ea scientia, quæ ultimas omnium rerum causas scrutatur, sapientia dicitur. Iamvero ipse Deus, præcipue uti est auctor ordinis supernaturalis, certe suprema omnium rerum causa est, cum ad eum omnia opera sua etiam naturalia retulerit. Ergo *theologia sapientia dicenda est.*

30. — *Theologia fundamentalis est scientia prima post dogmaticam.* — Nam in secunda sua parte obiectum formale essentialiter idem habere potest atque dogmatica. Subiectum vero eius sunt ipsa principia theologiæ demonstranda. Finis vero est iudicium credibilitatis atque fides, quæ est radix quædam visionis beatificæ.

Art. 10. Quæritur, num habitus utriusque disciplinæ sit supernaturalis an naturalis.

31. — *Theologiæ habitus est* 1) *entitative naturalis.* Nam pro habitu infuso nullum argumentum præsto est. Ergo non habetur nisi is habitus, qui teste experientia est acquisitus; ergo est entitative naturalis. Nam *a)* « posito assensu præmissarum theologicarum entitative supernaturali [i. e. fide], potest intellectus solis naturæ viribus elicere

assensum conclusionis, adhæsive firmissimum ac proportionatum certitudini præmissarum, in substantia naturalem » (1). Unde nulla certe ratio cur habitus supernaturalis oriatur. *b)* Etsi actus, quibus theologus qua talis discurrit et concludit, essent entitative supernaturales, tamen, e generali doctrina de generatione habituum tum naturalium tum supernaturalium, habitum naturalem gignerent. Nam ex una parte habitus supernaturalis nonnisi infundi potest, non vero acquiri. Ex alia parte etiam actus supernaturales repetiti saltem probabilius naturalem habitum gignunt (2). — 2) *Hic habitus entitative naturalis præsupponit tamen actus fidei supernaturalis.* Etenim cum ipsa principia, e quibus conclusiones deducuntur, tantum fide constare possint, ad eas ut certo affirmandas perveniri nequit, nisi ipsis fidei divinæ actibus præsuppositis. Qui in hoc ordine entitative supernaturales sunt. (Abstrahimus ab eo casu inter homines ut sunt vix possibili, quod quis omnia quæ revelata sunt admitteret non ob auctoritatem Dei revelantis, sed ob evidentiam testificationis divinæ. Talis assensus utique non esset actus fidei divinæ.) — Sequitur, neque in incredulo neque in eo qui hæretico spiritu in neganda aliqua veritate revelata ducitur, habitum theologiæ inveniri posse. De illo res clara est. At is quoque qui hæretico spiritu ducitur, quædam e revelatis admittit, quædam non (3). Quæ electio veritatum admittendarum in causa est, cur multa revelata negare vel falsa qua revelata concipere soleat. Unde vi ipsius præsuppositionis ad plurimas falsas conclusiones perveniet. Quædam autem cognitio earum rerum theologicarum, quæ duce sola historia vel philosophia sciri possunt, etiam in eiusmodi hæretico inveniri potest, sicuti singulæ multæ cognitiones atque theologizandi facilitas eo tempore forse acquisita, quo homo catholicus erat, remanere in eo potest. Ulterior explicatio huius rei ad tractatum de fide spectat.

(1) *Platel*, Synopsis cursus theologici (1661) Procem n. 7. — (2) *Molina*, Concordia disp. 38 ad 1 obj. (ed. Parisiis 1876) p. 214, 215. — *Lahousse*, de virtutibus theol. (Brugis 1903) th. 2. — *Billot*, de virtutibus infusis (Romæ 1901) Proleg. II § 3 p. 50 sq. — (3) Quæ v. explicata v. g. *Ch. Pesch*, VIII n. 392.

PARS II.

DE THEOLOGIÆ DIVISIONIBUS, SCIENTIIS AUXILIARIBUS

Art. 1. De divisione theologiæ in theoreticam, practicam.

32. — *De hac divisione in genere.* — Sumitur e ratione *materiæ. Practica* enim *actiones ab hominibus e lege Dei vel ecclesiæ ponendas ut tales considerat, theoretica cætera omnia tractat.* — Habet se ergo theologia practica ad theologiam dogmaticam generatim spectatam *uti pars ad totum.* Etenim quæ actiones sive mediate sive immediate in ordine ad finem ultimum, visionem beatificam, ponendæ sint, quæ fugiendæ, non minus in revelatione aut formaliter continetur aut mediantibus veritatibus naturalibus per modum conclusionis ex ea deducitur, quam cæteræ veritates dogmaticæ. Unde theologi scholastici plurimi, uti ipse *S. Thomas,* omnes veritates revelatas simul, tum speculativas tum practicas eadem Summa theologica diversis in partibus tractabant. Quare si hodie sæpe theologiam practicam (moralem) dogmaticæ opponunt, hic modus loquendi significare nequit, moralem non esse partem intrinsecam dogmaticæ. — Sequitur quoque, theologiam practicam ita tractandam esse, ut videatur, *quomodo cum cætera dogmatica doctrina coniuncta* sit atque haud raro ex ea efflorescat (1).

33. — *Quædam subdivisiones theologiæ theoreticæ.* — Aliquod momentum historicum habent hæ: Patres eam dividebant in *theologiam simpliciter* dictam, quæ scilicet de Deo eiusque essentialibus proprietatibus agebat, et *œconomiam*, qua opera divina, præcipue in ordine supernaturali, considerantur, quæ Deus sapienter ad salutem nostram « disposuit ». — *Theologia simpliciter talis* secundum Ps. — Dionysium (2) distinguitur *in affirmativam et negativam* (καταφατική, ἀποφατική), secundum quod quædam de Deo affirmat aut negat; in *unitam et distinctam* (ἡνωμένη, ἀνακεκρινομένη), secundum quod ea

(1) Cf. *Kleutgen,* Theol. der Vorzeit V ed. 2 c. 1, 3-5 p. 84-93, 112-42. — (2) De myst. Theol. c. 3 MG 3 1032; de div. nomin. c. 2 MG 635.

statuit, quæ aut omnibus personis divinis communia sunt, aut in una vel duabus solis inveniuntur.

34. — *De theologia practica eiusque divisionibus.* — Omnis theologia practica aliquando moralis dicitur, quippe quæ circa mores occupetur. Quædam partes eius sunt: moralis presse dicta, ius canonicum, theologia pastoralis, ascetica atque mystica.

Theologia moralis presse dicta est « illa theologiæ pars, quæ, innixa iuri divino, per revelationem manifestato, inquirit quid in actionibus humanis liciti, quid illiciti sit (quid debiti, quid consilii), ut has dirigat in ordine ad vitam æternam » (1).

Ius canonicum est « scientia legum sive a Deo sive ab ecclesiastica potestate latarum, quibus constitutio atque regimen et disciplina Ecclesiæ catholicæ ordinantur » (2). Non ergo agit « de actibus mere internis aut de actibus quidem externis, sed nulli legi disciplinari vel sanctioni ecclesiasticæ in foro externo subiectis solique foro pœnitentiali reservatis » (3).

Theologia *pastoralis* ea ex scientiis theologicis practicis nominatis vel nominandis colligit, quæ ad curam animarum fructuose agendam proxime spectant (4). Ad quam etiam pertinent homiletica, catechetica, liturgica, ars dirigendi animas.

Ascetica est systema institutionum, quæ e revelatione, mediante quoque ratione atque præcipue experientia, profectæ sunt, quibus docemur, qua via a vitiis nos purgare atque virtutes sive ordinario sive heroico gradu assequi possimus.

Mystica est scientia de unione mystica et de ratione qua animæ circa eam se habere debeant (5). Est autem unio mystica quædam miraculosa cognitio experimentalis Dei, quæ, ut videtur, speciebus intelligibilibus sui generis perficitur (6). Quæ scientia theoretica est, in quantum existentiam et naturam huius doni, prælucente revelatione et experientia indagat; practica, in quantum ea tradit, quæ animæ ad eam elevatæ observare debent. Hæc practica quia in operibus de mystica tractantibus prævalere solent, mystica sæpe theologiæ practicæ adnumeratur. — Non raro mysticæ nomine ipsa quoque ascetica comprehenditur. Recentiores acatholici mysticos vocant v. g. pietistas, philosophos neoplatonicos, omnes etiam buddhistas qui sen-

(1) *Bucceroni,* Instit. theol. mor. I n. 1. — (2) *Wernz,* Ius decretalium I (ed. 2 1905) n. 53 p. 66. — (3) ib. n. 44 p. 57. — (4) Cf. *Krieg,* Encyclopædie § 107-111 p. 240-42. — (5) De definitione asceticæ et mysticæ cf. *Kleutgen* l. c. IV n. 24 p. 50 — (6) *Ioseph. a S. Spiritu,* O. Carm., Cursus theologiæ mystico-scholasticæ (1721) II disp. 14 q. 3. — *Tommaso Vallgornera,* O. P., Mystica theologia Divi Thomæ (1662) q. 1 procem. n. 46. — *Scaramelli,* Direttorio mistico tratt. 4 c. 11.

timenta vivida religiosa manifestant, omnes qui ordinem supernaturalem agnoscunt, alios (1).

In omni scientia practica, principia ultima et conclusiones ex iis deductæ applicari possunt ad proxime operabilia, ad actiones in concretis circumstantiis, ad « casus ». Quæ pars omnis scientiæ practicæ « *casuistica* » vocari posset, atque in morali presse dicta hoc nomen obtinuit. Patet tales solutiones casuum, inter se connexas in unum systema posse colligi atque libris propriis edi, idque ita ut principia ultima et remota solutionum non iterum evolvantur, sed, supposita ethica naturali, theologia universa dogmatica de actibus humanis in finem supernaturalem dirigendis, tantum breviter in memoriam revocentur. Evidens est, tales *libros moralis casuisticæ* præcipue pro consilio dando et pro confessionibus excipiendis esse per se utilissimos. Reprehendendi essent tantum, si prætenderent continere universam scientiam de moribus christianorum. Id quod contra recentiores quosdam adversarios moralis casuisticæ dictum sit.

Art. 2. De divisione theologicæ in positivam, speculativam.

35. — *Definitio utriusque.* — Hæc divisio est *secundum duo diversa munera vel functiones*, quibus una eademque theologia circa eadem dogmata versatur. *Prior singulas veritates in Scriptura vel Traditione formaliter sive explicite sive implicite contentas in his revelationis fontibus vere contineri probat.* Secunda *veritatum, quæ ita probatæ sunt, aliquam intelligentiam aperit*, eo quod ostendit quomodo una ex alia sequatur, ex iis novas conclusiones deducit, in genere ope philosophiæ eas explicat. — Utraque functio ex consequenti etiam obiectiones præcipue hæreticorum solvit; prior obiectiones contra probationes suas, secunda præcipue eas quæ contra ipsas veritates fidei in se consideratas atque præprimis ex ipsis conceptibus hauriuntur. Utraque scientia omnes disciplinas humanas utiles ad finem suum assumit.

36. — *Nomina harum duarum functionum.* — Tempore Patrum nulla nomina distincta eas designabant. *Qui priori functioni* insistebant, in quadam parte medii ævi vocabantur doctores *biblici* (a potiore parte fontis tractati) vel *sententiarii;* inde fere a sæculo 16 hæc functio dicta est *theologia positiva,* quo nomine etiam hodie designari solet; inde a s. 17 non raro vocabatur *dogmatica,* quo sensu

(1) Cf. v. g. *Poulain,* Des Graces d'oraison (1906) ch. 1 n. 16 p. 6. — *Kleutgen,* l. c. IV ed. 2 n. 28-34 p. 58-71.

tamen hoc nomen in desuetudinem abiit. Positiva vocabatur, quia dogmata probando quasi « ponit atque statuit » (1); dogmatica, quia dogmata, eaque sola, demonstrabat, non vero conclusiones etc. (2) — *Secundam functionem* qui sive unice sive præcipue colebant, inde a *Petro Lombardo* theologiam *scholasticam* tradere dicebantur; inde a sæculo fere 16 hæc functio præterea nomen theologiæ *speculativæ* obtinuit. Hoc nomen auctores hodie præ illo fere præferunt (3); præterea illud hanc functionem tantum ab aliqua circumstantia externa nominat, quod scilicet in scholis tradi solebat, hoc vero intimam functionis essentiam exhibet, in quantum intimior dogmatum intelligentia necessario dicit ipsam speculationem circa essentiam et nexum eorum. Unde etiam nos modum loquendi recentiorum sequemur.

37. — *Necessitas utriusque ad studium theologiæ atque relatio unius ad aliam.*

Ratione primum est illud *speculationis quasi initium*, præcipue ope philosophiæ obtinendum, ut in rebus etiam theologicis, unus conceptus ab alio clare distinguatur, v. g. incarnatio, creatio: persona, natura etc. Alias ne id quidem intelligi potest, quid in theologia probandum sit.

Deinde tantum *e theologia positiva* proponi necesse est, *quantum requiritur, ut* secundum perfectam scientificam methodum hermeneuticæ *sensus sacræ Scripturæ et traditionis* catholicæ invicte *stabiliatur* atque contra difficultates præcipuas, præprimis recentiores, *defendatur* (4).

Postquam ita in singulis tractatibus atque partibus tractatuum ea quæ in fontibus revelationis formaliter continentur « sobrie quidem sed solide firmata » (5) fuerint, *denuo accedat speculatio*, cuius duplex munus sit: primo veritatum, quæ a Scriptura vel traditione haustæ fuerint, quantum fas est intimam essentiam penetrare, v. g. modum incarnationis; deinde ulterius consequentias saltem proximiores ex iis deducere. — Patet, eam functionem theologiæ positivæ, quam diximus, debere esse priorem ea speculatione quam mox commemoravimus.

Cum hac ratione veritates in revelatione formaliter contentæ speculatione penetratæ atque quadam ratione evolutæ fuerint, *iterum studia scripturistica atque patristica* accedunt utilissime. Quorum finis is est, ut et plurima vel omnia testimonia quæ de aliquo dogmate vel de pluribus eorum in fontibus revelationis continentur, largissime

(1) *Greg. a Valentia*, In Sum. 1 disp. 1 q. 1 punct. 1. — (2) Cf. *Scheeben*, I n. 2 p. 3. — (3) Cf. v. g. *Kleutgen*, Inst. theol. I p. 22. — (4) Cf. Decreta 25 *Congr. gen. S. I.* (1906), decr. 14 n. 3. — (5) Ib.

monographico quodam modo colligantur, et quæcumque, sive e natura materiæ sive ob circumstantias v. g. finem scribentium, adversarios, difficiliora in iis inveniuntur, ampliore et accuratiore modo explicentur. Quæ nonnisi cum magno periculo errandi fierent, antequam mens universo theologiæ tum positivæ tum speculativæ quodam systemate imbuta fuerit.

Simili modo nonnisi hac formatione iam præsupposita illi *etiam perfectiori speculationi* opera dari apte potest, qua singula quædam dogmata monographice omni ex parte speculative explicantur atque ad consequentias etiam remotiores descenditur.

Ex iis, quæ diximus intelligitur, cur auctores optimi theologiam positivam (debita scilicet mensura) ut necessariam partem theologiæ ipsius scholasticæ consideraverint, ex alia parte ipsam theologiam scholasticam ut præparationem pro theologia positiva (scilicet ampliori) requisierint (1).

Illud quoque ex arcta connexione inter utramque capitur, cur generatim iisdem ætatibus theologiæ et positivæ et speculativæ tum progressus tum regressus ascribendus sit (2). Id quod in historia theologiæ paucis videbimus.

Art. 3. De theologiæ positivæ partibus et scientiis subsidiariis.

38. — Uti diximus theologiæ positivæ est, veritates revelatas de fide et moribus, i. e. de iis veritatibus, quæ aut finem nostrum aut media ad eum constituunt, e fontibus revelationis deducere. Continentur vero hæ doctrinæ quæ de fide et moribus dicuntur, aut in Scriptura divinitus inspirata idque simul cum veritatibus per se profanis, aut in doctrinis, quæ a Deo per hagiographos conscriptæ non sunt, sed a Christo eiusque apostolis ore tantum prolatæ, quasi per manus traditæ ad nos pervenerunt (3). Consequitur, duas esse partes theologiæ positivæ, secundum quod scilicet res fidei et morum *aut e Scriptura aut e doctrinis tantum per manus traditis seu e traditione* (obiective sumpta) deducuntur.

39. — *Quoad S. Scripturam.* — Patet, *e S. Scriptura* saltem principales locos de rebus fidei et morum esse explicandos. Quodsi omnes eiusmodi loci in unum colliguntur atque systemate quodam comprehenduntur, habetur *Theologia biblica* (4). — *Exegesis* simpliciter et sensu pleno dicta non tantum locos singulos vel selectos v. g. de fide et moribus explicat,verum sensum omnem librorum integrorum exponit, iis

(1) Cf. v. g. *Suarez*, de relig. S. I. l. 5 c. 3 n. 2 (ed. Paris. 16, B) 811, 812. — (2) Quod *Schreben* v. g. de progressibus s. 16 affirmat I p. 446 n. 1083. — (3) Concil. trid. sess. 4 Decret. de canon. Script. (Ench. 783) — (4) Cf. *Hetzenauer* O. C., Theolog. bibl. (Romae 1908) I 1.

quoque plurimis partibus comprehensis, quæ non agunt de rebus fidei et morum (1). — Scientiæ exegeticæ præcipua scientia auxiliaris est *Introductio in S. Scripturam.* Quæ complectitur « quæstiones de librorum sacrorum origine (qua hominem habent auctorem instrumentalem), conservatione, propagatione, interpretatione, ut hac ratione legentes edoceantur, quodnam sit singulorum librorum argumentum, quænam eorum indoles, quæ puritas textus eorum, quæ genuina eorum interpretandorum ratio » (2). Doctrina vero de auctore principali sacrorum librorum, scilicet Deo, uti quædam quæ inde pro explicatione catholica eorum sequuntur, in ipso dogmate tradi solent. — Ipsi Introductioni inserviunt quantum ad doctrinam de *conservatione textus: palæographia, critica textualis;* quantum ad *interpretationem literariam: historia literaria, hermeneuticæ generalis præcepta:* directe quantum ad explicationem *rerum de fide et moribus et indirecte quantum ad explicationem omnium sententiarum* scripturæ: *magisterium ecclesiæ* sive *ordinarium* illud sit, sive *extraordinarium;* quantum ad interpretationem *linguisticam: philologia sacra,* quæ considerat linguas in sacris libris adhibitas easque quæ iis affines sunt; quantum ad explicationem quæ uti dicunt *realia* respicit: *historia sacra,* quæ sortes tradit populi electi, cum *archæologia sacra,* quam hodie accipiunt ut scientiam, quæ de institutis populi hebraici agit, in quantum a factis eius et fatis distinguuntur (3); historia *Veteris Orientis,* qua res gestæ earum gentium traduntur, quæ specialiori modo in sacris libris referuntur. Habentur etiam *geographia sacra* et *Veteris Orientis,* similes scientiæ auxiliares.

40. — *Quoad traditionem divinam.* — Pro *traditione divina* demonstranda omnes eæ scientiæ necessariæ vel utiles sunt, quæ necessariæ vel utiles sunt ad cognoscendum sensum eorum, per quos ipsa traditio transmittitur. Qui sunt Patres, theologi, consensus fidelium, magisterium ordinarium episcoporum simul cum Romano Pontifice, decreta Conciliorum præcipue universalium, locutiones ex cathedra Romani Pontificis. Unde facile scientiæ speciales necessariæ intelliguntur. E quibus quasdam nominabimus.

41. — *Patristica* ea est « disciplina theologica, quæ ex scriptis SS. Patrum eruit, quæ ad fidem moresque et disciplinam spectant, eaque in iustum redigit ordinem ». (4). Patristicæ inservit *historia litteraria* operum, quæ a Patribus cæterisque scriptoribus ecclesiasticis composita sunt. *Patrologia* vero exhibet ea, quæ sunt necessaria ad

(1) Cf. *Cornely,* Pars I Dissert. 3. — (2) *Cornely,* n. 35 p. 4, 5. — (3) *Kortleitner,* Archæologiæ biblicæ Summarium (1906) § 1 p. 1. — (4) *Fessler,* Instit. patrol. (Œniponte 1856) I p. 2.

stabiliendum rectum usum Patrum in re theologica; docet nempe, quæ sint scripta genuina, quæ non, quæ fuerint operis finis, circumstantiæ ut vita auctoris, alia quæ intelligentiam eorum promovent (1). Sunt vero, qui unam Patrologiam statuant, quæ Patristicam et cætera complectatur (2).

Similes scientiæ de cæteris locis theologicis formari possunt, v. g. *historia conciliorum, theologiæ* v. g. ætatis aureæ Scholasticorum, etc. — In historia *liturgiæ,* i. e. cultus publici fides tum docentis tum discentis ecclesiæ resplendet; *archælogia christiana* persuasionem populi christiani atque pastorum eius præcipue monumentis exhibet, simili modo *historia artis christianæ.*

Ad melius intelligendam doctrinam in traditione contentam etiam confert *historia hæreseon,* contra quas ea doctrina sæpe directe proponebatur.

42. — Omnia quæ diximus in *historiam ecclesiasticam* ingrediuntur, si latissimo sensu intelligitur (3). Tali enim modo intellecta est historia originis, conservationis, propagationis, evolutionis ecclesiæ, atque proinde omnium quæ ad ecclesiam pertinent. Pertinet vero ad eam etiam ipsa doctrina revelata atque tradita.

Scientia quæ ex historia ecclesiastica ea omnia colligit, quæ ad doctrinæ revelatæ conservationem et evolutionem spectant, *historia dogmatum* vocatur. Est autem dogma sensu stricto veritas quæ a Deo revelata et ab ecclesia catholica ut talis explicite fidelibus proposita est. Istius prioris elementi inde ab ævo apostolico nullus profectus obiectivus haberi potest, quippe cum revelatio inde ab eo tempore clausa sit. Secundi vero elementi profectus obiectivus haberi potest, cum ecclesia non omnia semper eodem modo explicito proponat. Profectus vero subiectivus dogmatum haberi potest in tantum, in quantum et propositio ecclesiæ et præcipue ipsa veritas revelata in se melius semper cognosci potest. Si ergo dogma sensu stricto sumitur, historia dogmatum dici potest historia conservationis et propositionis veritatum revelatarum per ecclesiam atque intellectionis earundem in ecclesia (4). — At generatim, si de historia dogmatum sermo est, subintelligitur etiam historia eius evolutionis qua e veritatibus revelatis aliæ non revelatæ deducuntur, sive ut tales iam propositæ sunt ab ecclesia sive non.

(1) Cf. ib. — (2) Ita v. g. *Bardenhewer,* Geschichte der Kirchlichen Literatur I § 2 p. 19-21; Patrologie ed. 2 § 1 n. 4 p. 4-6. — (3) Cf. *Hergenroether-Kirsch* I 4. — *A. Weiss,* Hist. eccl. (1907) I § 1 p. 1-7. — (4) Cf. similia apud Card. *Katschthaler,* ZKTh VI (1882) 497. — *Atzberger,* Geschichte der christl. Eschatologie der vornicaenischen Zeit (1896) p. 13 sq.

Art. 4. **Theologiæ speculativæ scientiæ auxiliares.**

43. — Principalis scientia auxiliaris est ipsa *philosophia* universa: logica quidem magis remote, ad eum finem ut conclusiones recte ducantur; cæteræ partes. metaphysica, cosmologia, psychologia, theodicea, moralis ad eum finem ut et conceptus quos revelatio supponit atque consequenter ea ipsa rite capiantur, et conclusiones, mediantibus veris propositionibus naturaliter notis recte deductæ, etiam ipsæ veræ sint. Unde hæc theologia speculativa quadam mensura absolute necessaria est neque unquam in ecclesia deesse poterat.

Cum errores theologici sæpissime ex erroribus philosophicis ortum habuerint, et hi errores, quos theologia speculativa impugnat et ea ipsa melius intelliguntur, si in *historia philosophiæ* falsa systemata philosophica exposita sunt. In qua expositione id præcipue attendendum erit, ut connexio idearum perspiciatur, qua singula systemata ex uno vel alio errore fundamentali progigni solent, et diversarum ætatum systematum quasi cognatio detegatur, quæ ex similibus ideis fundamentalibus falsis ortum habere solet.

Art. 5. **De theologia scholastica.**

44. — *Nomen theologiæ scholasticæ.* — Qualem *etymologiam* nomen habeat patet. *Ortum* autem est s. 12. *Supponebat* vero in mente hominum ejus ætatis non pro omni theologia, quæ sive antea sive eo tempore in scholis tradebatur, sed pro *nova quadam ratione theologiam docendi*, quam quidam theologi, qui « Scholastici » vocabantur, ea ætate introduxerant. Nomine autem honorifico « scholastici » tum vocabantur ii docti, qui in aliqua scientia optime versati erant, sive eam in scholis tradebant, sive non.

Hodie aliquando « scholasticæ » nomen non adhibetur pro ea ratione theologiam docendi, quæ tum temporis nova erat atque adhuc perseverat, sed *ea philosophiæ et theologiæ capita* designat, *quæ inde a s. 12 usque ad 20, in scholis catholicis communia erant.* Opponitur doctrinis contrariis multorum recentiorum præcipue acatholicorum. — Imo quidam « critici » vel « sceptici » recentiores, qui nullam rerum obiectivam realitatem affirmant, « scholasticos » vel « dogmaticos » vocant omnes, qui talem admittunt, etsi cæteroquin v. g. Materialistæ sunt.

45. — *Elementa singula theologiæ scholasticæ.* — Elementa, quibus theologia scholastica ab ea distinguebatur, quam immediate

ante communius tradebant, atque ob quæ nomen novum « scholasticæ » ei imponebantur, hæc complecti videntur: 1) Doctores sententiarii potius partes theologiæ quam eam universam atque integram tractare solebant; scholastici *integram eamque in unum corpus doctrinæ compositam.* 2) Sententiarii dogmata sive præcipue sive unice e fontibus revelationis probabant; scholastici partim præcipue partim quasi unice *unam veritatem fidei ex alia, quantum fas est, logice deducebant, ex singulis novas conclusiones eruere studebant.* 3) Sententiarii ipsi quoque sane res demonstrandas, quantum necessarium erat, definiebant; scholastici vero has *explicationes philosophicas quasi ad omnes res theologicas applicabant easque largas reddebant atque profundas.* 4) Etiam sententiarii ea quæ statuebant aliquo modo contra hæreticos defendebant; scholastici vero *præcipue eas difficultates refutabant, idque amplissime, quæ e visceribus rei, e conceptibus fluere videbantur.* 5) Sententiarii non solebant eas veritates, quæ theologiæ et philosophiæ communes sunt, data opera ex ipsa ratione naturali probare; scholastici *in ipsis operibus theologicis ea quæ de rebus divinis ratione impervia non sunt* ex ipsa ratione naturali demonstrant. 6) Sententiarii *modo scribendi* liberiore utebantur; scholastici formam simplicem, fere syllogisticam (« scholasticam » inde dictam) adhibebant, atque eam tractatuum multiplices divisiones, eam rerum singularum distinctionem in argumenta, difficultates, ect., quæ faciliori scholarum intellectioni accomodata esse solet.

Quæ omnia elementa, excepto forte ultimo quam maxime accidentali, quippe quod ad formam solam pertinet, *iam multis sæculis ante* sive magis sive minus perfecte *in ecclesiastica theologia inveniebantur.* Elementum primum seu tractatio theologiæ non partialis sed universæ præformatur v. g. in opere *S. Augustini* de fide et symbolo, et *S. Ioannis Damasceni* de fide orthodoxa.

Elementa cætera, quæ ad diversas speculationis functiones reducuntur, a Patribus ita exculta imo ad quandam perfectionem adducta sunt, ut Scholastici eos in hac re magistros sequerentur. Eminet quod ad principium adhibendæ philosophiæ attinet, Origenes; quoad principium et rectum usum principii et conclusionum rectitudinem inter Græcos ii qui duces erant in pugnis contra eos qui veram aut Trinitatis aut Christi Dei-hominis naturam negabant, inter Latinos is quo Scholastici præ cæteris duce utuntur, S. Augustinus.

46. — *Essentia theologiæ scholasticae.* — Unde illud quo « scholastica » theologia ab ea quam Patres, quam posteriores excolebant, distinguebatur, non est in usu speculationis simpliciter, non in sol-

vendis difficultatibus, non in ponendis definitionibus ect., sed est *in maiore quadam perfectione speculationis, quæ simul et totum qua totum et singula qua singula quasi informabat.*

47. — *Habitudo theologiæ scholasticae ad positivam.* Theologia scolastica non ita comparata erat, ut ea, quæ e theologia positiva necessaria sunt ad dogmata solide firmanda et defendenda, aut non contineret aut non saltem supponeret. *Petrus Lombardus* materiam positivam in suis « libris sententiarum » continet. V. g. in quæstione de pluralitate personarum in divina essentia 22 locos ex S. Scriptura et 7 e Patribus exhibet. — *S. Thomas* multique alii scholastici, ea quæ magister sententiarum affert utique non iterum proponebant, sed ex usu temporis ut notum supponebant, unum vel alium textum e Scriptura, Patribus quasi tantum in animum revocabant, quin eius vim probandi evolvere solerent, difficultates vero plures ex utroque fonte solvebant. Cum s. 16. studia theologica reflorerent, quidam e summis ducibus theologiæ scholasticæ, ut *Suarez*, *Gregorius a Valentia*, in ipsis operibus suis theologiam scholasticam tractantibus veros thesauros theologiæ positivæ deposuerunt. Idem v. g. *Wirceburgenses* sequuntur.

Evidens est, hoc non necessarium, imo neque conveniens esse, ubi forte inter ordinarium theologiæ cursum diversæ habentur prælectiones et diversi libri, ex quibus theologia positiva, diversæ prælectiones et libri e quibus theologia speculativa hauritur. At eadem ratione evidens est, id plane necessarium esse, ubi iisdem prælectionibus, iisdem libris universa traditur theologia.

Art. 6. **Qui ordo in tractatibus theologiæ fundamentalis et dogmaticæ sequendus sit.**

48. — *Ordo tractatuum in theologia fundamentali. — Præmittitur* tractatio *de essentia theologiæ tum fundamentalis tum dogmaticæ. — Ipsa* theologia fundamentalis initium sumit a probando *facto revelationis*, præcipue christianæ. Qua probata ipsa *ecclesia* demonstratur, in *quantum est infallibilis revelationis* custos, quam in consensu Patrum, theologorum etc. aliisque locis theologicis quasi ut totidem canalibus conservat Præcipue ab ipsa ecclesia discitur, ipsam revelationem contineri tum in *libris a Deo conscriptis* tum in *traditionibus a Deo non scriptis.* (Tractatus de Christo legato Dei, de ecclesia ut magistra veritatis, de Traditione et Scriptura).

49. — *Ordo tractatuum theologiæ dogmaticæ.* — Tractatio *dogmatica* incipit a doctrina de *Deo ut est in se*, et primo quidem in quantum est unus in natura, deinde in quantum est trinus in personis. (Tractatus de Deo uno, de Deo trino). A Deo ut est in se convertimur ad considerandum *ordinem* qui *inter creaturas et Deum* intercedit. In quo considerando prius consideratur Deus ut est causa efficiens. Atque id quidem primo loco in quantum perfectionibus naturæ eorum debitis instruxit mundum in genere, angelos, homines; secundo loco in quantum naturam i. e. angelos et humanum genus ad finem supernaturalem, scilicet ad visionem beatificam elevavit. (Tractatus de Deo creante et elevante). Ita habetur transitus ad tractationem de Deo ut est finis creaturæ rationalis. Ad quem creatura rationalis tendit actibus suis liberis, qui tamen ad ordinem visionem beatificæ, seu ad ordinem gratiæ elevati sunt. Unde hi actus considerantur primo in quantum iis libere faciunt bonum, abstinent a malo, deinde in quantum a gratia procedunt. (Tractatus de fine, de actibus humanis, de virtutibus et vitiis, de peccatis, de legibus, de gratia). Qui ordo ad visionem beatificam ab initio in Adam stabilitus, eius peccato amissus, per redemptorem nostrum Jesum Christum restabilitus est. Hic ergo redemptor consideratur prius in se ipso, in quantum est persona divina in duabus naturis, divina atque humana subsistens, adiunctis iis, quæ ex hac unione necessario sequuntur (Tractatus de Verbo incarnato); deinde munus eius redimendi (soteriologia), quod ad singulos applicatur per ecclesiam (Tractatus de ecclesia dogmaticus), atque speciatim sacramenta huic ecclesiæ concredita (Tractatus de sacramentis), quod consummatur per resurrectionem carnis, renovationem mundi, cætera quæ de fine hominis nondum proposita sunt (Tractatus de novissimis). — Ordo quem diximus, in plurimis est is quem S. Thomas in Summa theologica stabilivit. (De quo plura cum obiectionibus, responsis v. *Kleutgen*, V² n. 317-326 p. 55-70).

PARS III.

METHODOLOGIA THEOLOGICA

Methodologiam sensu latiore breviter proponimus. Quæ complectitur tum dispositiones et voluntatis et intellectus, quibus ad theologiæ studium accedendum est, tum ipsam rationem qua theologiæ tum fundamentali tum dogmaticæ studendum est. Methodologia sensu quodam strictiore in eo esset, ut methodus argumentandi e Scriptura, Patribus etc., verbo e locis theologicis proponeretur. At hæc rite intelligi nequit, nisi tractatus de natura et auctoritate horum locorum præcesserint; apte autem iis ipsis tractatibus adiungitur.

Art. 1. Qua voluntatis dispositione theologiæ candidatus ei vacare debeat, ut fructum uberem percipere possit.

50. — 1) *Magnus amor veritatum cælestium, quibus studet,* eum ad earum indagationem excitabit. Amabit autem eas considerans, has veritates eas esse, quarum visione in æternum beati reddimur secundum illud Io. 17, 3: « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum »; eas porro esse, a quibus credendis et in opus perducendis salus æterna hominum atque ipsa terrena felicitas humani generis dependeat. Unde quantus in nobis est zelus animarum, tantum sit studium, ut ope quam maxime propædeuticæ simus « parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est spe » (1), ope vero præcipue dogmaticæ gentes, quæ iam regeneratæ sunt, « discipulos faciamus, docentes eas » credere, quæcumque Christus mandavit credenda, facere, quæcumque mandavit facienda (2). Utraque vero disciplina hodie præcipue in quibusdam regionibus atque quibusdam hominum classibus eo magis scientifica quadam ratione proponenda est, quo magis in cæteris fere disciplinis humanis scientifica methodus hodie adamatur.

2) E quo veritatum amore nascatur necesse est *virilis animi fortitudo in applicatione eius non minus seria quam constanti.* Hæc enim, etiam supposito animi quodam ingenio, necessaria est, si quis et in parte speculativa internas veritatum rationes et connexiones, quantum

(1) 1 *Petr.*, 3, 15. — (2) *Mt.* 28, 20.

fas est, penetrare voluerit, et simul secundum hermeneuticæ regulas omnes tum communes tum ecclesiasticæ interpretationis proprias, singulas veritates e Scriptura atque traditione eruere. — Atque speculatio quidem hodie ideo specialem difficultatem in multis secum fert, quia educatio a solida philosophica formatione sæpe aliena est; theologia vero positiva ideo maiorem sibi hodie quam sæpe antea animi contentionem postulat, quia plurimas ex ea, v. g. historia dogmatum, hæretici difficultates hauriunt; quia veros in his disciplinis progressus in rem nostram convertere necesse est; quia sæpe plus æquo neglecta est.

3) Cum in theologia agatur tum de mysteriis stricte dictis tum de multis aliis veritatibus haud facilibus, necessaria plane est *humilis animi docilitas,* qua, memores infinitæ excellentiæ sapientiæ divinæ, spretis omnibus difficultatibus mentem pulsantibus, firmissimo assensu iis inhæreamus, quæ Deus revelavit, ecclesia infallibilis credenda proponit.

4) Imo etiam generatim *magnam morum integritatem* theologiæ studium speciali titulo sibi postulat. Etenim præterquam quod animi applicatio uti ad cæteras disciplinas ita ad theologiam vitiis sæpe impeditur, anima, quæ habitat in corpore subdito peccatis, in res divinas obtutum constanter figere neque volet neque poterit. Deest enim ei nobilis ad res divinas « congenialitas ». Huiusmodi enim « compassio sive connaturalitas ad res divinas fit per charitatem, quæ quidem unit nos Deo, secundum illud 1 ad Cor. 6: Qui adhæret Deo unus spiritus est » (1).

5) Denique ut hæc omnia ex nostra parte facere valeamus, ut porro divina lux animis nostris uberrime infundatur, memores tum debilitatis voluntatis tum cæcitatis intellectus, *humili orationi* omnino insistendum est. « Optavi et datus est mihi sensus, et invocavi et venit in me spiritus sapientiæ » (2).

6) Quæ omnia facilius præstabimus, si *exempla sequimur, quæ reliquerunt nobis tot sancti Patres, doctores, theologi* magni nominis. Qui sanctitate vitæ, orationis studio, constanti diligentia, animi docilitate, amore veritatis cœlestis id obtinuerunt, ut theologiam positivam atque speculativam ab antecessoribus transmissam partim digne servarent atque tuerentur, partim ad novos semper progressus perducerent (3). Ita iuvante quoque sacra theologia, semper magis pote-

(1) *Th.*, 2. 2. q. 45 a. 2 (de dono sapientiæ). — (2) *Sap.*, 7, 7. — (3) Singula multa de diligentia cæterisque tot theologorum virtutibus v. *Hurter*, Nomenclator literarius ad plurima theologorum nomina.

rimus « in caritate radicati et fundati... comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei » (1).

Art. 2. Quæ intellectus dispositio atque cognitiones theologiæ studium præcedere debeant.

51. — *a*) Ea *formatio intellectus* supponitur, quæ ope tum litterarum humaniorum tum philosophiæ obtinetur. His enim mentis vis evolvitur atque acuitur. *b*) At hæc generalis formatio mentis, quæ omne studium scientiæ specialis præcedat necesse est, non sufficit. *Varia e scientiis auxiliaribus* accedere debent quæ ob functionem theologiæ aut positivam aut speculativam aut utramque antea nosse oportet. Ob functionem et positivam et speciali modo ob speculativam *philosophia scholastica* integra: logica, metaphysica, cosmologia, psychologia, theodicea, ethica animis inhæreat necesse est. Rationem evidentem v. n. 43 p. 28. — Neque hæc eodem tempore addisci possunt, quo theologiæ studendum est, sed antea cursus saltem duorum integrorum annorum suppositis iam scientiis naturalibus quæ dicuntur, huic philosophico studio impendendus est. Continuo enim diversissima ex his disciplinis haud facilibus in theologia supponuntur (2). — Alia necessaria sunt speciatim ob functionem positivam. E *linguis* necessario cognita esse debet latina, quippe in qua habeatur Vulgata S. Scripturæ, multorum Patrum scripta originalia, aliorum fere versiones, opera magnorum scholasticorum, maior pars e melioribus « libris textus ». Decet quoque, apprime in lingua græca, præcipue græco biblico, atque lingua hebraica peritum esse, in illa quia tot Scripturæ originalis partes, LXX atque tot Patrum scripta in ea composita sunt, in hac propter maiorem partem V. T. (3). — Ex iis quæ ad fontes pertinent, tantum ex Introductione in S. Scripturam, Patrologia, historia theologiæ, historia ecclesiastica discenda sunt, quantum requiritur, ut argumenta ex istis fontibus rite capiantur. Cf. quæ explicavimus n. 39-42 p. 25-27.

(1) *Eph.*, 3, 17-19. — (2) Cf. Encycl. *Pascendi*, post expositionem theoreticam, primum monitum practicum « Primo igitur ». — (3) Encycl. *Providentissimus* n. 25 « Est primum ».

Art. 3. De methodo, quam tempore curriculi ordinarii theologiæ tenere decet.

52. — *a*) *Si ab eo qui studet, dependet, quæ disciplinæ professoribus explicantibus audiendæ sint*, hæc in electione ante oculos habenda sunt. Principii loco sit, *maximam partem dare prælectionibus ipsius theologiæ tum fundamentalis tum dogmaticæ*, cæteris vero prælectionibus eatenus se applicare, quatenus ad theologiam rite excolendam necessarium fuerit. Plus nonnisi tunc addi poterit, quando studium illud principale salvum constiterit. Attamen, nisi impedimenta insuperabilia obstiterint, *etiam hæ disciplinæ secundariæ sub professoribus audiantur*, non vero tantum privatim excolantur. Nam primo quæ audiuntur magis hærere in animis solent, quam quæ tantum leguntur. Deinde professores, dummodo muneri suo pares fuerint, et breviore tempore et securiore ratione poterunt disciplinam vastam succoso quodam modo tradere, præcipue relationes ad theologiam ostendere, de recentissimis uniuscuiusque disciplinæ et adiumentis et difficultatibus rationem reddere, unam vel aliam quæstionem ad ostendendam methodum ampliore ratione evolvere. — Quodsi quis a prælectionibus audiendis impeditur, studio privato rem suppleat.

53. — *b*) *Ipsa methodus studendi* præcipue theologiæ, experientia suadente, hæc commendanda esse videtur, in qua tradenda supponimus, ipsas prælectiones fini suo adaptatas esse atque librum quendam textus explicari. Sequor fere in expositione verba, quæ *Maldonato* tribuuntur: « audire professorem, repetere, disputare, legere, scribere ». Cf. Wernz I² n. 61 p. 77.

1) Ipsa *prælectio præparetur*, eo quod materia in auctore attente legitur. Ita animus audientis in prælectione generatim omnia facilius capit; ad difficiliora, quæ legendo nondum penetravit, connaturaliter accuratius attendit atque ita ea melius capit; tandem securiore iudicio ea eligit, quæ in ipsa schola notatu digna sint.

2) *In ipsa prælectione* ita *attendat*, ut cum professore continuo cogitet. Qui labor generatim impediretur, si aut omnia ad verbum scribere vellet, aut nihil ex iis notare, quæ professor protulerit ad textum sive summatim perstringendum sive illustrandum sive complendum.

3) *Post prælectionem repetat.* Repetitio una brevis post unamquamque prælectionem quasi subito sequatur, in qua summa rei auditæ in animi thesauro quasi deponatur, et si quod forte speciale lumen alicui rei affulserit, animo infigatur. Quodsi fieri non potest subito, saltem mox, quando adhuc viva est prælectionis recordatio, accuratior sequatur repetitio. In qua ipsam thesim propositam, singula argumenta, singulas difficultates earumque solutiones ita crisi subiiciat discipulus, ut quæ sit earum vis quasi experiatur. Ipse etiam sibi obii-

ciat, obiectaque solvat. Illud premere iuvat, ut res et argumenta, quantum fieri potest, ex una veritate, quæ in omni tractatu fundamentalis esse solet, logice deducat. Talis veritas v. g. in tractatu de pœnitentia est, sacramentum pœnitentiæ institutum esse per modum iudicii.

4) Repetitionem quam ipse solus secum instituit, *sequatur disputatio* duce eo, qui rem iam callet. In qua primo ipsa thesis brevi tempore v. g. 10 minutorum compendioso modo tota exponatur, deinde difficultates in forma scholastica, i. e. syllogistica proponantur atque solvantur. In ipsa expositione ordo, si fieri potest, sit fructus studii exponentis, ita tamen ut antea a præsidente approbatus sit; difficultate vero una vere soluta, ne vanis cavillationibus insistatur, sed alia solida difficultas afferatur. Post quæ, si quid dubii remanserit, id accurate determinatum notetur, ut in decursu aliorum studiorum ante oculos habeatur, atque sive repetitor sive professor sive auctor aliquis ea de re consulatur.

5) Quæ diximus sive per annum scholasticum, sive, si tempus non sufficit, tempore maiorum vacationum aliqua comitetur *lectio*. De qua hæc videntur statuenda. Potiores partes inter annum scholasticum iis exercitiis dentur quas diximus, nonnisi secundario loco lectio ponatur. In ipsa lectione eligenda hæc ante oculos habeantur. *a*) Parvam utilitatem sed multum temporis dispendium secum ferret, si quis multa similis rationis manualia percurreret; sæpe idem legeret, pauca forte maioris valoris deprehenderet. Utile tamen esse potest multis, unum aliquem brevem auctorem præter librum textus ordinarii percurrere. Sunt enim qui eandem rem uno modo expositam facilius capiant, alio modo difficilius. *b*) Generatim tamen maioris utilitatis erit, unum quasi sibi proprium habere, qui librum textus quoad partem sive speculativam sive positivam compleat. *c*) Si commode fieri potest, ii præcipue legantur loci selecti auctorum, ad quos in libro textus vel prælectionibus vel ab aliis viris prudentibus remittitur. *d*) Summopere commendandum est, ut tractatus, de quo agitur, in aliquo auctore classico videatur, uti v. g. in Summa S. Thomæ. *e*) Tum ad profundiorem alicuius partis intelligentiam tum ad methodum theologicam scientificam perfectius addiscendam multum iuvat, de veritate una vel alia iam proposita aliquam maioris momenti monographiam studere.

6) Postquam aliqua tractatus pars in prælectione atque disputatione absoluta fuerit, utile solet esse, theses principales brevissime *scripto* sibi ipsi exhibere, servata stricte forma scholastica: statu quæstionis, argumentis, difficultatibus earumque solutionibus. Hac ratione enim veritas mentis altius imprimitur; modus quo semel intellecta fuit facile quasi suscitari potest; optima habetur præparatio pro examine sive annuo sive eo quod est de universa theologia. Quo in labore præcipua habeatur ratio interni nexus inter tractatus eorumque partes.

Art. 4. De studio theologico postquam ordinarium theologiæ curriculum completum fuerit (1).

54. — 1) Impense commendandum est, ut *deligantur viri* « vere spirituales, humiles, in Philosophia et Theologia egregie exculti ac bono

(1) Cf. *L. Fonck*, Wissenschaftliches Arbeiten, (1908; ital. sub titulo: Il metodo del lavoro scientifico (1909); paratur vers. angl. hispan. gall.

ingenio præditi, *iique studio earum præcipue scientiarum applicentur, quibus nunc maxime Ecclesiæ hostes ad fidem labefactandam abutuntur.* Sic enim fiet, ut per illos reliqui (philosophiæ et theologiæ studentes) rite edoceantur, quomodo speciosas adversariorum (fidei) obiectiones penitus dissolvere eorumque arma, nedum retundere, sed contra ipsos retorquere valeant; atque præterea fideles contra recentes errores fallaciasque efficacius præmuniantur » (1). Maximum quoque est talium studiorum emolumentum ad perfectiorem in dies sacræ scientiæ evolutionem. Unde decretum laudatum ita prosequitur : « Valde igitur laudat Congregatio eos... qui earum disciplinarum studiosi, strenuo labore incumbunt ad catholicam veritatem magis confirmandam et in dies illustrandam, atque fidem antiquam novis armis propugnandam; animumque illis addit ad arduos hos labores prosequendos ». Tales scientiæ sunt v. g. Exegesis vel potius pro singulis quædam eius partes vel scientiæ auxiliares, historia dogmatum, patrologia, critica historiæ, historia ecclesiastica, quædam philosophiæ partes ut Physiologia, ect.

2) Omnes qui aliis in scientiis sive philosophicis sive theologicis etsi forte in institutis minoribus *docent*, decet eos esse, qui continuo studio ad perfectiora semper tendant, quibus etiam « moderni tum errores tum in scientiis progressus bene perspecti sint, ita ut discipulorum plenam fiduciam sibi concilient eosque erudite simul ac solide instituant » (1).

3) *Multis etiam aliis* haud impossibile erit, sive ad profundiorem indagationem unius vel alterius rei theologicæ sive positivæ sive speculativæ conferre. Etiam plures id præstare poterunt, ut quæ alii præclara scientia scripserunt, nobili quadam ratione populari omnibus usui esse faciant, sive scriptis libris sive articulis id agant.

4) *Omnibus* denique cordi sit ut quam sibi acquisiverunt scientiam, retineant atque in iis eius partibus profectum faciant, quæ magis directe ad illud ministerium apostolicum conferunt cui vires suas dedicant. Unde unum vel aliud habeant folium periodicum, quod de his rebus debite instruat atque de libris vere scientificis referat.

(1) Decr. XXV *Congr. gen. S. I.* decr. 16 n. 5.

PARS IV.

DE HISTORIA LITERARIA THEOLOGIÆ

CAPUT I.

DE HISTORIA LITERARIA DEMONSTRATIONIS RELIGIONIS REVELATÆ

55. — Hoc loco non damus historiam literariam omnium tractatuum simul sumptorum, qui ad theologiam fundamentalem pertinent. Etenim evolutio doctrinæ de ecclesia et traditione, de inspiratione Scripturæ, nimis diversa est ab evolutione doctrinæ de cæteris tractatibus, quam ut historia literaria omnium simul sumptorum apte tradi possit. Unde historiam doctrinæ de ecclesia et traditione, de inspiratione Scripturæ iis ipsis tractatibus præmittemus. Quare huius loci non est nisi tractare historiam literariam cum tractatus de revelatione in abstracto quem tractatibus de revelatione in concreto præmittemus, tum præcipue tractatuum de revelatione sive ante Christum sive præprimis per ipsum Christum impertitæ. Unde præcipue ea scripta attendenda sunt, quæ ad stabiliendam vel defendendam religionem veram revelatam in genere conscripta sunt. Doctrina enim de demonstrabilitate revelationis generatim non in abstracto sed in concreto, in ipsa applicatione ad revelationem in concreto demonstrandam, proposita est.

At in iis scriptis non ea plurima consideramus, quæ habent de præambulis fidei, in quantum a motivis credibilitatis distingui solent, uti v. g. de existentia Dei; neque ea haud pauca, quæ de singulis dogmatibus proponunt. Hæc enim historiæ aut philosophiæ aut dogmatum attribuenda sunt. Pro ratione tractatuum de revelatione in abstracto sumpta atque de revelatione in concreto proposita, primo loco ad motiva credibilitatis attendendum est.

Sed doctrina de motivis credibilitatis in genere non tam in theologia fundamentali quam in tractatu dogmatico « de fide » de facto tractari solet. Unde ad nos potius spectabit doctrina de motivis credibilitatis singulis.

Exponere vero quæ singula motiva et qua ratione singuli auctores ea adhibuerint, certe fines brevis tractationis introductoriæ ad theologiam fundamentalem multum excedit. Porro haud pauca exempla singula in multis thesibus præcipue de revelatione christiana proponentur. — Unde in brevi historia literaria demonstrationis religionis revelatæ potius hæc duo præstanda videntur: Primum est ut generali modo exhibeantur scripta, quæ ad stabiliendam vel defendendam religionem revelatam composita sunt: summa materiæ tractatæ, circumstantiæ scriptorum historicæ, uti adversarii, occasio scribendi, etc. Ita enim generalis quædam notitia habebitur auctorum et operum quæ in apologetica occurrunt. E qua lux affundetur doctrinæ de motivis credibilitatis singulis quam auctores proponunt. Ita enim patebit, cur sæpe minora de motivis credibilitatis

in sic dictis scriptis apologeticis tradant quam forte exspectas; cur hæc præ illis motivis credibilitatis elegerint; cur in iis quæ elegerunt, potius hac vel illa argumentandi ratione utantur. — Secundum quod in hac generali historia expectari poterit, illud est, ut si quid characteristici maioris momenti esse videtur in modo quo singuli auctores se habeant in electione motivorum credibilitatis, idque breviter notari possit, hoc ne omittatur.

Art. 1. Historia literaria demonstrationis revelationis ante Christum factæ.

Periodus 1ª: Inde ab initio usque ad Iosephum Flavium incl.

56. — **Lit.** *Textus adversariorum qui supersunt* collegit *Reinach,* Textes d'auteurs grecs et romains relatifs au Joudaïsme (1895). — *Operum adversariorum atque defensorum summam,* editiones meliores ect. v. præcipue *E. Schuerer,* Geschichte des juedischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi III (³1898) 135-562. — Præterea *Bertholet,* Die Stellung der Israeliten u. Iuden zu den Fremden (1896) 257-302. — *M. Friedlaender,* Geschichte der juedischen Apologetik als Vorgeschichte des Christentums (1903) XV + 499. — E quibus auctoribus acatholicis non omnia iudicia, sed multa materia desumenda est. — *Versiones Pseudepigraphorum V. T.* v. *E. Kautzsch,* Die Apokryphen u. Pseudepigraphen des Alten Testamentes (1900) II VII + 540; in vers. gall. quædam edita sunt, quædam præparantur in coll. *F. Martin,* Les Apocryphes de l'ancien testament (1907).

57. — Huius periodi id proprium est, quod religio iudaica a Iudæis contra paganos defensa est. *Usque ad s. 3 adversarii literarii ignoti sunt.* At vel integræ gentes sæpe vi conabantur Israëlitas a Monotheismo, fide atque fidelitate erga legislationem Mosaicam avertere. Quos ut in iudicio de credibilitate religionis suæ firmet, S. Scriptura præcipue quatuor, ut videtur, motiva credibilitatis continuo premit, quæ sunt: convenientia veritatum atque legum revelatarum cum ratione, in oppositione ad stultas ethnicorum persuasiones et nefandos ritus; providentia divina extraordinaria, qua Deus toties populi israelitici eiusque religionis hostes debellabat; miracula potentiæ physicæ; prophetiæ impletæ. — Quæ ubique in Scriptura sparsa inveniuntur. — Thetice vero, excepto fere ultimo, quasi evolvuntur in libro Sapientiæ. — At *inde a. s. 3 pugna literaria initium sumit.*

Adversarii.

Obiectiones quas proferunt hæ fere sunt: ignominia plenam fuisse populi Israelitici originem, commorationem in Ægypto, exitum ex ea; eum nihil unquam ad cultum atque humanitatem contulisse; esse sine diis (atheum); legibus paternis iisque ineptis inhærentem, cæteros homines despectui habere.

Scriptores noti sunt hi: Ægyptii *Manetho* s. 3, *Charaemon* et *Apion* s. 1, Græcus *Posidonius* s. 2, omnes in operibus historicis, præsertim de Ægypto. E Posidonio convicia repetierunt Græci *Diodorus, Nicarchus, Damocritus,* Romanus *Trogus Pompeius.* Nota sunt verba despectus plena *Taciti, Horatii, Iuvenalis, Martialis.*

Defensores.

Fere omnia, quæ a Iudæis tunc temporis conscripta sunt, revelationem Patribus impertitam, speciatim legislationem Mosaicam, defendunt atque stabiliunt. — Ac primo quidem ad eum finem multa *historica* composuerunt. Ratio est, quia ut vidimus, multæ calumniæ historicæ reiiciendæ erant; præterea iis temporibus maxima gloria habebatur, gentem quandam gaudere vetustate facinorum, institutionum, religionis; denique religio iudaica in factis historicis revera cumulum motivorum credibilitatis nobilissimorum possidebat. — Deinde multa *theologica* et *philosophica* conscripserunt, quæ fere positivam expositionem continent. — Tandem non desunt quæ data opera *accusationes contra iudaicam religionem refutent,* motiva credibilitatis stabiliant. — Quædam pauca a *Palæstinensibus* conscripta sunt, cætera ab *Hellenistis.*

58. **Opera historica.** — Inter *Palæstinenses l. 1. Machabæorum* (inspiratus), enarrat adiutoria divina restauratori cultus, Iudæ Machabæo, collata. — Libri *legendarii,* præcipue *Iubilæorum* et *martyrium Isaiæ,* virtutes mirabiles patriarcharum celebrant. Qua ratione manifestant, quanti eiusmodi motiva credibilitatis Iudæi fecerint.

Inter *Hellenistas* libros sane minoris momenti scripserunt *Demetrius* s. 3., *Eupolemus* s. 2., *Kleodemus* seu *Malchus, Artapanus, anonymus* quidam s. 2. E quibus quidam ipsam culturam externam ab Abraham vel Mose ad Græcos vel ipsos Ægyptios immerito derivant. Epistula, quæ *Aristeæ* ascribebatur, legis sublimitatem, populi iudaici in rebus etiam temporalibus nobilitatem celebrat. *Iason Cirenensis,* quem auctor inspiratus *l. 2 Machabæorum* multum sequitur, extollit miracula, quibus templum Hierosolymitanum. *l. 3 Machabæorum* s. 1 sive a. Ch. sive p. Ch. ea, quibus constantia Iudæorum in persecutione Ptolomæi IV. Philopatoris illustrabatur. — *Philo* in: Vita Mosis, probat, eum inter omnes legislatores primum locum tenere ob sapientiam, facinora, miracula; in: De persecutionibus, et: Εἰς Φλάκκον, narrat, quas persecutiones Iudæi Romæ sub Seiano, in Iudæa sub Pilato, denique Antiochiae ob religionem perpessi sint. — Ipse *Flavius Iosephus* l. 16 c. 6 n. 8 operis: Ἰουδαικὴ Ἀρχαιολογία, affirmat, se ob finem religionis iudaicæ commendandæ hoc opus inter omnia amplissimum de historia Iudæorum conscripsisse.

59. — **Opera theologica vel philosophica.** — Inter *Palæstinenses* Pseudepigrapha prophetica atque apocalyptica composita sunt. — *Psalmi 18 qui dicuntur Salomonici,* fidem eo firmare nituntur, quod urbe sancta a Pompeio expugnata, resurrectionem atque Messiam prænuntiant. — *Pseudepigrapha prophetica atque apocalyptica* (l. Henoch, 4 Esdræ, testamenta 12 patriarcharum, Hystaspis d.), patriarchis atque prophetis poetice plas doctrinas, prophetias, apocalypses attribuunt.

Inter *Hellenistas*. *L. Sapientiæ* (inspiratus) præcipue potentibus ostendit, quantæ stultitiæ sit impium esse, credere vero in Deum eique servire quantæ sapientiæ. Stilus eloquentiam Græcorum redolet. — *Aristobulus* c. 170-150 a. Ch.?, in opere regi Ægyptiorum dedicato, philosophia græca usus, Pentateuchi materiam exhibet atque probare studet, Græcos et poetas et philosophos ex eo sapientiam suam mutuatos esse. — *Philo* eminet operum numero, amplitudine, forma philosophica. Summarium quoddam legislationibus Mosaicæ, parte prima: De opificio mundi, ut legislationis finem exhibet, formare hominem, qui cæteros seu fratres amplectatur; parte 2: De vitis patriarcharum, eas ut leges vivas describit; parte 3: ipsam legislationem, ordinem decalogi sequens, proponit. — Aliud opus: Quæstiones et solutiones, sc. de Pentateucho, forma catechetica multitudinem instruit. — Finis operis: Allegoria legum sacrarum, i. e. Mosis, inter omnia Philonis præcipui atque amplissimi, is est, ut et Iudæos doceat scientiam Græcorum et Græcos præstantiam revelationis Mosaicæ; medium vero quo hunc finem obtinere nititur, est illud, ut omnes veritates psychologias atque ethico-religiosas e personis Geneseos typice explicatis deducat. — Quæ *libris Sibyllinis* a Iudæis a. vel p. Ch. conscripta sunt (proœmium, multa e libro 3. 5, liber 4), præterea sententiæ, quas *Pseudo-Hekatæus* e poetis ethnicis collegit, unitatem Dei commendant. — *Pseudo-Phokilides* vero bonos mores poetice celebrat.

60. — **Opera quæ data opera accusationes refutant.** — *Philo* in: Apologia pro Iudæis, d. — *Flavius Iosephus* opere quod dici solet: Contra Apionem, has ex ordine accusationes refert atque refutat: Primam, accusationem Græcorum, populum iudaicum esse novum, quippe de quo Græci nihil referant, proinde cultura propria independente i. e. vera destitutum; secundam, Alexandrinorum: Hebræos non esse nisi Ægyptios ob lepram ex Ægypto expulsos; tertiam, Iudæos nihil ad cultum universalem atque humanitatem contulisse. Respondet Mosen esse parentem philosophiæ græcæ, eius leges esse sapientissimas. — Quarta accusatio est, Iudæos non colere deos earum urbium, ubi commorentur, ideoque esse atheos. Respondet ostensa sublimitate Monotheismi, Polytheismi stultitia. — Quinta accusatio respicit cultum divinum: eos adorare caput asininum, Græci sacrificati viscera devorasse. Absurditatem obiectionum demonstrat. — Sexta accusatio est, eos imperatoribus negare adorationem. Respondet: pro iis vel hecatombas Ierosolymis offeruntur! Debitam subiectionem nisi præstitissent Iudæi, neque a Ptolomæis neque a Cæsaribus tot favoribus essent aucti. — Septima accusatio est, Iudæos, cum ab aliis qua impuris se segregent, esse inimicos generis humani. Responsum dat. leges Mosaicas esse humanitate plenas. Porro quasdam ethnicorum leges antiquas magis quam Mosaicas separationem a peregrinis premere. — Accusatio octava: Iudæorum ἀχρεότης καὶ ἀμιξία eos inimicos ordinis publici proclamat! — Accusatio nona: Ridiculum est circumcidi, abstinere a carne suilla, sabbata agere! — Decima: « Proiectissima ad libidinem gens! », « nihil inter se illicitum habent ». — Obiectionibus octavæ usque ad decimam respondens extollit et excellentiam legis Mosaicæ et vitam Deo dignam Iudæorum. Illam demonstrat antiquitate, moribus legislatoris, effectibus qui in legis observatione et amore ex parte Iudæorum siti sint. Hanc cum describit, præcipue societatis matrimonialis et infantilis sanctitatem effert.

Periodus 2ª: A Flavio Iosepho usque ad hæc tempora.

61. — Lit. Ampliora de *Manichæorum* impugnatione apud S. Augustinum: *Bardenhewer*, Patrologie ² p. 424; apud Græcos tempore Patrum § 65 p. 233-6, 516; de impugnatione medio ævo *Krumbacher*, præcipue inter p. 37-409; *Werner*² III, 467-476; præcipue apud Græcos, *ib.* p. 476-493 apud Latinos. — *De Deistarum et Rationalistarum* pugna contra revelationem a. Ch. v. g. *ib.* V. index ad voces relativas; *Cornely*, Introd. II, n. 9-11. — De Deistis Anglis *Lechler*, Geschichte des engl. Deismus (1841) ad voces relativas indicis. Plura de lit. in tractatu de revelatione Mosaica.

62. — *Revelatio a Ch. impertita generatim simul cum ea quam Christus dedit, et impugnabatur et demonstrabatur.* Cuius rei ratio hæc erat: Tum adversarii tum apologetæ sentiebant, et ethnicismo antiquo et recentiori Deismo atque Rationalismo universam revelationum seriem opponi quasi ut revelationem unam, eam scilicet quæ initium et profectum suum habebat in patriarchis et prophetis, perfectionem in Christo et Apostolis. Accedebat identitas tum rationum aprioristicarum, ob quas adversarii omnem ordinem supernaturalem negant, tum multarum rationum positivarum v. g. hodie e parte exaggerati criticismi historici, quas eodem fere modo contra vetus et novum testamentum vertunt. Quare hæc pars historiæ apologeticæ revelationis ante Christum impertitæ aptius simul cum historia apologeticæ religionis christianæ coniungi videtur, ex parte etiam in quibusdam scientiis auxiliaribus, v. g. Introductione in S. Scripturam traditur. Id tamen notasse iuvat, cum apologetæ inde a sæculo 18 religionem integram revelatam integro systemate defenderent, eos iam partem propriam atque separatam systematis demonstrationi revelationis a. Ch., præcipue Mosaicæ, dedicare solere. Ita v. g. *Wirceburgenses* II diss. 6 c. 4; *Ottiger*, p. 341–514; *Wilmers*, p. 171-258.

63. — Fuerunt utique etiam eiusmodi hæretici, qui revelationem divinam per Christum datam agnoscerent, veteris vero testamenti revelationem (atque inspirationem) eidem principio malo ascriberent, cui rerum materialium productionem tribuebant. Inter quos tempore Patrum erant *Gnostici* et *Manichæi*. Illos impugnavit præcipue *S. Irenæus*, Adv. hær. ll. 5, hos inter Græcos præcipue *Hegemonius* (ed. melior Besson, Leipzig 1896), *Serapio a Thmuis* (ed. magis completa Brinkmann 1894), *Titus a Bostra;* inter Latinos quam maxime *S. Augustinus* in multis scriptis, v. g. in: ll. 33 contra Faustum Manichæum, scriptis aliis contra alios Manichæos (ML 42), in diversis epistolis uti 28 et 82 ad Hieronymum.

Neo-Manichæi, medio ævo orti sunt; in regno Byzantino imprimis Pauliciani, in Gallia et Italia præprimis Cathari. Contra illos scripsit v. g. *S. Ioh. Damascenus, Photius, Euthymius Zigabenus, Niketas Akominatos, Nikephorus;* contra hos præter *Ecbertum a Schoenaug, Petrum Venerabilem*, alios, præcipue

Moneta O. P. († 1235) in: Libri quinque adversus Catharos (priores 4 ll.) et Waldenses. — Quæ commemorasse sufficiat de hæreticis, qui ob alias hæreses in theologia sæpius recurrunt.

Art. 2. Historia literaria demonstrationis revelationis per Christum et apostolos factæ.

64. — **Lit. pro omnibus periodis simul** hoc loco proponitur; alia pro singulis periodis postea addetur. Opera *historica: K. Werner,* I-V. — *O. Zöckler* (acatholicus), Geschichte der Apologie des Christentums (1907) pp. 747. — *I. Martin,* L'apologétique traditionnelle v. 3 (1905) pp. 292 + 250 + 272, usque ad Malebranche diversa non probanda continet. — Materia amplissima in: *Hurter,* Nomenclator.

Data opera *doctrinalia* et cum ampla eruditione historica: *Denzinger,* Vier Bücher von d. relig. Erkenntniss (1856-57) I-II pp. 612 + 594. — *von Schmid,* Apologetik als spekulative Grundlage der Theologie (1900) pp. 346. — Maiores vel minores *Conspectus: Scheeben,* I, 419-60, præcipue pro Scholasticis. — Optime quandam *evolutionem* statuit *A. Langhorst* S. I., Zur Entwicklungsgesch. der Apologetik, Stimmen, in: 18, 19, 20. (1880, 1881) articuli 7. — Conspectus generales habent *Ottiger,* 24-37. — *Schanz,* I³ (1903) 22-86. — *de Groot,* Summa apol. de eccl. cath. (³1906) 22-32. — E libris de Encyclop. theol. *Kihn,* 400-408. Ex *Encyclopædiis* catholicis: *Hettinger,* in KL ²I (1882) 1102-1106. — *Maisonneuve* in DThC I (1889) 1533-80. — *Gardeil,* ib. III 2236-310. — Multos art. v. in: fol. per. prot: Beweis des Glaubens (1865-1908). — Tandem omnia opera Patrum, multa posteriora legi.

Divisio periodorum desumenda est ex visceribus rei, i. e. hic ex modo demonstrandi et defendendi revelationem christianam. Qui modus substantialiter semper idem erat. At et quoad electionem argumentorum et quoad defensionem multum dependebat *a genere adversariorum,* unde non immerito generatim ex iis divisio sumi solet. — *Speciatim consideramus tempus Patrum,* quippe quorum vestigiis posteriores inhærere, ad quorum opera remittere postea soleant.

Periodus 1ª: Usque ad devictum in regno Romano ethnicismum.

(Fere ætas Patrum).

65. — **Lit.** *Bardenhewer,* Patrologie (1905) cf. indicem sub v. Apologetik, porro singulos Patres. — *id.,* Geschichte etc. I, II (1902-1903) usque ad 325, præcipue I 157-315, II ad nomina singula. — *Fessler,* Institutiones Patrologiæ (²1890-96). — *K. Werner,* I pp. 653. — Multa quoque materia v. in *A. Dictionary of Christian Biography,* Lit and doctrines, during the first eight centuries, edit. by W. Smith a. H. Wace, London (1870-87).

De tempore ante conc. Nic.: G. Schmitt, Die Apologie der ersten 3 Jahrhunderte in historisch systematischer Darstellung (1890) pp. 138. — *I. Zahn,* Die apologetischen Grundgedanken in der Lit. der ersten 3 Jahrh. Systematisch

dargestellt (1890). — *L. Laguier*, La méthode apologétique des Pères dans les trois premiers siècles (1905). — *Freppel*, Les Apologistes chrétiens au 2 siècle (1870 sq.). — Multa falsa iudicia de doctrina apologetarum s. 2 v. g *Harnack*, Dogm. [3] 455-507. — *Loofs*, Leitfaden zum Studium der Dogmengesch. ([4]1906) § 18, 114-128. — E quibus quædam corrigit *I. Tixeront*, Histoire des dogmes ([3]1906) ch. 5 p. 221-46.

Opera generatim secundum *editionem* usque ad id tempus meliorem inveniuntur *impressa* in *Migne*, series lat., græc. Aliæ editiones v. cit. apud Bardenhewer. - Apologetarum s. 2 editio melior est *Otto*, Corpus Apologetarum s. 2 (Iena 1876 sq.). Quasdam posteriores editiones adnotabimus.

Adversarii.

66. — Difficultates, quas afferebant, magna ex parte iis simillimæ erant, quas, uti n. 57 p. 39 vidimus, ethnici contra Iudæos afferebant. Inter quas multum efferunt, Christianos utpote deorum contemptores, reipublicæ hostes esse, quippe quæ per solos deos consistat. Addebant multa de stultitia quarundam doctrinarum religionis christianæ, v. g. Dei crucifixi; de inefficacia motivorum credibilitatis, de explicatione naturali ortus religionis christianæ, quem sæpe syncretismo deberi contendebant. — Multa ex operibus adversariorum perdita sunt.

67. — Primus e *paganis*, quem contra religionem christianam scripsisse traditum est, nominandus est rethor *Fronto Cirtensis* († post 175). — *Lucianus Samosatenus* 167 composuit satyram: Περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς, qua etiam res christianorum ludibrio habet. — Celsum philosophus scripsit: Ἀληθὴς λόγος. Quod scriptum fere integrum ex opere Origenis contra Celsum collegit atque in ordinem redegit Keim, Celsus' wahres Wort (Zürich [1873] 3-140). — *Porphyrius*, Plotini Neoplatonici discipulus († 304) c. 270 composuit opus famosum: Περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας κατὰ Χριστιανῶν λόγοι ιέ. — *Hierocles*, qui 303 erat proconsul in Bithynia, deinde in Ægypto, Apollonium Tyaneum Christo præferendum esse docuit. — *Iulianus Apostata*, imperator, in ipsa adversus Persas expeditione scripsit ll. 3 Κατὰ Γαλιλαίων. Locos qui ex responso S. Cyrilli reconstrui possunt collegit d'Argens (1764), C. I. Neumann (1880).

Alii adversarii acerrimi erant *Iudæi*, at a scribendis libris contra Christianos fere abstinebant. Observandum solummodo est, contineri in *Talmud* et *Midrasch* et fabulas falsissimas de Christi nativitate, vita, morte, resurrectione, et dialogos quosdam cum paganis, Christianis, Gnosticis, in quibus obiectiones eorum refellere conantur, v. g. Deum deseruisse Israelem. Eminent *Iohanan ben Zakkai*, *Gamaliel II*, *Ioshua ben Hanniah*, *Akiba*. E Palæstina referendi sunt *R. Simlai*, *R. Abbahu*, qui contra Trinitatem egit.

Apologetæ.

68. — Defendebant religionem christianam eamque amplectendam esse demonstrabant auctores plurimi. Quod spectat ad *rem*, quam proponunt, non recordor ullum motivum credibilitatis, quod non aut evolverint aut saltem indicaverint. Eminent ea quæ e prophetiis, miraculis,

moribus mirabili modo sanctis, effectibus, mira Christianismi sapientia desumuntur. — *Formam* quod attinet, secundum usum temporis præ cæteris adhibent orationem defensoriam ad moderatores reipublicæ directam, dialogum, carmen didacticum, libros systemate scientifico compositos. — Opera *ordine chronologico* exhibeo, qui suapte natura aliquo modo evolutionem indicat.

69. — Ac primo quidem *Evangelia* præcipue finem apologeticum habent. De quorum fine cf. v. g. *Cornely*, Introductio [2] II. De fine Matthæi n. 19 p. 59-64; Marci n. 29 p. 103-10; Lucæ n. 40 p. 144-49; Ioannis n. 63 p. 238-47. Ad quod opus pp. appositis remittimus. — Cf. *id.*, Compendium ([5]1905) p. 471-74; 482-84; 491-94; 515-17.

Matthæus evangelii sui materiam ita elegit ut pateat eum præcipue Iudæis voluisse demonstrare « Iesum esse verum Messiam... per prophetas promissum... ». « Unde plus viginti vaticinia disertis verbis docet adimpleta esse, alia vero non pauca lectoris animo obversari supponit » (p. 58). — Evangelium quod *Marcus* proxime pro Romanis ethnicis conscripsit, « integrum in eo est, ut Iesum esse Filium Dei eiusque dominio, uti reliqua omnia, ita etiam ipsos dæmones subiacere doceat atque hac ratione lectorum animos et corda ad divinam eius doctrinam recipiendam præparet » (p. 105). Quare præcipue miracula atque inter ea quam maxime dæmonum eiectiones narrandas suscipit. — *Lucas* proxime id intendit, ut « testimonio suo, quod diligenti et sollerti investigationi innitebatur, confirmet, quæ neophyti iam didicerant » de Christi factis et doctrinis (p. 144). Unde præcipue ad ordinem historicum attendit. — *Ioannes* « præprimis Iesu messianitatem et divinitatem demonstrare et fidem in Iesum tamquam in Christum et Dei Filium necessariam prædicare voluit » (p. 238). Quam dignitatem Christi demonstrat serie testimoniorum: ut testimonio ipsius Christi sermones de sua dignitate proferentis; testimonio Ioannis Baptistæ eandem enarrantis; testimonio Patris quod factis miraculosis continetur. « Hæc autem (signa) scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius ». — Alios modos quibus Evangelia, Actus apostolorum, epistolæ N. T. ad firmandum iudicium credibilitatis conferuntur, omittimus.

70. — Ut ad *Patres* convertamur, *Quadratus*, apologiam græca lingua Hadriano tradidit, cuius unicum fragmentum de miraculis Christi servavit Euseb. h. e. l. 4. c. 3. — *Aristides*, in Apologia etiam ipsa græca Antonio Pio c. a. 140 destinata (?), religiones barbarorum, Græcorum, Iudæorum, Christianorum, secundum veram de Deo ideam, natura duce haustam, diiudicat. (Editiones recentiores a I. Rendel Harris, Texts and Studies I 1; recentissima Geffken, Zwei griech. Apologeten [1907] p. 3-27, aliæ). — *Ariston a Pella*, inter a 135 et 175 in libello: Ἰάσονος καὶ Παπίσκου ἀντιλογία περὶ Χριστοῦ (De disceptatione Iasonis Christiani et Papisci Iudæi), vaticinia V. T. de Christo exponit. D. — *S. Iustinus* Martyr summus est dux apologetarum s. 2. Cuius scripta apologetica supersunt hæc: Ἀπολογία (sic dicta 1), 150-55 Antonino Pio tradita, prius solitas calumnias refutat, deinde probat, vaticiniis V. T. Christum exhiberi filium Dei et veræ religionis institutorem. Apologia sic dicta 2, non est nisi brevis appendix primæ. — Πρὸς Τρύφωνα Ἰουδαῖον διάλογος post Apologiam conscriptus, ostendit hæc: legem Mosaicam legitime esse abrogatam, secundum Prophetas Christum esse adorandum, Christianos esse veros Israelitas. — *Tatianus* Assyrius intra a. 152

et 165 edidit: Πρὸς Ἕλληνας. Placita turpissima Græcorum quam maxime superari doctrinæ christianæ tum sublimitate atque sanctitate, tum vetustate. Cætera apologetica d. sunt, uti opera eius ætatis apologetica *Miltiadis, Melitonis Sardensis, Claudii Apollinaris* episcopi Hierapoleos. — *Athenagoras,* inter 176 et 180 direxit ad Marcum Aurelium et Commodum opusculum formæ elegantissimæ: Πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν; splendidissima veritatis expositione refutat calumniam atheismi, impudicitiæ, dapium Thyestearum. (Ed. recentissima Geffken, o. c. 120-54). — *Theophilus,* ut videtur episcopus Antiochenus, c. a. 180 composuit stilo eleganti ll. 3: Πρὸς Αὐτόλυκον; l. 1 agit de Deo uno atque nomine Christi; 2 de idololatria, cui prophetarum doctrinam opponit; 3 refutat calumnias atque ostendit, Scripturam sacram mythis de dii[s] esse vetustiorem. — Epistola Πρὸς Διόγνητον, 2 (vel 3) s. sermone pulcherrimo effert, quibus doctrinis et moribus Christiani ab ethnicis distinguantur; cur religio christiana nonnisi post tot sæcula a Deo fuerit revelata (Ed. Funk, Patres apostolici [2] 390-412).

Minucius Felix, causidicus Romanus, inter a. 180 et 190 (?) composuit dialogum: « Octavius ». Parte prima Cæcilius scepticus defensorem Polytheismi agit, quo stet respublica, Christianorum vero religionem et rectæ rationi et bonis moribus opponi. Secunda Octavius primo Polytheismum depingit, deinde calumnias ordinarias refellit, denique et fidem et mores Christianorum illustrat. — Sæculo elapso editum est scriptum, quod Apologiam *Apollonii* martyris († 180-185) pro religione christiana continet.

71. — *Clemens Alexandrinus.* Ante a. 189: Προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας (Cohortatio ad Gentes). Exhibetur idolatriæ stultitia, nuntiata per prophetas atque Christum veritas. (Ed. Staehlin, C. B. 12 [1905] 1-87). — C. a. 190 Παιδαγωγός. L. 1 methodum exhibet, qua Verbum divinum homines in veritatis viam deducat; 2 et 3 singula præcepta moralia exponit. — C. a. 200(2)-203 Στρωματεῖς scilicet commentariorum scientificorum de vera philosophia, complectuntur saltem ll. 7. L. 1 et 5 demonstrat, rationem adducere ad fidem; 2 veritates revelatas excellere præ naturaliter cognitis; 3, 4, 6, 7 catholicos ab omnibus aliis vitæ sanctitate distingui. (Editio optima Stæhlin, C. B. 12 et 15, 1905 et 1906). — Secundum Clementis ideam hæc 3 opera inter se coniungenda sunt, ut viam perfectam ad iudicium credibilitatis exhibeant.

72. — *Tertullianus,* in: Apologeticus, a. 197, refutat calumnias, Christianos in obscuro criminibus indulgere, publice vero et patriam religionem contemnere et criminis læsæ maiestatis reos esse. Enarrat, quam sublimes sint doctrinæ christianæ. — In opere: Ad nationes ll. 2 prius demonstrat non Christianos, quos accusare non verentur, sed ipsos ethnicos omnibus vitiis contaminari. Deinde describit Polytheismum. — Opusculum: Ad Scapulam (proconsulem, c. a. 212), edocet eum, quibus pœnis Deus persecutores Christianorum afficiat. — Scriptum Adversus Iudæos, tradit, Deum sapienti consilio evangelium a Iudæis incredulis ad ethnicos transtulisse. Legi timoris successisse legem amoris. In Christo omnia vaticinia Messianica esse impleta.

73. — *Origenes* c. a. 248 composuit: Κατὰ Κέλσου ll. 8. Quod opus forte primum locum obtinet inter opera apologetica ante Nicænum conscripta. Refutat per ordinem singulas partes, imo fere phrases operis Celsi. Partes erant hæ: Primo Celsus facit Iudæum demonstrare, christianam religionem esse falsam, etenim Christum non esse Messiam. Deinde Celsus ostendit, ipsam fidem in Messiam esse contra rationem. Tertio acerrime impugnat singulas doctrinas christianas.

Quarto defendit religionem reipublicæ Romanæ. Inter motiva credibilitatis religionis christianæ Origenes præ ceteris fere effectus sanctos premit. — Opus: Disputatio quædam cum quodam Iudæo, non superest. — *Ammonius*, ætate Origenis, scripsit de harmonia inter Iesum et Mosen. D.

74. — *S. Cyprianus*, a. 252 (?) opere: Ad Demetrianum, docet, multiplices eius ætatis ærumnas non esse ex eo ortas, quod Christiani deos contemnerent, sed ex eo quod ethnici peccatis plurimis, præcipue etiam persecutionibus Christianorum, verum Deum offenderent. — Scriptum: Ad Quirinum ll. 3 (spurius 3 ?) (c. a. 246-248), probat Iudæos a Deo reprobatos esse, electos Christianos, Christologiam breviter exponit, vitæ sanctæ præcepta tradit. — Tractatus: Quod idola dii non sint, diis opponit Deum verum eiusque legatum Christum, cuius dignitas variis motivis credibilitatis probatur. — S. 3 floruit *Hermias*. Libello: Διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων (irrisio gentilium philosophorum) reiicit sententias eorum de anima humana, de ultimis rerum principiis. — *Pseudo-Iustini* Λόγος παραινετικὸς πρὸς Ἕλληνας (Cohortatio ad Græcos), per c. 38 stilo pulcherrimo ostendere nititur, ethnicos quidquid religiosæ veritatis retineant, e sacris libris Iudæorum hausisse. — *S. Gregorius Thaumaturgus* († 270-275) scripsit Dialogum cum Aeliano, quem ethnicum ad Christum perducere vult; d.

75. — *Arnobius* fere a. 303-305 composuit: Adversus Nationes. L. 1 et 2 defenduntur Christiani; calamitatum rationem non ex iis esse petendam, eorum enim animos esse religiosissimos. Eos enim credere in Deum verum et in Christum, qui miraculis se Deum demonstraverit. Veram esse eorum religionem probari quoque mira religionis christianæ propagatione, mutatione morum quam in barbaris gentibus produxerit, convenientia doctrinæ eorum cum placitis nobilissimorum philosophorum. L. 3-7 carpit stultum atque turpem cultum deorum. — *Lactantius* opere: Divinarum institutionum ll. 7 (305-310), primus in Occidente religionem christianam systemate quodam comprehendit. L. 1: De falsa religione, et 2: De origine erroris, refellitur, Polytheismus; 3: De falsa sapientia, philosophia ethnicorum; 4: De vera sapientia et religione, ostenditur veram sapientiam, quæ in cognitione et cultu Dei consistat, a Christo originem sumere; 5: De iustitia, ad veram iustitiam homines a Christo perduci pietate erga Deum et æquitate inter se; 6: De vero cultu, hanc iustitiam, quæ sit verus cultus Dei, comprehendere religionem et misericordiam; 7: De vita beata, veros cultores Dei cœlesti præmio affici. — *S. Methodius Olympius* († 311) responsum haud exiguæ molis adversus Porphyrium composuit. Habentur tantum parva fragmenta.

76. — *Scripta Pseudoclementina* (s. 2 vel 3; Chapman, Harnack 4; ?) græce composita, complectuntur: Recognitiones, Homilias. Præcipue Recognitiones, speciatim sermonibus plurimis apologeticis Petri, manifestant, quæ ideæ iis temporibus apud multos de motivis credibilitatis fuerint. — Quæ de Pseudoclementinis in specie, ea generatim de omnibus scriptis dicenda sunt, quæ catholici vocant *Apocrypha V.* et speciatim *N. T.* Evangelia apocrypha præcipue miracula Christi, actus apostolorum apocryphi præcipue miracula apostolorum, scripta apocalyptica et prophetica vim visionum et prophetiarum pro apologetica illustrant. Maior pars a Gnosticis profecta est (1).

77. — *Eusebius Cæsareensis* scripto, quod breviter dicitur: Contra Hieroclen, (303) probat, mira ab Apollonio patrata cum miraculis Christi comparari non posse.

(1) Collectio integra eorum quæ N. T. imitantur tantum habetur in vers. germ., quæ curante *E. Hennecke* a pluribus facta est 1904, pp. 538.

Philostrati fontes pro vita Apollonii spurios esse. – Εὐαγγελικὴ παρασκευή (Præparatio evangelica), docet ll. 15, tum Iudaismum tum ethnicorum et religionem et philosophiam religionis christianæ sublimitate vinci. (Ed. E. H. Gifford, Oxonii 1903). — Εὐαγγελικὴ ἀπόδειξις (Demonstratio evangelica, ante a. 311 ll. 20, de quibus soli 10 priores supersunt), demonstrat religionem christianam a providentia Dei per iudaicam fuisse præparatam. — Scriptum: Περὶ τῆς ϑεοφανείας ll. 5, utrumque opus præcedens, et præparationem et demonstrationem evangelicam, breviter comprehendit. (Versio germ. e syriaca Gressmann 1904, 39*-258*). Similis epitome videtur fuisse: Generalis elementaris introductio. Opus aliquod magnum contra Porphyrium, 29 vel 30 ll. comprehendens, deperditum est.

78. — *S. Athanasius* (c. a. 320): Eius Λόγος κατὰ Ἑλλήνων ostendit, quam stultus sit Polytheismus quam rationi consonus Christianorum Monotheismus. — Λόγος περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου (Oratio de incarnatione Verbi) fidem in Verbum incarnatum contra ethnicorum et Iudæorum obiectiones tuetur. Varia credibilitatis motiva affert. — Utrumque scriptum videtur unum opus componere. — *Firmicus Maternus* (c. a. 347): De errore profanarum religionum. Præcipue « mysteria » ethnicorum illustrat; docet quanta sit eorum superstitio et turpitudo; signis, quæ in iis adhibeantur, referri res biblicas. Imperatoris esse, reliquias ethnicismi delere.

79. — *Aphraates*, episcopus Syrus prope Mosul in Persia, a. 343-44 composuit: demonstrationes 23. Inter quas 10-13, 15-19, 21 sunt contra Iudæos, qui eo tempore in regno Persarum numero atque potentia florebant atque fidem christianam tum disputationibus tum persecutionibus adoriebantur. — *S. Ephræm* Syrus c. a. 373 edidit multa carmina dogmatico-apologetica contra ethnicos, Iudæos, Manichæos, ut populus haberet quæ carminibus Gnosticorum opponeret.

80. — *S. Gregorius Nyssenus* († 394): Λόγος κατηχητικὸς ὁ μέγας (Oratio catechetica maior) magistris christianis viam et rationem proponit, quomodo primaria dogmata defendant contra ethnicos, Iudæos, hæreticos (ed. Swrawlers, Cambridge 1903). — Tractatus: Πρὸς Ἕλληνας ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν (adversus Græcos ex conceptibus universalibus), alii similes, demonstrant, Trinitatem non constituere tres deos. — *Diodorus Tarsensis*, 378 factus episcopus Tarsi, etiam apologetica scripsit, at non supersunt. — *S. Iohannes Chrysostomus*, c. a. 382 composuit: Λόγος εἰς τὸν μακάριον Βαβύλαν καὶ κατὰ Ἰουλιανοῦ καὶ πρὸς Ἕλληνας. (L. in S. Babylam contra Iulianum et contra Gentiles). Argumentatur pro divinitate Christi e miraculis ab ipso sive immediate sive mediate per servos suos, uti S. Babylam, patratis. — Circa a. 387 scripto: Πρός τε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας ἀπόδειξις ὅτι ἐστὶ ϑεὸς ὁ Χριστός (Demonstratio Christum esse Deum) Iudæis et Græcis exhibet vaticinia, quæ tum prophetæ tum ipse Christus præcipue de ecclesia prædixerunt. — Generatim in prædicationibus suis multa habet quæ ad apologeticam spectant, præcipue de argumento e miraculis moralibus. — *Prudentius*, hispanis hexametris hæc opera absolvit: C. a. 402-404: LL. 2 contra Symmachum. Impugnant generatim Polytheismum et speciatim factionem ethnicam in Senatu Romano. — Apotheosis divinitatem Christi defendit contra Patripassianos, Sabellianos. Iudæos. — Psychomachia sub oculos subiicit, quam acriter virtutes christianæ cum vitiis ethnicis de anima hominis pugnent. — *Makarius Magnes*, post a. 410 (?) edidit Μονογενὴς ἢ ἀποκριτικὸς πρὸς Ἕλληνας (Unigenitus vel responsio ad Græcos). Respondet difficultatibus philosophi Neoplatonici, quæ præprimis ex Evangelio et Actibus Apostolorum, Porphyrio duce, petuntur,

(Fragm. Blondel, Paris 1876). — *Philippus Sidetes* historiographus libris 3 Iuliani apostatæ opus refutat. D.

81. — *S. Augustinus.* Speciatim contra ethnicos scripsit: De Civitate Dei, opus 413-426 per partes editum. Quæ apologia inter omnes, quas antiquitas christiana protulit, præstantissima est. Cuius finis proximus est, refellere calumniam, quam ethnici, post expugnatam ab Alarico a. 410 Romam, acerrime repetebant: calamitatum publicarum causam esse religionem christianam, quippe qua deorum ira concitetur. Pars I, l. 1-10 vocari potest apologetico-polemica. Refellit l. 1-5 obiectionem, Polytheismum esse necessarium ad prosperitatem temporalem, uti opinabatur vulgus, deinde l. 6-10 eum esse utilissimum ad felicitatem post mortem, uti dictitabant Neoplatonici. Pars II, l. 11-22 internam altissimam rationem aperit, cur hæ sententiæ falsæ sint, naturam scilicet civitatis Dei et civitatis huius mundi. Quam utriusque civitatis naturam manifestat utriusque « exortus », i. e. creatio, peccatum angelorum, l. 11-14; « excursus » seu evolutio per decursum sæculorum, l. 15-18; « debiti fines », l. 19-22. Diversas partes tractat et magna eruditione historica et profunda æstimatione speculativa. — Intra a. 406-11 composuit: De divinatione dæmonum. Prædictiones eorum cum vaticiniis prophetarum comparat. — Scripto: Adversus Iudæos, probat, Deum iuste eos reprobasse. — Ex cæteris S. Doctoris scriptis multa de motivis credibilitatis continent haec: Post 399 De fide rerum quæ non videntur, demonstrat eiusmodi fidem et rationabilem et necessariam esse; 389 De moribus ecclesiæ catholicæ et de moribus Manichæorum; De utilitate credendi ad Honoratum l. unus; 396 vel 97 Contra epistolam fundamenti; Ep. 137 ad Volusianum; c. 400 De consensu evangelistarum ll. 4. E quibus ad nos pertinet l. primus. — *Orosius*, S. Augustini discipulus atque amicus, eius hortatu 417-8 scripsit: Historiarum adversum paganos ll. 7. Est quoddam librorum de civitate Dei complementum. Inde ab Adamo usque ad 417 temporum vicissitudines exhibet. Demonstrat, calamitates ante Christum plures atque maiores fuisse quam post Christum. Quare eas, quibus nunc imperium Romanum prematur, e religione christiana ortas non esse.

S. Paulinus Nolensis († 431) inter plurima alia carmina habet etiam: Carmen (32) ad Antonium de stultitia cultus ethnici. — In Gallia meridionali c. a. 400-50 scripsit *Evagrius:* Altercatio legis inter Simonem Iudæum et Theophilum Christianum. — *Salvianus* Massiliensis, monachus Lirinensis, inter a. 439 et 451 composuit: De præsenti iudicio (de gubernatione Dei). Deum iuste permisisse barbarorum incursus. Eos enim, sive hæretici sint sive ethnici, bonis moribus quadamtenus eminere præ habitatoribus imperii Romani, quorum vitia fide vera catholica, quam profiteantur, non excusari sed augeri. — *Commodianus* poeta Gallus (c. 400-475). Ut videtur 466 finivit: Carmen apologeticum. Versibus 1060, Dei et Christi natura atque operibus exposita, ethnicos atque Iudæos ad complectendam fidem hortatur, eventibus quoque eschatologicis eos movet. — Eius « Instructiones » exhibent 80 carmina acrostichica libris 2 distincta. L. 1 ethnicorum atque Iudæorum doctrinas et vitia carpit, 2 catechumenos atque fideles ad virtutem sectandam impellit. (Vixisse Commodianum non s. 3 sed 5 nuper defendit Brewer S. I.: Kommodian von Gaza 1906. Alii aliter).

Theodoretus Cyrensis c. a. 427 scripsit: Ἑλληνικῶν θεραπευτικὴ παθημάτων, ἢ εὐαγγελικῆς ἀληθείας ἐξ ἑλληνικῆς φιλοσοφίας ἐπίγνωσις, (Græcarum affectionum curatio seu evangelicæ veritatis ex græca philosophia agnitio). Inter opera apologetica antiquitatis græcæ post conc. Nicænum e multorum sententia primum

locum tenet. L. 1 agit de obiectione, apostolorum ingenia non fuisse culta; 2-12 doctrinas præcipuas christianas de rebus in philosophia et theologia summi momenti, placitis ethnicorum opponit. — *S. Cyrillus Alex.* c. a. 433 scripsit Ὑπὲρ τῆς τῶν χριστιανῶν εὐαγοῦς θρησκείας πρὸς τὰ τοῦ ἐν ἀθέοις Ἰουλιανοῦ (Pro sancta Christianorum religione contra Iulianum atheum). E libris fere 30 soli 10 supersunt, quibus e 3 Iuliani libris refutabat primum, quo docebat, religionem christianam non esse nisi ineptam quandam permixtionem ex rebus religionis iudaicæ atque ethnicæ. — *Eznik*, episcopus Bagrevand c. a. 450 in lingua armenica scripsit: Refutatio hæreseon. L. 1 est contra hæreses ethnicorum (dualisticas), 2 contra religionem Persarum (Zerwanitismum), 3 contra philosophorum græcorum scholas, 4 contra sectam Marcionis.

Periodus 2ª: Ab exorto Mohamedanismo usque ad ætatem renascentiæ ethnicismi.

82. — Lit. — *Werner*, I § 28, 29 p. 72-84; *id.*, Thomas v. Aquin I (1889), 581-664.

Quoad Iudaeos et Mohamedanos lit. arabicam refert *Moritz Steinschneider*, Polemische u. Apologetische Lit. in arab. Sprache zwischen Muslim, Christen u. Iuden, in: Abhandlungen für Kunde des Morgenlandes (1877) pp. 456. — *Scheeben*, I § 58 p. 423-44. — *Zöckler*, 187-236. — Recenset auctores ex ordinibus S. Francisci *Lucas Wadding* O. M., Scriptores Ordinis Minorum, 1650, ed. novissima Romae 1906, *Io. a S. Antonio O. M.*, Bibliotheca universa franciscana 1732-3 t. 3 in fol., *Ioan. Hyacynthus Sbaraglia* O. M. Conv. († 1806), Supplementum et castigatio ad Scriptores trium ordinum S. Francisci, a Wadding aliisve descriptos ed. 1806, novissima Romae 1908 sq; ex ordine Praedicatorum *Iac. Quetif* O. P. († 1698), Scriptores ordinis Prædicatorum, opus absolutum a *Iac. Echard* O. P. 1719 et 1721; ex ordine Carmelitarum *Cosmas a S. Stephano Villiers* O. Carm., Bibliotheca Carmelitarum 1752; ex ordine Augustinianorum *Io. Fel. Ossinger* O. S. A., Bibliotheca Augustiniana 1776; pro pugna literaria in Hispania *Nic. Antonio*, Bibliotheca Hispana vetus [1]1696.

In specie quoad adversarios et defensores Mohamedanismi in hac et sequentibus periodis: *Aurelius Palmieri*, La polemica dell'Islam, editio germanica: Die Polemik des Islam, Salzburg 1902, p. 1-137; *id.* in Dictionnaire de Théologie catholique v. 3 art. Coran col. 1772-1844 cum multa lit. — *I. A. Fabricius*, Bibliotheca Græca VII 136-8; *id.*, Delectus argumentorum et syllabus scriptorum qui veritatem religionis christianæ... asseruerunt, 1725 c. 50 p. 733-50. — *Karl Krumbacher*, ind. sub v. Islam. — *Orient Christianus*, in diversis annis, v. g. VII² 592; IV² 244. — Plurima scripta, quibus Mohamedani suam religionem defendebant atque christianam adoriebantur v. *Steinschneider* o. c. p. 1-165.

Speciatim quoad Iudæos *Krumbacher* ind. ad v. Iuden. — Catalogum etsi non completum scriptorum byzantinorum contra eos *Mc. Giffert*, Dialogue between a Christian and a Jew, entitled Ἀντιβολή... Marburg 1889, 12-20.

Iudæos, qui contra religionem christianam scripserunt v. apud *De Rossi*, Bibl. Iud. antichristiana (Parmæ 1800). — *Fuerst*, Bibl. iud. 1863. — *Jewish Encyclopaedia* (New-York 1901 sq.) v. II articuli Apologists, Apostasy, v. IV articulus Disputations.

De sententiis adversariorum philosophorum cf. opera de historia philosophiæ, v. g. *A. Stöckl*, Lehrbuch der Geschichte der Philosophie ² 1875, § 89-99 de philosophia arab. et iud. medii ævi. — *Barth. Hauréau*, Histoire de la philosophie scholastique 3 v. 1872-80. Quoad Iudæos et Mohamedanos II ch. 2 p. 14-54.

Adversarii.

83. — *Philosophi arabes* ut *Ibn Sina* (Avicenna n. 980), *Ibn Roschd* (Averroes n. 1136), imo etiam quidam e *Iudæis* ut *Moses ben Maimon* (Maimonides n. 1135), non tantum plurima cum religione christiana pugnantia docuerunt, verum etiam principii loco proposuerunt, idem secundum philosophiam posse esse verum, secundum revelationem autem falsum. Præterea et prophetias et potestatem miracula patrandi naturaliter explicare solebant. Inter Christianos s. 12 in regno Byzantino Neoplatonismus iterum caput extulit.

Apologetæ.

84. — Plurimi directe *contra Mohamedanorum et Iudæorum superstitiones* agebant, quidam ut proxime eorum scriptis responderent, plures vero directe ex eo fine ut eos ad fidem christianam converterent. Quæ protulerunt partim in singulis separatis operibus, partim simul cum aliis materiis in operibus dogmaticis vel polemicis inveniuntur. — Erant qui præcipue *pseudophilosophos* impugnarent, vel contra eos religionem christianam defenderent. — *Contra omnes adversarios simul*, etsi præcipuo modo pseudophilosophos respiciens, theologia scholastica in Occidente tum magis indirecte tum directe catholicam fidem statuebat. *Indirecte* eo quod universis operibus suis proxime scholæ destinatis id præcipue agebat, ut harmoniam inter rationem et fidem ostenderet, atque nominatim quæ sit relatio inter fidem et rationem, quæ natura prophetiarum et miraculorum, magis evolveret. Magis *directe* vero eo quod quidam e scholasticis tum opera specialia ad eum finem conscribebant, ut ostenderent, quantopere veritates fidei rectæ rationi consonent, tum in libris scholæ destinatis motiva credibilitatis etiam ad religionem revelatam applicabant, quamvis generatim in eiusmodi libris tractatione minus ampla id faciant. — Cum, exorto iam græco schismate, magna inter Orientem et Occidentem in re quoque literaria separatio secuta sit, generatim etiam opera utriusque seorsim consideramus.

Quoad adversarios Christianismi in genere, præcipue pseudophilosophos.

85. — **In Occidente.** *Harmoniam inter singula dogmata et rationem ostendunt* præcipue opera hæc: *Alanus ab insulis* (Lille † 1203) in opere De arte (articulis) catholicæ fidei ll. 5. — *Guilelmus Alvernus* (Parisiensis dictus † 1249) in opere De universo, quod libris S. Augustini « De civitate Dei » simile est. S. *Albertus M.* in Summa de creaturis. — At primum locum obtinet *S. Thomæ* Summa contra Gentes. « Quæ sit auctoris intentio » manifestatur l. 1 c. 2: « Veritatem (quam fides catholica docet) pro nostro modulo manifestare, errores eliminando contrarios ». Cum adversarii, ut Mohamedani, pagani, auctoritatem Scripturæ (et Traditionis) non agnoscant. « necesse est, ad naturalem rationem recurrere, cui omnes assentire coguntur, quæ tamen in rebus divinis deficiens est. Simul tamen veritatem aliquam investigantes ostendemus, qui errores per eam excludantur et quomodo demonstrativa veritas fidei christianæ religionis concludet ». Prius agit de forma, sub qua veritatibus christianis assentiendum est, i. e. de fide, l. 1 c. 3-8, deinde de ipsis veritatibus christianis. Ac primo quidem de iis quæ etiam ratione naturali probari possunt, l. 1 c. 10 - l. 3 inclusive; secundo loco de mysteriis, l. 4. — Simile quid postea conatus est medicus *Raymundus Sabundae* († 1436) in opere Liber naturæ; considerandi sunt præcipue tit. 207-8, in quibus apologetica evolvit. Insistit præcipue harmoniæ fidei cum bono hominis. Cf. tit. 80. At lumini naturali nimium concedere videtur.

Motiva credibilitatis loco iis proprio paucis sed gravibus verbis proponit *S. Thomas* c. Gentes l. 1 c. 6. — Pulchre secundum Augustinum evolvit 7 motiva Card. *Matthaeus ab Aquasparta* O. F. M. in: Quæstiones de fide et cognitione (ed. prima Quaracchi I 1903) qu. 1 de fide p. 86-96. — Egregie 9 motiva proponit *Scotus*, Oxon. Prol. qu. 2 (Wadding I p. 40-46; in Montefortino p. 17-24). — *Dionysius Carth.* in præclaro opere: Dialogus inter philosophum et theologum de fide catholica, l. 1 diversa motiva, integro l. 8 miracula præcipue post Christum facta evolvit. Cum his et similibus coniungenda sunt, quæ in Summis theologiæ atque proxime quidem dogmatice de quibusdam motivis credibilitatis, uti miraculis Christi, resurrectione eius etc. statuuntur. Haud exiguam enim continent materiam apologeticam eamque haud raro pretiosam.

In regno Byzantino. — E schismaticis sub Manuele Comneno (1143-80) *Nicolai* episcopi Methones in Peloponneso Ἀνάπτυξις τῆς θεολογικῆς ἀποδείξεως Πρόκλου (v. g. ed. Voemel 1825 Frankfurt), singulis Neoplatonismi difficultatibus contra fidem singulas opponit solutiones.

Quoad Mohamedanos.

Auctores qui Mohamedanismum impugnarunt.

86. — Scriptores christiani contra Mohamedanos modo defendebant sive singulas veritates christianas sive universam religionem christianam in genere et principales doctrinas in specie, modo, idque amplissime et sæpissime, aggrediebantur tum ipsa motiva vana credibilitatis revelationis Mohamed factæ tum doctrinas singulas plurimas Alcorani.

87. — **In Oriente.** — Inter *Syros* s. 7 *Athanasius Balad*, patriarcha Iacobitarum, edidit epistolam de relatione inter Christianismum et Mohamedanismum. — *Abou Nou d'Anbar*, secretarius gubernatoris mohamedani Mossoul, Coranum refutavit. — Inter *Armenos S. Nerses Snorhali* († 1173), princeps poetarum gentis suæ, Mohamedanismum aggressus est. — Plurimæ existunt refutationes *arabicæ* Corani. Celebriora sunt: Epistula quædam composita ab *Elia Bar Sina*, archiepiscopo nestoriano Roha et metropolita Nisibensi, qui adhuc vivebat 1049, et: Disputatio de religione, quæ locum habebat inter... Georgium monachum... et 3 doctos religionis islamiticæ 1217. — Responderunt Mohamedani, multis scriptis pro religione sua certantes.

Inter *Græcos* præcipui auctores cum suis operibus sunt hi: *S. Iohannes Damascenus* († 789) in Περὶ αἱρέσεων n. 101, præterea in proprio dialogo. — Eius discipulus *Theodorus Aboukourru* ex 43 opusculis suis contra Mohamedanos composuit 8, 9, 18-25. — Caput unum in Chronographia *Theophanis Confessoris*, quæ scripta est intra annos 811-5, de Mohamed agit. — *Bartholomai Edesseni*, monachi fere ex æqualibus Photii, est: Refutatio Saraceni. — At imprimis nominandus est *Niketas Byzantinus*, qui in secunda parte s. 9, hortatu imperatorum Michaelis III et Basilii I, scriptis tribus contra Mohamedanismum egit. Argumenta e Scriptura quamvis non negligat, speciatim tamen e rationibus naturalibus contra Mohamedanismum arguit. — *Samonas*, episcopus Gazæ, s. 11 in Dialogo cum Saraceno Achmed, transsubstantiationem exposuit. — Aboukourru, Bartholomaeus Edessenus, Samonas a Gaza in literatura arabica versati erant. S. 14 *Demetrios Kidones* vertit e latino: Propugnaculum fidei, scriptum a Ricoldo (Cf. n. 88 p. 54). — Imperator vero *Iohannes VI Kantakuzenus*, qui regnabat 1341-55 opus polemicum composuit. — At maioris molis apologiam inter Orientales scripsit imperator *Manuel II. Palæologus* (1391-1425), cui titulus Διάλογος περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας πρός τινα Πέρσην. Refert res maioris momenti e 26 disputationibus, quas 1390 ad bellum profectus, cum quodam turcico Muterizis habuit. Duæ editae agunt de angelis, anima humana, cœlo atque terra, casu Adæ, paradiso Mohamed. In disputationibus ineditis tractantur: anima belluina; fortuna prospera Mohamedanorum in bellis; quantopere Mohamed superetur a Mose; quantopere Islamismi mandata cedant præceptis religionis christianæ: providentia; prædestinatio. Inde a dialogo 12 singulæ quædam veritates christianæ proponuntur v. g. Trinitas. — Tandem patriarcha *Gennadios* coram Sultano orationem de fide christiana habuit, qua effecit ut ea toleraretur. Quam orationem Græci inter confessiones fidei habent. Accedit dialogus ineditus cum duobus nobilibus Turcis.

88. — **In Occidente.** Omissis quibusdam minoris momenti scriptoribus, *Petrus Venerabilis*, abbas Cluniacensis, ut ob fines apologeticos Corano studeret, in Hispaniam profectus est, eumque verti curavit (1141). Quem duobus scriptis, maiore uno, altero minore, confutavit. — *Alexander III* misit 1169 Sultano Iconii: Instructionem de fide catholica, qua ad quæstiones eius respondet. — At præcipua contra Islamismum perfecerunt missionarii ex Ordine Dominicanorum et Francescanorum. S. Raymundus a Pennaforte O. P. († 1275) imprimis in urbibus multis Hispaniæ, et B. Raymundus Lullus O. M. († 1315) in Maiorica insula in monasteriis suis scholas apologeticas condiderunt, in quibus membra sui ordinis et ipsam apologiam Christianismi et linguas orientales ad conversionem Mohamedanorum necessarias discerent. Pro quibus scholis ut librum textus S. Thomas composuit suam

Summam contra Gentes. In qua data opera contra Saracenos habet l. 1 c. 50; l. 3 c. 41, 69, 75, 84, 85, 87, 103; l. 4 c. 83. — Celeberrimus *Raymundus Martini* O. P. († post 1284) opus quidem unum magnum: Summa contra Saracenos conscripsit, quod nobis non est servatum. At habetur aliud opus maximi momenti, scriptum c. 1278: Pugio fidei (ed. Paris 1651 p. 154-742 in fol.) E cuius 3 libris prior omnes philosophos rationalistica sapientes, sive Mauros sive alios, respicit. — *B. Raymundus Lullus* e 300 vel 400 scriptis suis multa contra Saracenos direxit. Ex his nominentur præter arabicos tractatus, uti Alchindi et Teliph, libri de quinque sapientibus, de gentili et tribus sapientibus; rela io de disputatione cum philosopho Mohamedano Hamar; liber Tatari et Christiani: Apologia 14 articulorum fidei romano-catholicæ. Etiam in opere « Ars magna » scilicet sciendi, quam excogitavit, exponit argumenta quæ ei videntur aptiora ad refutandas doctrinas Mohamed. — *Guilelmus Tripolitanus* O. P. Theobaldo archidiacono Leodiensi, qui postea electus est papa Gregorius X (1271-6), misit opus De statu Saracenorum. — In Anglia eodem fere tempore scripsit celeber *Ioannes Guallensis* O. M. († c. 1300): De origine, progressu et fine Mahumetis et quadruplici reprobatione prophetiæ eius. — *Ricoldus* (Ricardus) *de Monte Crucis* O. P. († 1320) missionarius in Oriente composuit: Propugnaculum fidei adversus mendacia et deliramenta Alcorani. — *Petri de Pennis* Itali O. P. est Tractatus contra Alcoranum c. a. 1340. — Circa finem s. 14 *Demetrios Kydones*, inter Latinos commorans, edidit: Fidei christianae confessio facta Saracenis. — In Hispania circa medium s. 15 *Ioannes de Segoria* Coranum in linguam tum latinam tum patriam vertit eiusque ineptias refutavit.

Quoad Judæos.

Auctores qui Judaismum impugnarunt.

89. — **In Oriente.** — Præcipue in *regno Byzantino* omni sæculo scripta contra Judæos prodierunt, eminent tamen sæculum 7 et 14. Auctores et in *forma,* scilicet dialogi, et in *materia tractata* vestigia Patrum sequi solent. Veritatibus singulis quibusdam dogmaticis quas defendunt, addunt, præcipue temporibus Iconoclastarum, refutationem calumniæ Judæorum, venerari imagines esse cultum in Vetere Lege damnatum. — Plurima scripta adhuc inedita sunt, edita sæpe auctoribus non veris ascribuntur.

90. — Nominentur hæc: S. 6. floruit *Leontius* episcopus Neapoleos in Phrygia (590-668); composuit contra Judæos opus, quod e quinque libris constat. D. — E s. 7 est Διδασκαλία Ἰακώβου νεοβαπτιστοῦ de disputatione a. 640 Carthagine habita (descripta primo 1899 a Bonwetsch). — S. 8 *Anastasios Sinaita,* Ἀντιβολὴ Παπίσκου καὶ Φίλωνος πρὸς μοναχόν τινα c. 740 (ed. Mc. Giffert Marburg 1889). — S. 9 disputationes *Pseudo-Anastasii* Sinaitæ; commentarius ineditus *Basilii* episcopi Neopatræ in omnes Prophetas, compositus ut demonstretur, Christum esse Messiam. — S. 13 *Pseudo-Andronikos I Komnenos* et *Thaddæos Pelusiotes.* — S. 14. *Theophanes* episcopus Nicæi; Imperator *Johannes VI Cantakuzenos* scripto inedito, quod 9 tractatus complectitur; Patriarcha *Gennadios* tum dialogo tum collectione prophetiarum.

Neque desunt apologetæ *in arabica lingua* scribentes: inter alios s. 9 v. g. *Anu;* s. 11 *Abu Ali Isa ben Ishak; Elias a Nisibis,* de demonstranda veritate fidei. — S. 13 (?) *Daniel Ibn ul Hattab,* eodem s. 13 convertita *Abdul Mesih.*

91. — **In Occidente.** — Ex innumeris scriptoribus quidam tantum eligi possunt. Qui auctores argumentis e tempore Patristico notis sæpissime adiungunt refutationem doctrinarum, quæ sive in Talmud sive in Kabbala Judæorum proponebantur. Haud raro quoque odium, quo Judæi sæpe Christianos prosequebantur, data opera impugnant. Inter argumenta illud sæpe evolvunt, quod hauritur e tristi statu populi electi, postquam Christum morti tradidit. — Forma generatim dialogica est.

Celebres habitæ sunt in hac periodo disputationes inter doctos Christianos et Judæos præsentibus sæpe principibus sive ecclesiasticis sive sæcularibus. Quæ sæpe erant occasiones ut libri de his controversiis componerentur. Nota est disputatio Judæi conversi Hieronymi a S. Fide cum doctis Judæis, cuius a 7 Febr. 1413 - 12 Nov. 1414 sessiones 69 numerantur.

92. — *S. Isidorus a Sevilla* († 636) in apologia sat longa insistit in adventu Messiae et abrogatione legis; *Julianus* archiepiscopus Toletanus († 690), Judæus conversus, in eo quod Messias non venturus sit sexta ætate; eius successor *Amalo* in iudaica impietate demonstranda; *Agobardus* archiepiscopus Lugdunensis († 840) in fabulis Kabbalisticis refutandis; *Rabanus Maurus* († 856) in componendis inter se locis difficilioribus Veteris Testamenti; *Fulbertus* episcopus Carnotensis (i. e. Chartres, † 1028) in vaticinio Schilo Gen. 49, 10; *S. Petrus Damianus* († 1072) in explicatione Mt. 5, 17, cur Christiani non observent legem Mosaicam; conversus *Rabbi Samuel e Marocco* s. 11 in adventu Messiae. — *Petrus Alfonsus,* conversus Judæus, in: Dialogus Petri cognomento Alphonsi ex Judæo Christiani et Moysis Judæi 1106, qui e 12 partibus constat, fere omnes controversias tractat. Premit stultitiam traditionum talmudisticarum, statum deplorandum populi electi. — *Odo* episcopus Cameracensis (i. e. Cambrai, c. 1106) necessitatem satisfactionis per Deum-hominem Judæis opponit. — Succedunt *Gislebertus Crispinus,* Abbas monasterii Westminster, qui argumentum ex effectibus inculcat; porro alius *Gislebertus.* — Tum *Rupertus Tuitiensis* († 1135), tum *Petrus Venerabilis* maiorem apologiam conscripsit. — *Abaelardus* († 1142) nimium detrahit Veteri Legi. — *Richardus a S. Victore* († 1173) multa habet de conceptu Virginis prædicto apud Is. 7, 14. — *Petrus Blessensis* († 1200) haud pauca etiam ex auctoribus profanis de Christo affert. — *Robertus Grossæteste* episcopus Licolninensis de cessatione legalium disputavit. At primum locum occupat *Raymundus Martini* († 1284). Qui linguæ hebraicæ, chaldaicæ, arabicæ peritus, et traditiones talmudisticas optime callens, scripsit sermonem: Capistrum Judæorum (D), et opus celeberrimum: Pugio fidei (cf. n. 88, p. 54). Cuius operis pars 2 Judæos tum e bibliis hebraicis tum e scriptis talmudicis refutat. — Quem librum multum sequitur *Porchetus Salvaticus* O. Carth. († 1320). — Omissis quibusdam aliis, *Alphonsus Burgensis* (ante con-

versionem Rabbi Abner † 1346) opere: Bella Domini, argumenta Rabbi Jos. Kimhi contra religionem christianam evertit. — Inter exegetas *Nicolaus Lyranus* († 1340) qua voce qua scriptis multa pro conversione Iudæorum egit. — *Hieronymus de S. Fide* (ut Judæus Josua Burki), in opere: Errores Judæorum extracti ex Talmude seu Hebræomastix c. 1412, inter alia ostendit, 24 signa, quæ Judæi in Messia desiderent, in Christo inveniri. Quem plurimi Judæi scripto aggressi sunt. — *Paulus a Burgos* (ante conversionem Salomo ha Levi, † 1435 ut patriarcha Aquileiensis), magnam in Hispania auctoritatem habebat. Scripsit 1434: Scrutinium S. Scripturarum sive Dialogus Sauli et Pauli contra Judæos. — Denique *S. Antoninus* episcopus Florentinus († 1459) de sorte Judæorum egit.

Iudæi qui pro sua superstitione pugnabant.

93. — Iudæi scriptis libris tum propriam superstitionem defendebant tum religionem christianam aggrediebantur. Initium fere fecerunt s. 9 et 10; inde a tempore expeditionum crucigerarum multo plura præstiterunt.

S. 9 et 10 nominandi sunt *David ibn Mervan al Mukammas* et *Saadia ben Ioseph* († 942). Hic inter cætera in opere philosophico: Emunot we Deot, Iudaismum celebrat ut causam perpetuo exstituram perfectionis humanæ.

S. 11 e Karaitis *Al Kirkisani* in: Kitab Al Anwar wal Marakib iam præoccupat modernistarum affirmationem, ipsum Iesum suam ipsius divinitatem non affirmasse, sed apostolum Paulum primum fuisse, qui ei divinitatem attribueret. - Præter *Iafet ben Ali* in commentariis ad bibliam, *Hadassi* in: Estol ha Kofer c. 1148, singula dogmata, motiva quoque credibilitatis aggreditur. V. g. affirmat mores Christianorum suæ ætatis peiores esse quam paganorum fuerint. — *Iosef ben Isaac Kimhi* († 1160) præter eiusmodi libros, in quibus sanctos mores Iudæorum præ Christianorum extollit, conscripsit alia opera v. g.: Liber fœderum. — *Iehuda ha Levi* arabice in forma dialogi composuit opus postea multum divulgatum: Kusari, contra omnes Iudaismi adversarios. — Contra opus: Pugio fidei, scripsit *Salomon Adret*. Prætera commentarium in Haggada composuit, cum videret Christianos hoc fonte contra Iudæos uti. — Contra Alphonsum Burgensem egerunt *Sem Tob ibn Saprut* libro Eben Bohan (lapis probationis), *Profiat Duran*, alii; contra Paulum a Burgos philosophus *Hasdai Crescas* suo: Trattado, in quo rationibus philosophicis dogmata impugnat. — In Germania *Lippmann a Mühlhausen* 1399 conscripsit Nissahon seu victoriarum librum, qui tamen nonnisi 1644 publici iuris factus est.

Opera polemica generalia.

94. — Non erant rara eiusmodi opera, quæ multas vel omnes formas hæreseon vel incredulitatis simul impugnarent. Inter quas præcipue Mohamedanismus atque Iudaismus numerabantur.

In regno Byzantino. — Eiusmodi scripto etiam contra Iudæos egit patriarcha *Nikephoros* (815-29). — Contra Mohamedanos *Euthymios Zigabenos* (1081-1118) in titulo octavo operis Πανοπλια δογματική. — Hanc complet *Niketas Ako-*

minatos in amplissimo Θησαυρὸς ὀρθοδοξίας (1204-10), in quo etiam Iudæos et Mahomedanos impugnat.

In Occidente. — S. 12 *Alanus de Podio* in sua: Summa de fide catholica ll. 4, libro 1 et 2 Albigenses et Waldenses impugnat, 3 Iudæos, 4 paganos vel Saracenos refutat. — Simili modo c. 1200 *Ebrardus a Bethune* in Antehæresis procedit. — *Raymundus Martini* composuit Explanationem symboli (ineditam), ad institutionem fidelium, in qua præcipue Iudæorum et Mohamedanorum difficultates proponit et solvit. — *Richardus Fitzralph* († 1360) Irlandus, qui a sede sua Armachanus dici solet, in opere Summa de quæstionibus Armenorum et Græcorum, non pauca de Mohamedanismo proponit.

Periodus 3ª: A Paganismi renascentia usque ad initia Deismi.

95. — **Lit.** — A tempore renascentis Paganismi seu a medio fere s. 15 initium temporis recentioris repetere solent. Unde præter partes respectivas eorum operum generalium, quæ n. 64 p. 43 recensuimus, primo pro hac et sequenti periodo ea opera specialia considerare iuvat, quæ de recentiore philosophia conscripta sunt. Cf. v. g. e catholicis *Albert Stöckl*, Geschichte der neueren Philosophie von Baco u. Cartesius bis zur Gegenwart, 2 v. 1883. — Ex acatholicis quoad materiam et plurimam literaturam, non vero quoad iudicia *Ueberweg-Heinze*, Grundriss der Geschichte der Philosophie III Die Neuzeit bis zum Ende des 18 Iahrhunderts[10] 1909.

Præterea cf. præcipue historiam literariam de iis operibus theologicis, quæ vel a Reformatoribus vel contra eos conscripta sunt; item de iis quæ de ætate aurea Neoscholasticæ composita sunt. Quæ aliis in locis citabuntur.

96. — **Mutationes, quas apologetica huius ætatis subiit, ad has causas videntur esse reducendæ: ad renascentiam, Protestantismi originem, novam ætatem auream Scholasticæ.**

Adversarii.

97. — **Influxus Renascentiæ.** — Hic fere ab expugnata Constantinopoli incipit. — Revixit in genere nimius culturæ *antiquitatis amor*, imo revixerunt ipsi *errores philosophici antiquitatis.*

In iis, qui simul et falsa systemata philosophica et catholicam religionem amplecti volebant, revixit error Arabum, posse esse verum in philosophia quod in fide falsum est. Cf. v. g. *Petrus Pomponazzi* († 1524). — Evoluta est doctrina, miracula et prophetias naturaliter fieri posse. Hanc proponebant quidam, qui cum Kabbala coniunxerunt Neoplatonismum ut *Henr. Cornelius Agrippa* (1535), vel Neoaristotelismum sequebantur ut *Pomponazzi*, vel Pantheismum et Theosophiam ut *Iacob Böhme* († 1624). — Imo erant, qui ut *Laurentius Valla* († 1457 [-63]), ipsam voluptatem celebrarent, vel uti *Pomponius Latus* († 1598) in scripto « de tribus impostoribus », Mosi, Christo, Mohamed indolem impostoris attribuerent.

98. — **Influxus Reformationis.** — Pugna contra Reformatores quæ mox successit, in tantum ad apologeticam excolendam con-

tulit, in quantum occasio erat, ut auctores catholici diversis novis erroribus ad apologeticam pertinentibus veritatem antiquam perfectius opponerent. Qui errores præcipue versabantur circa conceptum fidei et motiva credibilitatis.

Conceptus fidei quem quidam e Reformatoribus proponebant, non semper exhibebatur ut assensus in veritatem revelatam ob auctoritatem Dei loquentis, sed sæpe oscillabat inter hos duos conceptus: confidentiam et experientiam internam alicuius veritatis. — Unde iudicium credibilitatis per se non poterat concipi ut eiusmodi iudicium, quo iudicaretur, adesse rationes, e quibus certum sit, Deum locutum esse, idque ex rationibus in hoc ordine præcipue externis, ut miraculis etc.

Attamen ab initio non tota consequentia ex hoc conceptu fidei non sat determinato trahebatur. Prioribus temporibus potius ratio iudicii credibilitatis non proponebatur cum debita claritate; vel ad illud formandum cum argumentis externis eiusmodi interna miscebantur, quæ non erant recta, v. g. quoddam fere mysteriosum testimonium Spiritus Sancti; vel etiam criteria interna prævalebant. Ad finem vero sæculi 18 et sæculo 19 res ad id pervenit, ut multi philosophi et theologi Protestantes genuino iudicio credibilitatis pro locutione divina, hauriendo illi quidem ex factis ipsi locutioni generatim externis, substituerent aut quandam exigentiam veritatis revelatæ, aut tale iudicium rationis de intrinseca veritate rei dictæ, quod aut e perspecta rei evidentia aut ex aliquo rei effectu proficisceretur. A quibus Modernistæ suas doctrinas de fide et iudicio credibilitatis hauserunt.

Quæ cum ita sint, mirum non est, quod in iis quoque operibus Protestantium, quæ ad defendendam religionem christianam conscripta sunt, haud pauca inveniri solent, quæ omnino falsa atque damnosa sint. Unde ex eo quod Protestantium opera recensemus, quæ contra Deismum atque Rationalismum similesque errores conscripta sunt, concludi nequit, graves vel etiam gravissimos errores in iis deesse. Id autem in singulis operibus repetere impossibile est. — Neque cum auctor catholicus in numero defensorum religionis christianæ ponitur, id insinuatur, eum in cæteris omnibus recta sensisse vel in ipsa defendenda religione christiana a nævis liberum esse.

Defensores.

99. — Adversariorum indoli respondet *defendendi modus.*

Contra laudatores ethnicismi apologetæ sæpe solvunt difficultates quæ cum rebus ethnicorum cohærent, v. g. cur scripta pagana

priorum temporum de Christo siluerint. Premunt argumentum e mirabili sapientia religionis christianæ, e convenientia eius cum omnibus veris systematum philosophicorum partibus. Multis solvunt dubia, num astra, temperamentum etc. miracula patrare possint. — Formam quod attinet, ipsi quoque apologetæ elegantissimam commentationem excolere solent.

100. — **Contra Protestantes** Catholici auctores conceptui fidei atque iudicii credibilitatis Reformatorum genuinum conceptum utriusque actus opponebant atque excolebant. Deinde motivo illi credibilitatis gratuito vel falso quod reformatores premebant, scilicet testimonio interno Spiritus Sancti, motiva vera substituebant. Tandem tot motiva singula credibilitatis a Protestantibus ecclesiae abiudicata et in se perfectius proponebant et ad eandem recte applicabant.

101. — **Influxus reflorentis Scholasticæ.** — Ad maiorem perfectionem disciplinæ apologeticæ etiam in quantum non directe respicit adversarios, multum iuvit profectus scholasticæ, qui iis temporibus præparatus (1500-60) vel evolutus est (1560-1660).

De iudicio credibilitatis eiusque proprietatibus scholastici agere solent in tractatu de fide divina. — Cf. v. g. Card. *Caietanus* (Thomas de Vio) O. P. in 2. 2. q. 1 a. 1. — *Dom. Bañez* O. P. in h. l. præcipue art. 4 ed. Venet. 1587 col. 70-84. — Card. *Franc. Toletus* S. I. in h. l. a. 4. — *Franc. Suarez* S. I., De fide disp. 4 ed. Paris. 1850 t. 12 p. 111-9. — Card. *Ioan. de Lugo* S. I., De virtute fidei div. disp. 5, disp. 11 ed. Lugd. 1646 p. 171-84, 260-72.

De ordine et numero motivorum credibilitatis cf. v g. *Bartholomaeus Medina* O. P., qui in 3 partem S. Thomæ, Introductio in materiam incarnationis, p. 14-44 argumenta 22 adducit. — *Bañez* l. c. col. 86-94. — *Gregorius a Valentia* S. I., Analysis fidei præcipue c. 2. — De fide disp. 1 q. 1 punct. 4. — *Suarez* l. c. p. 119-38. — *I. B. Gonetus* O. P., Clypeus theol. Thom. tom. 4 disp. 1. de obiecto fidei art. 8, digressio, ed. Venet. 1644 p. 157-65.

Multa materia de motivis credibilitatis invenitur quoque in iis auctoribus, qui data opera contra Protestantes scripserunt. Ea iis temporibus sub nomine « notarum ecclesiæ » comprehendere solebant. — Cf. v. g. Card. *Robertus Bellarminus* S. I., De controversiis t. 1 pars altera l. 4 de notis eccl. ed. Ingolstadt col. 1292-1365. — Amplissime *Thomas Bozius* C. O., De signis ecclesiæ Dei ll. 25 ed. Colon. 3 tomi 1592-3.

Contra adversarios in genere.

102. — *Hieronymus Savonarola* († 1498): Triumphus crucis, quasi e solis effectibus bonis Christianismi profunde argumentatur. Etiam dialogos apologeticos edidit. — *Marsilius Ficinus* († 1499) in præclaro opusculo: De christiana religione, argumentis externis apte interna v. g. ex comparatione Christianismi cum Platonismo, Kabbala etc. admiscet. — *Picus a Mirandula* (n. 1463 † iam 1499),

post multa false proposita ad saniora conversus, « In astrologiam divinatricem » disputavit libris 12; in « Heptaplus » Mosaicam, imo christianam sapientiam optime e Kabbala explicari autumat. Ingens meditabatur opus apologeticum. — Eius nepos *Ioan. Franc. a Mirandula* († 1533) « Examine doctrinæ vanitatis gentium » necessitatem moralem revelationis, « De prænotionibus » critera revelationis docet. — Card. *Hadrianus Castellensis* (a Corneto † post 1521) in opere: De vera philosophia ex quatuor ecclesiæ doctoribus ll. 4, 1507, præcipue Augustino utens ostendere nititur non Græcorum philosophorum doctrinis, sed sola revelatione divina veram sapientiam acquiri posse. — *Christophorus a S. Antonio* O. M. scripsit: Triumphus Christi Iesu contra infideles 1524. — Præcipue vero nominandus est *Io. Lud. Vives*, Hispanus († 1540): De veritate fidei christianæ ll. 5, Basileæ 1543. Solide et ample inde a l. 2 agit de Christo et motivis credibilitatis, l. 3 contra Iudæos, 4 contra Mohamedanos, 5 de præstantia doctrinæ christianæ. — *Steuchus Eugubinus* († 1549) in opere: De perenni philosophia ll. 10, in eo est ut demonstret philosophos græcos, præcipue Platonicos, veritates religionis revelatæ præsagiisse. At non sat critice procedit atque nimia ex iis haurire vult. — Opus autem principale in nostra re, ad quod Scholastici continuo remittunt, est: *Michael Medina* O. M. Hispanus, Christiana Parænesis sive de recta in Deum fide ll. 7 ad Philippum regem catholicum 1564. Textus habet 289 fol. in F. Qui libro 2 tam ample de motivis credibilitatis disserit, ut fol. 9*b*-87*b* de iis solis agat, fol. 52-72 i. e. 45 paginis de solis miraculis. Totius operis conspectus invenitur ante « ea quæ scribit auctor ad christianum lectorem » sub titulo: Hieronymi Magii in singulos libros Periochæ.

At pugna contra novos hostes non impedivit, quominus haud pauca opera etiam particularia contra veteres conscriberentur.

Contra Mohamedanos.

103. — **In Oriente**, capta Constantinopoli, multum deferbuit pugna.

Scripsit tamen *Georgios Hermonymos* vitam Mohamed s. 15. — Hagiorita *Maximos* in Russiam profectus ibi plura opera edidit. — S. 16 *Pachomios Russanos* breviter Mohamedanismum refutavit. — *Meletios Sirigas* († 1644) vertit opera Ioan. Kantakuzeni in linguam græcam vulgarem. — *Kyrillos Lukaris* († 1638) sua polemica persecutiones contra se movit. — *Panaghiotes Nikusios* († 1673) disputationem suam cum Vani Effendi conscripsit. — *Anastasios Gordios* († 1717), ultimus apologeta, Mohamed cum Antichristo comparat.

In Occidente etiam in hac periodo plurima a diversarum classium doctis contra Islamismum, christiani nominis hostem, conscripta sunt.

Card. *Nicol. Cusanus* (a Cues) in sua celeberrima: Cribratio Alcorani ad Pium II, eius doctrinas in argumenta religionis christianæ vertere studet. — Ipse vero *Pius II* (Æneas Silvius, 1458-64) 1461 longam direxit epistolam ad Mahomed II Turcarum principem. In qua fidem nostram exponit, promittit se eum, si convertatur, constiturum esse imperatorem Græcorum. — In Gallia *Ioan. Germain* († 1461) edidit dialogum inter Christianum et Saracenum. — In Italia

Bonif. Simonetta circa finem s. 15 composuit orationes tres, in quibus Christum, Mosen, Mohamed inter se comparat. — *Dionysius de Ryckel* (« Carthusianus » († 1471) et Card. *Ioan. de Turrecremata* († 1468) tractatus contra Mohamedanos ediderunt. — In Hispania *Ioannes Andreæ*, ut Sarazenus Abdallah, 1487 Coranum, prius a se in linguam aragonensem versum, confutavit. Quod opus, in varias linguas translatum, usque ad s. 18 multum adhibebatur. — Item in Hispania *Gundisalvus Garzia de S. Maria* Theatinus, edidit anonymi Dialogum ecclesiæ et synagogæ c. 1500. — Celeberrimus in re hebraica *Alphonsus a Zamora*, Iudæus conversus, composuit: Epistolam ad infideles urbis Romæ 1526. — Ediderunt præterea *Io. Albr. Widmanstetter*, clarissimus Orientalista in Germania: Mohamedis theologia, dialogo explicata cum notis contra Mohamedis dogmata et eiusdem vita, contra Lutheranos 1545. — *De Taxaquet*: Dissertationes, etiam contra Mohamedanismum, Romæ 1565. — *Geropoldus*, Arcana Mohamedanismi 1586. — *Aug. Pientini* O. P., Dimostrazioni della perfida setta maometana ll. 5, 1588. — *Petrus de la Cavalleria* in Hispania: Zelus Christi contra Iudæos, Saracenos et infideles 1592. — *Guil. Rainolds* Anglus, in opere: Calvino-Turcismus 1597, doctrinas Calvini et Turcorum inter se comparat, comparatas refutat. — *Bened. Pereirius* in: Selectarum disputationum in Sacram Scripturam 5 v. 1606, in v. 3 disputationibus multis probat, Mohamed non esse ipsum Antichristum. — *Phil. Guadagnolo* O. C. R. M. scripsit « Apologia pro christiana religione qua respondetur ad obiectiones Ahmed filii Zin Alabedin, Persæ Asphahensis, contentas in libro inscripto Politor speculi », quem librum aureis scriptum literis miserat ad Urbanum VIII ut ei responderi curaret, 1631; arabice 1637. Quo opere nobilem Persam convertit. Præcesserat similis liber *Bonaventuræ Malvasiæ*.

Inter Protestantes collegit multa scripta eiusmodi *Theod. Bibliander*, Syntagma scriptorum antimuhameticorum, Basiliæ 1543. — *Sylburg*, Saracenica seu Mohamedica, Heidelberg 1595. — Refutationes vero composuerunt ea ætate paucissimas.

Contra Iudæos.

104. — *Iudæi* iis temporibus multos adversarios nacti sunt, qui tamen generatim a scriptoribus anterioribus, præcipue a Raymundo Martini hauserunt.

Præter alios non paucos nominandi sunt: Hispanus *Paulus de Heredia*, conversus Iudæus, De mysteriis fidei liber c. 1450; multum scriptis rabbinicis utitur. — *Paulus Morosini*, De æterna temporalique Christi generatione 1473. — *Neumia*, Epistolæ duæ pro religione christiana c. 1480. — *Petrus Nigri* O. P. in rebus Iudaicis versatissimus, De conditionibus veri Messiæ 1475. — *Petrus Columna* a patria dictus *Galatinus* O. M., De arcanis catholicæ fidei ll. 12, 1518. Secutus Raymundi Martini « Pugionem fidei » argumenta e vetere Testamento et ex ipso Talmud illustrat. — Plurimas controversias excitavit *Ioan. Pfefferkorn*. Etenim in scripto germanico Iudenspiegel (Speculum Iudæorum) 1509, inter alia media ad convertendos Iudæos principibus etiam id suasit, ut omnes eorum libros religioni christianæ iniuriosos a Iudæis auferrent. Etiam alia multa contra Iudæos scripsit. — *Victor a Carbe* inter alia edidit: Propugnaculum fidei christianæ 1518. — *Paulus Ricius*, Iudæus conversus, multa conscripsit quibus Christianismum defenderet atque Iudaismum ex ipsa Kabbala refutaret.

Opus principale: Libri 4 de Cœlesti Agricultura 1541. — *Paulus Elkanon*, Hebræus conversus, edidit: Mysterium novum 1580, quo libro ex ipsa Kabbala demonstrare nititur Iesum esse Messiam. — *Christianus Gerson*, Iudæus conversus, publici iuris fecit: Iüdischer Talmud, Der fürnehmste Inhalt des Talmud u. Widerlegung 1607. Quod opus sæpe editum est. — *Ios. de Voisin* anno 1647 primus edidit atque doctis notis illustravit Raymundi Martini O. P. « Pugionem fidei » (Cf. n. 88 p. 54*). Alia editio prodiit Lipsiæ cum introductione Carpzov. Scripsit quoque « Theologiam Iudæorum », alia. — *Didacus Gatica* O. b. M. V. de Merc., De adventu Messiæ 1648. — *Lud. de Mertola* O. Carm. († 1653), Contra os Hebreos e contra os erros dos Hereticos, Olisipone. — *Ioan. Christ. Wagenseil* præter alia edidit: Tela ignea Satanæ 1681, in quibus quædam celebriora scripta Iudæorum contra religionem christianam latine vertit atque refutat. — *Ioan. Andr. Eisenmenger*, Protestans, impressit anno 1700 (editum est opus 1711): Entdecktes Iudentum (Iudaismus detectus), in quo opere collegit quæcumque in Talmud et scriptis Rabbinicis reprehendenda invenit. Omittit ea, quæ bene in iis dicta sunt; consequentias non semper rectas ducit.

Defensores Iudaismi.

105. — Iudæi in hac epocha cœperunt libros imprimere, quibus errorem suum defendebant. Plurimi impugnabant Hieronymum a S. Fide.

Eminet doctissimus inter Iudæos s. 15 *Isaac Abrabanel* Lusitanus († 1509); præter commentarios in Scripturam diversa contra christianam interpretationem vaticiniorum Messianicorum conscripsit. — *Isaac ben Abraham a Troki* edidit Hissuk Emuna 1593. Qui liber dicitur quasi fodina argumentorum quæ negativa evangeliorum critica profert. — Tandem in periodo sequente, s. 17, *Lombroso* in lingua hispanica scripsit apologiam Iudaismi contra Grotium.

Opera contra plures adversarios simul.

106. — Opera generalia apologetica illis temporibus conscripta multa contra Mohamedanismum et Judaismum continere solent.

Inter quæ recensendum est opus maxime divulgatum, quod v. g. inter annum 1464, quo editum est, et 1529 septies impressum est. Scriptum est a converso Judæo *Alphonso de Spina* O. M., atque titulum habet: Fortalitium fidei, contra hæreticos, Iudæos, Mauros aliosque christianæ fidei inimicos. — Præterea v. v. g. *Savonarola*, Triumphus crucis (v. n. 102 p. 59) l. 4 c. 7. — *Lud. Vives* (v. n. 102 p. 60) l. 4 c. 1-18 incl. p. 262-307. — *Thomas a Jesu* O. Carm., De procuranda omnium gentium salute 1613. — *Kortholt*, Dissertatio de religione ethnica, iudaica et muhametica 1666. — *Corn. Hazart* S. J. Belga, Triumphus de Atheis, Muhamedanis, Ethnicis ac Judæis 1694.

Periodus 4ª: Inde a Deismi initiis (1645) usque ad hæc tempora.

107. — Lit. — In genere cf. literatura pro omnibus periodis quam n. 63 p. 43 dedimus, præcipue ea, quæ habet von Schmid o. c. — Adiungatur *H. M. Le Bachelet* S. J., art. Apologétique, Apologie in: Dictionnaire apologétique de

la foi catholique[4] I 1909 col. 189-251. — Pro tempore recenti cf. quod n. 95 p. 59 diximus.

Præterea cf. quoad philosophiam v. g. *Ueberweg-Heinze,* Die Philosophie seit Beginn des 19 Jahrhunderts IV[10] 1906 pp. 705.

Quoad apologetas qui scientias naturales coluerunt v. *Rocher,* Les Apologistes du Christianisme au 17 siècle: Pensées de Bacon, Kepler, Newton et Euler 1880. — *L. A. Kneller* S. J., Das Christentum u. die Vertreter der neueren Naturwissenschaft. Ein Beitrag zur Kulturgeschichte des 19 Jahrhunderts[2] 1904 (ital. 1906).

Quoad doctrinas Protestantium de re apologetica cf. historiæ theologiæ Protestanticæ conscriptæ v. g. a Protestantibus *W. Gass* 1854-7, *J. A. Dorner* 1867, R. von Frank[4] 1908, *Pfleiderer,* Die Entwicklung der prot. Theologie seit Kant u. in Grossbritannien seit 1825, 1891.

Quoad ideas Rationalisticas de eadem re cf. *William Edward Hartpole Lecky,* History of the rise and influence of the Spirit of Rationalism in Europe 2 v.[1] 1865.

De historia theologiæ catholicæ cf. v. g. quædam in *J. Bellamy,* La théologie catholique au 19 siècle 1904. — *Karl Werner,* Geschichte der Katholischen Theologie Deutschlands seit dem Trienter Concil, München 1866.

Quoad novam methodum vel novas methodos apologeticas, de quibus haud raro hodie sermo est, cf. *Christ. Pesch,* Theologische Zeitfragen 1897 in ea parte quæ habet titulum: Vetus et nova apologetica. — *Paul Schanz,* Ueber neue Versuche der Apologetik gegenüber dem Naturalismus und Spiritualismus 1897. — *Le Bachelet* S. I., De l'apologétique traditionnelle et de l'apologétique moderne 1897.

Generalis indoles periodi.

Præcipua falsa systemata philosophica religioni revelatæ opposita.

108. — **Reformatores** quidam genuinum conceptum fidei abiecerant; iam ex hoc capite rectam ideam de iudicio credibilitatis atque de argumentis, quæ ad illud formandum inservire debent, retinere non poterant. Id quod vidimus n. 98 p. 57-8.

Omnes vero Reformatores infallibile magisterium ecclesiæ negarunt. Unde ad id pervenerunt, ut et recta explicatione veritatum revelatarum, etiam quarundam naturalium, privarentur, et quædam argumenta despicerent, quæ eodem modo pro ipsa revelatione christiana atque pro ecclesia catholica militabant. Quare mirum non est, mox inter Protestantes orta esse systemata, quæ ipsam revelationem christianam, imo ipsas veritates religiosas naturaliter notas, uti possibilitatem revelationis, negarent.

Ulterior consequentia erat quod sæpe et philosophia religionis et historia religionum earum, quæ in mundo sunt, ex falso principio de

impossibilitate revelationis false diiudicabantur; unde etiam plurimi qui scientiam comparationis religionum profitentur, essentialiter eodem in loco habebant religionem Mosaicam et christianam, quo cæteras omnes. Imo sunt qui christianam prae quibusdam aliis deprimant. Historia religionum atque comparatio earum et materiæ amplitudine et systematisatione crevit s. 19. De quibus scientiis alio in loco disseremus.

Præcipua autem falsa systemata quæ revelationem eiusque argumenta principalia, miracula, prophetias, omnes actiones præternaturales (miraculosas) negant, videntur esse hæc: Deismus atque Materialismus usque ad s. 18 ad finem; deinde Kantianismus, Idealismus pantheisticus, Positivismus, Agnosticismus, Evolutionismus.

Deismus Deo omnem actionem in mundum iamiam creatum denegat, ergo etiam revelationem, omnem actionem miraculosam.

Materialismus atque Sensualismus extremus nihil nisi materiale admittit sive ut exsistens sive saltem ut cognoscibile, ergo neque revelationem neque actionem miraculosam.

Kantianismus. Kant ex una parte non putat se ad naturam noumeni sui cognoscendam pervenire posse ope rationis theoreticæ, ergo neque ad Deum revelantem atque miracula patrantem; ex alia parte ope rationis practicæ nonnisi ad id pervenire potest, quod ad finem naturalem hominis adipiscendum necessarium est, ad quem obtinendum certe non requiritur revelatio.

Idealismus pantheisticus Hegel atque similium auctorum, cum alteritatem Dei ab homine neget, locutionem Dei ad hominem admittere nequit; cum asserat, ea quæ fiunt necessario fieri, nullam exceptionem a lege naturali, ergo nullum miraculum tolerare potest.

Positivismus existentiam quidem corporum admittit, omnem vero explicationem essentiæ atque causæ eorum primæ, verbo omnem metaphysicam impossibilem habet. Unde non potest e phænomenis ascendere ad causam mundi ultimam, ad Deum, ergo a fortiori non ad Deum qua revelatorem, præternaturali ratione agentem.

Agnosticismi ea forma quæ dicitur Agnosticismus dogmaticus, concedit quidem, existentiam talis essentiæ quæ phænominis subest locum habere, existentiam quoque ipsius causæ efficientis primæ talis essentiæ cognosci posse; affirmat tamen, naturam talis essentiæ eiusque causæ efficientis primæ solummodo per denominationes extrinsecas describi posse, quin quidquam de eius interna essentia v. g. personalitate, spiritualitate, statui possit. Patet ab eiusmodi doctrina nullum legitimum esse aditum ad cognitionem Dei personalis revelantis et præternaturaliter agentis.

Evolutionismus inter systemata omni revelationi eiusque demonstrationi opposita non eatenus hic ponitur, quatenus sive merito sive immerito affirmat, hoc vel illud in rerum natura ex alio se evolvisse, sed eatenus, quatenus, uti a quibusdam fit, in principium indubitatum erigitur, omnia quæ in mundo sint, e forma imperfecta in natura rerum data, ad perfectiorem naturaliter atque necessario esse evolutam. Etenim, si omnia in mundo huiusmodi evolutionem habent, ergo etiam omnis cognitio religiosa. Ergo neque partim ex revelatione orta esse potest. Porro sane neque ipsa revelatio passive spectata aut ipsum miraculum naturalibus viribus debetur, neque singulæ revelationes aut miracula lento passu a forma imperfecta in perfectiorem evoluta sunt, neque eæ diversæ revelationes aut miracula, quæ de facto existunt, in eo modo quo inter se excipiunt, necessitatem legis naturalis pati possunt.

Funesta evolutio falsorum horum systematum non eodem tempore in omnibus terris protestanticis secuta est. Neque eodem tempore vel eadem ratione ad terras catholicas talia systemata transierunt. Alia porro erat conditio apologeticæ in terris catholicis, quamdiu nullum fere influxum talium systematum experiebantur, alia postea. Unde in hac periodo apologeticæ divisionem secundum terras præferendam esse duximus.

De perfectiore ratione systematis theologiæ fundamentalis.

109. — Postquam Protestantes infallibilitatem ecclesiæ in custodienda revelatione, Deistæ vero factum ipsius revelationis divinæ negaverant, occasio orta erat, ut apologetæ religionis a Christo datæ, uno tractatu in duas partes diviso, demonstrationem et facti revelationis et infallibilis eius custodiæ comprehenderent. Cum autem plurimi ea ætate omnem legitimam existendi rationem ipsius quoque naturalis religionis infitiarentur, huncque errorem cum negatione revelationis intime connecterent, apologetæ in tractatibus quos diximus, demonstrationi facti revelationis aliquam partem de legitimitate ipsius religionis naturalis præmittere solent. Tali ratione egerunt v. g. in Gallia *Ioan. Hooke* 1752-4, in Germania *Martinus Gerbert* 1750 in t. 1 « demonstrationis veræ religionis veræque ecclesiæ contra quasvis falsas ».

Huiusmodi tractatum, cuius præcipuæ partes erant demonstratio religionis revelatæ eiusque infallibilis custodiæ, eo fere tempore incipiebant præmittere tractationi dogmaticæ systematicæ earum

veritatum, quas ecclesia proponit. Adiungebant tractationem de locis theologicis præcipue a Melchiore Cano s. 16 excultam. In qua, supposita demonstratione facti revelationis et existentiæ ecclesiæ, modus ostenditur, quo e fontibus revelationis, ecclesia dirigente, veritas revelata infallibiliter hauritur.

Tractatus hac ratione compositi initium sumpsisse dicuntur in Germania. Ita iam disposita est Theologia polemica *Viti Pichler* S. I. v. 2. [1]1713, cuius v. 1 (pp. c. 800) integrum his quæstionibus dedicatum est. Notissima est in hac re *Theologia Wirceburgensis*, cuius t. 1 et 2 est de principiis theologicis, de religione. — *Carolus Sardagna*, Theologia dogmatico-polemica t. II. 1770.

Paulatim tandem, sæculo 19 ad finem vergente, quidam auctores in eiusmodi operibus, quæ cursum theologicum, finito integro cursu philosophico proponunt, tractationem de religione in genere, quæ per se mere philosophica est, omittebant. Qua ratione tandem tractatus, qui post philosophiam theologiæ dogmaticæ præmittitur, melius a cæteris disciplinis segregatus est. Porro perfectior facta est ratio apologetica has materias tractandi.

Inter opera quæ recensebimus non ascribemus Encyclopædias et folia periodica eius generis, quæ indolem magis generalem sive theologicam sive philosophicam habent, quamvis multa apologetica contineant. De iis in literatura de cæteris disciplinis theologicis sermo erit.

De singulis terris.

ANGLIA.

Accedit

AMERICA SEPTENTRIONALIS.

110. — **Lit.** — De Deistis s. 16-18: *John Leland*, A view of the principal Deistical Writers, that have appeared in England etc. 2 v. 1754-6. — *Gothard Victor Lechler*, Geschichte des Englischen Deismus 1841.

De ideis religiosis in genere *John Hunt*, Religious thought in England from the Reformation to the end of last century 3 v. 1870-3. — *Leslie Stephen*, English thougt in the 18th. Cent. 2 v. 1876. — *Otto Pfleiderer*, Die Entwicklung der protestantischen Theologie in Deutschland seit Kant u. in Grossbritannien seit 1825, 1891. — *F. W. Macran*, English Apologetic Theology, 1905. — *Denzinger*, Vier Bücher etc. I 122 sq. 184 sq. II 266 sq. 292 sq. — *Werner* V 104-13. — *Zöckler* p. 236-411, 548-601. — *Christ. Pesch*, Theol. Zeitfragen, 4 Folge, 67-111. — Multa e scriptis contra incredulos inveniuntur traducta in *Migne*, Demonstr. evangel. 20 vol. (1842-53).

Pro lit. de catholicis adde *A literary and biographical Dictionary of the English Catholics.* — Quædam ex opere: *O. L. Jenkins*, British and American Literature 1903.

Adversarii.

111. — Cum Deismus ab Anglia in alias terras divulgatus sit, primo loco de Anglia (et Scotia) agemus. Ob similes conditiones literarias utriusque regionis simul res de America Septentrionali tangemus.

E Deismo s. 18 multi delapsi sunt ad Scepticismum (Hume); s. 19 alii ad Evolutionismum, præcipue in Anglia occasione Darwinismi propositum; alii ad Agnosticismum (v. g. Darwin, Spencer); alii inter se divisi ad diversa alia systemata fere a Germania importata, præcipue ad Criticismum a Kant profectum.

112. — **Deismus.** — Deismi doctrinæ principales, quæ etiam s. 19 semper iterum proponebantur, hæ fere sunt: Christianismus solummodo eatenus verus est, quatenus religionem naturalem tradit. Cum Deus, mundo creato, nihil aliud in eo agat quam ut res et vires in eorum esse atque agere conservet, sane revelatio, miracula, quæcumque vires naturæ superant, fieri nequeunt. Quare quæ de iis narrantur aut fraudi vel deceptioni debentur, aut sunt mera symbola veritatum naturalium. — Initio multi tantum cognoscibilitatem ordinis præternaturalis negabant, postea ipsam quoque possibilitatem.

Pater Deismi est *Herbert of Cherbury* (1581-1648) præcipue ob opus De religione gentilium errorumque apud eos causis 1645. — *Charles Blount* 1654-93 Apollonii Thyanei opera Christi miraculis opposuit. — *Iohn Toland,* Christianity not Mysterious 1696; quod opus quid contineat ex titulo patet. — *Anthony Collins* 1724-6, *Thomas Woolston* (1669-1733), *Annet,* operibus specialibus miracula Christi aggrediebantur. — *Matthew Tindal,* qui sæpe dicitur Deismi patriarcha (1656-1730), *Bolingbroke* (1672-1751) religionem christianam, *Thomas Morgan* 1737 revelationem Mosaicam e fraudibus ortam esse docuit. Etiam vaticinia vera negare solebant, quæ Collins, Woolston tantum allegorice de Christo valere volebant. — *Henry Dodwell* iunior 1742 asseruit, Christianismum non esse fundatum argumentis, sed solo testimonio Spiritus Sancti.

113. — **Scepticismus.** — *David Hume* in: Enquiry concerning the Human Understanding 1748, cum alio scripto: Essay on Miracles, et in opere: The Natural History of Religion 1755, mediante Sensualismo Locke e Christianismo tandem ad Scepticismum devenit. In specie probandum suscepit, cognosci miracula absolute non posse. — *Edward Gibbon,* History of the Decline and Fall of the Roman Empire 6 v. 1776-87, non tantum indifferentismum profitetur verum etiam Christianismo Ethnicismum in multis præfert. Quem refutarunt v. g. *Loftus* 1777, alii.

114. — **Recentiora systemata.** — *Herbert Spencer* in: A System of Synthetic Philosophy 10 v. 1860-70, Positivismum Comte in genere quidem admittit; in specie vero quoad cognitionem Dei concedit, eius existentiam quidem qua Entis supremi cognosci posse, qualis autem sit eius essentia nobis manere plane incognitum (Agnosticismus). — *Iohn Stuart Mill* cum eiusmodi scepticismo aliquam Christianismi æstimationem ob eius vim practicam coniunxit. — *Taylor Coleridge* in: Aids to reflection 1825 fidei sensum quendam deitatis substituit, uti simili ratione *Thomas Carlyle; Matthew Arnold* 1873 in: Literature

and Dogma, ethicum Idealismum; *I. R. Seely* in: Natural Religion, vine humanitatis; *Arthur James Balfour* in: A Defense of Philosophic Doubt, being an Essay on the Foundations of Belief 1879, instinctum quendam naturæ. Similia docet in opere The Foundations of Belief, being notes introductory to the Study of Theology 1895. — Etiam in collectione *Lux mundi* 1890, conceptus principales uti v. g. fidei perversi sunt. — *T. H. Green, Edward Caird, Hutchinson Stirling*, Hegelianismo religionem christianam depravarunt. — *Anonymus quidam* edidit pessimum opus *Supernatural religion* 3 v. 1874 (uno anno 6 editiones), quo præcipue uti miracula in genere ita ea quæ in evangeliis et Actibus narrantur, speciatim resurrectionem Christi, impugnat. — In America *John William Draper*, History of the Conflicts between Religion and Science, New-York 1873, religionem revelatam ut inimicam omnis scientiæ, historia teste, demonstrare nititur. Quod opus in multas linguas versum atque plurimum divulgatum est. — *James Martineau* in The Seat of Authority in Religion 1890, omnem auctoritatem doctrinalem pessumdat. — *H. Churchill King* (Ohio) nuper talem: Reconstruction in Theology perfecit, qua omnia miracula, revelationes iam naturalia evadebant. *R. J. Campbell*, The New Theology 1907 immanentisticam ideam de hoc tradit.

Apologetæ Protestantes.

115. — Defensio Christianismi per Protestantes ex una parte tam lætos fructus produxit, ut quemadmodum in Lit. n. 110 p. 61 diximus, non pauca eorum scripta a catholicis, præcipue Gallis, versa sint. — Ex alia parte apologetæ Protestantes iam inde ab initio sæpe talem Christianismi diminutionem cum eius defensione conjungebant, ut fere solum id in Christianismo considerarent, eo recte [illegible] veritates, quæ ipsa natura iam cognosci possunt atque utiles sunt ad bonos mores gignendos. Imo non raro uti ad alios errores [illegible] ad negationem mysterii stricte dicti progressi sunt. Ultimis vero temporibus apud multos qui religionem christianam defendere sibi videntur, defensio mutata est in evidentem perversionem non tantum singulorum quorundam dogmatum sed totius ordinis fidei, in Christianismum non dogmaticum.

116. — **Contra Deistas.** — S. 17 Deistas refutarunt v. g. *Edward Stillingfleet* 1662, *Charles Leslie* 1699. Præcipue s. 18 plurima composita sunt v. g. usque 1770 scripta 54 contra Toland, 106 contra Tindal. Componebant talia etiam ii qui aliarum scientiarum laude florebant, ut *Addison, Isaac Newton*.

Ex utilitate et necessitate revelationis pro ea argumentantur v. g. *George Berkeley* 1709 et *Richard Bentley* 1713; e convenientia veritatum revelatarum inter se et cum spiritu humano præcipue *Joseph Butler*, The Analogy of Religion, natural and revealed, to the constitution and course of nature 1736; e miraculis v. g. *Edmund Gibson* 1728, *Nathanael Lardner* 1729; speciatim e miraculo resurrectionis Christi *Humphry Ditton* 1712, *Richard Smallbroke* 1721, *Thomas Skerlock* 1724; e vaticiniis v. g. *Samuel Chandler* 1725, *Newton* 1736. — Comprehendit omnia *Sketon* 1753-4.

117 - Contra Scepticismum Hume scripsit *George Campbell*, A Dissertation on Miracles 1762. — Specialia motiva credibilitatis ostendere conati sunt: *John Leland*, The Advantage and Necessity of the Christian Revelation 1772. — *Jennings*, A View of the Internal Evidence of the Christian Revelation 1776. — Præ aliis *John Douglas* in: Criterion etc. 1756 ad cognoscenda vera miracula Christi pervenire nititur. — *William Paley* in: Evidences of Christianity 1790-4 quæ ali conscripserant compegit. — Quem in Scotia *Thomas Chalmers* (1780-1847). imitatu est. — *Thomas Erskine* vero 1820 et 1830, necessitatem absolutam religionis christianæ statuere videtur atque ita eius dogmata defendere nititur. — *Richard Whateley* compendiis scribendis institit. — *Richard Chenevix Trench* 1846 vaticinia messianica, præterea miracula Christi statuere conabatur, uti etiam *Mozeley* 1865 in Bampton Lectures. — *Henry Longueville Mansel* 1852 ad omnia motiva credibilitatis simul sumpta se recepit.

118. — Post nova orta systemata semper magis difficile fit eiusmodi scriptores invenire, qui Christianismum verum loco non-dogmatici defendunt. Tamen v. g. *W. E. Gladstone* diversa conscripsit v. g. contra Strauss. — *I. Kennedy*, A brief Defence of Supernatural Christianity, being a review of the Philosophical and Historical Arguments entitled Supernatural Religion 1875. — Item *J. B. Lightfoot* egit 1889 contra librum Supernatural Religion. — *C. A. Row* composuit: Christian Evidences viewed in Relation to Modern Thought 1889, A Manual of Christian Evidences 1896. — Inter Americanos habes v. g. *Mead*, Supernatural Religion 1890; *Alexander R. Bruce*, Apologetics 1892; *G. P. Fisher*, The Grounds of Theistic and Christian Belief 1902; *I. R. Illingworth*, Reason and Revelation 1903. *William Sanday*, professor Oxoniensis generatim quidem a sententiis extremis abludit, at v. g. in: The Life of Christ.. 1907 nimia concedit.

Plurima inveniuntur in *Bampton - Gifford - Hulsean - Baird Croal* - Lectures.

Apologetæ Catholici.

119. — Usque ad s. fere 19 pro statu religionis catholicæ in Anglia fere soli Protestantes religionem christianam operibus scriptis defendebant; s. 19 etiam catholici in campum descenderunt.

Ex usu scholæ theologicæ destinatis cf. *Stonyhurst Series* of Manuals of Catholic Philosophy, qui libri eduntur a Patribus S. I. — Inter Americanos *Francis Patrick Kenrick*, Theologia dogmatica [2] I 1858. — *B. Tepe* S. I., Institutiones Theol. I 1894. — *Ad. Tanquerey* S. S., Synopsis theol. dogmaticæ fundamentalis [8] 1905. — *S. I. Hunter* S. S., Outlines of dogmatic theology [2] I 1900.

Ad communem usum conscripta sunt v. g. hæc opera: *William Poynter*, Christianity or the Evidences and Character of the Christian Religion 1827. — Card. *Nic. Wiseman*: Twelve Lectures on the Connection between Science and revealed Religion 1835. — Card. *John Henry Newman* agit de miraculis biblicis et ecclesiasticis in: Essays on Miracles; in genere de ordine fidei in: An Essay in aid of a Grammar of Assent. — Card. *Henry Edward Manning*, Grounds of Faith (cur credimus) 1852, Religio viatoris 1887. — *William George Ward* († 1882) multa apologetica inseruit in folium periodicum Dublin Review eaque

postea in diversos libros collegit. — *Henry Formby*, Safeguards of Divine Faith 1882. — *William Ward*, Witnesses to the Unseen and other Essays 1893. — E lingua germanica versa est a Glancy and Schobel Apologia *Schanz*.

Ultimis annis *George Tyrrell* libris Lex orandi 1904, Lex credendi 1906, ita defendere nisus est religionem christianam et catholicam, ut, « abstrahendo ab eo quod ecclesiam catholicam ut Christum viventem memorat, omnis Protestans, imo quicumque Christianismum non-dogmaticum profitetur ea assumere possit, dummodo in genere Deum atque religionem teneat ». Pesch. (o. c. n. 110 p. 66). Errores quos præcipue quoad revelationis conceptum statuit, clarius apparent uti ex aliis opusculis postea editis, ita e libro maiore: Through Scylla and Charybdis or the Old Theology and the New 1907.

AMERICA.

120. — Archiepiscopus *M. J. Spalding* edidit Lectures on the Evidences of Catholicity, uti *L. Jouin* Evidences of Religion. — Multa apologetica collegit *Orestes A. Brownson* in sua *Quarterly Review*, etsi non libera sint ab erroribus. — Plurimum leguntur opuscula apologetica pro omnibus conscripta v. g. a Card. *James Gibbons*, The Faith of our Fathers (iam 400,000 exemplaria). — Liber *Devivier* Christian Apologetics etc. (cf. n. 136 p. 77) optime rebus americanis adaptatus est ab I. C. Sasia, San José, California, 1903.

Proxime missionibus pro acatholicis inservit alia classis librorum v. g. *Conway*, Question-Box, Replies to Questions received on Missions to non-Catholics 1907 (285000). — *I. Mac Laughlin*, Is one Religion as good as another? 1907 (55000). — *L. A. Lambert*, Tactics of Infidels 1887; Notes on Ingersoll contra hunc adversarium conscripta sunt. — *Maas* S. I. edidit *Christ in Type and Prophecy*.

GALLIA.

Accedunt

HELVETIA, BELGIUM, HOLLANDIA.

121. — Lit. — *Ph. Toreiller*, Le mouvement théologique en France depuis ses origines jusqu'à nos jours (1901) ultimis 18 capitibus agit de apologetica s. 18, 19. — *At*, Les apologistes français au 19 siècle[2] 1909. — *J. Fontaine* S. I., La chaire et l'apologétique au 19 siècle.

Quantum ad Deismum in Gallia: *Lanfray*, L'église et les philosophes au 18 siècle 1857. — *I. Texte*, Rousseau et les origines du cosmopolitisme littéraire, études sur les relations littéraires de la France et de l'Angleterre, 1895.

Quantum ad Neo-Kantianismum et Modernismum: *J. Fontaine* S. I., L'irreligion contemporaine et la défense catholique et le clergé français[3] 1903. — *id.*, Les infiltrations Kantiennes et Protestantes et le clergé français[3] 1907. — *Albert Leclère*, Le mouvement catholique Kantien en France à l'heure présente, Kantstudien 1902 n. III artic. p. 349-63. — Multa materia in Revue du clergé français.

Religionem christianam in Gallia periculo exponebant s. 17 præcipue Scepticismus et Indifferentismus; s. 18 præcipue Deismus anglicus; deinde a media parte s. 19 præcipue Kantianismus atque Positivismus cum systematibus, quæ ex iis orta sunt. Multa, eaque generatim eloquenter conscripta, religionem defendebant. Haud pauca ex iis in alias linguas versa sunt. Dolendum tamen est, quod aliquando errores philosophici et theologici operibus complurium scriptorum asperguntur, uti Traditionalismus in quadam parte s. 19, ultimis his temporibus Neo-Kantianismus.

Adversarii.

122. — **Indifferentismus, Pantheismus, Scepticismus.** — In priore parte s. 17 præ cæteris erroribus propagabatur, idque quam maxime praxi, Indifferentismus « libere pensantium », quibus omnes religiones eiusdem valoris sunt. In secunda sæculi parte adiungebantur opera scientifica, quibus Pantheismus et Scepticismus defendebatur.

Jean Bodin † 1597 scripto « Heptaplomères » quod ut manuscriptum vulgabatur, plenum indifferentismum docet.

Baruch de Spinoza edidit Tractatum theologico-politicum. Amstelodami 1670. Id solum ex religione esse verum, quod ad mores formandos necessarium sit. Revelationem, miracula Spinoza pro suo Pantheismo monistico impossibilia habet. Prophetas, præcipue Christum, quandam naturalem revelationem habuisse. Quod opus plurimum contulit ad ideas posteriorum plurimorum usque ad hæc tempora pervertendas.

Pierre Bayle, Scepticus, cum doceret doctrinas fidei absurdiores quidem esse quam Manichæorum, at ob hoc ipsum maioris esse meriti illis fidem adhibere, pessimum influxum exercuit. Opus præcipuum eius est: Dictionnaire historique et critique, Rotterdam 1695-7.

123. — **Deismus et Materialismus.** — Sæculum 18 est Deismi (et Materialismi) inter Gallos plene evoluti. Adversarii religionis christianæ eius sæculi ab opere maiore quod ediderunt etiam Encyclopædistæ vocantur. Initio verterunt scripta Deistarum anglorum. Deinde scriptis suis Deismi consequentias etiam clarius et instantius proponebant quam isti.

Præcipue *Voltaire*, 1729 ex Anglia reversus, omnem religionem revelatam qua levibus argumentis qua acri stilo destruere nitebatur. Revelatio ei est aut fraus aut quidam fanatismus. Ludibrio habet mythos Veteris et Novi Testamenti. — Materialistæ *Denis Diderot, Jean Lerond d'Alembert* 1751-72 redegerunt opus illud impietate famosum: Encyclopédie ou dictionnaire raisonné des sciences, des arts et des métiers, v. 33. - *Paul Heinrich Dietrich von Holbach* opus prin-

cipale systematicum Materialismi gallici s. 18 conscripsit scilicet: Système de la nature 1770. — *Damiron*, discipulus Diderot: La contagion sacrée ou histoire naturelle de la superstition. — Item *Claude Adrien, Helvetius, Constantin François Volney de Chassebœuf*, alii contra religionem christianam pugnarunt. — *Jean Jacques Rousseau* iis doctrinis quas in libro vulgatissimo « Emile » 1762 Vicarium « Savoyard » proponere facit, imprimis mediatæ revelationis impossibilitatem ostendere nititur. — Quæ librorum impiorum profluvies multum ad id contulit, ut tandem revolutio Galliam devastaret.

124. — **Ideologismus atque Eclecticismus, Positivismus, Neocriticismus, Neospiritualismus** etc. — Ne inter ipsam revolutionem quidem atque bella quæ post eam secuta sunt, a pugna contra religionem christianam plane destiterunt. Per decursus vero s. 19 prius *Ideologorum schola* atque *Eclecticismus* regnavit. Deinde, adiuvantibus erroribus Kantianismi, præcipue *Positivismus* evolutus est. Tandem præter Agnosticismum, Subiectivismum historicum, Evolutionismum præcipue nominandi videntur *Neocriticismus* Renouvier (1818-1903) et *Neospiritualismus*, uti dicitur, Bergson. — Neocriticismus noumenon Kantianum reicit: pro nobis nullam existere realitatem præter repræsentationes relativas, quæ utique legibus subiectæ sint. Bergson (opera eius 1889 sq.) sibi id proposuit, ut metaphysicam fundaret, quæ inniteretur in observatione physica solorum phænomenorum psycho physiologicorum atque in profunda cognitione vitæ interioris hominis.

125. — Eclecticus *Victor Cousin* in L'histoire de la philosophie 1815, Du Vrai, du Beau et du Bien 1837, omne commercium divinum cum homine e sola natura proficisci tradit. — Positivismum præparavit cum discipulis quibusdam *Claude Henri Jules Simon*. In Le devoir 1854, La religion naturelle [1] 1856 [8] 1883, dogma revelatum plane inutile habet. — *Aug. Comte*, Positivismi auctor, principii loco ponit, nihil affirmandum esse nisi phænomena eorumque circumstantias. Præmissis aliis operibus, in Système de politique positive 1851-4, tandem devenit ad systema suum: réorganiser la société sans « Dieu ni roi par le culte systématique de l'humanité ». Fundaverat iam 1848 « la Société positiviste », in qua ipse se ut pontificem cultus humanitatis gessit. — Discipuli Comte, quamvis multis modis inter se divisi sint, tamen rationem cogitandi propugnarunt, quæ ubique terrarum quam maxime homines ab amplectenda religione revelata avertit. — *Charles Renouvier* integrum systema proposuit in Essais de critique générale 1854-64.

126. — **Subiectivismus historicus.** — Operibus plurimis historicis præsidet Subiectivismus historicus Renan atque similium. — *Ernest Renan*, imitatus Strauss, edidit La Vie de Jésus 1863, quæ vita stilo romanensis fabulæ Iesum ut deceptorem describit. Eodem spiritu aliis operibus omnia quæ usque ad Mc. Aurelium in ecclesia gesta sunt, naturaliter explicat. — Quem secuti sunt *Timothée Colani* 1864, *Edmond Stapfer* 1896, *I. Strada* et *P. de Régla* 1902, *Albert Réville* 1897, alii cum suis vitis Christi atque similibus operibus.

127. — Modernismus. — E recentibus systematibus philosophiæ si eas conclusiones componis, quæ ad religionem spectant, habebis fere eam formam falsæ philosophiæ religionis, quæ in Gallia præcipue versus finem s. 19 et initio 20 evoluta est, atque inter catholicos Modernismus audit.

Dux est inter Protestantes *Aug. Sabatier* († 1901): Esquisse d'une philosophie de la Religion 1897. — *id.*, Les religions d'autorité et la religion de l'esprit [4] 190... — Similia docet *Eugène Ménégoz* speciatim in opere: Publications diverses sur le Fidéisme v. 2 [2] 1909. — *Alfred Loisy* præcipue libris L'Evangile et l'Eglise 1902, Autour d'un petit livre 1903, huiusmodi auctores secutus, (cfr. n. 98 p. 58.) negat omnem revelationem, dogma, infallibilitatem, miracula, possibilitatem perveniendi ad Deum revelatorem ex historia. Fidem confundit cum sentimentis quæ immediate Deum apprehendant atque in formulis etiam contradictoriis legitime se explicent. — *Edouard Le Roy* haud pauca non recte conscripta collegit in libro Dogme et Critique [3] 1907.

Apologetæ.

128. — Ante ætatem Encyclopædistarum. — Tempore quod ætatem Encyclopædistarum præparabat opera magis generalia edita sunt.

E Protestantibus *Philippe Du Plessis-Mornay,* Traité de la vérité de la religion chrétienne... 1581. In 2 operis parte præcipue prosequitur motiva credibilitatis ex effectu. Neque res philosophicas sat solide tractavit neque a gravibus erroribus liber est. — *Hugo Grotius* Hollandus, edidit versibus flamicis: De veritate religionis christianæ ll. 6, 1627. Ponit limites apologeticæ, complura motiva credibilitatis legitima eligit, at diversos errores habet, v. g. vaticinia Messianica non recte explicat. Opusculum proxime nautis, qui cum paganis etc. conversari debebant destinatum, in multas linguas versum est. — Hoc Grotii scriptum Calvinista *Jacques Abbadie* ampliavit vulgatissimo suo Traité de la vérité chrétienne, Rotterodami 1684. Qui tamen iterum limites apologeticæ non sat distinguit. — Inter Protestantes Hollandos *Jean Leclerc* in Traité de l'incrédulité 1696, rationes incredulitatis examini subicit; diversa quidem non recta in eo sunt. — *Isaac Jacquelot* haud paucis scriptis contra Spinoza et Bayle religionem christianam defendit, v. g. in: La conformité de la foi avec la raison 1705.

E Catholicis *Blaise Pascal* (1623-62) reliquit fragmenta multa operis apologetici quod meditabatur. Quorum titulus est Pensées sur la religion. (Textum verum in eo ordine quem auctor intenderat primo edidit A. Molinier 1877). — Cuius operis idea principalis quibusdam hæc esse videtur: Vel ipsa Dei cognitio homini ut nunc est, impossibilis est, si autem Deus (et infernus) existit, infelix erit homo nisi crediderit. Fides acquiri potest habitudine credendi, etsi Deum ignoras. Unde talem habitudinem contrahis? Si credideris, intelliges argumenta. Hæc vero sunt e vaticiniis, miraculis etc. Patet, apologiam ita intellectam falsam esse. Sunt qui eam ita interpretentur, ut Pascal non aliud egerit, quam ut dispositiones subiectivas ad credendum necessarias plus cæteris apologetis incul-

caverit. — Proponit argumenta e prophetiis, miraculis ecclesiæ institutione, persona et doctrina Christi. — *Petri Danielis Huet,* episcopi Avranches Demonstratio evangelica e solis vaticiniis Messianicis arguit. Multa falsa proponit de doctrinis ethnicorum quæ ex Mose haustæ fuerint. In opere postumo in demonstranda revelatione non sat rationi concedit. — *Jacques Benigne Bossuet* in Discours sur l'histoire universelle 1681, religionem christianam e providentia Dei in regendis populis demonstrat. Cf. præcipue c. 30 sq. — Apologias generales scripserunt etiam *François Lami* O. S. B. 1694, 1710; *Bern. Lami* 1706; *Denyse* 1707; *Claude Buffier* S. I. 1732. — *Jean François Baltus* S. I. edidit Réponse à l'histoire des oracles 1707, porro egregium opus Défense des Pères accusés de Platonisme 1711; Jugement des ss. Pères sur la morale de la philosophie païenne 1719. Addidit scripta quibus argumentum e vaticiniis Messianicis præcipue contra Grotium defendit 1728, 1733. — Similiter *Rem. Ceillier* O. S. B. edidit Apologie de la morale des Pères de l'église 1718. — *Mourgues* S. I. diversis scriptis præstantiam Christianismi præ ethnicismo demonstrat 1701-12. — *Louis Bastide* in opere L'Incrédulité des Déistes 1706, præcipue contra Jurieu vaticinia Messianica latius defendit.

129. — **Contra errores Encyclopædistarum.** — Opera contra eam profluviem impietatis qua Encyclopædistæ orbem inundabant, composita sunt plurima, diversi generis, a diversis hominum classibus.

Nominandi videntur hic *Claude François Houtteville,* La religion chrétienne 1724, quæ editio tamen non est sine magnis nævis; melior est editio 1741. — *Laurent Le François,* Preuves et défenses 8 v. 1754. — *Jean Nic. Hubert Hayer* O. M. ut multa alia edidit, ita redegit fasciculos periodicos: La religion revendiquée 1757-61. — *Gabriel Gauchat* O. Præm., Lettres critiques 1758. — E poetis scripserunt *Louis Racine,* La religion 1742, Card. *de Polignac,* L'Anti-Lucrèce. — Cancellarius d'*Aguesseau* edidit Lettres sur Dieu et la religion. — *Adrien Nonnotte* S. I. multa egregia scripsit v. g. Les erreurs de Voltaire 1762; Dictionnaire philosophique de la religion 1772. — Episcopus *Lefranc de Pompignan* edidit La religion vengée de l'incrédulité par l'incrédulité elle-même 1772; *id.,* L'incrédulité convaincue par les prophéties 1759. — Optime quoque scripserunt *Antoine Guenée,* Lettres de quelques Juifs portugais, allemands et polonais à M. de Voltaire 1769. — *François Para du Phanjas S. I.,* Les principes de la saine philosophie conciliés avec ceux de la religion 1774. — Omnium apologetarum huius epochæ celeberrimus est *Nic. Silv. Bergier* cum propter alia non pauca scripta, tum propter Traité historique et dogmatique, Dictionnaire de Théologie 1780, 12 v. (etiam 1888 iterum ed.). Sæpe etiam impressum est eius Dictionnaire théologique 3 v. 1788. — *Dubois de Launoy* S. I. edidit Analyse de Bayle 1782. — Card. *César Guil. de la Luzerne* scripsit Instruction pastorale sur l'excellence de la religion 1786; alias instructiones, v. g. de prophetiis. — In Helvetia Protestans *Charles Bonnet* in Palingénésie philosophique 1769-70 diversis quidem argumentis religionem christianam defendit, at ideam miraculi pervertit.

130. — **Opera magis universalia s. 19.** — Quando strages per revolutionem factæ ante omnium oculos iacebant atque ordo sta-

biliri iterum incipiebat, quid mirum quod magno cum fervore avitam religionem defendebant, præcipue in eiusmodi libris qui nobilem veritatis vulgarisationem intendebant?

François Auguste de Chateaubriand in Génie du Christianisme ou beautés de la religion chrétienne 1802, ex effectibus bonis religionem christianam veram demonstrat. — *Jos. Maria de Maistre* 1754-1821, uti non raro in cæteris scriptis, ita præcipue in 3 parte libri Du pape 1817 idem prosequitur. — *Jean Louis de Leissegues de Rozaven* S. I. 1817 scripsit La vérité défendue et prouvée. — *Hugues Felicité Robert de Lamennais* in opere De la religion dans les rapports avec l'ordre politique et civil 1826, eandem viam sequitur. Edidit quoque: Essai sur l'indifférence... 1817. Dolendum est, auctorem traditionalismi erroribus infectum esse. — 1825 prodierunt sub titulo Défense du Christianisme conferentiæ quas *Denis Antoine Lucas de Frayssinous* 1801-9, 1814-22 habuit. — *A. Nicolas* scripsit Etudes philosophiques sur le Christianisme 1842, qui liber usque ad 1888 habuit 28 ed.; præterea La divinité de Jésus Christ. Etiam hic auctor traditionalismo favet. — *I. B. Henri Lacordaire* O. P. edidit Conférences de Notre-Dame 1847 sqq. habitas. Præcipue probare nititur, religionem christianam profectui generis humani nullo modo obesse. — *Chassay* in operibus inter 1847 et 54 conscriptis multum contra Rationalistas Germanos ut Strauss egit. — Argumenta apologetica solida proponit *Gustave Xavier Lacroix de Ravignan* S. I. († 1858) Conférences, editæ 1868. — *Jos. Felix* S. I. 1856-91 plurimas edidit conferentias quarum omnium id commune est ut ostendant, progressum verum omni ex parte a Christianismo dependere. — *Monsabré* O. P. edidit Introduction au dogme catholique: v. 1 de fide et ratione, 2 de prophetiis, 3 de miraculis, 4 de testibus. — *I. B. Caussette* S. I., Le bon sens de la foi exposé 1871. — *Emile Bougaud*, Le Christianisme et les temps présents 5 v. 1872. — Generatim recentes adversarios optime refutavit Card. *Pie*, Instructions synodales sur les erreurs du temps présent, collectæ Paris 1878. — *F. Duilhé de Saint-Projet*, Apologie scientifique de la foi chrétienne[3] 1903 præcipue difficultates e scientiis naturalibus tractat. — *De Broglie*, Problèmes et conclusions de l'histoire des religions 1885, *Picard*, La transcendence de Jésus-Christ 1905 2 v. contra falsam comparationem religionum agunt, methodo traditionali historica utuntur.

Speciatim contra Renan scripserunt plurimi v. g. *Felix Charles*, *Emile Freppel*, *Auguste Jos. Alph. Gratry*, *Lamy*, *Nicolas*, *Henri Plantier*; e protestantibus, *E. de Pressensé*.

131. — **Apologetica falsa immanentistica.** — Sunt inter catholicos, qui, ut mentes quæ Kantianismo aut systematibus ex eo evolutis infectæ sunt, ad iudicium credibilitatis perducant, eorum falsas suppositiones admittunt, et tamen iudicium credibilitatis rationabiliter formari posse persuadere nituntur. Adlaborant enim ut ostendant, sicut illa systemata ex ordine subiectivo perveniant ad obiectivum, ita ordinem subiectivum hominis, ut est in concreto, in se continere necessitatem ordinis obiectivi supernaturalis atque proinde hunc ex illo cognosci posse. Id quod utique legitime fieri nequit.

Hac vel simili ratione intellectus est a multis *Maurice Blondel,* Les exigences rationelles de la pensée contemporaine 1896. — Non recta docent v. g. *L. Laberthonnière* C. O., Essais de philosophie religieuse 1903; Le réalisme chrétien et l'idéalisme grec 1904. — *Charles Denis,* Esquisse d'une Apologie philosophique du Christianisme dans les limites de la Raison et de la Révélation 1897, aliis libris atque articulis.

132. — **Contra Modernistas** haud pauci præcipue in foliis periodicis egerunt.

Præterea cf. v. g. *J. Fontaine* in operibus supra (n. 121 p. 70) indicatis. — *M. Lepin,* Jésus Christ, Messie et Fils de Dieu [3] 1906; *id.,* Les théories de M. Loisy [3] 1909. — *Chauvain,* Les Idées de M. Loisy sur le 4ième évangile 1906. — De Agnosticismo cf. v. g. *Jacques Laminne,* La Philosophie de l'Inconnaissable, La théorie de l'évolution 1908.

133. — Inter **Protestantes s. 19 et 20** non deerant qui opera apologetica conscriberent. At sæpe, relictis motivis credibilitatis externis, christianam religionem probare intendebant e necessitate Christianismi intime percepta, quam persuasionem aliquando cum fide confundebant.

Scripserunt v. g. *Alexandre Vinet,* Etudes évangéliques 1844. — *Fr. P. W. Guizot,* Méditations sur l'essence de la religion chrétienne 1864-8. — *Frédéric de Rougemont* in opere postumo Les deux cités 1878. — *Augustin Gretillat,* Exposé de théologie systématique II 1893. — *Alois Berthon,* Apologie du Christianisme 1898. — *Frédéric Louis Godet,* Études bibliques 1900, aliis scriptis. — Omnes, excepto Guizot, in Helvetia scripserunt.

134. — **Opera scholis theologicis destinata** si cum operibus alterius generis comparantur, minus floruisse videntur.

E s. 18 commemorandus est *Lucas Io. Hooke* e doctoribus Sorbonne, qui scripsit: Religionis naturalis et revelatæ principia methodo scholastica digesta, Parisiis 2 v. 1752-4. Tomo 1 agit de theologia naturali, 2 de revelatione iudaica et christiana, 3 de ecclesia Christi et principiis fidei catholicæ. — Generatim vero cursus scholastici in hac materia faciunt partem priorem integri cursus theologici. Nominari possunt v. g. *I. B. Bouvier* [1] 1834 [11] 1861. — *Bonal,* multis editionibus. — *Frédéric Lebrethon* t. 2°. — *Auguste Leboucher* 2 t. 1870. — *G. David* 2 v. 1894. — *Jules Didiot,* Logique surnaturelle subiective [2] 1894, obiective 1892. — *J. Herrmann* C. SS. R., 2 v. [4] 1908.

Encyclopædiis et collectionibus multum datum est.

135. — Inter adiumenta generalia pro apologetica commemorandum est præcipue *Dictionnaire apologétique de la foi catholique* ed. 1 Jaugey 1889, ed. 4 A. d'Alès S. I. 1909.

Folium periodicum directe apologeticum: Revue pratique d'Apologétique a 1905.

In collectione *Démonstrations évangeliques* 1860 tomi 20, Jacobus Paulus Migne exhibet gallice scripta apologetica auctorum a Tertulliano usque ad medium s. 19. — Libellos plurimos pro omnibus cultis utiles continet collectio *Science et Religion,* Etudes pour le temps présent.

APOLOGETÆ CATHOLICI IN BELGIO.

136. — **Opera omnibus cultis destinata.** — Celeberrimus apologeta inter Belgas erat *F. X. de Feller* S. I. Præter plurima alia scripsit sub nomine anagrammatico Flexier de Regal: Catéchisme philosophique 1772, qui liber multas editiones habuit. — *A. Tits,* De la révélation etc. 1847. — *I. B. Boone* S. I., Manuel de l'apologiste 2 v. 1850, alia multa. — *Nic. Ios. Laforet,* Dogmes catholiques exposés, prouvés et vengés des attaques de l'hérésie et de l'incrédulité v. 4 1855-9; *id.,* Pourquoi on ne croit pas? 1864. — Card. *Vict. Dechamps,* Entretiens sur la démonstration catholique de la révélation 1858; Le Christ et les Antichrists. — *Aloysius van Weddingen,* Les éléments raisonnés de la religion, Apologétique fondamentale 1874. — *W. Devivier* S. I., Cours d'apologétique chrétienne 1884, qui liber plurimas editiones habuit. — *Em. Valvekens,* Foi et Raison.

Libri scholis theologicis destinati. — *Labis,* Demonstratio ecclesiæ catholicæ 1864. — *Bern. Iungmann,* Tractatus de vera religione [1] 1874, [4] 1895. — *Henricus Carolus Lambrecht,* Institutiones theol. dogm. generalis 1889. — *Gust. Lahousse* S. I., De vera religione 1897.

Habetur Collectio *Foi et Science;* folium periodicum *Revue d'Apologétique.*

In lingua quoque neerlandica inter Belgas quædam literatura theologica, atque præcipue apologetica, formari cœpta est. Usque nunc præcipue insistebant in versionibus.

Fundarunt folia periodica: *De Waarheid,* Volkstydschrift voor geloofsverdediging; *Licht en Vrede.*

Seriem vero habent: *Geloofsonderricht,* quæ sectiones duas complectitur, scilicet tum tractatus positivos tum responsiones ad obiectiones adversariorum.

APOLOGETÆ IN HOLLANDIA.

139. — In Hollandia ultimis temporibus e catholicis defenderunt revelationem tractatibus ad scholas pertinentibus *G. M. Iansen,* Prælectiones theologiæ fundamentalis 1875-6. — *P. Mannens,* Theologia fundamentalis 1901. — *G. van Noort,* Tractatus de vera religione [2] 1907. — Opus Devivier versum atque retractatum est a *de Groot, van Kasteren, van Oppenraay* S. I. 1907.

H. Ermann S. I. vertit Morawski (cf. n. 150 p. 84) 1906. — Multum iuvant duæ series collectionum, una *Geloof en Wetenschap,* curantibus Rutgerus Bouman et Jos. van Vessem S. I. in Haarlem, altera *Apologetische Vereeniging Petrus Canisius,* Amsterdam.

Apologetæ Protestantes. — Heringa 1785 in Den Haag fundavit *Societatem ad defendendum cultum christianum.* — *Joh. Jakob van Oosterzee* († 1882) diversa edidit, quæ etiam apologeticam spectant. — *Abraham Kuyper* fundavit universitatem liberam Amstelodami, quæ etiam falsam evolutionem religionis christianæ a tot concivibus defensam impugnat. — *H. Bavinck* edidit 1901: Securitas fidei. — *H. H. Kuyper* 1905 habuit orationem pro revelatione primitiva. — Etiam *S. I. Rutgers* rem christianam defendit.

TERRÆ LINGUÆ GERMANICÆ.

Accedunt

HUNGARIA, POLONIA, RUSSIA, GRÆCIA.

138. — **Lit.** — De s. 17 et 18 *Dietrich Gla*, Systematisch geordnetes Repertorium der Kath. - theolog. Lit. (Deutschland, Oesterreich, Schweiz) I 2 Apologetik des Christentums u. der Kirche 1904 Paderborn pp. 1023.

Protestantium libri v. v. g. *K. R. Hagenbach*, Encyclopædie u. Methodologie der Theol. Wissenschaften [12] 1889 Append. ad II 3 p. 448-50. — *Louis Emery*, Introd. à l'étude de la théologie protest. 1904 Lausanne, p. 638-42.

Inter acatholicos Germaniæ Deismi et Rationalismi principia tardius ea quidem proposita sunt quam in Anglia et Gallia. At postquam hoc factum est, et hæc et alia systemata religioni revelatæ opposita uberius, profundius et magis erudite, ut multis videbatur, exculta sunt. Unde falsa systemata philosophico-religiosa sub ea forma in qua a doctis acatholicis in Germania proposita sunt, fere a fine s. 18 in universum orbem funestum influxum exercuerunt.

Inter catholicos vero tum formatio theologiæ fundamentalis in propriam scientiam tum evolutio et huius integræ scientiæ et singularum fere eius partium magis methodica et erudita maximos progressus fecit. Etiam numerus bonorum operum præcipue a secunda parte s. 19 tantus est, ut in iis enumerandis modus adhibendus sit.

Adversarii.

139. — **Rationalismus et Deismus.** — Cum *Johann Salomo Semler* (1725-91) speciali modo influxus Deismi et Rationalismi ex Gallia et Anglia in Protestantes Germaniæ incepit.

Semler docet Christum non proposuisse nisi veritates naturales, in cæteris eum se « accommodasse » ideis Judæorum. In evangelio mythos inveniri. Quosdam Scripturæ libros ne genuinos quidem esse. Parens est modernæ criticæ biblicæ. — Evolutio eius doctrinæ debetur *Iulio Aug. Lud. Wegscheider*, Instit. Theol. [6] 1829. — *Hermann Samuel Reimarus*, (1694-1765) scriptis, e quibus Wolfenbütteler Fragmente 1778 a Lessing edita sunt, Christianismum fraudi Christi et discipulorum attribuit. — Similia versus finem sæculi multis evolverunt *Karl Friedrich Bahrdt*, *Karl Heinrich Venturini*, etc. — *Lessing* tradidit, revelationem intelligi non posse nisi ut evolutionem naturalem facultatum nostrarum. Religionem Christi i. e. quam ipse Christus pro se exercuerit, distinguendam esse a religione christiana, i. e. ab ea religione falsa quam postea eius asseclæ prædicaverint. — Omnia motiva credibilitatis, præcipue miracula, data opera reicit. Cf. v. g. Die Erziehung des Menschengeschlechtes 1777-80 (Educatio generis hu-

mani); Die Entstehung der geoffenbarten Religion (Origo religionis revelatæ); Ueber den Beweis des Geistes und der Kraft 1777 (De argumento e Spiritu et virtute).

140. — **Perversio conceptus fidei.** — Erant atque sunt qui præter errores similes, quos diximus, eum conceptum fidei doceant, ut sit assensus aut propter postulata rationis (Kant), aut propter sentimenta (Schleiermacher), aut propter aliquid aliud subiectivum quod assensum rationabilem fundare nequit. (Cf. van Laak II n. 182-3 p. 136-8). Unde plurima falsa consequuntur. Scripta quæ citamus germanice composita sunt.

Emmanuel Kant in scripto: Religio intra fines puræ rationis 1793, docet religionem naturalem non esse nisi medium moralitatis, Christum autem in religione christiana non exhiberi nisi ut exemplar moralitatis. Quod num exstiterit, non ad religionem, sed tantum ad historiam, ad theologiam biblicam pertinere. Cæterum sic dictam revelationem et miracula non posse ut divina cognosci. — *Friedrich Heinrich Iacobi* (1743-1819) ratus est, religionem etiam christianam esse rem cordis, sentimenta; cor esse quod illam directe amplectatur, rationem posse eodem tempore atheismum etc. profiteri. — *Friedrich Ernst Daniel Schleiermacher* in Sermonibus de religione 1799, religionem christianam declarat gustum quem singuli experiantur necessitatis redemptionis tum faciendæ tum factæ per Christum. Essentiam Christianismi constitui proinde sola persuasione de Christo homine sancto. Alia dicta et facta Christi ad eam non pertinere. — *Albrecht Ritschl* in: Doctrina Christiana de iustificatione et reconciliatione 1870-4, religionem reponit in iudiciis valoris i. e. in iis iudiciis « quæ provocant sentimenta, in quibus homo aut gaudet de imperio in mundum a Deo concesso aut eo cum dolore caret ». Vult tamen nos per hominem Christum eiusque actiones historice transmissas ad talem religionem pervenire. — Similem doctrinam Protestantes omnes liberales docere, imo ut rectam apologeticam Christianismi celebrare solent. — Ita *Otto Ritschl* 1892. — *Herm. Schultz*, Grundriss der christlichen Apologetik 1894. — *Iulius Kaftan*, Dogmatik 1897. — *Adolf Harnack*, Wesen des Christentums [1] 1900, 1908 56-60 millia.

141. — **Idealismus pantheisticus** ideam Christianismi historici funditus evertit.

Ioh. Gottlieb Fichte religionem in eo statuit, ut « vita experiamur Deum ut absolutum Esse in omnibus Entibus ». Hanc esse doctrinam S. Ioannis et Christi. Cætera in Christianismo falsa esse, sive mythi ea sint, sive fraudes. — *Friedr. Wilhelm von Schelling* affirmat, Christianismum in tantum verum esse, in quantum docet in Christo factum esse id, quod semper necessario in omnibus fit, incarnationem Dei pantheistici. Cætera potius inimica esse essentiæ Christianismi.

Pro *Georg. Wilhelm Friedrich Hegel* ea quæ in Christo facta sunt, in tantum habent momentum, in quantum perfecte exhibent ideam Dei pantheistici, qui se ipsum et negat et ponit. Ut facta historica ea omnia nihili facienda esse.

142. — **Subiectivismus historicus.** — His similisve generis ideis aprioristicis philosophicis plurimi ex iis Protestantibus instructi erant, qui fontes vitae Christi eamque ipsam scientifice discutiendam susceperunt. Ultimatim secundum has ideas aprioristicas non vero secundum criteria externa tum genuina a non genuinis, tum credibilia ab aliis in historia distinguere solebant; id quod ipsi sæpius concesserunt. Cf. v. g. Albert Schweitzer, Von Reimarus zu Wrede, Eine Geschichte der Leben Jesu-Forschung 1906. — Quid mirum quod in tali systemate Christi historici et Christianismi sæpe vix vestigium in fontibus remanet? Usque ad Strauss speciatim in eliminandis miraculis versabantur. Postquam hæc eliminatio ut putabant feliciter successit, modo particulari occupabantur cum quæstione, quomodo conscientia Christi de suis muneribus, de sua dignitate divina naturaliter explicari posset. Cf. Schweitzer, qui circa 70 acatholicorum auctorum sæpe plura opera de vita Jesu describit.

Heinrich Eberhard Gottlob Paulus, Exegetisches Handbuch zu den ersten 3 Evangelien 1830 3, negat miracula vel narrari ab evangelistis, hunc errorem deberi falsæ philologicæ explicationi textus. — *David Friedrich Strauss*, Leben Jesu 1835, Christliche Glaubenslehre 1840, docet ea facta locum non habuisse, sed esse mythos a Christianis secundum miracula exemplaria Veteris Testamenti in Messiam quasi proiectos. — *Christ. Weisse* 1878, proposuit, ex evangelistis Marcum, utpote qui simpliciora exhibeat, esse priorem, Joannem exhibere Christianismum iamiam quasi hellenisatum. — *Bruno Baur* multis operibus inter 1840-77 scriptis tradidit, ipsum Marcum vix quidquam de Christo scivisse, sed facta et sortes primævi Christianismi in Christum proiecisse. - Iterum *David Friedrich Strauss* 1864 conscientiam Christi explicat e conscientia pacis cum Deo, accedentibus conclusionibus e vaticiniis Messianicis. — *Wilhelm Baldensperger* 1888 sq. a baptismo usque ad commorationem in deserto Christo ideam Messiæ bellici tribuit, nonnisi postea ideam patientis. — *Iohan. Weiss* statuit 1900, Messianitatem a Christo habitam esse non ut dignitatem præsentem sed ut functionem tantum futuram, quam Christus in reditu suo sine mora secuturo se exerciturum esse speraverit. - E contra aliis, ut *Wilhelm Bousset* 1891, *Bernard Weiss* 1902, Christus non est nisi doctor pietatis antiquæ; eschatologica magis ab extrinseco in praedicationem eius illata esse. — Sunt qui e doctrinis rabbinicis, buddhisticis Christi doctrinam explicent.

Collectio Protestantium eorum, qui ab ala extrema sinistra stant, præcipua est *Religionsgeschichtliche Volksbücher*, Tübingen, a 1906.

Apologetæ Protestantes.

143. — Tali flumini errorum se opponebant, etiam scriptis maioribus quasi systematicis, haud pauci e Protestantibus orthodoxis.

At generatim obiectum apologeticæ non recte concipiunt (cf. n. 108 p. 63), nullum proinde opus habent, quo factum et revelationis et

infallibilis eius custodiæ in ecclesia stabiliant. Singula opera falsa veris intermixta continere solent. Imo recentius multi ex ipsis defensoribus potius adogmaticum quam verum Christianismum sequuntur.

Gottfried Wilhelm Leibnitz († 1716) ordinariam viam demonstrandi sequitur. V. v. g. ep. 2ª ad Spizelium; Lettre 5 à Burnet. — Etiam *Christ. Wolff* (1679-1754) revelationem vere talem argumentis præcipue externis fulcire nititur. At cum statuat, omnia quæ possibilia sunt, a ratione etiam ut talia demonstrari posse, revelationem mysteriorum admittere nequit. — Etiam *Leonhard Euler* 1747, *Albrecht von Haller* 1768, 1772-4 religionem revelatam defenderunt. — *Johann Georg Rosenmüller*, Historischer Beweis der christlichen Religion 1771, speciatim prophetias Messianicas proponit.

E s. 19 hi nominandi videntur: *Ernst Wilhelm Hengstenberg* multa contra Rationalismum egit præcipue folio periodico Evangelische Kirchenzeitung a 1827. — Contra Strauss pugnarunt *Io. Tob. Beck*, Ueber die mythische Auffassung der neutestamentlichen Evangelienurkunden 1835. — *Karl Ullmann*, v. g. Essentia Christianismi 1845. — *Io. Peter Lange*, Leben Jesu nach den Evangelien 1844-7. — Opera magis generalia sunt: *Christ. Ernst Luthardt*, Apologetische Vorträge [1] 1864, [14] 1897. — *Karl Adolf Gebhard von Zezschwitz*, Apologie des Christentums nach Geschichte und Lehre 1866. — *Franz Delitzsch* v. g. System der christlichen Apologetik 1869, alia contra Renan. — *Io. Heinr. Aug. Ebrard* v. g. Apologetik 1874. — *Franz Hermann Reinhold Frank* in System der Gewissheit 1878-80, certitudinem tum de redemptione nostra tum de omnibus eius causis ex interna experientia deducere nititur. — *Isaac Aug. Dorner* in tomo primo operis: System der christlichen Glaubenslehre 1879, v. g. incarnationem a priori demonstrare nititur.

Collectio opusculorum eorum Protestantium, qui extremis se opponi volunt, hæc est: *Biblische Zeit- und Streitfragen zur Aufklärung der Gebildeten*, editur a D. Kropatscheck.

Apologetæ Catholici.

144. — Opera apologetica magis universalia Catholicorum valore suo plurimum similes libros Protestantium superant, idque sive respiciuntur opera cultis destinata, sive opera ad usum proxime eorum qui rebus theologicis sive discendis sive docendis insistunt. Neque deerant versiones ex aliis linguis.

Præterea eiusmodi opera plurima alia eaque sæpe egregia ad rem nostram spectantia composita sunt. E quibus duo genera operum commemoro. Unum circa præambula fidei occupatur; v. g. in quæstione de auctoritate humana evangeliorum, subiectivismo historico se opponit atque præcipue partes quasdam Introductionis ad S. Scripturam complectitur. Aliud in monographiis de motivis credibilitatis singulis consistit. At et prius illud genus plurima habere solet de motivis credibilitatis et secundum illud plurima de rebus ad Introductionem in

Scripturam pertinentibus. Unde eiusmodi scripta aptius in literatura alia postea describenda videntur enumeranda. Accedit quod numerus horum scriptorum maior est, quam ut ea in hoc conspectu tradere possimus.

145. **Apologetica non rite facta.** – Erant utique etiam e catholicis, præcipue tempore falsi Illuminatismi (Aufklärung), qui religionem catholicam non solide defenderent, sed rationalistica saperent vel ad alia falsa systemata accederent. Tales erant v. g. *Udalr. Pentinger* O. S. B., *Patrit. Bened. Zimmer* 1809, *Georgius Hermes*, « Introductio philosophica » et « Introductio positiva » in theologiam catholicam. Proponit inter alia non recta eum conceptum fidei, ut non sit assensus propter auctoritatem Dei loquentis sed propter intrinsecam rei evidentiam vel propter postulata rationis.

146. — **Opera germanica, quæ magis omnes cultos respiciunt.** — Sunt eiusmodi: v. g. *Beda Mayr* O. S. B., quod amplum est, at Protestantibus pacis causa nimia concedit. — *Sigismund Storchenau*, Philosophie der Religion 7 v. 1775-81; Der Glaube des Christen 1792, editum iterum etiam 1895 ab Hurter. — *Christ. Herm. Vosen*, Das Christentum u. die Einsprüche seiner Gegner [1] 1861, [4] 1881 a quibusdam erroribus purgatum. — *I. B. Vinc. Heinrich*, Die Beweise für die Wahrheit des Christentums in der Kirche [1] 1863. – *Ludwig von Hammerstein* S. I., Begründung des Glaubens [1] 1891-4, constans e tribus partibus. — Eminent hi: *Franz Hettinger*. Apologie des Christentums 5 v. [1] 1863 [10] 1906 fere in omnes linguas europæas versum. - *Alb. Maria Weiss* O. P., Apologie des Christentums v. 5 in 7 tom. [3-4] 1905-8, præcipue argumentum ex effectibus religionis christianæ evolvit. *Paul Schanz*, Apologie des Christentums 3 v., plurima eruditione præstat. Uti Hettinger ita etiam Schanz multa ponit, quæ ad præambula fidei pertinent, atque multa dogmatica aspergit.

147. - **Opera systematica pro theologis sive discentibus sive docentibus.** — Latine talia opera conscripserunt haud pauci. — *Vitus Pichler* S. I. in sua Theologia polemica 1713 etiam religionem christianam astruit. — Item *Carol. Sardagna* S. I. 1770 in Theolog. dogm.-polem. l. 1. — Theologia *Wirceburgensis*, i. e. conscripta a professoribus Universitatis Wirceburgensis e Societate Iesu, in tom. 1 composito ab *Ignatio Neubauer:* Vera religio vindicata contra omnis generis iuredulos 1771, qui tomus et christianam et catholicam religionem continet. — *Martin Gerbert* O. S. B., Demonstratio veræ religionis veræque ecclesiæ contra quasvis falsas sectas 1760, eandem divisionem principalem habet, quæ postea remansit. — Successit *Bened. Stattler* S. I., Demonstratio evangelica 1770. — Opus *Steph. Wiest* O. Cist. 1786 continet tractatus de demonstratione christiana, catholica, de locis theologicis.

Recentius scripserunt *Albert Knoll* O. Cap. 1846 (1890-1 adaptatum a Tux); *Reinerding* 1864; *Joan. Schwetz* [1] 1850, [2] 1882; *Hugo Hurter* [1] 1876, [11] 1908; *Franz Egger* 1893; *Dalponte* 1894; *Parthenius Minges* O. M. 1902; *Angelus Stummer* O. Cap. 1907 cum multis textibus S. Bonaventuræ; *Christ. Pesch* I [1] 1894, [4] 1909.

Opera maiora latina composuerunt *Ignat. Ottiger* S. I. Theol. fund. I 1897; *Guil. Wilmers* S. I., De religione revelata ll. 5, 1907, quod opus præ cæteris eminet.

Germanice vero eiusmodi libros conscripserunt v. g. *Joan. Sebast. Drey*; diversis temporibus (1819-44) diversa ratione apologeticam concepit; neque a

nævis haud parvis liber est. — *Heinrich Klee,* Generaldogmatik 1835. — *Franz Dieringer,* System der göttlichen Thaten 1841; *id.,* Laienkatechismus über Religion, Offenbarung und Kirche [1] 1865. — *Ehrlich,* 1859-60. — *Petrus Hake* 1875. — *Sprinzl* 1876. — *Andreas Schill* 1895. — *Albert Stöckl* 1895. — *Reinhold* 1905. — *Franz Hettinger,* Fundamentaltheologie [1] 1878, [2] 1888 doctrinæ soliditate, amplitudine præstat. — *Constantin Gutberlet,* Apologetik [1] 1888 [3] 1903; opus est ordinatum, concisum, eruditum. — *Herm. Schell,* Apologie des Christentums [1] 1901, quamvis multa utilia contineat, tamen etiam res non probandas habet. — Priorem partem integræ theologiæ formant hæc volumina ad nos spectantia: *I. B. Vinc. Heinrich,* Dogmatische Theologie I 1873. — *M. Jos. Scheeben,* Handbuch der Kath. Dogmatik I 1873.

Opus sui generis atque magnæ utilitatis est: *Heinr. Denzinger,* Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss XV 612, XII 595, 1856-7. In quo opere auctor quasi infinitas sententias, quæ sæculis diversis possibilitati atque demonstrabilitati revelationis singulisque eius criteriis oppositæ sunt, colligit collectasque sagaciter et magna cum eruditione refutat. — Historiæ apologeticæ etiam inserviunt alia opera, quæ diversis locis antea citavimus, uti e Catholicis *Alois v. Schmid,* etc., e Protestantibus *Otto Zöckler.*

148. — **Collectiones.** — Omnibus cultis destinantur hæ collectiones: *Apologetische Tagesfragen,* München - Gladbach a 1903. — *Glaube u. Wissen,* München a 1904. — *Wissenchaft u. Religion,* Strassburg a 1904. — *Apologetische Studien der Leo-Gesellschaft,* Wien a 1898.

Folia periodica. — Proprium folium periodicum pro defensione rerum religiosarum, quæ catholicis cordi sunt, fundatum est 1904: *Apologetische Rundschau.* — Protestantium orthodoxorum folium apologeticum periodicum erat *Der Beweis des Glaubens* (Probatio Fidei) a 1864. Continet multam materiam etiam ex historia apologeticæ. Anno 1908 titulus (atque indoles) mutatus est in: Der Geisteskampf der Gegenwart (Pugna spirituum horum temporum).

APOLOGETÆ CATHOLICI IN HUNGARIA.

149. — **E tempore veteriore** præcipue eminet soliditate et eruditione Card. *Petrus Pazmany* S. I., Hodœgus, via ad veritatem divinam [1] 1613, recentissime 1897-8.

Opera e tempore recentiore eaque hungarica. — V. G. *Desid. Bita,* Divina origo religionis christianæ 1879. — *Jos. Répászky.* Dogmatica generalis. — *Hovány,* Elementa catholicismi superioris 1853; Novæ epistolæ de catholicismo superiore 1861. — *L. Karsch,* Materialismus, Rationalismus u. Christentum 1875 (germ.). — *Joan. Zádori,* Syntagma theologiæ dogmaticæ fundamentalis 1882-3. (lat.) — *Ottocar Prohászka,* Deus et mundus [2]1902; Cœlum et terra [3]1905; Triumphans ratio considerandi mundum 1903; Catholicismus modernus 1907. - *Joan. Dudek,* Apologia religionis christianæ 2 v. 1893; Modernismus et Catholicismus 1908. — *S. Székély,* Apologia Sacræ Scripturæ 1891. — *Szentes,* Fontes religionis christianæ 1896. — *Alexander Korats,* aliquod manuale apologeticæ. — *Aladár Zubriczky,* Veteres et novæ viæ in Apologetica 1906; Essentia Christianismi 1907. — *Jos. Vajo,* Fides 1904; Religio et revelatio 1906. — *S. Bernhard,* Fides et scientia 1909. — *F. Rott,* Miraculum et scientiæ naturales 1907.

Versiones. — Versa sunt opera multorum apologetarum, ut *de Maistre, Nicolas, Balmes, Monsabré,* apologiæ *Hettinger, Devivier, Weiss, Schanz* (1907).

Folia periodica. — Imprimis apologetica prosequitur folium periodicum *Religio,* a 1841, reorganisatum et editum a Dudek 1906. — Aliud folium periodicum populo destinatum a 1903 edi desiit.

Libri scholis destinati editi sunt v. g. ab *E. Uhlyárik, F. Lang, A. Schütz.*

APOLOGETÆ CATHOLICI IN POLONIA.

150. **—Versiones.** —Versa sunt opera *Bougaud, Schanz, Duilhé de St. Projet, Devivier,* Lexicon apologeticum *Jaugey,* alia.

Opera alia recentiora polemica. — *Morawski* S. I., Tempora vespertina ad lacum Lemanum. — *Stephanus Pawlicki,* Origo Christianismi; Vita et scripta Ernesti Renan. — *Zukowski,* De fontibus incredulitatis. — *Jan Cienniewski,* Actus fidei in luce modernæ psychologiæ. — *Felinski,* Christianismus in ordine ad felicitatem personalem. — Multi articuli in foliis periodicis catholicis scribuntur.

Duae *collectiones* libellorum res horum temporum tractant. Prior titulum habet: Libelli de rebus huius temporis, Cracoviæ a 1905; altera: Voces de quæstionibus hoc tempore agitatis, Posnaniæ a 1906. Illa lectores magis cultos spectat, hæc formam popularem præfert.

RUSSIA.

151. — **Lit.** — Præter opera magis universalia: *K. Konrad Grass,* Geschichte der Dogmatik in russicher Darstellung, Gütersloh 1902, 179, in appendice p. 146-79 proponit elenchum alphabeticum operum systematicorum theologiæ russiacæ, ubi etiam apologetica. — *Aurel. Palmieri* O. S. A., La Chiesa Russa 1908 p. 613-51. — *Zöckler* p. 677-8.

Adversarii.

152. — S. 17 theologia catholica in theologiam « orthodoxam » Russorum multum influxit. S. vero 18 et 19 philosophia et theologia recentior, præcipue Protestantium in Germania et Anglia, eam a se dependentem reddiderunt.

Scripta Russorum. — Inter eos qui Christianismum adogmaticum promovent, eminet *Lew Nikolajewitsch Tolstoi.* Hic in scriptis post a. fere 1885 editis has ideas propugnat: Ut ad genuinam doctrinam Christi perveniatur, necesse est deponere fidem in vitam æternam, Christi revelationem, redemptionem, divinitatem. Dogmatica talia quam maxime impediunt, quominus homines sequantur illa quinque mandata practica Christi, quæ sola attendenda sunt, cum ea iam sola requirantur et sufficiant ad pacem hominibus dandam. Sunt vero 1) pax cum cæteris 2) matrimonii unitas atque indissolubilitas 3) illiceitas voti atque iuramenti 4) odium vindictæ 5) illiceitas omnium earum rerum, quibus nationis amor aut manifestatur aut promovetur. — 1906 russice divulgata est

Vita Jesu Christi a *Renan* conscripta. — A 1907 folium periodicum *Viek* radicalismum religiosum sequitur, laudat Strauss, Renan, etc. — Revelationem debellant etiam ea quæ ad Nihilismum propugnandum scribuntur.

Versiones. — Vertuntur multa opera Protestantica, v. g. Realencyklopædie für prot. Theologie u. Kirche.

Apologetæ.

153. — **Manualia theologica.** — Libri in seminariis præscripti eo fere modo motiva credibilitatis proponere solebant, uti fit inter catholicos. Cf. v. g. in *Catechismo Philareti* doctrina de tertio articulo symboli. — Etiam t. 1 operis theologici archiepiscopi *Macarii*, qui continet Introductionem ad theologiam orthodoxam (russice), similis est tractatibus catholicis de locis theologicis.

Alterius generis libri. — E Russis orthodoxis scripserunt v. g. *Alexios Wedenski*, Fides in Deum, eius origo eiusque fundamentum 1891. — Ideis Tolstoi se opposuit præprimis *Wladimir Solowiew*, præcipue in libro ed. gallice sub titulo La justification du bien, [1]1897 [2]1898 (Op. t. VII, 1-478). — Porro *Grigory Spiridonowitsch Petrow*, uti articulis scriptis ita opere: Evangelium ut fundamentum vitæ, (versio germ. 1905). — Libro Renan respondit *Muretow*. — *Sergios Glagolew* scripsit: Religio ut fundamentum vitæ 1905. — Accedunt quædam monographiæ uti de vaticiniis Messianicis etc.

Apologeticæ conservatrici quæ dicitur, servit folium periodicum: *Fides et ecclesia* 1899. — Ab a. 1907 fol. per. *Christianus* ideas christianas populo exponere intendit.

E libris catholicis traducta est apologia *Hettinger*. — Recentissime Catholici novum folium periodicum scientificum religiosum edere cœperunt.

GRÆCIA.

154. — **Lit.** — *Diomedes Kyriakos*, Geschichte der orientalischen Kirchen von 1453-98 [2]1898 p. 191-6 (vers. a Rausch 1902).

Adversarii.

Ex iis v. g. *Theophilos Kairis* operibus Gnostiki 1849, Elementa philosophiæ, revelationem mysteriorum negat. — Positivismum docet *A. Papadiamantopulos*. — *Platon Drakulis*, libro Lux ex internis, mysticismum quendam falsum profitetur. — *Kleon Rhangavis* in opere: Julianos, Mohamedanismum et Julianum apostatam extollit.

Defensores.

Inter alios v. g. *Vrailas* († 1884) plura apologetica scripsit. — Item *Joan. Skaltzunis*, v. g. de homine seu de harmonia inter scientiam et Christianismum.

Versa sunt opera quædam recentia: *Luthard*, Apologie. — *Guizot*, Méditations. — *Nicolas*, Etudes philosophiques etc.

ITALIA.

155. — **Lit.** — Præter opera generalia. cf. *Karl Werner*, Die italienische Philosophie des 19 Jahrhunderts v. 5. — *E. Gruber* S. I., Il Positivismo 1896 (vers. e germ.), ubi p. 425-89 quædam adiuncta de Positivismo inter Italos.

Quoad opera quæ de vita Jesu et religione christiana in genere ultimis decenniis conscripta sunt: *Baldassare Labanca*, Gesù Cristo nella letteratura contemporanea 1903 p. 1-286; *id.*, La Vita di Gesù di Ernesto Renan in Italia 1900. Plurimam materiam colligit, at falso diiudicat.

Quoad scripta modernistica ultimorum annorum *Enr. Rosa*, L'enciclica « Pascendi » ⁴1909. — *Giuseppe Prezzolini*, Il cattolicismo rosso 1908: Aggiunte bibliografiche p. 345-8.

Adversarii.

156. — Per s. 18 quam maxime valebat influxus Deistarum Gallorum. — S 19 e systematibus falsis philosophicis prius regnavit Sensualismus e Gallia importatus, deinde Ontologismus Rosmini et Gioberti, postea, præcipue in Universitate Neapolitana, Hegelianismus. Quem hodie excipiunt ex una parte præcipue Kantianismus, ex alia Positivismus.

157. — **Scripta philosophorum,** quæ magis ad nostram rem spectant. — Ex Ontologistis *Vincenzo Gioberti* scripsit: Teorica del sovranaturale 1838; Della filosofia della rivelazione 1856. — *Terenzio Mamiani*, qui in 2 parte vitæ suæ simile systema sequitur, Teoria della religione e dello Stato 1868; La religione dell'avvenire etc. 1880. — *Baldassare Labanca*, Filosofia cristiana, Studio storico-critico 2 v., Parte I: Il cristianesimo primitivo; II: La filosofia cristiana; 1886-8. Ex Hegelianis *Augusto Vera*, Philosophie de la religion de Hegel 1876-8. — *Rafaele Mariano* ex una parte omnem actionem supranaturalem negat, ex alia parte incarnationem affirmat atque methodo historico-speculativa demonstrare nititur. Inter multa opera religionem spectantia v. g. Cristianesimo, Cattolicismo e Civiltà 1879; La persona di Cristo 1889; Cristo e Buddha 1900. — E Kantianis præcipue *Carlo Cantoni* Kantii philosophiam sparsit.

Inter Positivistas v. g. *Paolo Orano* edidit: Il problema del Cristianesimo 1900. - *Antonio Labriola*, qui Materialismum historicum sequitur, scripsit v. g. Morale e religione 1873. — E Rationalistis *Cristoforo Bonarino* (qui postquam ad Rationalismum defecerat se vocavit Ausonio Franchi) in scriptis pluribus. Quæ non recte scripserat revocavit atque veritatem defendit opere posteriore: Ultima critica 3 v. 1889-93.

158. — **Scripta fere alterius generis.** — Scripta maioris molis de vita Christi in Italia ab incredulis scripta non sunt. Versæ autem sunt vitæ Christi compositæ a Strauss et Renan. E quibus hæc, utpote stilo fabulæ romanensis conscripta, multo maiorem influxum habuit quam illa, quæ formam magis severam præ se fert. Plures

versiones libri Renan fecerunt, quæ multas editiones habebant. Cum plausu susceperunt aliud opus Strauss : Der alte u. der neue Glaube 1873, traductum 1876.

At non deerant scripta eius generis ab Italis composita, etsi minoris molis.

Hebræus *Lysimachus Verati*, Della tirannide sacerdotale etc. 1861 religionem christianam, uti nunc est, odio prosequitur. — *Pietro Ellero*, La questione sociale. La religione 1889, per Christianismum adogmaticum malis socialibus remedium afferre intendit. — Similia habet Hebræus *Gustavo Uzzielli*, La crisi sociale 1896. — Jesum uti prætendentem politicum proponunt *Francesco Petruccelli della Gattina*, Memoria di Giuda 1888; *Aurelio Turcotti*, Vita politica di Gesù 2 v. 1879 80; *Giambattista Borelli*, Cristo e Cristianesimo 1887. — *Roberto Schiattarella*, Miracoli e Profezie 1899; in scripto: Gli insegnamenti di Gesù e la dottrina di S. Paolo 1897, Petrum et Paulum inter se contraria docuisse tradit. — E poetis *Giacomo Leopardi* in: Zibaldone (1817-32), Christianismum habet inimicum humani generis, omniumque malorum causam.

159. — **Modernismus.** — Etiam Modernismi ideæ s. 20 præcipue e Gallia ad Italiam transierunt. At scripta a modernistis edita fere non erant nisi exigua opuscula.

Præcipue memorandi esse videntur *Antonio Fogazzaro*, Il Santo, 32° Migliaio 1906. — **** Il programma dei modernisti* 1908. — E foliis periodicis errores modernisticos præ cæteris sparsit « *Il Rinnovamento* ».

Apologetæ.

160. — Generatim s. 18 strenue pugnatum est tum versionibus tum egregiis operibus ab ipsis Italis conscriptis. Apologetæ maximam partem ad ordinem Prædicatorum vel ad Societatem Jesu pertinebant. — E s. 19 plus datum est versioni bonorum eiusmodi operum, quæ omnibus cultis destinata erant, quam eorum conscriptioni.

161. — **Ante ætatem Deistarum Gallorum.** — Præcipue nominandi sunt : *Michael de Elizalde* S. I., qui librum celebrem edidit: Forma veræ religionis quærendæ 1662. — *Paulus Segneri* S. I. (senior), L'incredulo senza scusa 1690. — *Caietanus Verano* O. Theat. (1713), Theologia polemica seu vindiciæ Ecclesiæ Catholico-Romanæ contra Judæos, Schismaticos, Hæreticos, Atheos etc. Opus postumum est ex a. 1719. — *P. Di Venezia* O. M., La chiesa di Gesù Cristo vendicata nei suoi contrasegni. — Card. *Lud. Gotti* O. P., Veritas religionis christianæ et librorum quibus innititur, contra Atheos, Polytheos, Mohametanos et Judæos demonstrata 12 v. 1735-8, cum ampla expositione motivorum credibilitatis. — *Thom. Vinc. Moniglia* O. P. inter primos erat, qui contra recentes Fatalistas et Materialistas gallos egerunt.

162. — **Ætate Deistarum Gallorum.** — Religionem defendebant *Liberatus a s. J. B. Fassoni* Schol. Piar., De miraculis adversus Spinozam Diss. theol.

1754, amplior 1755; De morali Patrum doctrina adversus Barbeyrac etc. 1767. — *Castus Innocentius Ansaldi* O. P. collegit e testimoniis ipsorum Protestantium opus: Della necessità e verità della religione naturale e rivelata 2 v. 1755. — Card. *Hyacintus Sigismundus Gerdil* Barn. 1718-1802, operibus suis multa apologetica aspersit, præcipue de præambulis fidei. Scripsit quoque Introduzione allo studio della religione 1755, Breve esposizione dei caratteri della vera religione 1785. — *Ant. Valsecchi* O. P., omissis aliis scriptis edidit: Dei fondamenti della religione e dei fonti della empietà 1765. L. 1 tractat de præambulis fidei, 2 de motivis credibilitatis idque præcipue contra adversarios æquales. Scripsit quoque contra Freret, Rousseau, alios. — Etiam *S. Alphonsus de Liguori* apologetam egit: Verità della fede fatta evidente per li contrasegni della sua credibilità 1762; Verità della fede contro i materialisti... i deisti... ed i settari... 1707; Riflessioni contro le principali opposizioni dei deisti 1773. Quæ opera nunc etiam latine habentur. — *Alph. Nicolai* S. J., Ragionamenti sopra la religione 2 v. 1770. — *I. B. Noghera* S. J. diversos libros et re et forma egregios edidit: Riflessioni su la religione rivelata e specialmente sul Cristianesimo 1773; Riflessioni su i caratteri divini del Cristianesimo e del suo autore. — Scripsit *Nic. Spedalieri* Analisi dell'esame critico del Cristianesimo di Freret 1774; Confutazione dell'esame del Cristianesimo fatto dal Gibbon 1794. — *Andreas Spagni* S. J. edidit De miraculis [1]1777 [2]1785, quod opus instar multorum est in defendendis miraculis et prophetiis. — Celeberrima sunt scripta *Alphonsi Muzzarelli* S. J. quæ collecta sunt sub titulo: Il buon uso della logica in materia di religione 1787-9 (tandem 11 v.). Quorum operum multæ editiones et versiones factæ sunt.

163. — S. 19 et 20. — **Opera omnibus cultis destinata.** — Talibus religionem defenderunt v. g. *Franc. Colangelo* C. Or., Apologia della religione cristiana 1831. — *Ales. Tassoni,* La religione dimostrata e difesa 3 v. 1800. Exponit religionis veritatem, necessitatem, utilitatem. — *Ioach. Ventura* O. Theat. diversa opera conscripsit, uti: La bellezza della fede ovvero la felicità di credere in Gesù Cristo 1859; La Raison philosophique et la Raison catholique, Paris 1852; Ecole des miracles ou les Preuves de la puissance et de la grandeur de Jésus-Christ 1854-8. — *Secondo Franco* S. J. edidit: Risposte popolari alle obiezioni più comuni contro la religione 1859. Liber in diversas alias linguas versus est.

Inter monographias opus maioris momenti est *Joan. Perrone* S. I., De D. N. J. C. divinitate adversus huius ætatis incredulos, Rationalistas, et Mythicos, 3 v. 1870.

Contra vitam Christi a Strauss conscriptam egit fere solus *Vincenzo di Giovanni,* La novella vita di Gesù di D. Strauss 1875. — Contra Renan primo traduxerunt libros *Freppel,* Esame critico della vita di Gesù scritta da E. Renan, 1863. — Conferenze sacre sulla divinità di Gesù Cristo 1885. — Item opus Protestantis de Pressensé, alia. — Præter plurima opuscula ediderunt quosdam libros. Tales sunt v. g.: *G. Caroli,* La vita di Gesù di E. Renan esaminata 1863. — *G. Ghiringello,* La vita di Gesù. Romanzo di E. Renan preso ad esame 1864. — *Car. Passaglia,* La vita di Gesù scritta da E. Renan, discussa e confutata 1864. — Card. *Alfonso Capecelatro,* Errori del Renan nella vita di Gesù, ultima ediz. 1908.

Versiones. — Opera generalia pro omnibus cultis destinata præcipue versionibus debentur. Ex operibus anglis verterunt v. g. libros *Moore*, Viaggio di un gentiluomo irlandese; opera *Wiseman*. — E gallicis Dictionarium *Bergier*, opera *Nonnotte, Guénée, de Maistre, Nicolas, Monsabré, Laforet* etc. E germanicis v. g. apologias quas conscripserunt *Hettinger*, *A. M. Weiss*, *Schanz* (secundum ed. 3 versio 1908). — Ex hispanicis opera *Balmes*.

Contra Modernismum. — Inter scripta quæ contra Modernismum generatim sumptum edita sunt, commemoranda videntur: *Christ. Pesch* S. J., Fede, dogmi, fatti storici 1909 (versio e germ.) — *Enrico Rosa* S. I., L'enciclica « Pascendi « e il Modernismo [2]1909; quo in libro collecti inveniuntur articuli conscripti in Civ. Cat. — *Cæs. Carbone*, De Modernistarum doctrinis 1909.

164. — **Tractatus scholis destinati.** — Ex operibus theologiam universam amplectentibus, quæ scholis destinati sunt, generatim huc pertinet prima quæque eorum pars, quæ fere theologiam fundamentalem continet. Accedunt quædam specialia opera.

Recenseri possunt e talibus cursibus theologiæ *Joan. Perrone* S. J. 1835 [1] 1900 [34], tom. primus e novem, qui habet titulum: De vera religione. — *Paielli* 1877. — *Salvator Magnasco* 1876. — *Clinus Crosta* [1]1893. — *Fridericus Sala* [6]1908. — *Ioan. Lottini* O. P. 1902. — *Paglia* 1903. — *Godofredus Zaccherini* 1905. — *Cæsar Manzoni* [2]1909.

165. — **Opera specialia systematica:** *Januarius de Vivo*, Tractatio theologica de divinitate religionis christianæ v. 3 1853-5; Universæ theoriæ revelationis systema 1862-8. — *Vincentius Gatti* O. P., Institutiones apologetico-polemicæ 3 v. 1866-7. — *Raphael Pacetti*, Logica theologica 1876. — Card. *Thomas Maria Zigliara* O. P., Propædeutica [1]1884 [5]1906, in quo opere multæ quæstiones etiam mere philosophicæ inveniuntur. — *Sanctus Schiffini* S. I., De vera religione 1908.

E collectionibus notandæ sunt hæ: *Fede e scienza* a 1901. — *Scienza e religione* (versio ex opusculis collectionis gallicæ) a 1904.

HISPANIA.

Accedunt notæ quædam de LUSITANIA, BRASILIA.

166. — **Lit.** — Præter generalem cf. Card. *Zef. Gonzales* O. P., Historia de la filosofia [2]1886 § XCI-XCVI (ed. gal. IV 465-94). — *Marcelino Menendez y Pelayo*, Historia de los hetorodoxos españolos 1880, ubi etiam de recentioribus erroribus l. 8 c. 3.

Adversarii.

167. — Rationalistica in Hispania vix aperte se produnt, nisi post primam tertiam partem s. 19, præcipue postquam vertere et in Universitatibus exponere cœperunt opera philosophorum quorundam recentiorum imprimis Germanorum. Tales sunt v. g. Krause, Hegel (Logica), Schopenhauer, Comte, Nietzche, Spencer. Unde pugna contra Rationalismum fere ab eo tempore incipit.

Atheus *Pí y Margall* quendam librum de controversia antireligiosa conscripsit. — *Castelar* in suis lectionibus: De civilisatione per quinque priora sæcula Christianismi, partim Hegeliana sequitur. — Non pauci hinc inde aliqua ediderunt quæ ideas Krause, discipuli Hegel, efferrent, uti *Julian Sanz del Rio.* — Præter cæteros errores etiam aliquid Positivismi intravit per *Poey.* — Multos commovit versio libri *Draper*, History of the Conflicts between Religion and Science (cf. n. 114 p. 68). — Philosophus *Bonilla de S. Martin* in: Historia de la filosofia española, Christianismum aggreditur.

Apologetæ.

168. — **Opera omnibus cultis destinata.** — Restitit valide *Jaime Luciano Balmes* (1810-48), Cartas à un escéptico 1845. — *Juan Donoso Cortes* († 1853), ostendit in: Ensayo sobre el Catolicismo, el liberalismo y el socialismo 1851, religionem supernaturalem omnem vitam penetrare debere. At traditionalismum admittit. *Orti y Lara* contra Castelar egit v. g. opere: La Sofistica democrática; contra Krause vero aliis libris. — *Perujo* († 1890), El Apologista católico 2 v. — Contra Draper scripserunt *Cosuellas y Cluet* 1880; *Camara* O. S. A. 1880; *M. Rubio y Ors.* — Refutarunt librum Draper præcipue *Jos. Mendive* S. I., La religión católica vindicata de las imposturas razionalistas 1906[4]; *Manuel Orti y Lara*, La ciencia y la divina revelación 1881; *Mig. Mir* S. I., Harmonia entre la ciencia y la fé. — *Mig. Sánchez* († 1889) de vita Jesu a Renan composita scripsit. — Magnæ eruditionis sunt hæc opera ad nos spectantia: *Juan Mir y Noguera* S. I., La religión 1899, El milagro 1895, La profecia 3 v. 1904.

Versiones habentur præterea Apologiæ *Hettinger* et *Weiss*, Dictionarii *Bergier* etc. — Opus apologeticum magis generale composuit *Lino Murillo* S. I., Jesucristo y la Iglesia Romana I, in quo multa de miraculis Christi. — *I. Gou Solá*, Lecciones razonadas de religión y moral, ó la verdad del Catolicismo, post 1900. — *Ignasi Casanovas* S. I., Teoria de la revelació, Barcelona 1907 (catalanice).

Contra Modernismum egerunt: *Los alumnos de teologia y derecho canónico (curso 1906-7) del Pontificio Colegio Español de S. José de Roma*, Ensayo de Comentario al Decreto « Lamentabili » 2 v. 1908. — *Ramón Ruiz Amado* S. I., El Modernismo religioso; *id.*, Los peligros de la fé en los actuales tiempos.

169. — **Manualia scholae theologicae destinata.** — V. g. *Jos. Rius*, 1844; *Narcissus Puig et Franc. Xarrié* O. P., I 1861; *Pons* 1885; *P. Fernandez* 1890; *Alibercli* 1891; *Valentinus Casajoana* S. I., qui haud pauca sibi propria habet, 1888; *Jos. Mendive* S. I., I 1895; *Emmanuel de Castro Alonso*, I 1897; *M. Blanch* C. M. F. 1901; *Rodriguez Villelga* 1902; *Valentinus Saiz Ruiz*, Synthesis theologiæ fund. 1907; *Joan. Muncunill* S. I., Tractatus de vera religione I 1909, opus amplum.

LUSITANIA.

Adversarii.

170. — Præcipuum influxum exercuerunt Comte, Hæckel, Neo-Kantiani quorum doctrinas divulgarunt v. g. *Theophilus Braga* et *Michael Bombarda.*

Apologetæ.

Restitit præcipue cœtus quidem iuvenum *Universitatis Conimbricensis* qui, dirigente *Antonio Valente* (postmodum Patriarcha Goensi), multa beneque scripsit in folio periodico Sciencia catholica. — Contra Monistas egi: *Emmanuel Fernandez Santanna* S. I., O Materialismo em face da Sciencia. — Versiones habentur apologiæ *Hettinger* et *Moigno*, operis *Mig. Mir*, Harmonia entre la ciencia y la fé. — Manuale composuit *Emm. Fernandez Santanna* S. I. sub titulo Bases scientificas da Religião.

BRASILIA.

Adversarii.

171. — Post medium s. 19: *Saldanha Marinho*, A Egreja e o Estado, quo opere universam religionem catholicam aggreditur. — *Sylvio Romero*, A Philosophia no Brasil; O Evolucionismo e o Positivismo no Brasil. — *Tobias Barreto*, qui scripsit opera varia circa philosophiam Hegelianam. — *Clovis Bevilacqua*, Philosophia Positiva; Jesus e os Evangelhos (versio). — *Martins Junior*, Apologetica Positivista. — *Miguel Lemos* et *Teixeira Mendes*, duces in propagando Positivismo Comte, diversa conscripserunt opera et opuscula.

Apologetæ.

Fere usque ad medium s. 19 res apologeticas sub forma sermonum religiosorum proponere solebant, uti v. g. *Marquez de Santa Cruz*, i. e. *Romualdo de Seixas*, archiepiscopus Bahiensis. — *Antonio de Macedo Costa*, episcopus Paraensis, Questão Religiosa. — Post annum vero 1850 etiam alterius generis opera edita sunt v. g. *Visconde de Araguaya*, Commentarios e Pensamentos. — *Julio Maria* C. SS. R., Conferencias litterario-philosophicas; Conferencias da Assumpção; « A Religião Catholica no Brasil » (Livro de Centenario). — *Visconde di Sabaja* scripsit de materia et spiritu. — *Gustavo Locher* S. I., Vade Mecum Philosophico. — *Brasilio-Machado*, Obras Avulsas e Discursos 2 v. — *Carlos de Laet*, Minas (opus litterarium-historico-philosophicum). — *João Gualberto do Amaral*, Conferencias scientificas. — *Amaro Caralcanti*, A Religião; A meus Discipulos. — *João Filippo*, A Justificação da Crença Catholica.

De re apologetica
quoad
MOHAMEDANISMUM ET JUDAISMUM.

A) QUOAD MOHAMEDANISMUM.

172. — Duplex distinguenda est ætas huius periodi, ea quæ Scepticismi atque Deismi influxum antecedit, ea quæ eam sequitur. Separari videntur opere *Hadriani Reland*, De religione Mohammedica 1717.

PERIODUS I. USQUE AD 1717.

173. — **In Occidente.** — Mohamedanismum aggredi atque religionem christianam defendere solebant eadem fere ratione qua sæculis anteactis.

E Gallis. — *Mich. Febvre*, Præcipuæ obiectiones mohamedicæ legis sectarum adversus catholicos earumque solutiones 1679. Hic missionarius in Oriente fuerat, impressit vero opus Romæ. — *Mich. Nau* S. I., Religio christiana contra Alcoranum per Alcoranum defensa ac probata, Parisiis 1680.

In Hispania. — Edita est a *Thyrso Gonzalez* S. I., Manuductio ad conversionem Mohametanorum, 2 v. 1687; a *Figuerola*, Lumbre de fé 1688.

In Italia. — Scripsit *Jos. Martellinus:* Triumphus catholicæ fidei contra sectam mohametanam 1681. — Celeberrimum vero opus in lucem dedit *Lud. Maracci* C. Reg. M. D., cui titulus: Alcorani textus universus, 4 v. in fol. 1691. Parte 1 continetur Prodromus i. e. refutatio Mohamedanismi et demonstratio veritatis christianæ magis systematica; partibus sequentibus proponuntur Corani textus arabicus, versio latina, refutationes singularum partium Surarum. — Hoc maximæ eruditionis opus nondum aliud secutum est, quod in rebus essentialibus aut melius sit aut par.

In Germania. — *Christ. Peichich*, natione Illyricus, edidit: Mahometanus dogmatice et catechetice in lege Christi, Alcorano suffragante, instructus 1717.

In Oriente postquam scripsit *Anastasios Gordios* († 1717), qui Mohamed cum Antichristo comparat, pugna literaria contra religionem prophetæ silet.

PERIODUS II. INDE A 1717.

Defensores Mohamedanismi.

174. — Postquam Scepticismi atque Deismi principia, ubivis terrarum sparsa, ideas pervertere cœperunt, vel ipsa religio Mahomed iamiam prædicabatur sive non multum inferior esse Christianismo, sive ei par, sive etiam superior.

Islamismi culturam defendit Orientalista *Hadrianus Reland* in Hollandia, opere quod nominavimus n. 172. p. 91: De religione Mohammedica ll. 2, 1717. Quod opus Durand vertit gallice 1721. — Secuti sunt in diversis terris scriptores, qui proxime ipsius personæ Mohamed quasi apologiam conscribere solebant; at cum persona sæpe rem efferebant, quamvis non eodem gradu.

Inter Anglos in hunc sensum egerunt propriis libris v. g. *Gagnier*, professor Oxonii, La Vie de Mahomet etc. 1732. — *Boswort Smith*, Mahomed and

Mahommedanism 1876. — *Lake*, Islam, its origin, genius and mission 1878. — Aspergunt talia suis libris multi alii, ut *Gibbon*.

Inter Gallos talia vulgavit *Voltaire*. — Arabista *Jean Jacques Anton Caussin de Perceval* († 1835). — *Renan*. — *Barthélemy Saint-Hilaire*, Mahomet et le Coran 1861. — *Meynier*, Etude sur l'Islamisme 1868. — *Imberdis*, Mahomet et l'Islam 1876. — *Montet*, La propagation chrétienne et ses adversaires musulmans 1890. — *Henry de Castries* in libro: L'Islam, impressions et études 1899, extollit Mohamed veracitatem, sanctitatem, inspirationem divinam, effectus sanctos. — *La Revue du monde musulman* fundata 1907 Parisiis, multa scitu digna affert, at nescio quam sympathiam Mohamedanismo ostendere videtur.

Inter Hollandos *Reinhart Dozy* diversis operibus e. g.: Het Islamisme 1863, prophetæ religionem defendit.

In Germania. — *A Sprenger*, in opere cæteroquin valde erudito, Das Leben und die Lehre des Mohamed nach bisher grösstenteils unbenutzten Quellen 3. v. Berlin [1] 1861-5, [2] 1869 nimis Mohamedanismo favet. — *Hans Batch* in scripto: Türke wehre Dich 1898, ætatem auream e Coran oriundam sperat, Christianismum vero odio habet.

Inter Hungaros Orientalista *Herm. Vambéry* Christianismum præ Mohamedanismo deprimit v. g. in opere Der Islam im 19 Jahrhundert 1875.

In Russia cum 17,000,000 Mohamedani numerentur atque multi Tartari ab ecclesia orthodoxa ad prophetam deficiant, Russi multa ad refellendum Mohamedanismum agunt atque scribunt. Contra quos præcipue *Imam Baïazitow* Islamismum ut principium progressus universalis et ut sanctitatis fontem celebrat. Ad quem finem scripta diversa in russiaca lingua composuit 1883, 1887, 1898. Summam libri russici: Relationes inter Islam et scientiam atque heterodoxos 1887 v. *Palmieri*, Die Polemik des Islam p. 95-132; La Chiesa Russa etc. 1908 p. 437-503.

Inter Turcos. — Quid ergo mirum quod inter Turcos multa hodie contra Christianismum atque pro Mohamedanismo scribuntur? V. g. *Seik Abd Esk Siakur Rahman* exponit totam doctrinam Islamismi. — *Mustafa Seoket*, *Ahmed Midhat* Effendi, *Husein Midhat Pascha* Effendi argumentum pro veritate Islamismi evolvunt. — Plures data opera de cultura Islamismi agunt, ut v. g. *Zeki Bey*, redactor ephemeridis Maalumat. Generatim premunt, culturam externam, imo mores magis floruisse atque florere sub influxu Mohamedanismi quam Christianismi. Quidam etiam polygamiam defendunt. Relationem Islamismi ad vitam æternam vix exponunt. — Easdem doctrinas historice ostendere conati sunt *Kaur Aziz* et *Potamos Zade Kalih Arif*. — Similia scribuntur a Mohamedanis in India, ut a *Seid Emir Ali* 1891 London.

Defensores religionis christianæ.

175. — Opera maioris molis quæ data opera vel defendant religionem christianam vel impugnent mohamedanam, conscripta non sunt. At in operibus ad apologeticam spectantibus, quæ sive scholis theologicis sive omnibus cultis destinata erant, partes de Mohamedanismo insertæ sunt. Porro quædam haud spernenda etiam data opera præ-

cipue recentius contra Mohamedanismum conscripserunt. Tandem opera historica de Mohamedanismo haud raro etiam apologetica suis rebus addiderunt.

Opera apologetica generalia. - Cf. præcipue *Wilmers*, De religione revelata th. 117, 118. — Porro v. g. *Ottiger*, p. 914-21. — *Gutberlet* II[3] p. 77-84. — *Casajoana* I p. 163-84. — *De Broglie*, Problèmes etc. ch. 7. — Cf. quoque inter opera magis antiqua quæ *Franc. Florentinus Brunet*, Parallèle des religions 3 t. in 5 v. 1785-92, etiam contra Mohamedanismum ex auctoribus alicuius nominis collegit.

Libri apologetici de solo Mohamedanismo agentes. — Eiusmodi sunt v. g.: *Ignaz Döllinger*, Mohameds Religion (italice 1853). — *Franc. Bourgade*, missionarius inter Africanos, varia opuscula utilia conscripsit, ut Soirées de Carthage ou Dialogues entre un prêtre catholique, un muphti et un cadi 1847; La Clef du Coran à l'Evangile... 1855. Quæ opera ad unum finem practicum inter se conspirant. — Plurima magnæ utilitatis continet *Joh. Hauri*, Der Islam in seinem Einfluss auf das Leben seiner Bekenner, 1882 (Influxus Islam in vitam eorum qui eum amplexi sunt). — *I. L. Gondal*, Mahomet et son œuvre [8]1904; *id.*, Islamisme et Christianisme 1906. — *Ugo Mioni*, Maometto e il Corano 1908. — *Carra de Vaux*, Le Mahométisme 1908; *id.*, La doctrine de l'Islam 1909.

In Encyclopaediis videri possunt articuli: Islam, Mohamed in *KL*[2] VI, VIII, 991-1000, 1705-12, scripti a Haneberg (Kaulen); Coran in *Dictionnaire de Théologie* III 1772-1844.

Opera historica, quæ apologetica aspergunt nominari possunt *William Muir*, The life of Mahomet [3] 1894 ch. 37 The person and character of Mahomet. — *Hub. Grimme*, Mohammed I Das Leben pp. 164; II Einleitung in den Koran. System der Koranischen Theologie pp. 186.

176. Præ cæteris terris **Russia** ultimis decenniis inter suos multa tentamina vidit, quibus religio prophetæ scientifica ratione refutaretur. Fructus desideratus usque nunc utique his multis laboribus non respondit.

A Statu civili creata est *Academia* in Kazan ubi a 1845 et 1854 eæ linguæ et res docerentur, quæ ad Mohamedanismum impugnandum utiles essent. — 1855 fundatum est folium periodicum eiusdem academiæ, in quo plurima ad Mohamedanismum spectantia inveniuntur. Etiam collectiones propriæ eduntur. V. g. inde a 1873 auctore *Malov* habetur *collectio operum polemicorum* pro missionariis inter Mohamedanos. Usque ad finem 1907 erant v. 23. (Elenchum v. Palmieri: La Chiesa Russa p. 500-2). Proponunt argumenta religionis christianæ, inter se comparant multa singula e religione christiana et Mohamedanismo etc. Præterea fundarunt 1870 cathedram pro polemica contra Islamismum.

B) QUOAD IUDAISMUM.

177. — Initio huius periodi a pugna contra Hebræos non destiterunt.

In Italia edita sunt hæc: *Jos. Maria Ciantes* O. P. vertit hebraice in usum Iudæorum S. Thomæ Summam contra Gentes 1657; in eundem finem scripsit: De S. Trinitate 1667, De SS. Christi incarnatione 1668. Ediderunt: *Jo. Maria Vincenti* Cler. Theat., Il Messia venuto, 1659. — *Emman. Sanz.* S. I., Breve trattato... 1691. — *Thom. Strozzi* S. I., L'Uomo Dio 1692. — *Franc. Leytam*, Hebraeus convictus ll. 4 1693. — *Lud. Maracci* O. Cler. Matris Dei (iunior), L'ebreo preso per le buone, 1701. — *Giulio Bartolocci* O. Cist. in sua: Bibliotheca magna rabbinica de scriptoribus et scriptis hebraicis, 5 v., multa polemica inseruit. (Quintus tomus, scilicet Bibliotheca latino-hebraica, editus est a Iosepho Imbonati). — *Paulus Seb. Medici*, Iudæus conversus: Riti e costumi degli ebrei confutati; porro Dialoghi sacri 1731-4. — *Io. Clem. Cechetti* O. M., Christi omnium Reparatoris fides... 1750. — *Io. Ant. Constantius*, La verità della cristiana religione contro le vane lusinghe dei moderni Ebrei 1749. — *Joan. Bernardus De Rossi*, vir ingentis eruditionis in rebus hebraicis: Della vana aspettazione degli Ebrei del loro re Messia 1773. — *David Paulus Drach* Gallus, Lettres d'un Rabbi converti aux Israëlites, Romæ 1833.

In Gallia. — *Car. de Rouilles*, Dialogi de SS. Trinitate cum Iudæo 1513. — Clarus in re exegetica *Gilb. Genebrardus* O. S. B., Rabbi Iosephi Albonis, Davidis Kimhi et anonymi Iudæi argumenta contra christianos ex hebraeo latine, cum refutatione eorundem argumentorum adversus recens trinitariorum dogma 1566. — *Lud. Ferrand*, Réflexions sur la religion chrétienne 1679. — Contra Iudæum Isac Orobio de Castro, ex Hispania profugum, Protestans *Philippus a Limborch* edidit: De veritate religionis christianæ 1687, quo scripto quæritur quis melior sit, Moses an Christus, lex an evangelium.

In Germania nominari possunt *Al. Liscutin*, Messias digito demonstratus 1707. — *Dom. Parfusius*, Lapis angularis 1756. — Doctissimus *Georgius Groll* Schol. Piar., hebraice conscripsit: Testis et doctor 1741 (versio latina iam 1739). — *Adamus Fr. Walcker* O. Præm.: Reflexio theologica contra spem vanam hebraicæ gentis, Pragæ 1745. — *Elias Roblik* Moravus, Jüdische Augengläser 1741. — *Christof. Akai* S. I. Hungarus, Tractatus Samucis Raby, Cassoviæ 1742. — *A. F. Namiesky*, Christus und Moses für und wider die Iuden tom. 5. Viennæ 1817-23.

178. — Ultimis temporibus docti potius abstinebant ab eiusmodi scriptis apologeticis, quæ directe ad usum Judæorum composita essent. Cuius modi procedendi inter alias hæ forte rationes reddi possunt. Una, ex parte Judæorum, in eo esse videtur, quod multi culti inter eos, cum hodie iam negent revelationem veram vel in Vetere Testamento factam fuisse, simili modo ad Judaismum adogmaticum pervenerunt, uti multi Protestantes Christianismum adogmaticum complexi sunt. Non est ergo, cur essentialiter alia ratione impugnentur

quam cæteri qui revelationem negant. Cf. tales doctrinas v. g. apud *Moritz Güdemann* (Oberrabiner), Jüdische Apologetik 1906 c. 1: iudaica religio ut revelatio divina p. 1-18. Alia ratio, eaque ex parte Christianorum, in eo forte est, quod his ultimis temporibus tot a christiana fide deficientes instruendi, tot Christiani in sua fide confirmandi erant, ut hæ curæ omnino prævalerent.

Finivimus hunc qualemcunque conspectum historiæ literariæ demonstrationis religionis revelatæ. Transeundum iam est ad brevem expositionem historiæ literariæ theologiæ dogmaticæ atque earum scientiarum, quæ theologiæ sive dogmaticæ sive fundamentalis sive utriusque auxiliares aliquando dicuntur. Addemus, si videbitur, quandam brevem notitiam historiæ literariæ eorum tractatuum theologiæ fundamentalis, quos in conspectu, quem dedimus, non consideravimus (cf. n. 55 p. 38).

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS

AUCTORE

HERMANNO VAN LAAK S. I.

TRACTATUS II.

DE RELIGIONIS REVELATIONE IN ABSTRACTO CONSIDERATA.

ROMÆ
TYPIS CUGGIANI
1908

DE RELIGIONIS REVELATIONE

IN ABSTRACTO CONSIDERATA

AUCTORE

HERMANNO VAN LAAK S. I.

AD USUM PRIVATUM

AUDITORUM UNIVERSITATIS GREGORIANÆ

ROMÆ

TYPIS CUGGIANI

1908

LEGENTIBUS S.

Tractatus de revelatione in abstracto considerata præcipue complecti solet doctrinam tum de ipsa revelatione in se sumpta, scilicet de eius possibilitate, convenientia, utilitate, necessitate, tum de singulis motivis credibilitatis. Supponit ea iam esse proposita, quæ in cursu ordinario philosophiae scholasticæ tractari solent atque ut præparatio quædam præmittitur iis tractatibus, quibus demonstratur, revelationem et ante Christum et per ipsum Christum de facto esse impertitam. Hi ipsi autem tractatus singulos tractatus dogmaticos præcedant necesse est.

Revelatio et fides inter se respondent. De fide vero atque consequenter de iudicio credibilitatis in genere data opera agitur in tractatu dogmatico « de fide ». Neque tantum eatenus dogmatici de his actibus tractant, quatenus in hoc statu providentiæ ordinem dicunt ad visionem beatificam atque ad habitum fidei supernaturalem, verum etiam quatenus actus fidei ab aliis actibus intellectus e natura sua distinguitur et quatenus consequenter iudicium credibilitatis specialem relationem habet ad actum fidei etiam tali modo conside-

ratum. Præterea multa de actu et motivo fidei, de iudicio et motivo credibilitatis ita consideratis pro natura theologiæ scholasticæ non tantum e revelatione probant verum etiam ex ipsis quoque conceptibus atque experientia deducunt. Unde quamvis talia haud pauca, quæ in dogmate proponi solent, plurimam lucem iis affundant, quæ hic exponenda erunt, ea tamen, ne in cursu studiorum idem bis ex iisdem fontibus deducatur, hoc loco tantum breviter indicanda videbantur.

Singulis quæstionibus quædam literatura addita est, in qua et ad communem Patrum atque Scholasticorum doctrinam remittitur et eorum aliqua ratio habetur quæ recentius vel in latina vel in aliis diversis linguis conscripta sunt. Id quod in aliquam utilitatem eorum cedere videbatur, qui postea hunc tractatum, hic in hac, ille in illa terra, docebunt vel prædicatione atque scriptione causam fidei agent.

INDEX THESIUM

TRACTATUS II.

De religionis revelatione in abstracto considerata.

PAG.

INTRODUCTIO.

CAPUT I. — Lemmata de huius tractatus obiecto, loco, historia. . . . 1

CAPUT II. — De revelationis notione et divisione.

Art. 1. De revelationis notione.

§ 1. De revelationis notione ea, quæ est subiectum huius tractatus 2

§ 2. De falsis conceptibus revelationis 4

Art. 2. De revelationis divisione 6

CAPUT III. — De materiæ tractandæ determinatione et ordine 8

PARS I.

De revelatione in se sumpta.

CAPUT I. — De revelationis possibilitate.

Art. 1. De revelatione immediata.

Propositio 1ª: Revelatio quædam immediata physice possibilis est . 10
Propositio 2ª: Revelatio religionis physice possibilis est 15
Propositio 3ª: Demonstrari nequit, mysteriorum existentiam aut revelationem repugnare 18

Art. 2. De revelatione mediata.

Propositio 4ª: Revelatio mediata religionis atque etiam mysteriorum physice possibilis est 25

CAPUT II. — De religionis revelatæ maxima convenientia et utilitate.

Art. 1. De utilitate revelationis immediatæ.

Propositio 5ª: Existunt fines Deo digni, quibus revelatio quædam præ cognitione solum naturali commendetur 29

PAG.

Propositio 6ª: Deus revelationem rerum earum, quæ per se profanæ sunt, ad fines se dignos dirigere potest 31

Propositio 7ª: Maxima sunt bona, quibus Deus moveri possit, ut religionem humano generi revelet 32

Propositio 8ª: Specialibus rationibus ostenditur, revelationem mysteriorum magnam afferre Deo gloriam, humano generi utilitatem 35

Propositio 9ª: Sunt rationes, quibus revelatio universalior, imo communis earundem veritatum pro toto genere humano, præ alia commendetur 36

Art. 2. De utilitate revelationis mediatæ.

Propositio 10ª: Sunt rationes, quibus Deus moveri possit, ut revelationem religiosam publicam per unum vel paucos ad cæteros omnes derivet 37

CAPUT III. — De revelationis necessitate.

Propositio 11ª: Si Deus voluit, ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, debita amplitudine et nullo admixto errore cognosci posse, simulque nullum aliud extraordinariæ suæ providentiæ auxilium concedere voluit, ipsa revelatio moraliter necessaria esse dicenda est 39

—

PARS II.

De motivis credibilitatis.

Vera motiva credibilitatis astruuntur.

A. Doctrinæ generalis de motivis credibilitatis summa capita adumbrantur. 45

B. Singula motiva credibilitatis proponuntur.

SECTIO I. — Argumenta primaria.

§ 1. De effectibus miraculosis in genere.

Propositio 12ª: Actiones miraculosæ fieri possunt 48

Propositio 13ª: Actio quædam miraculosa non tantum est argumentum aptum pro revelatione, verum etiam unicum primarium 5

§ 2. De effectibus miraculosis in specie.

1. De effectibus per se sensibilibus seu de miraculis.

De miraculorum natura.

PAG.

Propositio 14ª: Miracula fieri atque e natura sua convenientissime in signum revelationis assumi possunt 59

De miraculorum cognoscibilitate.

Propositio 15ª: Miraculorum veritas historica certo cognosci potest. 61
Propositio 16ª: Miraculorum veritas philosophica certo cognosci potest 65
Propositio 17ª: Miraculorum veritas theologica certo cognosci potest 67
Propositio 18ª: Miraculorum veritas relativa certo cognosci potest . 73
Propositio 19ª: Quæ de miraculis hucusque statuimus, humani generis atque præcipue sapientum auctoritate comprobantur. 77

2. De effectibus miraculosis per aliud sensibilibus.

Art. 1. De effectibus miraculosis in intellectu.

De natura horum effectuum miraculosorum in intellectu.

Propositio 20ª: Sapientia mirabilis, cognitio alsentium, scrutatio cordium, prophetia possibiles sunt atque aptissime in signum revelationis assumi possunt 87

De cognoscibilitate talium effectuum miraculosorum in intellectu.

Propositio 21ª: Veritas historica horum effectuum certo cognosci potest. 89
Propositio 22ª: Veritas philosophica horum effectuum certo cognosci potest 91
Propositio 23ª: Veritas theologica horum effectuum certo cognosci potest 98
Propositio 24ª: Veritas relativa horum effectuum certo cognosci potest. 99
Propositio 25ª: Quæ de effectibus huiusmodi docuimus, humani generis auctoritate comprobantur 101

Art. 2. De effectibus miraculosis in voluntate.

Propositio 26ª: Revelatio divina probari potest miraculis moralibus. 102

3. De effectibus neque per se neque per aliud sensibilibus.

Propositio 27ª: Revelatio probari potest effectibus qui neque per se neque per aliud sensibiles sunt. 109

Sectio II. — Argumenta secundaria.

Art. 1. Argumenta ex revelatione quæ iam probata est . . . 114

Art. 2. Argumenta ex auctoritate humana.

Propositio 28ª: Auctoritas humana testis etiam unius certum revelationis argumentum esse potest 116

PAG.

Propositio 29ª: Auctoritas humana plurimorum fidelium certum argumentum revelationis esse potest 118

Art. 3. Argumenta ex effectibus.

Propositio 30ª: Fructus simpliciter et in universum boni, qui e doctrina ut revelata per se oriuntur, eam revelatam esse certe demonstrant. 121

Propositio 31ª: Statuuntur partes, quas pax interna animi e religionis cognitione vel exercitio orta, in formando iudicio credibilitatis habere possit 125

Propositio 32ª: Statuuntur partes quas consideratio bonorum externorum, quæ sæpe civilisationis dicuntur, in formando motivo credibilitatis habere possint 127

Art. 4. Argumentum ex ordine qui in gubernatione generis humani resplendet.

Propositio 33ª: Ordo, quo historia humani generis, Deo providente, ad commendandum legatum Dei refertur, revelationem per eum impertitam esse demonstrat 131

Quædam falsa motiva credibilitatis refutantur.

Propositio 34ª: Inter motiva credibilitatis enumeranda non sunt: neque realitatis divinæ intuitus atque experientia aut cæcus instinctus aut postulata rationis aut sentimenta aut alia similia, quæ ne rationabilem quidem assensum fundare possunt; neque intrinseca rei veritas ex eius causa vel effectu perspecta 134

Scholion: Quod eæ partes religionis revelatæ, quæ mores spectant, vitam moralem hominis iuvare possunt per se non probat, eam religionem esse revelatam 147

Propositio 35ª: Falsum est, religionem qua revelatam (christianam) ab explicatione vitæ perfecta postulari, hancque exigentiam esse aliquod motivum credibilitatis revelationis . . 149

Propositio 36ª: Gratia qua elevans non est motivum credibilitatis . 154

Appendix. — De arte apologetam agendi 157

QUÆDAM ABBREVIATIONES [1]

Anthropos = Anthropos, Revue internationale d'ethnologie et de linguistique, Wien 1906-

Benedictus XIV = Benedictus XIV, De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione, v. 12, Romæ 1746-8.

de Bonniot = I. Bonniot S. I., Le miracle et ses contrefaçons [5], 488, Paris 1895.

Casajoana = Valentinus Casajoana S. I., Disquisitiones scholastico-dogmaticæ, I De fundamentalibus, 375, Barcinone 1888.

C B = Die Griechischen Christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausgegeben von der Kirchenväter-Commission der Königl. Preussischen Akademie der Wissenschaften, Leipzig 1897 — (usque 1908 v. 16) Additur v. et p.

Civ. Cat. = La Civiltà Cattolica, Roma 1849 — (omni anno 4 v.).

C V = Corpus Scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis Academiæ Litterarum Cæsareæ Vindobonensis, Vindobonæ 1866. (usque 1908 v. 51) Additur v. et p.

Col. Lac. = Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum Recentiorum Collectio Lacensis auctoribus Presbyteris S. I. de domo B. V. M. sine labe conceptæ ad Lacum, v. 7, Friburgi 1869-90.

D B = Dictionary of the Bible ed. by Iames Hastings, I-IV + Extra volume, Edinburg 1898-1906.

Denzinger = Heinr. Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss, I 612, II 594, Wuerzburg 1856-7.

Didiot = Jules Didiot, Logique surnaturelle objective [2], 479, Paris 1894.

E B = Encyclopædia Biblica ed. by T. K. Cheyne and I. Sutherland Black, I-IV 5444, London 1903.

Ench. = Henr. Denzinger, Enchiridion Symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum, ed. 10 quam paravit Clemens Bannwart S. I., 428, Friburgi 1908.

Gatti = Vinc. M. Gatti O. P., Institutiones apologetico-polemicæ de veritate ac divinitate religionis, I 723, II 779, III 740, Romæ 1866.

Gla = Dietrich Gla, Systematisch geordnetes Repertorium der katholisch-theologischen Litteratur, I 2. Lit. der Apologetik des Christentums und der Kirche, 1023, Paderborn 1904.

(1) Tituli cæterorum operum in ipso textu sufficienter indicari videntur.

Granderath, Const. Dogm. Conc. Vat. = Theod. Granderath S. I., Constitutiones dogmaticæ sacrosanti œcumenici Concilii Vaticani ex ipsis eius actis explicatæ atque illustratæ, 243, Friburgi 1892.

Gutberlet = Constantin Gutberlet, Lehrbuch der Apologetik [3], I 336, II 532, III 370, Muenster 1903.

Harnack, Dogmengeschichte = Ad. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte [3], I 800, II 483, III 840, Freiburg 1894; *Wesen* = Das Wesen des Christentums, 56-60 Tausend, Leipzig 1908.

Hettinger, Lehrbuch = Franz Hettinger, Lehrbuch der Fundamental-Theologie oder Apologetik [2], 926, Freiburg 1888; *Apologie* = Apologie des Christentums [8] I 567, II 510, III 589, IV 618, V 640, Freiburg 1899-1900.

Hurter = Hugo Hurter S. I., Theologiae dogmaticae Compendium, I Theologia Generalis [9], 544, Œniponte 1896.

K L [2] = Wetzer und Welte's Kirchenlexicon [2], v. 12 + Regist., Freiburg 1882-1903.

Katholische Missionen = Die Katholischen Missionen, Illustrierte Monatschrift. Freiburg 1873-

Kirn = Otto Kirn, Grundriss der evangelischen Dogmatik [2], 131, Leipzig 1907.

Kleutgen = Jos. Kleutgen S. I., Die Theologie der Vorzeit [2], I 696, II 701, III 542, IV 535, V 493, Muenster 1867-74 (etiam gall.).

van Laak = Hermann van Laak S. I., Theologia fundamentalis, *I* De Theologia generatim 1908; *II* = De religionis revelatione in abstracto considerata, 169, 1908; *III* = De revelatione christiana; *de miraculis Christi* = Monographia de miraculis Christi, 1-474 (lith.), 1904. Romæ.

Lahousse = Gust. Lahousse S. I., De vera religione, 523, Lovanii 1897.

Lechler = Gotthard Victor Lechler, Geschichte des englischen Deismus, 488, Stuttgart 1841.

Loisy, L'Évangile et l'Église = ed. 3, XXXIV + 279, Bellevue 1904; *Autour d'un petit livre* = XXXVI + 290, Paris 1903.

Mansi = Ioan. Dom. Mansi, S. Conciliorum nova et amplissima collectio t. 1 Florentiæ 1759, t. 31 Venetiis 1798.

Mazzella = Card. Cam. Mazzella S. I., De Religione et Ecclesia [6], 914, Romæ, 1904.

de Medina, Michael = Michael de Medina O. M., Christianæ Paranesis sive de recta in Deum fide libri septem, f. 289, Venetiis 1564.

Mendive = Ios. Mendive S. I., Institutiones theologiæ dogmatico-scholasticæ, I De principiis theologicis, 559, Vallisoleti 1895.

M G = Migne, Patrologiæ Cursus completus, Series Græca, t. 1-161 in v. 165, Paris 1857-86. Additur v. et columna.

M L = Migne, Patrologiæ Cursus completus, Series latina, t. 221, Paris 1844-64. Additur v. et columna.

Mueller I. = Ios. Mueller S. I., De vera religione (impressum ut ms), 654, Œniponte 1901.

Ottiger = Ign. Ottiger S. I., Theologia fundamentalis, I De revelatione supernaturali, 928, Freiburg 1897.

Pesch = Christianus Pesch S. I., Prælectiones Dogmaticæ (9 v.), I [3] Institutiones Propædeuticæ ad sacram theologiam, 415, Freiburg 1903.

Pesch, Heinr. = Heinrich Pesch S. I., Die sociale Befähigung der Kirche ², 639, Berlin 1899.

Pesch Tillm., Logica = Tillmannus Pesch S. I., Institutiones logicales, I 588, II 644, III 555, Freiburg 1888.

Petavius = Dionysius Petavius S. I., Theologicorum dogmatum t. 4 Paris 1644-50.

Pfleiderer, Entwicklung = Otto Pfleiderer, Die Entwicklung der Protestantischen Theologie in Deutschland seit Kant und in Grossbritannien seit 1825, 496, Freiburg 1891; *Religionsphilosophie* = Religionsphilosophie auf geschichtlicher Grundlage ³, 761, Berlin 1896.

R C F = Revue du Clergé Français, Paris 1895 — (omni anno 4 v.).

R E = Realencyclopaedie für protestantische Theologie und Kirche ³ herausgeg. von (I. I. Herzog und) Alb. Hauck, v. 21 + Regist., Leipzig 1896-1909.

Ritschl = Albr. Ritschl, Die christliche Lehre von der Rechtfertigung und Versöhnung ⁴, I 656, II 381, III 638, Bonn 1903.

Sabatier, Esquisse = Auguste Sabatier, Esquisse d'une philosophie de la religion, 415, Paris 1897.

Salmanticenses (Comp.) = Paulus a Conceptione, Tractatus theologici iuxta miram D. Thomæ et cursus Salmanticensis FF. Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli primitivæ observantiæ doctrinam, v. 4, Parmæ 1725.

Savonarola = Hieron. Savonarola O. P., Triumphus Crucis sive de veritate fidei, Florentiæ 1497.

Strauss = David Friedrich Strauss, Die christliche Glaubenslehre, I 717, II 739, Tuebingen 1840-1.

Schanz, Apologie = Paul Schanz, Apologie des Christentums ³, I 792, II 868, III 698, Freiburg 1903-6 (etiam ital. I, angl.); *Neue Versuche* = Ueber neue Versuche der Apologetik gegenüber dem Naturalismus und Spiritualismus, 407, Tuebingen 1897.

Scheeben = M. Ios. Scheeben, Handbuch der Katholischen Dogmatik, I-IV, Freiburg 1873-1903 (etiam gall.).

Schell, Apologie = Herm. Schell, Apologie des Christentums, I Religion und Offenbarung ², 464, Paderborn 1901.

von Schmid = Alois von Schmid, Apologetik als spekulative Grundlage der Theologie, 354, Freiburg 1900.

Schultz, Grundriss = Herm. Schultz, Grundriss der Christlichen Apologetik ², 225, Goettingen 1902.

Scotus = Ioan. Duns Scotus, Scriptum Oxoniense seu Commentaria in 4 ll. sent.; *Scotus (Montefortino)* = Duns Scoti Summa theologica ex universis operibus eius concinnata iuxta ordinem et dispositionem Summæ Angelici Doctoris per Hieron. de Montefortino, ed. nova v. 6, Romæ 1900-3.

Spagni = Andreas Spagni S. I., De miraculis ², v. 2, Romæ 1785.

Stimmen = Stimmen aus Maria-Laach, Katholische Blätter, Freiburg 1871 - (omni anno 2 v.).

Supern. Relig. = Anonymus auctor libri: Supernatural Religion ³, I 485, II 512, London 1874; Popular edition, 920, London 1905.

Suarez = Franc. Suarez S. I., Opera omnia, ed. Berton (Vives) v. 28, Paris 1856-61. Additur v. et p.

Th. = S. Thomas, Summa Theologica.
Thomassinus = Lud. Thomassinus C. Or., Dogmata theologica, v. 3, Paris 1680.
Tournely = Honoratus Tournely, Prælectiones theologicæ, v. 16, Paris 1725.
van Weddingen = Aloysius van Weddingen. De miraculo, 446, Lovanii 1869.
Werner = Carl Werner, Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie, I 655, II 603, III 765, IV 779, V 561, ed. nova Regensburg 1889.
Wilmers = Guil. Wilmers S. I., De religione revelata, 686, Ratisbonæ 1897.
Wirceburgenses = Theologia dogmatica, polemica, scholastica et moralis, prælectionibus publicis in alma Universitate Wirceburgensi accomodata, v. 14, Wirceburgi 1766-71; ed. 3 Paris 1879-85; *II* = Ign. Neubauer, S. I., de religione.
Zaccherini = Godofr. Zaccherini, Prælectiones Theologiæ speculativæ. Pars prima De vera religione, 517, Romæ 1905.
Zigliara = Card. Th. M. Zigliara O. P., Propædeutica ad sacram theologiam, 479, Romæ 1884.
Z K Th = Zeitschrift für Katholische Theologie, Innsbruck 1877.
Zoeckler = Otto Zoeckler, Geschichte der Apologie des Christentums, 747, Guetersloh 1907.

ERRATA-CORRIGE

p. 29, lin. 2, loco: *id cuius,* lege: *quod cum Dei perfectionibus convenit, quin tamen eius*

p. 48, inter duas inscriptiones ponantur verba: *Statuuntur vera motiva credibilitatis.* Sectio prima. Motiva primaria.

p. 49, del. duæ priores inscriptiones usque ad § 1.

p. 55, del. lin. 1 et 2 excepto numero marginali.

p. 58, lin. 24 ab infra del.: Perty 1879.

p. 78, lin. 9 ab infra loco: Soltan leg.: Soltau

p. 80, del. n. margin. 110.

p. 83, lin. ultima loco: de visionibus, leg.: de revelationibus.

p. 104, lin. 2 ab infra, del.: 1).

p. 114, ante inscript. art. 2 leg.: Motiva secundaria; in inscript. loco 2 leg.: 1

p. 115, in inscript. loco 3 leg.: 2

p. 118, lin. 6, ab infra, loco: *Tertullianus,* lege: *Lactantius*

p. 121, in inscript. loco 4 leg.: 3

p. 131, in inscript. loco 5 leg.: 4

Alia quædam minoris momenti benignus lector ipse corriget.

TRACTATUS II.

DE RELIGIONIS REVELATIONE IN ABSTRACTO CONSIDERATA

INTRODUCTIO

CAPUT I.

LEMMATA DE HUIUS TRACTATUS OBIECTO, LOCO, HISTORIA

Lit. *van Laak* Tractatus I eæ partes, quæ de theologia fundamentali sunt, præcipue n. 6-32, ubi alia lit.

1. — Uti tractatu I vidimus, theologia fundamentalis factum revelationis publicæ demonstrat. Unde e natura rei supponit demonstrationem possibilitatis et cognoscibilitatis revelationis. Imo utile fuerit, ea quæ *de revelatione in abstracto sumpta* statui possunt, in completum *systema demonstrationum* coniungere. Ita enim *a)* tractatio de revelatione in concreto sumpta et cum maiore claritate singularum partium et cum perfectiore earum ordine proponi potest. *b)* Accedit quod difficultates adversariorum contra revelationem in concreto saepe ex erroribus de revelatione in abstracto procedunt. Hoc systema est *obiectum formale quod tractatus nostri II* seu de religionis revelatione in abstracto considerata.

2. — Quæ mediante ratione naturali de Deo cognosci possunt, per se ad philosophiam pertinent. Quare *locus proprius huius tractatus est in disciplina philosophica. Nihilominus suaderi potest, ut externe cum theologia fundamentali coniungatur.* Nam *a)* in philosophia et multæ partes singulæ huius tractationis et a fortiori integrum earum systema omitti solet. *b)* Saepe scientia quædam proxima auxiliaris cum principali externe nectitur.

3. — Tractatio hæc abstracta uti integra atque in se completa *formari cæpta est s. 18 fere medio* (Cf. I pars hist.) — Unde etiam *auctores consulendi* præcipue ii sunt, qui inde a s. 18 theologiam fundamentalem via et ratione excoluerunt (Cf. I n. 6). Accedunt multa e Patribus, Scholasticis, quæ tum in tractatu I tum in hoc nostro II sparsa inveniuntur.

CAPUT II.

DE REVELATIONIS NOTIONE ET DIVISIONE

Art. 1. De revelationis notione.

§ 1. De revelationis notione ea, quæ est subiectum huius tractatus.

4. — Lit. De locutione in genere v. v. g. *Aug.* de magistro liber unus ML 32, 1193-220. Expoliunt conceptum Scholastici cum de locutione angelorum agunt, v. g. *Th.* 1 q. 107 eiusque commentatores, v. g. *Suarez*, de angelis l. 1 c. 28 n. 27-31 (ed. Paris) 2 p. 265-67.

De locutione divina præcipue ibi agunt, ubi de eius modis tractant, v. g. *Aug.*, de diversis quæstionibus ad Simplicianum l. 2 ML 40, 127-50; de Genesi ad litteram l. 12 ML 34, 453-86. — *Th.* de Prophetia 2, 2 q. 171-75 incl. Vel ubi de obiecto fidei i. e. de auctoritate Dei loquentis agunt, uti præcipue *de Lugo*, de virt. fidei div. disp. 1 sect. 10 (ed. Lugd. 1646) p. 50-56 « in quo formaliter consistat actualis revelatio Dei ». — *Schiffini* de virt. infus. n. 49-54 p. 71-78. *Scheeben* I l. 1 pars I c. 1 § 1 p. 8-11. Ex iis qui data opera apologeticam tradunt cf. v. gr. *Wilmers*, n. 56-62 p. 46-51. — *Ottiger*, p. 41-49.

De distinctione inter locutionem simpliciter docentem et testantem v. g. *Aug.* de mag. l. c. c. 12 n. 40 col. 1217, 1218 ubi locutionem simpliciter docentem describit. — *Th.* qu. disp. de verit. qu. 11 de magistro art. 1 in corp. versus finem.

5. — *Revelatio vi vocis* dicit actum, quo quis velamen materiale a re abscondita retrahit. Si de actu mentis sermo est, revelatio significat actum mentis, quo quis alteri rem ei antea incognitam manifestat.

Usus autem, in hac voce adhibenda, uti in aliis plurimis, etymologiæ limites prætergreditur. Quod præcipue fit cum de Dei actibus manifestativis loquimur. Usu enim revelationis nomen omnibus iis actibus imponitur, quibus Deus aliquid nobiscum communicat, sive notum illud nobis antea fuerit, sive ignotum.

Sensu quam maxime speciali atque restricto, ut vox artis, *uti terminus technicus*, vox revelationis hodie ab apologetis atque theologis adhiberi solet. Intelligitur vero ea voce *locutio Dei attestans*. Quæ notio iam explicanda est.

6. — I. *Locutio* est actus mentis quo quis directe iudicium suum alteri manifestat.

a) Intelligitur *iudicium*, in quantum ab apprehensione simplici distinguitur. Etenim locutio eum habet finem, ut rem manifestet qua cognitam, i. e. in quantum habet veritatem in mente cognoscentis.

Veritas autem logica in simplici apprehensione non est nisi secundum quid, in solo iudicio simpliciter. A fortiori in locutione attestante — quam mox explicabimus — de solo iudicio communicando sermo esse potest. Ea enim interponit loquentis auctoritatem. Auctoritas autem includit veracitatem. Veracitas vero supponit aliquid affirmari. Affirmatio vero in solo iudicio habetur.

b) Locutio est actus, *quo quis directe, non tantum indirecte, id agit, ut alius cognoscat, quid ipse loquens de aliqua re iudicet.* Indirecte suum de aliqua re iudicium communicat, qui aliquam rem sive producit sive tantum manifestat, e qua natura prius cognita alium in cognitionem iudicii sui perducit. Directe suum de aliqua re iudicium manifestat, qui non utitur medio obiectivo, e quo cognito alius cognitionem sui iudicii acquirat, sed e contrario primo et per se nobiscum communicat, quid de aliqua re iudicet atque mediante suo iudicio ipsam rem de qua iudicat, manifestat.

Quare α) *creatio* non est locutio Dei. β) Neque locutio necessario cum *infusione scientiæ vel specierum* coniungitur. Fieri enim potest, ut Deus miraculoso modo species rerum infundat, intellectum in rebus, quas repræsentant, diiudicandis miro modo iuvet, ita tamen, ut hæ ipsæ species atque hæc ipsa iudicia directe et immediate in res ipsas ferantur, non vero in iudicium, quod Deus de talibus rebus habet. γ) Neque tunc Deus loquitur cum *mediante essentia sua visa* nobis quædam necessaria iudicia quæ format, videnda exhibet.

c) Locutio *ad alterum* est. Intelligitur α) loquentem non esse eandem personam cum eo, ad quem loquitur; β) ea conceptuum directione loquentem uti, qua vult, ut alius quid ipse loquens in mente habeat, resciat. Ita in epistola scripta nos illi loqui affirmant, ad quem illam dirigimus, non vero ei, qui contra nostram voluntatem eam reseraverit.

d) Locutio *formalissime sumpta*, si active spectatur, est actus quo quis, quantum ex se est, alterius menti suorum iudiciorum similitudinem imprimit; si passive spectatur est ipsa hæc similitudo in alterius mente passive recepta. A qua similitudine passive recepta hi distinguuntur actus: α) determinationes intellectus sui passive receptas per apprehensionem active in se exprimere; β) ad ea, quæ quis ita active in se expressit, attendere; γ) sensum eorum, ad quæ attendit, intelligere; δ) internas rationes, cur enuntiabile affirmandum sit, perspicere; ε) inquirere quis locutus fuerit, atque de hac quæstione iudicium e rationibus obiectivis formare; ζ) iudicare de loquentis auctoritate; η) ob eius auctoritatem ea quæ dixit, fide complecti.

7 — II. Duplex habetur *locutio, una docens simul et attestans* (testificans, auctoritativa), *altera tantum docens*. Quare illa attestans sine addito dicitur, hæc simpliciter docens nominatur. Utique in utraque locutione loquens aliquid docet. Sed motivum assensus in rem quam docet, aliud est in locutione auctoritativa, aliud in ea quæ auctoritativa non est. In locutione attestante is qui loquitur vult, ut id quod docet ideo firmo assensu admittatur, quia ipse est qui loquitur, quia ipse in re quam docet communicanda auctoritate pollet. Auctoritas in re testanda in eo est, ut quis circa rem quam dicit, scientia debita et veracitate instructus sit. Ergo in locutione attestante motivum assensus est auctoritas loquentis. — In locutione vero, quæ simpliciter docens nominatur, veritas de qua agitur ita communicatur, ut qui audit non obligetur, ut rem dictam ob auctoritatem loquentis suscipiat. In hac locutione simpliciter docente partes loquentis hæ sunt: Conceptus suos et iudicia sua audienti ad eum finem proponit, ut is, consideratis et comparatis conceptibus, quos loquens proponit, considerato iudicio quod de rebus per conceptus propositis enuntiat, ex ipsa idearum comparatione vel ex propria experientia perspiciat, iudicium a se ipso formandum non debere esse diversum ab eo quod loquens pronuntiaverat. Quare in hoc locutionis genere is qui loquitur non tam instituit ipse, quam ea facit, unde facilius instituant causæ aliæ. Quæ causæ sunt tum ipsæ res evidentia sua lucentes, tum ipse discens evidentiam obiectivam perspiciens.

In tractatu nostro cum de revelatione divina loquemur, nisi aliquid aliud additur, semper eam intelligimus, quæ attestans dicitur. Ratio est, quia in hac tractatione prævia de ea re agimus in abstracto, quam existere postea probabimus. Iamvero Deus in revelatione publica, quam impertivit, a populo quem allocutus est, vel ab humano genere integro, ad quod sermonem suum direxit, exegit fidem eamque ob auctoritatem suam præstandam. Hæc autem fides imposita revelationem attestantem supponit. Transmittimus vero quæstionem, num locutio simpliciter docens in Deo omnino cogitari possit.

§ 2. De falsis conceptibus revelationis.

8. — Lit. Quæ fuerint falsæ ideæ revelationis et a quibus per decursum temporum propositæ fuerint v. optime *Denzinger*, I 118-231, suo modo usque 612, usque ad a. 1856. — *Werner*, V 41-300, usque ad a. 1866. Etiam recentiora *Hettinger*, Lehrb. § 13 p. 136-48. — *v. Schmid*, p. 40-93, 125-65.

Pro s. 19 *Wilmers*, n. 62 p. 50-52; *id.*, de fide art. III p. 6-10. — De Modernistis *Pesch*, Theol. Zeitfragen 4 *Folge* II 39-139. — *Encyc.* « *Pascendi* » ab initio « Hic tamen - Attamen in toto ».

Protestantes qui tales conceptus exhibent v. præcipue de Germanis *Pfleiderer*, Grundriss der christl. Glaubens- u. Sittenlehre 1886 § 16. - *M. Kœhler* in RE 14, 1904 art. Offenbarung, 324-27. — *A. E. Garvie* in DB Extra volume 1904 art. Revelation 321-37.— *Cheyne* in EB III art. Prophetic Lit., 3853-901; uterque præcipue de Anglis. — Item de Anglis Deistis *Lechler* ad v. Offenb. — Lit. de sententiis falsis inter Gallos *Sabatier*, Exquisse p. 62-63. — De Germanis inde a Kant, de Anglis ab a. 1825 *Pfleiderer*, Entwicklung. — Generalia inde a Spinoza *id.*, Religionsphil. I. — *Zöckler* inde a reformatione.

9. — Acatholici plurimi non ideo conceptum revelationis pervertisse dicuntur, quia hanc vel illam manifestationem divinam a vera locutione distinctam proponunt, sed ideo quia cum eiusmodi diversis conceptibus falsum iudicium coniungunt, non illam veram locutionem sed tantum alios revelationis modos esse aut possibiles aut cognoscibiles aut in sacra Scriptura propositos. Unde proprie non adversantur expositioni conceptus revelationis quam § 1 dedimus, sed diversis thesibus in decursu tractationum sequentibus. Nihilominus utile esse videtur, conceptui de quo abhinc continuo agemus, conspectum aliarum notionum opponere.

Generatim in eo conveniunt adversarii, quod omnem *eam cognitionem dicere solent e revelatione ortam et consequenter fidem, cuius obiectum est aliquid religiosi et quæ non acquiritur mediante scientifico syllogismo* (i. e. non est cognitio scientifica, ut aiunt, non philosophica, non metaphysica). In specie autem diversa statuunt obiecta, diversos modos ea cognoscendi. Alii porro magis rationem obiecti, alii magis modum cognoscendi premunt.

Obiecta, quibus revelatio a cæteris modis cognoscendi distinguitur, sunt v. g. secundum *Fichte*, Versuch einer Kritik aller Offenbarung § 7 impulsus morales mediantibus sensibus producti; secundum *A. Ritschl*, III [4] 558, 8-14 valor religiosus obiectorum; secundum *Loisy*, Autour d'un petit livre (1903) 195 « relatio hominis ad Deum, quam conscientia acquisiverit »; secundum *Schultz*, Grundriss der christl. Apologetik (1902) § 6, 4 p. 35 « cognoscitivæ impressiones de Deo, in quantum in vitam animæ... influit et eam, plenus potentia in mundum, ad finem perducit »; secundum *O. Kirn*, Grundriss der Evangel. Dogmatik (1907) § 12 « eiusmodi manifestatio Dei homini facta, qua desiderio eius religioso aliquo modo satisfit ».

Alii magis *modo cognitionis* insistunt. *Strauss*, Glaubenslehre (1841) p. 76 premit, eam debere esse claram, adiunctis tamen erroribus et inclinatione eos communicandi; *Biedermann* Christl. Dogmatik (1884), eam esse haustam e vita spiritus, experientiæ subiecta; *Pfleiderer*, Grundriss der christl. Glaubens- u. Sittenlehre 1886 § 16, eam proficisci ab anima quasi necessario agente.

Cum in Encycl. « Pascendi » l. c. alludatur ad *Loisy* l. c., eius verba referamus: « Pour peu qu'on y réfléchisse, et quelles que soient les circonstances extérieures auxquelles se sont rattachés l'éveil et les progrès de la connaissance religieuse dans l'homme, *ce qu'on appelle révélation n'a pu être que la conscience acquise par l'homme de son rapport avec Dieu* ». At cur eiusmodi naturalem manifestationem Dei vocat revelationem supernaturalem? Respondet Autour d'un petit livre p. 198: « La cause efficiente de la révélation est surnaturelle comme son objet, parce que cette cause et cet objet sont Dieu même; mais Dieu agit dans l'homme,

et il est connu par l'homme ». Simillima v. *Sabatier*, Esquisse d'une philosophie de la religion 1897 p. 308, quem Loisy in genere quasi magistrum suum in rebus de philosophia religionis sequi videtur.

10. — Hæc porro cognitio atque quasi expletio religiosa animi secundum adversarios ideo dicenda est *revelatio christiana*, quia sentitur, quando respicimus vel audimus Christum vel *aliquem influxum recipimus a Christo vel spiritu, quem in mundo producit.* Ipse tamen Christus et merus homo esse et nullam præternaturalem cognitionem Dei habuisse supponitur. Quod ultimum de omnibus prophetis, de omni homine qui sive ad loquendum sive ad scribendum inspiratus fuerit, asserendum esse pronuntiant. Cf. v. g. *Wegscheider*, Institut. theol. (1841) § 12 p. 58. — *Schultz*, l. c. — *Ritschl*, p. 558. — *Harnack*, D. I 59.

Qui conceptus falsi etiam in iis qui se christianos dicunt quantopere regnent v. v. g. ex eo quod *Encyclopædiæ protestanticæ*, quas nominavimus, RE. DB. EB., rectum conceptum ne proponunt quidem; quod *Kaftan*, Dogmatik (1897) § 4 p. 31-44, quem tamen ducem dexteræ alæ Protestantium liberalium quidam habent, eum plane omittit; quod universam criticam N et VT. atque doctrinam de historia revelationis pervadit.

E catholicis auctoribus recentibus non recte *Schell*, Apologie des Christentums I (1901) p. 194-96, 205-11 in conceptum revelationis inferre videtur communicationem virium, finem supernaturalem; videtur etiam putare, eam in factis consistere posse, prout verbis opponuntur.

Art. 2. De revelationis divisione.

11. — 1) Secundum causam efficientem. Eas determinationes, quibus revelatio passive sumpta constituitur, Deus aut immediate per se ipsum solum efficit, aut sive omnes sive ex parte per angelum.

2) Secundum obiecta, quæ referuntur. Aut res profanæ sunt, aut res religiosæ. Aut mysteria sunt, aut non.

3) Secundum modum, quo similitudo rei in mente producta, obiecta repræsentat. Res spirituales aut secundum analogiam repræsentantur, quam cum rebus sensibilibus habent, aut — novo miraculo accedente — secundum modum earum proprium.

4) Secundum modum, quo conceptus ipsius rei in mente a causa efficiente producitur. Res aut repræsentatur prius signis sensibilibus obiectivis ex instituto significantibus (lingua vel ore prolatis, sive scriptis), deinde signis formalibus naturalibus in mente, aut tantum hoc secundo signorum genere refertur.

5) Secundum facultates humanas, quæ in recipienda revelatione determinantur. Aut sensus externus et phantasia et spiritus determinantur, aut tantum phantasia et spiritus, aut solus spiritus.

6) Secundum subiectum quod in se recipit influxum miraculosum, qui in revelatione divina intercedit. Aut uni personæ hic influxus miraculosus communicatur aut pluribus. Aut de persona privata agitur aut de persona publica vel integro populo ut tali.

7) Secundum modum quo notitia credendorum et obligatio credendi ad plures pervenit. Primus modus est: Deus influxu suo præternaturali quo verum communicat, in tot homines agit, quot vult notitia credendorum imbui et credendi obligatione teneri. Secundus modus hic est: Deus uni vel paucis, præternaturali modo influendo, veritatem communicat; huic uni vero vel iis paucis imperat, ut, quas veritates ipsi præternaturali modo a Deo communicatas receperunt, aliis ut Dei auctoritate credendas proponant. Iis ad quos per alios notitia credendorum pervenit, Deus mediate revelasse dicitur; ii vero, qui ipsi influxum miraculosum, quo veritates communicantur, a Deo receperunt, immmediatam revelationem recepisse dicuntur.

8) Secundum quod adhæsio ad veritates revelatas in iis, qui revelationem immediatam receperunt, eiusdem generis est atque adhæsio eorum, qui mediatam receperunt, vel diversi generis. Deus homini, quo ut medio utitur, aut per modum attestantis aliquid manifestat aut alio modo. Primum si contingit, cognitio quæ in utroque manifestationi Dei respondet, est fides ob auctoritatem Dei loquentis præstanda. Alter modus est hic: Deus homini, quo ut medio utitur, et aliquam veritatem communicat et simul ei manifestat, eam a se Deo ita diiudicari, ât hoc non per modum attestantis sed sublimiori modo ei manifestum reddit. Deinde adiungit mandatum, ut hanc veritatem aliis hominibus ob auctoritatem ipsam divinam credendam proponat. Si res ita se habet, ipse homo quo Deus ut medio utitur, non potest veritatem a Deo sibi manifestatam recipere fide, sed actu sublimiori eam attingit, illi autem quibus eam veritatem prædicat, actu fidei eam amplecti tenentur. Priore modo v. g. Adam et ipse futuram per Messiam redemptionem sibi revelatam fide suscepit et eam posteris fide amplectendam nuntiavit. Secundo modo Christi anima Trinitatem non credidit sed vidit, eam autem hominibus non videndam his in terris sed credendam proposuit.

9) Secundum modum tendendi, qui inest in illis actibus, qui ad revelationem amplectendam diriguntur, præcipue in ipsa fide. Hic modus aut is est, ut in iis actibus intrinsecus ordo ad visionem beatificam inveniatur, aut is, ut tali intrinseco ordine destituantur.

CAPUT III.

DE MATERIÆ TRACTANDÆ DETERMINATIONE ET ORDINE

12. — N. 1 vidimus in hac prævia tractatione tradenda esse ea, quæ de revelatione, abstrahendo ab eius existentia, affirmari possunt. Determinanda est hæc materia.

Omittimus 1) ea omnia, quæ de relatione revelationis atque actuum quibus suscipitur, ad visionem beatificam quæri possunt. Etenim nonnisi e demonstrata iam revelatione vel ut possibilia cognosci possunt.

2) Neque omnes revelationis modos data opera tractamus, sed tantum de iis proponimus, quantum ad probandas theses utile visum fuerit. Præcipue eos tradimus, contra quos adversariorum difficultates maxime diriguntur. Nam *a)* hoc ad fines nostri tractatus sufficit; *b)* diversi modi revelationis in theologia data opera evolvuntur, v. g. diversi modi scientiæ infusæ, etc.

Remanent ergo quæstiones eæ quas in sequenti schemate positas exhibemus. Rationem cur de possibilitate mysteriorum convenienter agatur, in ipsa thesi exponemus. Simul ordinem proponimus, in quo has quæstiones tractabimus. Qui ordo cur electus fuerit, ex ipso schemate considerato patebit.

Habes erga tractatus nostri schema hoc:

PARS I. **De revelatione in se sumpta.**

1) De possibilitate revelationis
- 1) immediatæ — α) veritatis cuiusdam
  β) religionis naturalis
  γ) mysteriorum
  δ) ipsi communitati factæ.
- 2) mediatæ.

2) De utilitate revelationis
- 1) immediatæ — α) veritatis cuiusdam
  β) religionis naturalis
  γ) mysteriorum
  δ) ipsi communitati factæ.
- 2) mediatæ.

3) De necessitate revelationis religionis naturalis.

PARS II. **De habitu mentis ad revelationem.**

1) Intellectus relatio: *a)* certo demonstrari potest;
b) quibus modis.
2) Voluntatis relatio: debet homo: *a)* in revelationis factum inquirere;
b) eam credere.

PARS I.

DE REVELATIONE IN SE SUMPTA

CAPUT I.

DE REVELATIONIS POSSIBILITATE

13. **Lit.** E libris qui post illam ætatem conscripti sunt, qua theol. fund. in propriam scientiam evoluta est: *Wirceburgenses*, II diss. 4 s. 1 p. 61-81. — *Denzinger*, II 45-290. — *Gatti*, II 236-94. — *Hettinger*, Lehrb. § 13-17 p. 131-83. — *Idem*, Apologie II Vortrag 10 et 11 p. 1-119. — *Cam. Mazzella*, 54-102. — *Zigliara*, 117-52. — *Casajoana*, I 79-94. — *Pesch Tillmannus*, Logica pars 2 vol. I 623-37. — *Didiot*, Logique surnat. object. th. 28-33, 41. — *Schanz*, II § 15 p. 409-47. — *Lahousse*, 86-142. — *Mendive*, I, 12-30. — *Ottiger*, 32-148. — *Wilmers*, 46-92. — *Ch. Pesch*, I 92-107. — *von Schmid*, 125-65. — Auctores multi apud *Gla* p. 235-49. — De sententiis falsis earumque rationibus cf. Lit. n. 8-10.

Quoad argumentum ex auctoritate generis humani vel sapientum: quoad ethnicos in genere v. g. *H. Lueken*, Die Traditionen des Menschengeschlechtes oder die Uroffenbarung Gottes unter den Heiden 1869 pp. 537 per totum. Materia multa etiam recentissima sparsa at rationalistico spiritu diiudicata in: *Chantepie de la Saussaye*, Lehrbuch der Religionsgeschichte (² 1905) 2 vol. Quoad ethnicos recentioris temporis folia periodica de missionibus, v. g. *Die Katholischen Missionen* et *Anthropos*. — Summam v. *Schanz*, II § 2-9 p. 32-210. — Speciatim de Græcis *C. F. Nägelsbach*, Die homerische Theologie in ihrem Zusammenhang dargestellt (Nürnberg 1840) 4 Abschnitt p. 130-170; *idem*, Die nachhomerische Theologie des griechischen Volksglaubens bis auf Alexander (Nürnberg 1857) p. 157-91. — Quoad Neoplatonicos *Zeller*, Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwicklung 3 Teil 2 Abteil. p. 69-79; quoad Plutarchum ib. p. 192-96, quoad librum de mysteriis ib. p. 720-24. Quoad Iudæos et Christianos v. interim *Denzinger*, II n. CXIII p. 163-76 argumentum e N et VT. De Patribus et hæreticis *van Laak*, III thesis 1.

14. — Aliud est demonstrare alicuius rei possibilitatem, aliud est probare, nullum intellectum creatum posse demonstrare, eam esse impossibilem. Demonstramus revelationem eiusque species in schemate n. 12 enumeratas esse possibiles. Tantum revelationem mysteriorum nodo aliqua ratione diverso proponemus.

Possibilitas adæquata alicuius rei in eo consisit, ut eius existentia cum omnibus perfectionibus divinis conveniat, quæ in existentiam alicuius rei influere possunt. In qua possibilitate mentis præcisione

distinguitur possibilitas rei tum physica tum moralis. Possibilitas physica est ipsa non-repugnantia intrinseca notarum. Possibilitas moralis est id, quo res sapienter in finem aliquem bonum in concreto ordinari potest.

Art. 1. De revelatione immediata.

Propositio 1ª: Revelatio quædam immediata physice possibilis est.

15. — **St. qu.** *Explicatio terminorum* ex dictis patet. — *Connexio materiae.* Priusquam de possibilitate certarum specierum revelationis agitur, convenienter ea revelatio possibilis esse demonstratur, quæ quantum fieri potest, ab omnibus determinationibus abstrahit. Ita enim *a*) habetur maior in procedendo ordo. *b*) Multae difficultates adversariorum possibilitatem omnis omnino revelationis impetunt.

16. **Adversarii** sunt omnes Materialistæ, quia actionem Dei spiritualis in spiritum creatum negant; omnes Pantheistæ, quia, evolutione necessaria intra Deum statuta, actionem ad alterum eamque liberam a Deo removent; Deistæ omnes, quia actionem divinam a creatione diversam non admittunt; omnes Naturalistæ, quia actionem præternaturalem, miraculosam, impossibilem habent; omnes Rationalistæ, quia indignum sit, rationem, quæ e se ipsa perfecta sit, a Deo perfici, idque quam maxime, si eius auctoritati submitti debeat. — Nomina adversariorum in historia partim philosophiæ, partim theologiæ fundamentalis proposita sunt.

17. — **Argum. I.** *Ex analysi conceptus et Dei, qui revelat, et hominis, qui revelationem Dei recipit.* Repugnantia revelationis esset aut 1) ex parte causæ efficientis, aut 2) ex parte formæ effectæ, aut 3) ex parte modi quo forma cum subiecto eam recipiente coniungenda est, aut 4) ex parte subiecti eam recipientis, aut 5) ex parte finis intrinseci. Iamvero in nullo ex his conceptibus, qui revelationis impertitionem absolvunt, repugnantia habetur. Ergo revelatio attestans possibilis est.

Ad minorem. 1) Causa efficiens. Deus infinitæ virtutis est; ergo quidquid fieri potest, facere potest.

2) Forma efficienda est similitudo alicuius enuntiabilis, quo enuntiatur aliqua veritas ut Deo attestanti adscripta. Sume v. g. hoc enuntiabile: « Ego Deus dico, extitisse David regem Israel, et me velle ut hanc eius existentiam ob meam auctoritatem credas ». Iamvero et ideæ singulæ, quæ ad tale enuntiabile repræsentandum necessariæ sunt, in mente hominis existere possunt, et in repræsentationem talis enuntiabilis componi queunt. Talium enuntiabilium infinitus est numerus.

3) Modus quo Deus tale enuntiabile in mente hominis producat possibilis est. *a*) Deus lingua uti potest. Si homo aliquam linguam iam callet, sufficit ut Deus modo miraculoso illis signis externis obiectivis utatur, quæ homines naturaliter adhibent. Aut præternaturali modo signa externa v. g. in pariete, marmore producit, aut tali effectione ipsarum vocum omissa, similitudinem earum sive sensui externo sive soli phantasiæ et intellectui sive soli intellectui imprimit. Si homo, quem Deus alloquitur, immediate ante nullam linguam callebat, Deus alicuius linguæ scientiam ei aut immediate ante revelationem, aut natura ante eam tempore autem simul cum ea, aut post eam, miraculoso modo infundere potest. Etiam aliis modis extraordinariis hominem in addiscenda lingua iuvare poterit.

b) Deus, omisso usu linguae, similitudinem cum aliquo enuntiabili hominis menti imprimere potest. Lingua enim non ex natura loquelæ est, sed ex imperfectione, cum qua loquela in homine coniungitur. Oritur enim ex eo quod homines inter se non nisi mediante corpore agere atque pati possunt. Quare homo mediante phantasia atque sensu rem externam sensibilem (vocem scriptam vel ore prolatam) format, eique mente aliquam significationem indit. Deinde hanc rem sensibilem externam per aera ad alterius sensus, phantasiam, mentem transmittit. Deus autem et a corpore liber est et animæ humanæ intime præsens. Ergo omisso omni usu linguæ, seu signorum, quæ sint externa, obiectiva, ex instituto significantia, conceptus seu signa interna formalia, natura sua significantia homini communicare potest.

4) Denique causa materialis, homo, talem formam tali modo recipere potest. Forma enim effecta in se naturalis esse saltem potest; modus vero præternaturalis eam recipiendi certe possibilis est. Omnis enim creatura a creatore immediate ea recipere potest, quæ naturaliter a causis secundis recipit.

5) Finis intrinsecus physice possibilis est. Qui finis intrinsecus revelationis attestantis est in eo ut *a*) notitia credendorum habeatur, *b*) iis fides præstetur. — *a*) Notitia credendorum possibilis est. Hæc enim ut acquiratur requiritur et sufficit: α) Intellectus determinationem passive acceptam active, apprehensione, exprimere debet. Iamvero hoc non facere non potest. Est enim facultas necessaria. β) Ad res apprehensione repræsentatas homo attendat necesse est. Atqui hæc attentio ex una parte naturalis est, ex altera parte impedimentum aliquod accidentale a Deo tolli potest. γ) Homo sensum enuntiabilis, de quo agitur, capere debet, i. e. debet intelligere, quid subiectum significet, quid praedi-

catum, porro num copula affirmans vel negans sit. Iamvero certe existunt quædam enuntiabilia, quorum sensum etiam stultissimus quisque potest capere, Deus vero cum revelat, talia enuntiabilia eligere potest. Cæterum posset etiam iis hominibus revelationes impertire, qui ob altiorem animi culturam melius dispositi essent, ut sensum enuntiabilium intelligerent, vel certe acumen mentis præternaturali modo tantum augere, quantum ad terminos enuntiabilis intelligendos necessarium est.

b) Supposita demonstratione, Deum et locutum esse et fidem mereri, de qua demonstratione in secunda parte tractatus nostri agitur, fides e natura veritatis revelatæ et hominis eam recipientis non repugnat. Nam si cum Scotistis multisque aliis tenes, fidem divinam etiam in eas veritates haberi posse, quarum evidentia intrinseca actu mentem percellat, patet nullam omnino veritatem non credi non posse. Si vero cum Thomistis doces, veritates, quarum evidentia intrinseca actu mentem percellat, tunc cum ita in mentem agunt, credi non posse, manifestum est, plurimas esse veritates, quæ non eo ipso quod proponuntur, actu mentem omnium hominum evidentia sua perstringunt. Tales ergo Deus revelare poterit.

18. **Argum. II.** *Ex auctoritate generis humani.* Generi humano persuasum erat, revelationem impertiri posse. Atqui in hac doctrina tenenda atque proponenda auctoritate pollet. Ergo revelatio fieri potest.

Ad maiorem. Ab ethnicis universim revelationes numinibus ascribebantur, v. g. ab Indis Veda, quæ ideo vocantur Çruti i. e. audire (1), a Persis partes Avesta, ab Ægyptiis « liber mortuorum », a Græcis multorum generum notitiæ, a populis septentrionalibus quædam Eddæ veterioris carmina (2), ab Americæ meridionalis Inca cum populo suo item apud Maori in Polynesia omnis prima populi instructio, apud Waganda in Africa rei futuræ revelatio, etc.

Præterea moraliter omnes populi *a)* quædam dogmata ut primitus revelata tenebant, v. g. liberatorem a Deo esse mittendum; *b)* supponebant Deum initio rerum cum humano genere familiariter egisse; *c)* auguriorum et oraculorum genera habebant; *d)* ritus e numinum institutione repetebant.

Aliquando culti id quod cum cæteris tenebant verbis magis disertis exprimebant, uti Sancara ex Indiæ philosophis. Socrates (3), Plato (4), Cicero (5), Neoplatonici (6).

Demum apologetæ ævi patristici atque posteriores missionarii ethnicis revelationis possibilitatem vix probabant, sed vel supponebant vel paucis verbis tangebant.

(1) *Deussen*, Allgemeine Geschichte der Philosophie I 1 (1894), 64. — (2) Cf. v. g. Hávamál, Sigdrifrmál. — (3) Officium suum sapientiam docendi a delphico deo repetebat *Plat.*, Apol. 21 (ed. Didot). — (4) « de difficilioribus quæstionibus » divino aliquo verbo institui cupit, Phaedo 85; cf. Cratylas 438, Philebus 16. — (5) Tusc. 1, 12. — (6) v. g. in libro « de mysteriis » a Iamblicho eiusque discipulis conscripto cf. *Zeller*, o. c. p. 720-24.

E Monotheistis Mohamedani (1), Iudæi, sectæ veteres atque posteriores, omnes Catholici revelationem factam esse firmiter asserunt. Catholicorum persuasio imprimis patet e defin. conc. Vat. ses. 3 can. de rev. 2: « Si quis dixerit, fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit » (Ench. 1807). Culti vero hanc doctrinam non tantum non reiiciebant, sed omnibus modis demonstrabant, explicabant.

Ad minorem. Constat de veracitate generis humani in hac re. Nam difficillima, quæ ii qui revelationes nuntiaverunt vel crediderunt, ob eas sive egerunt sive passi sunt, in genere saltem persuasionem subjectivam de iis supponunt. Porro nulla videntur motiva, cur continuo inter se mentiti fuerint. Debita scientia vero eruitur ex absentia occasionum erroris. Aberat illusio sensuum, cum agatur de re a sensibus remota; specialis in iudicando difficultas, cum sermo sit de conceptibus, quorum convenientia vel disconvenientia cum ente infinite perfecte facile videatur; inadvertentia, cum doctiores quique in asserendo fuerint certiores, in explicando clariores; influxus voluntatis, quippe cuius motiva detegi nequeant, imo qui ob gravissima officia revelatione generatim imposita, potius ab ea affirmanda retraxisset.

19. — **Obiectiones** 1-4 desumuntur e Deo revelante, 5 e re revelata, 6 e modo revelandi, 7-9 e subiecto eam recipiente; 10-12 contra argumentum ex auctoritate diriguntur.

Ob. 1. Deus creando res sensibiles uti obiectum hominis menti proportionatum, voluit, ut homo e rebus mundanis cognitiones acquireret. Atqui loquendo Deus vellet, ut e iudicio divino cognito ad res cognoscendas assurgeret. Ergo *revelando Deus sui ipsius consilio contradiceret.* — R. N. as. Ad prob. dist. mai.: Deus creando res sensibiles menti hominis proportionatas voluit, ut generatim ex iis scientiam suam hauriat, c, ut nulla admittatur exceptio, n. Contradist. min. — Cf. similem difficultatem de miraculis in genere in philosophia propositam. Eam ad revelationem applicat v. g. *Strauss.* Die christl. Glaubenslehre I (1840) § 19 p. 276. — Fragmente des Wolfenbuettelschen Ungenannten (scilicet *Reimarus*) fragm. 2 ([4] 1835) p. 230.

Ob. 2. *Deus, si hominem, subditum suum alloqueretur, se vilem redderet.* R. D. as.: si Deus hominem alloqui deberet, aut per modum pueri regii educandi periculum incurreret ne conversatione cum male educatis perverteretur, c, si ex dignatione alloquitur, idque ut hominem perficiat, n.

Ob. 3. *Ante revelationem in intellectu erat assensus clarus, ex evidentia rei intrinseca procedens; post revelationem habetur assensus obscurus, ex sola auctoritate pendens.* Atqui intellectus, cum assensum clarum, i. e. magis perfectum, cum assensu obscuro, i. e minus perfecto, permutat, sine dubio ad inferiora prolabitur. Ergo Deus revelatione attestante intellectum hominis deprimeret. — R. N. argumentationis triplex falsum suppositum. Primum est, assensum qui ex intrinseca evidentia procedit, assensu, qui ex fide oritur, amitti. Aut cum Scotistis dicendum est, unum cum altero amice sociari, aut cum Thomistis, rem quæ actu evidens sit, nunquam posse credi. — Secundum est, assensum fidei, qua revelationem divinam amplectimur, esse simpliciter minus perfectum, quam assensum, qui ex evidentia intrinseca oritur. Contrarium verum est. Perfectio

(1) *H. Grimme,* Mohammed II 1895 p. 71-79. V. g. omnis revelatio consideratur ut exemplar, quod deus vel angeli ex archetypo pro hominibus transcripserit. Unde dicitur « Kitâb » seu « scriptum » p. 72.

enim generum assensus primario ex obiecto formali iudicanda est. Iamvero obiectum formale in assensu scientifico est res creata, scilicet evidentia intrinseca rerum, in assensu fidei vero res increata, infinita Dei sapientia atque veracitas. - Tertium videtur illud esse, revelationem ad omnia se extendere debere atque post eam omnia ex sola fide esse tenenda. At *a)* maior pars eorum quæ sciri possunt, non revelatur. *b)* Quæ ad iudicium credibilitatis formandum necessaria sunt, non fidei sed scientiæ assensu sunt tenenda. *c)* Ipsi revelationi attestanti, uti videbimus, debetur, quod multo plura atque sublimiora assensu scientifico amplecti possumus, quam sine ea unquam potuissemus.

Ob. 4. *Repugnat Dei supremo dominio in hominis intellectum, fieri eius magistrum.* Probatur: magister est tantum occasio, ut ipsa res propria sua evidentia doceat, non vero ipse causa est certitudinis in discipulo. — R. D. antec. et prob.: Repugnat Dei supremo dominio in hominis intellectum et voluntatem, esse hominis magistrum locutione tantum docente, tr.: locutione attestante, n. In hac enim ipse loquens est causa, cur qui audit de aliqua re certus fiat.

Ob. 5. Uti ex dictis patet, *revelatio terminative sumpta repræsentat aliquod Dei de quadam re iudicium.* Atqui mens humana divina iudicia repræsentare nequit. — R. D. ma.: conceptu proprio n, analogo, c. Cd. mi.

Ob. 6. Saltem *primis hominibus statim ab initio nulla revelatio fieri poterat.* Nam ipsi nullam linguam tunc noverant, ignotæ vero linguæ grammatica atque vocabularium, etsi de cœlo delapsa essent, nullius utilitatis esse poterant. — R. quoad diversos possibiles modos datum est in argumento; quoad quæstionem, quem modum Deus elegerit, v. Dogmaticam. Difficultatem hanc proposuit celeberrimus in re linguistica *Max Mueller.*

Ob. 7. *Humanæ naturæ repugnat ab alio discere.* Iamvero qui revelationem reciperet, a Deo disceret. — R. Cum in thesi de solo magisterio auctoritativo agamus, omitto in responsione eas utilitates considerare, quæ e magisterio simpliciter docente inter homines oriuntur. Unde N. ma. Et sane, nisi aliorum relationibus, debitis sub conditionibus, fides adhibetur, neque vita humana digne duci potest neque ipsa scientia, præcipue experimentalis, acquiri. Si ergo homo hominis magisterio auctoritativo perficitur, id multo magis valet de magisterio auctoritativo Dei, qui plura scit, cuius activitas immediata ab omnibus iis imperfectionibus libera est, quæ creaturarum actionibus inhærere solet.

Ob. 8. *In revelatione haberetur cognitio animæ sine ejus activitate.* Ergo revelatio impossibilis est. Prob. antec. Haberetur cognitio, cum revelatio e conceptu suo hominem docere dicatur; deesset actio animæ, cum revelatione veritas quædam iam in se completa, ab homine non profecta, ei communicetur.

R. N. antec. primum. Ad eius prob. dist. secundam partem: in intelligenda et per fidem possidenda revelatione attestante deest per se ea operatio, quæ consistit in perspicienda convenientia inter subiectum et prædicatum ex rationibus internis, c; deest alia multiplex operatio, n. — Expl. Cf. actus illos quos n. 6 d. diximus passivam mentis determinationem sequi debere. V. difficultatem *Strauss* l. c.

Ob. 9. *Revelatio scientiam historiæ in humano genere impossibilem redderet.* Prob. Obiectum historiæ est nexus causalis factorum humanorum. Atqui revelatio *a)* actio divina est, non humana; *b)* nexu causali cum factis humanis non coniungitur. A viribus enim humanis procedere non potest. — R. N. as. Ad prob. n. ma. Nam *a)* obiectum historiæ est quidquid homines, modo per se sive

per aliud (per verba) cognoscibili, sive agunt sive patiuntur. Perinde est, num a natura patiantur an inter se an ab alio ente. *b*) Nexus causalis, in quantum ab historia respiciendus est, is sane est, qui obtinet, sive causa est naturalis sive non. Cæterum ipsam causam remotiorem, a fortiore ultimam, actionum et passionum humanarum non ipsa historia sed scientiæ particulares considerant, v. g. medicina, pathologia, in nostro casu, cum de causa ultima agatur, philosophia. — Cf. similem diff. de omni miraculo.

Ob. 10. *Neque Christus neque propheta operationem præternaturalem divinam in se ipsos assumunt*; quodsi de suis visionibus, revelationibus, etc. narrant, eas nonnisi ut symbola suæ experientiæ religiosæ naturalis considerari volunt. — R. N. Hoc assertum quam falsum sit data opera probabimus in tractatibus de revelatione impertita ante Chr., per Chr., per apostolos. Interim ut signum falsitatis asserti hoc accipe: explicationem hanc non vi methodi hermeneuticæ e textibus eruunt sed vi præiudicii philosophici in eam inferunt. Sensum naturalem textuum esse alium, etiam eo patet, quod generatim statuunt, Christum et prophetas aut in modo loquendi de suis revelationibus aliorum erroribus se accomodasse aut ob status suos pathologicos veram revelationem sibi ascripsisse.

Ob. 11. *Integræ hominum classes, quas ipsi n. 16 enumerarimus, diversis ætatibus revelationis possibilitatem negarunt.* Ergo non habetur argumentum ex auctoritate generis humani. — R. C. antec. N. suppos., quod est, ad tale argumentum non sufficere universitatem formalem, sed requiri materialem. Expl. Universitas formalis ea est, qua tot hominum sententia refertur, quot requiritur, ut in concretis circumstantiis dici possit vox naturæ. Iamvero adversarii huius theseos non sunt nisi Materialistæ, Pantheistæ, Deistæ, Naturalistæ, Rationalistæ, iique ob eas solas rationes, quæ falsis eorum systematibus intrinsecæ sunt. Unde tantum abest ut vocem naturæ e genere humano erumpentem in hac re destruant, ut eam mirifice illustrent.

Ob. 12. *Ethnici ideo numinibus suis attribuebant loquelam, quia iis ascribebant corpora organizata.* Ergo saltem ethnicorum testimonium de possibilitate revelationis ex errore ortum atque proinde auctoritate destitutum est. — R. N. antec. Etenim ethnici potestatem revelandi etiam iis numinibus ascribebant, quibus corporeitatem aut certe nullam aut tantum dubie aut non organizatam attribuebant. Ergo eam iis tribuebant ratione perfectionis plusquam humanæ, quam in diis suis inesse autumabant.

Propositio 2ª: Revelatio religionis physice possibilis est.

20. — **St. qu.** 1) *Expl. term. Veritas religiosa* est enuntiabile, quo aliquid de Deo vel de relatione rerum ad Deum affirmatur; profana vero enuntiabile, quo aliquid de rebus creatis affirmatur, quin eorum ad Deum relatio spectetur.

Religio vero obiective sumpta est complexus quidam veritatum tum earum, quæ de ipso Deo, tum earum, quæ de rerum ad Deum relatione agunt. Qui complexus non necessario systemate scientifico continetur. Hac thesi proxime et directe id tantum probamus, veritates quasdam religiosas posse revelari. Cum enim de potestate solum physica hac thesi agatur, immediate sequitur, eorum numerum ita posse augeri,

ut iustum veritatum complexum constituat. — 2) *Con. mat.* Hanc thesim separatim a prima atque post eam statuimus præcipue ideo, quia quidam increduli, etiam admissa possibilitate alicuius revelationis, tamen ob speciales rationes negant, religionem revelari posse. — 3) Cum differentia inter revelationem religionis et revelationem generaliter sumptam, de qua in I thesi egimus, tantum se teneat ex parte obiecti revelandi, *modus argumentandi* is erit, ut suppositis argumentis e thesi I, tantum brevissime ea addamus, quæ ob hanc obiecti diversitatem addenda sunt.

21. — Argum. I. *Ex analysi conceptuum*, ut in thesi I n. 17 sq. Probavimus argumento I theseos I: *a*) *formam efficiendam* quod attinet, ea omnia enuntiabilia hominibus revelari posse, quorum et singulæ ideæ et idearum compositio ab hominibus natura duce physice oriri potest. Iamvero eiusmodi sunt omnia enuntiabilia religiosa, de quibus hac thesi agimus. Etenim omnes ideæ, quæ talia enuntiabilia ingrediuntur, conceptibus analogis exhiberi possunt, sociabilitas autem eorum partim a priori ex idearum comprehensione partim a posteriore e rebus a Deo productis cognosci potest.

b) *Ex parte intelligentiæ subiecti recipientis revelationem. Sensus multorum enuntiabilium religiosorum* non difficilius capitur quam multorum profanorum. *Notiones vero quædam difficiliores* partim ex humana institutione, partim ex ipsa divina revelatione eas directe vel indirecte proponente hauriri possunt. Accedere possunt, si necesse fuerit, specialia providentiæ divinæ auxilia.

c) *Si respicitur finis* revelationis, quæ est fides in revelata, ea certe nullam difficultatem patitur in sententia Scoti et eorum qui eum sequuntur. At etiam in sententia Thomistarum fides saltem in plurima enuntiabilia religiosa idque in plurimis hominibus quasi semper possibilis est. Nam plurimorum hujusmodi enuntiabilium proprium est, ut etsi termini eorum menti propositi sunt, tamen non necessario evidentia sua mentem percellant. Talia sunt α) plurima religiosa, quæ non nisi experientia vel historia cognoscuntur, v. g. providentia Dei specialis circa aliquem populum; β) plurima ad theodiceam vel ethicam naturalem pertinentia, quorum ipsi termini non facile ab hominibus præcipue rudibus intelliguntur, intellecti non facile inter se comparantur, comparati denique generatim nonnisi post longiorem et complicatum discursum diiudicantur: cogita v. g. creationem; γ) omnia quæ ex una parte a libera voluntate Dei dependent, ex alia parte effectibus nondum sunt manifestata, v. g. quæ futuræ sint religionis catholicæ vicissitudines usque ad a. 2000?

22. — **Argum. II.** *Ex auctoritate generis humani.* Quæ in maiore argumenti n. 18 de ethnicorum persuasionibus attulimus, omnia ad religionem spectabant. Quibus adiunge plurimas res mythologicas, i. e. ea quæ de deorum sive actionibus sive perpessionibus e revelatione se hausisse putabant. — Iudæorum revelatio inculcabat, Deum esse unum et summe perfectum, venturum esse redemptorem, qui genus humanum a sequelis peccati physicis et moralibus liberaturus sit. — Quas doctrinas religio christiana plurimum auxit sive numerum respicis sive sublimitatem. — Ipsæ denique sectæ christianæ et Mohamedani veritates religiosas quasdam retinuerunt veras, quasdam vero falsas veris substituebant.

23. — **Obiectiones** 1 et 2 sunt e forma recepta, 3 e subiecto recipiente 4 e fine intrinseco, 5 contra argumentum ex auctoritate.

Ob. 1. *Veritates divinæ revelatæ si nostris conceptibus exprimerentur, ad ordinem sensibilem detorquerentur.* Iamvero divina nequeunt fieri sensibilia. Ergo veritates divinæ revelari nequeunt. — R. D. ma.: Secundum generalem doctrinam de cognitione rerum divinarum constat hoc: divina si conceptibus nostris repræsentantur, ad ordinem sensibilem detrahuntur secundum ea quæ de rebus divinis conceptus nostri reppræsentant, n. ma.; secundum modum, quo ea repræsentant, c. ma. Cd. min.

Ob. 2. *Enuntiabilia de rebus divinis si homini revelari possent, necessario falsa veris permixta continerent.* Prob. antec.: Veritas divina in se sane absoluta est, at si in homine reciperetur, ex absoluta evaderet relativa. Omnia enim humana relativa sunt. Atqui veritas relativa propositio est, in qua vera falsis permixta inveniuntur. — R. N. antec. Ad prob. d. ma. item secundum generalem doctrinam de nostra cognitione rerum divinarum: omnis veritas divina, quæ a mente creata repræsentatur, necessario est relativa, i. e. non absolute perfecta seu imperfecta secundum modum quo repræsentat divina, scilicet analogice, c.; secundum id quod repræsentat sd.: in quantum nullum iudicium formari potest, quo omnes veritates divinæ simul repræsentantur atque affirmantur, c.; in quantum in omni iudicio de rebus divinis aliquid veri et aliquid falsi Deo attribui deberet, n.

De difficultate 1 et 2, quæ principales hodie esse videntur, cf. *Pfleiderer*, Religionsphilosophie 1896 p. 496, 97. - *Loisy*, Autour d'un petit livre p. 192, qui etiam adiungit ut rationem: « la vérité, en tant que bien de l'homme, n'est pas plus immuable que l'homme lui-même ». (Cf. decretum « *Lamentabili* » 58). Eadem ratio etiam evolvitur a *Pfleiderer*, Genetisch-speculative Religionsphilos. (1884). — De responso cf. plura *Mattiussi* (La Scuola cattol. 1903 art. marzo-maggio), quorum excerptum apud *Billot* de Trad. 89-105. — *van Laak*, de inspir. p. 213-15 (lith.).

Ob. 3. *Si Deus revelatione clarius nobis exhibetur, libertas in eius præceptis adimplendis iam his in terris destruitur.* — R. D. ma.: si revelatio attestans in eo esset, ut Deus nobis manifestaret essentiam suam videndam uti est in se, nulla re creata in ratione obiecti mediante, tr. ma. ad theologos; si revelatio attestans semper hoc retinet, ut quæcumque de essentia Dei manifestat, conceptibus analogis manifestet, n. ma. — De quæstione theologica, num visio beatifica natura sua intrinseca an tantum e providentia Dei extrinseca impeccabilem reddat eum qui eam habet, cf. v. g. *Pesch*, III p. 460-62. - Revelationis impertitionem cum exhibitione essentiæ Dei ut videndæ confundere videtur *Fichte*, Versuch einer Kritik aller Offenbarung § 11 (ed. v. Kirchmann 1871) p. 107, qui ideo h. l. difficultatem hanc proponit.

Ob. 4. Quæ sciri possunt, revelari nequeunt. Atqui *omnes res religiosæ, de quibus in hac thesi sermo erat, sciri possunt.* Ergo nulla res religiosa, si a mysteriis abstrahimus, revelari potest. — R. D. ma.: quæ sciri possunt, at actu non ita sciuntur, ut evidentia sua mentem percellant, ea revelari nequeunt, n.; quoad cætera sd.: ea revelari non possunt iis, quos ita percellunt, tr., aliis, n. Ad min.: omnes res religiosæ, de quibus in hac thesi sermo erat, si a revelatione abstrahitur, sciri possunt sive physice, sive moraliter, n., cf. argum. 1 n. 21 c. γ p. 16; aliæ res physice sciri possunt hic in terra, tr.,' moraliter, sd.: omnes, n.; singulæ divisim, iterum sd.: a quibusdam paucis quædam earum ita sciuntur, ut simul atque propositæ fuerint evidentia sua mentem eorum feriant, c., a maiore parte hominum maior vel magna pars veritatum religiosarum ita scitur, n. — Ampliora de hac difficultate ad tractatum dogmaticum de fide aptius remittuntur.

Ob. 5. Ex eo quod ethnici diis falsis ascribebant potestatem revelandi religionem falsam, *non sequitur, eos Deo vero ascripsisse facultatem revelandi religionem veram.* Ergo quædam in argumento ex auctoritate omittenda erant. - R. 1) N. supp. ethnicos Deo vero non ascripsisse potestatem revelandi religionem veram. Cf. n. 18 p. 12. 2) D. antec.: si potestatem revelandi ex imperfectione physica vel morali numinum suorum derivassent, c.; si eam derivarunt e superioritate, potestatem vero falsa vel mala revelandi e defectibilitate eorum, n. Cf. n. 19 Ob. 12 p. 15.

Propositio 3ª: Demonstrari nequit, mysteriorum existentiam aut revelationem repugnare.

24. — **Lit.** De conceptu mysterii apud doctores catholicos in genere *Denzinger,* II 91-117. — Apud Patres *Petavius,* de Trinit. l. 5 c. 6; l. 7 c. 13; de Deo l. 7 c. 1 § 5. — *Thomassinus,* II l. 2 de Deo c. 5; III tract. 2 c. 1-3. — *Tournely,* I disp. præv. q. 1 art. 4 concl. 2; de Trinit. q. 1 art. 1: de incarn. q. 1 art. 2. — Apud Scholasticos *Th.* in 3 q. 55 art. 5 in c.; quæst. disput. de verit., de mente art. 13; contra Gentes l. 1 c. 3. — *Scotus,* Prolog. q. 1 n. 14, 22; in 1 Sent. dist. 3 q. 5 et 9; Quodlib. 14. - *Suarez,* de fide pars 1 disp. 3 sect. 1. — *Vasquez,* in 1 S. Th. disp. 133-35. *Kleutgen,* V² pars 2 s. 5, 164-272. — De adversariis cf. *Denzinger,* o. c. I 231-46; II 80-86, 87-91, 117-50. — *Kleutgen,* o. c. de *Guenther* 169-88, 239-54. — *von Schmid,* 146-50.

Affirmant posse tantum probari, neminem posse demonstrare repugnantiam mysteriorum, non vero posse positive a priori probari eorum existentiam v. g. *Granderath,* in ZKTh. X (1886) 497-577, 595-603. - - *Pesch,* n. 165. — *Hurter* (?) n. 101. - *I. Müller,* n. 12-14 p. 100-102. — *Mannens,* Theologia fundam., (Ruremundæ 1901) 37, 38. — *Zaccherini,* n. 101 p. 78. - *I. W. Ahrenhold,* in Philos. Iahrbuch XV (1902) 69. *J. Muncunil,* S. I., De vera religione (1908) n. 88-100 p. 53-60. — In quem sensum *Müller, Mannens* et præcipue *Muncunil,* etiam S. Thomam explicant.

25. — **St. qu.** 1) *Expl. term.* et primo quidem *conceptus mysterii.*

A. *Stabilitur conceptus mysterii, de quo in thesi sermo est.*

Vox μυστήριον *ethymologice* a μύω (claudo) derivari generatim affirmatur. Primo videtur significasse veritatem religiosam, quæ solis

membris conventiculi cuiusdam pagani nota, cæteris occultanda (claudenda) erat. *Usu vero communi* ad eas omnes veritates significandas applicari solet, quæ aliqua ratione saltem quoad aliquas personas absconditæ sunt.

Dividitur proinde mysterium secundum ipsam absconditi rationem:

Quoad modum quo cognoscuntur omnes eæ res aliqua ratione absconditæ sunt, quæ non secundum eum modum cognoscuntur, quem in se habent, sed secundum analogiam, quam cum aliis rebus habent. Secundum hanc considerationem omnia spiritualia, a fortiori omnia divina mysteria sunt. — Hæc omnia aliquando dicuntur mysteria naturalia.

Quoad id quod in aliqua re absconditum esse potest, mysteria præcipue trifariam dividuntur:

I. Sunt *veritates* tales, quarum et possibilitas et existentia sine revelatione cognosci potest, *quarum tamen existentia generatim saltem majori parti hominum abscondita manet.* Quare hæc ratio absconditi non ex impossibilitate physica oritur, sed ex difficultate quadam morali, qua impedimur, ne facultates nostras cognoscitivas ad talia obiecta nobis proportionata applicemus. Talia sunt v. g. plurima genera plantarum, quæ in mari inveniuntur. — Generatim mysteria naturæ (in rerum natura) dicuntur.

II. Sunt *enuntiabilia, quorum possibilitas quidem independenter a revelatione sciri potest, quorum tamen existentia sine humana vel divina locutione ex ipsa rerum natura occulta manet.* Tali modo v. g. hominibus occultae manent liberæ aliorum volitiones, omnibus creaturis libera decreta Dei, in quantum scilicet effectibus non manifestantur. — Solent dici mysteria sensu lato vel præternaturalia.

III. *Enuntiabilia, quorum neque existentia neque possibilitas independenter a revelatione divina ab ulla mente creata cognosci potest*, vocantur mysteria sensu stricto vel simpliciter talia vel etiam in apologetica et theologia sine addito mysteria nomine technico dicuntur. Quem usum loquendi abhinc sequemur.

Notio mysterii sensu stricto magis declaratur. Essentia eius in eo est, ut ipsa sociabilitas terminorum, e quibus enuntiabile constat, independenter a revelatione omni menti creatæ impervia sit. Unde α) ipsum prædicatum et subiectum naturaliter nota esse possunt, et ut divisa et ut operatione mentis inter se coniuncta. Illud unum sine revelatione absconditum est, hæc coniunctio num e regulis rationis facta sit necne, num obiective possibilis sit necne. β) Neque illud e mysterii notione requiritur, subiecti vel prædicati conceptum quoad modum

repræsentandi intellectus naturam superare. — Sociabilitas vel insociabilitas notarum neque post revelationem factam ex ipsa conceptuum evolutione vel duce experientia erui potest. Si enim hæc deductio post revelationem fieri posset, etiam ante eam absolute fieri potuisset. Nam revelatio attestans solam auctoritatem interponit. Auctoritas autem et rationibus internis et experientiæ omnino extrinseca est. Cf. notionem mysterii exhibitam a Conc. Vat. ses. 3 c. 4 (Ench. 1795, 1796, 1808).

B. *Qui sint adversarii theseos et quos diversos conceptus mysterii ei substituant, qui stabilitus est.*

Adversarii. Omnes qui possibilitatem omnis revelationis negant, in tantum etiam modo speciali huic thesi adversantur, in quantum rationes proprias adducunt cur mysteria existere atque revelari nequeant.

Alii, admissa aliquo modo possibilitate revelationis, mysteria existere negant. Qui ideo *Semirationalistæ* dicuntur, quia vitium Rationalistarum participant, cum, rationem nimium extollentes, eam suapte natura ad omnia vera pertingere posse affirmant. His videntur accensendi e secta Iudæorum qui Caraitæ dicuntur, porro R. Saadia in Emunot we-De ʿot, Abraham Ben ha-Levi. — E Protestantibus veteribus Sociniani et Arminiani, e recentioribus inde a Deismo plurimi in Anglia, qui quamvis religionem revelatam defenderent, ob nimias concessiones Latitudinarii vocabantur, uti v. g. *Chillingworth, Leland, Paley*, porro ii omnes in Germania, aliis terris, qui inde a medio s. 18. « theologiam conciliationis » sequuntur, uti s. 19. *Ullmann, Tholuck, Danus Martensen.*

E cæteris nominetur v. g. tempore Patrum Arianus *Felicianus*; medio aevo *Berengarius* Turonensis, *Scotus Erigena, Abælardus*; recentiore tempore præcipue *Guenther* eiusque discipuli. — *Schell* quamvis in Apologie I p. 397-417 data opera de mysteriis agat, tamen conceptum stricti mysterii non videtur proponere, imo in Dogmatik I l. 3 passim ipsum summum mysteriorum, Trinitatem, e ratione velle deducere.

Quid adversarii sub voce mysterii intelligant. Quamvis mysteriorum existentiam negent, tamen vocem inter christianos sacratam retinent atque *mysterii nomine aliquid aliud intelligendum* esse statuunt, quidam res falsas, quidam veras, quæ tamen specialem quandam relationem ad facultatem cognoscitivam dicant.

Res falsas mysteria habent, at allegoriis velatas, v. g. *Morgan, de Wette*; exhibitas phantasia, v. g. *Spinoza, Hobbes*; cognitas sentimentis, v. g. *Iacobi, St. Simon* eiusque asseclæ; perceptas alia facultate, *Gnostici*; ortas ex elementis religionis christianæ et falsa philosohia ethnicorum, iuvantibus mendaciis, v. g. *Harnack*; iuvante quoque mythologia, v. g. *Loisy.*

Res forte veras mysteria dicunt, at multis velandas, v. g. *Philo, Moses ben Maimon*; imaginibus repræsentandas atque eloquendas, v. g. *Toland, Fludd*; eiusmodi veritates quæ ante revelationem utique imperviæ sint, at post eam ex rationibus intrinsecis perspici possint, v. g. Sociniani, Guenther; quæ secundum possibilitatem, at non secundum existentiam naturaliter cognosci possint, v. g. *Tindal, Bretschneider*; res qua nunquam perfecte comprehenduntur, v. g. *Abaelardus.*

Audiatur e. g. *Loisy*. In genere de mysteriis christianis hæc docet in: L'évangile et l'église p. 188: « Une logique abstraite demanderait que l'on supprimât partout l'une ou l'autre des propositions si étrangement accouplées. Mais une observation attentive démontre qu'on ne pourrait le faire sans compromettre l'équilibre vivant de la religion ».

In specie quoad incarnationem et eucharistiam ib. p. 234-35. « La communion réelle au Christ dans l'eucharistie fut exigée aussi impérieusement par la conscience chrétienne que la divinité de Jésus; cependant la divinité du Christ n'est pas un dogme conçu dans l'esprit de la théologie juive, et l'eucharistie n'est pas non plus un rite juif; dogme et rite sont essentiellement chrétiens et procèdent de la tradition apostolique, ce qui n'empêche pas que, dans la façon traditionnelle d'entendre le premier, on ne sente l'influence de la sagesse grecque, et, dans la façon d'entendre le second, un élément qui sans doute appartient au fond commun de plusieurs religions, sinon de toutes, mais qui rappelle de plus près les mystères païens que la conception décolorée du sacrifice dans le judaïsme postexilien ».

De radicibus erroris. Radix doctrinalis in genere est falsa philosophia cum ea confusione idearum, quæ ex obiectionibus apparet, in specie studium affirmandæ evolutionis naturalis omnis cognitionis, cum mysteria talem originem quam maxime refugiant; radix psychologica in genere est amor independentiæ et indebitæ excellentiæ rationis, apud catholicos sæpe infelix studium, ut concessione quadam Rationalistis facta, eos facilius ad ordinem fidei, ad ecclesiam catholicam trahant.

26. — 2) *Existentia mysteriorum* in eo est, ut in Dei essentia vel inter objecta ab eo factibilia talia existant, quorum ne possibilitas quidem ab ulla mente creata sine revelatione cognosci possit. — Alia est quæstio num, si existunt, per revelationem attestantem manifestari possint.

3) Abstrahimus a quæstione, num positive probari possit, mysteria existere atque, si existant, revelari posse. Id unum dicimus, nullam creaturam demonstrare unquam posse, mysteriorum aut existentiam aut revelationem repugnare. — Hac forma magis negativa thesim proponere ad finem theologiæ fundamentalis ex una parte necessarium esse, ex alia parte sufficere imo convenientius esse videtur. Necessarium esse videtur, nam alias, si quod mysterium inter veritates miraculo vel alio motivo credibilitatis confirmatas contineretur, recte conclamarent, illud unum cum rationi contrarium sit, certe in miraculo deesse aliquod elementum quod ad vim eius probativam requiritur. Accedit, quod et Rationalistæ et Semirationalistæ nullum lapidem non movent, ut mysteria impossibilia esse vel revelari non posse demonstrent. Sufficiens esse videtur, nam etiamsi res tantum hac negativa forma demonstrata est, intellectus nihil habet, quod valori motivorum credibilitatis opponat. Convenientius esse videtur, ne rem

non necessariam, inter philosophos et theologos controversam, ut partem essentialem aliquam theologiæ fundamentalis statuere videamur. — Iis quæ diximus simul continetur *connexio materiæ* cum partibus iam tractatis.

PARS I. *Nequit demonstrari mysteria existere non posse.*

27. — **Argum.** *Ex defectu medii demonstrationis.* Medium unde demonstraretur, non existere enuntiabilia religiosa, in quibus sociabilitas notarum ex ipsa conceptuum analysi erui non posset, esset aut *a*) conceptus Dei proprius aut *b*) conceptus Dei analogus aut *c*) experientia. Iamvero conceptum Dei proprium non habemus: conceptus analogus, quem de Deo habemus, in talem cognitionem ducere non potest. Nam conceptus Dei ex creaturis formatus nobis Deum manifestat in tantum, in quantum ex effectibus æquivocis cognosci potest. Atqui demonstrari nequit, conceptum ex effectibus æquivocis causæ infinitæ perfectionis formatum, omnia exhibere, quæ in causa inesse possunt. Ex eadem ratione experientia non est medium aptum ad hanc cognitionem.

PARS II. *Nequit demonstrari mysteria, si existunt, revelari non posse.*

28. — **Argum.** *Ex analysi conceptuum.* Repugnantia ostendi nequit

1) *E forma efficienda.* Ad mysterium in mente creata manifestandum requiritur et sufficit: *a*) ut subiectum et prædicatum aliunde notum vel ex ideis aliunde notis compositum exhiberi possit; *b*) ut hi termini enuntiabilis eiusmodi sint, ex quibus eorum sociabilitas erui non possit; *c*) ut tamen hæc sociabilitas ut a Deo affirmata repræsentari possit.

Iamvero secundum ea, quæ n. 17 p. 10-12 diximus, primum et tertium fieri certe possunt. Quoad 2: Ut mysterii revelatio ex hac parte impossibilis demonstraretur, deberet probari, repugnare enuntiabile, cuius termini ex una parte quidem conceptibus analogicis exhiberi possint, in quo tamen ex alia parte sola eorum sociabilitas nobis esset naturaliter impervia. Atqui repugnantia talis enuntiabilis demonstrari nequit.

Nam α) non est formalis oppositio inter hæc duo: subiectum et prædicatum quidem naturaliter cognosci posse, non vero eorum sociabilitatem. Sunt enim conceptus omnino diversi. β) Neque demonstrari potest, ex eo, quod sociabilitas notarum naturaliter cognosci nequit, sequi, neque ter-

minos coniungendos naturaliter notos esse posse. Demonstrari enim nequit, rationem, cur quædam perfectiones ut singulæ quidem in creaturis inveniri possint, non vero ut coniunctæ, non in eo esse posse, quod in creaturis secundum modum imperfectum inveniantur, in Deo autem secundum modum perfectum. Conceptum vero, qui ea quæ sunt in Deo secundum eum modum exhibet, quo in eo inveniuntur, habere non possumus.

2) *Ex parte modi efficiendi.* Efficiendus sane tantum est *a*) conceptus analogus aliquarum perfectionum divinarum, quæ iam naturaliter cognosci possunt, *b*) conceptus affirmationis. Utrumque a Deo sive per linguam sive sine lingua produci potest.

3) *Ex parte subiecti suscipientis.* Ex parte intelligendi sensus, quem enuntiabile præ se fert, nulla differentia inter hæc et alia iudicia religiosa habetur. Intelligi enim possunt res conceptibus analogis repræsentatæ, intelligi potest copula affirmans.

4) *Ex parte fidei in enuntiabile.* Etenim ea enuntiabilia, in quibus sociabilitas notarum a nulla mente creata intelligi potest, certe quam longissime ab eo absunt, ut evidentia sua intrinseca mentem percellant. Ergo quam aptissima sunt, quæ ab omni intellectu creato nullo non tempore credantur.

29. — **Confirmatur utraque pars.** *Ex auctoritate humana ecclesiae catholicae.* Dogmatica ostendit, uti multos auctores inspiratos ita omnes auctores ecclesiæ approbatos omni ætate mysteria sensu stricto qua talia credenda proposuisse. Iamvero hi testes *a*) *in hoc testimonio reddendo mentiti non sunt.* Etenim innumeri illi viri quorum fere omnes pietate, multi sanctitate mirabili eminebant, certe in ipsa essentia religionis prædicanda fallere nolebant. Iamvero hanc essentiam in ipsis mysteriis reponebant: finem in visione beatifica, medium generale ad hunc finem consequendum in incarnatione filii Dei naturalis, media magis particularia in filiatione adoptiva, eucharistia, etc. *b*) *Si adfuisset repugnantia in conceptu mysterii* præcipue ita clara, uti adversarii supponunt, *haud inepte putantur eam inventuri fuisse.* Etenim homines erant innumeri, qui et sagacitate naturali excellebant et philosophia apprime exculti erant et rectissime de Deo atque humanæ mentis ad eum relatione sentiebant. Præterea mentis aciem in mysteria defendenda atque quantum fieri potest explicanda quasi continue figebant. — Quod argumentum saltem probabile ad certitudinem evehi posse videtur, si recurritur ad providentiam Dei. Hæc enim certe non permittit, ut piissimi quique atque sapientissimi ex universo humano genere in ipsa medulla veræ religionis tradenda errent.

30. — **Obiectiones** 1-3 sunt contra existentiam mysteriorum, 4 et 5 contra potestatem ea revelandi, 6 contra argumentum ex auctoritate.

Ob. 1. *Conceptus analogus Dei nobis manifestat Dei infinitatem.* Atqui ex Dei infinitate omnes eius perfectiones cognosci possunt. Ergo pro eo, qui infinitatem Dei cognoscit, mysteria existere nequeunt. — R. D. ma: Conceptus analogus Dei

nobis manifestat Dei infinitatem uti est in se, n.: in quantum ex creaturis cognosci potest, c. Cd. min.: ex Dei infinitate cognita uti est in se omnes eius perfectiones deduci possunt, c; cognita in quantum creaturis manifestatur, p. prob. – Expl. Conceptus infinitatis ex creaturis haustus nos docet: nullam perfectionem simplicem, quæ in creaturis invenitur, Deo deesse posse, omnem perfectionem, quæ Deo ascribenda est, in eo esse prorsus infinitam. At conceptus infinitatis Dei ex creaturis formatus nos docere non potest eas perfectiones, quæ forte in Deo inveniri possunt, quas vero creaturæ ne analogice quidem imitari possunt.

Ob. 2. Illud enuntiabile non est mysterium, de quo ipsa sociabilitas notarum cognosci potest. Atqui *de omni enuntiabili sociabilitas notarum cognosci potest.* Ergo enuntiabilia mysteriosa existere non possunt. — Prob. min. Obiectum adæquatum intellectus creati est Ens. Atqui sociabilitas notarum est Ens. Ergo sociabilitas notarum de omni enuntiabili cognosci potest. — R. D. ma.: illud enuntiabile non est mysteriosum, de quo sociabilitas notarum per evidentiam intrinsecam vel experientiam cognosci potest, c.; illud enuntiabile non est mysterium, de quo sociabilitas notarum tantum per auctoritatem externam cognosci potest, n. Cd. min. — Ad probationem: Obiectum adæquatum intellectus creati est Ens, d.: quidquid intellectus creatus cognoscit, sub ratione entis cognoscit, et ex hac ipsa ratione entis pro nulla ullius obiecti cognitione ne in intellectu quidem creato contradictio monstrari potest c.; hoc principio philosophico formaliter dicitur vel virtualiter continetur, quidquid est ens, ex evidentia intrinseca vel visione vel experientia cognosci posse, n.

Ob. 3. *Quod non habet cognoscibilitatem, non habet entitatem.* Atqui mysterium non habet cognoscibilitatem. Ergo non habet entitatem. R. D. ma.: Quod non habet cognoscibilitatem relate ad omnem intellectum, etiam divinum, id non habet entitatem, c.; quod non habet cognoscibilitatem quoad intellectum creatum, sd.: non supposita revelatione, n. supposita revelatione, tr.

Ob. 4. *Illæ perfectiones, quas creaturæ ne analogice quidem imitari possunt, eas nulla mens creata ne analogice quidem repræsentare potest.* Atqui mysteria sunt eiusmodi perfectiones divinæ, quas creaturæ ne analogice quidem imitari possunt. Ergo. — R. D. ma.: Eiusmodi perfectiones divinæ, quas creaturæ neque quoad singula elementa, quibus componuntur, neque quoad eorum sociabilitatem analogice imitari possunt, c.; ejusmodi vero, quas creaturæ imitari possunt quoad singula elementa, non vero quoad eorum sociabilitatem, tales mens creata ne analogice quidem repræsentare potest, sd.: eas repræsentare nequit quoad singula elementa, ex quibus componuntur, n.; quoad eorum sociabilitatem, iterum sd.: si illam ex creaturis haurire vel concludere deberet, c.; si eam ex judicio Dei sociabilitatem affirmantis discit, n.

Ob. 5. *Id enuntiabile revelari nequit, quod absolute intelligi nequit.* Atqui mysterium est veritas, quæ absolute intelligi non potest. Ergo revelari non potest. — R. D. ma.: Eiusmodi enuntiabile revelari nequit, cuius 1) neque sensus intelligi potest, i. e. quid significent subiectum, prædicatum, copula; in quo 2) sociabilitas notarum neque per evidentiam internam neque per experientiam neque per auctoritatem manifestatur, c.; cuius sensus intelligitur, in quo sociabilitas vero notarum neque ex evidentia interna neque per experientiam sed tantum per auctoritatem Dei disci potest, sd.: tale enuntiabile nequit manifestari revelatione mere docente, c., revelatione attestante, n. – Expl. Cotidianum

est hominibus in diversis scientiæ generibus intelligere et quid significent termini et eos esse coniungendos, quin internum nexum inter utrumque terminum perspiciant. Cf. v. g. rusticum qui ab astronomo audit, telescopio plures stellas videri quam sine eo; philosophiæ tironem qui primo audit, ex Dei aseitate eius infinitatem legitime deduci.

Ob. 6. 1) *Scriptura V. et N. T. mysteria « metaphysica » non norit,* omnia ethice exponenda sunt. 2) *Apologetæ 2 et 3 s.* nonnisi veritates naturales proponebant, imo *diserte docebant, religionem christianam non esse nisi philosophiam.* 3) Nonnisi inde a 4 s. *Patres* sic dicta mysteria proposuerunt; sibi utique conscii erant, agi de « *complexione oppositorum* », at nesciebant quo alio modo nobilem religionem christianam, quæ tamen ad talia delapsa erat, defenderent. R. 1) Assertum 1 eodem modo ut falsum demonstratur, eandem habet originem, eadem obvia quasi præiudicia falsitatis, atque simile assertum, de quo n. 19 Ob. 10 p. 15. — 2) Apologetarum id proprium erat, ut exhibitis præcipue iis doctrinis, quæ naturaliter ut veræ cognosci possunt, additis motivis credibilitatis pro revelatione per Christum et prophetas, religionem christianam paganis commendarent. At hoc non obstante sæpe et data opera etiam de mysteriis egerunt. Philosophiam vero nostram religionem non eo sensu technico nominabant, quo hæc vox hodie systema demonstrationum designat, quæ naturali ratione cognosci possunt, sed quia doctrina est digna iis qui « philosophi » sunt, i. e. sapientiam amant. 3) Quod de Patribus dicitur, obest probitati eorum aliunde notæ, ex ideis historice falsis de evolutione dogmatum procedit.

Assertum primum obiectionis huius v. passim apud liberales Protestantes, v. g. *O. Pfleiderer*, Grundriss der christl. Glaubens- u. Sittenlehre (1886) 150 sq. *Secundum* v. g. *Harnack*, Dogmengeschichte I 455-507 præcipue 483. *Tertium*, si a determinatione accuratiore temporis quam Harnack statuit abstrahis, hodie sat commune est. V. g. *Toland*, Christianity not mysterious (1702) sect. 3 ch. 1, 6. — *Pfleiderer*, Religionsphilosophie 419-27. — *Harnack* per totam suam historiam dogmatum; compendio quodam rem tradit in: Geschichte der Altchristl. Lit. I, 1 (1893) XXI-XXVIII. — *Sabatier*, o. c. l. 3 ch. 2 III p. 312-17. — *Loisy*, l. c.

Art. 2. De revelatione mediata.

Propositio 4ª: Revelatio mediata religionis atque etiam mysteriorum physice possibilis est.

31. — **St. qu.** *Expl. term.* cum in antecedentibus iam data sit, illud unum noto, eam intelligi religionis transmissionem, qua enuntiabilia nullam quoad sensum mutationem subeant. Tali enim mutatione enuntiabile esse desinit id quod erat. Quod autem non iam est, transmitti nequit.

Adversarii videntur esse *Pseudomystici*, cum saltem pro quibusdam veritatibus non historicis revelationem immediatam requirant. *Deistæ* quidam, uti *Herbert a Cherbury*, *Locke*, *Collins*, omnes recentes *Evolutionistæ*, in re dogmatica speciales rationes contra revelationem qua mediatam afferunt. (Cf. Denzinger, II 268-69).

32. — **Argum. I.** *Ex analysi conceptuum.* Quoad argumentandi rationem cf. arg. 1 theseos 1 n. 17 p. 10-12. E quo eas solas partes commemoro, quæ in applicatione ad revelationem mediatam aliquam difficultatem facessere possent.

Ad revelationis propositionem mediatam id requiritur et sufficit, ut homo homini hæc proponere possit: *a*) aliquod enuntiabile a Deo sibi communicatum, de re sive profana, sive religiosa, etiam mysteriosa; *b*) aliud enuntiabile, quo refertur, eam veritatem sibi a Deo esse communicatam, Deumque velle, ut hæc veritas ab aliis ob auctoritatem divinam credatur. Atqui hominem homini hæc proponere possibile est. Etenim:

1) *Ex parte causæ efficientis.* Deus uti alias veritates ita etiam hanc communicare potest, velle se, ut is qui hæc vel illa Dei communicatione immediata discit, eadem aliis ob divinam auctoritatem credenda proponat. Homo vero omnia iudicia, quæ sive conceptus proprios rei intelligibilis in sensibili sive conceptus analogos rerum spiritualium atque divinarum continent, homini proponere potest. Atqui vidimus, omnes veritates revelatas, etiam mysteria, conceptibus talibus atque copula coniungente contineri.

2) *Ex parte finis intrinseci.* Enuntiabilia ab eo, qui ea immediate a Deo didicit, transmittuntur ita, ut asseratur: *a*) Deum ea communicasse; *b*) Deum velle, ut hæc iudicia ob suam divinam auctoritatem credantur. Quare id quod proponitur ut credendum est veritas a Deo procedens; ratio ob quam proponitur credenda, est auctoritas divina. Iamvero ad fidei rationem ex parte obiecti eiusque propositionis non plus requiritur, quam ut proponatur veritas a Deo communicata per modum revelationis attestantis. Ergo fides etiam in id, quod revelatione mediata proponitur, possibilis est. Ampliora de hac re traduntur in tractatu de fide.

33. — **Argum. II.** *Ex auctoritate generis humani.* Ethnici sæpissime per quoddam dæmonum genus, Monotheistæ per bonos angelos, universum genus humanum quasi semper per quosdam paucos selectos homines revelationes divinas ad se delatas esse putabat. Quomodo vero auctoritas generis humani hac in re eruatur v. th. 1 n. 18 p. 13. ad. min.

34. — **Obiectiones** 1-4 sunt e re communicata, 5 e fine intrinseco. — 1-3 ex eodem principio procedunt, quo dif. 1 et 2 n. 23 p. 17.

Ob. 1. *Veritas revelata cum per aliquod tempus in mente retinetur atque foretur, necessario cum aliis veritatibus religiosis confunditur.* Atqui communicari nequit aliter atque in mente subiective possidetur. Ergo necessarium est, cum revelatis etiam non revelata tradi. — R. N. ma. Etenim si doctrina religiosa re-

velata cum non revelata necessario confundenda esset, nulla unquam doctrina scientifica tradita ab ea, quam homo suis studiis acquisivit, distingui posset.

Ob. 2. Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Atqui ne duo quidem homines easdem omnino ideas religiosas habent. Ergo *eo ipso quod unus homo alii ideam religiosam transmittit, ea immutata permanere non potest.* — R. D. ma.: Modus quo certæ res conceptibus sive propriis sive analogis intelliguntur, diversus est in diversis generibus entium intelligentium, c.; ea quæ ab iis judicantur, inter se diversa sunt, n. — Ad min.: alius est modus cognoscendi unius hominis præ alio, n.; unus generatim non omnia cognoscit, quæ alius scit, vel sæpe unus quosdam errores habet, a quibus alius liber est, sd.: et hæc diversitas impedit, quominus quis eundem omnino sensum alicui enuntiabili tribuat atque alius, n.; et hæc diversitas hanc eandem intelligentiam non impossibilem reddit, c. — Quod ita de enuntiabilibus profanis omni die experimur, gratuito, etiam reclamante experientia, de religiosis enuntiabilibus negatur.

Ob. 3. et instantia ad præcedentem. Etsi revelata religio nullum damnum forte patitur brevissimo eo tempore, quo ab uno retinetur atque ad secundum transmittitur, tamen *impossibile est eam integram remanere, cum per multas, forte per centenas generationes, ad posteros est transmittenda.* Confirmatur hoc historia. Revelatio primitiva Christi tempore miro modo corrupta erat; revelatio christiana iam nunc a primæva forma sua atque perfectione plurimum discrepat. R. D. as.: deest physica possibilitas, ut religio quædam, quæ e plurimis capitibus constat, per longissima tempora intacta servetur, n.; moralis, tr.

Ob. 4. Saltem *mysteriorum* transmissio repugnat. *Etenim ad intelligendum mysterium requiritur lumen speciale; atqui hoc nemo alii infundere potest.* - R. D. ma.: ad perspiciendam intrinsecam evidentiam mysterii requiritur lumen internum speciale, i. e. intrinseca facultatis cogniscitivæ elevatio miraculosa, c. et nego suppositum, hoc lumen in nobis esse, quod autem non est, neque transmittendum est; ad intelligendos terminos mysterii et copulam requiritur lumen speciale, sd.: requiritur generatim sagacitas quædam specialis, n.: requiritur quædam ad terminos attentio, quædam eorum explicatio, quæ magisterio sive humano sive divino in ipsa revelatione contento haud difficile comparari potest, c.

Ob. 5. *Quod ab homine pronuntiatur, non potest habere auctoritatem nisi humanam.* Atqui quod habet auctoritatem tantum humanam, non potest credi fide divina. — R. D. ma.: Enuntiabile, quod ab homine pronuntiatur ut innixum auctoritate propria, c.; ut innixum auctoritate divina, sd.: nisi demonstraverit, rem esse dictam a Deo et immutatam a se tradi, c.; si hoc demonstraverit, n.

35. — **Corollarium.** *Cum possibilitate physica transmittendi religionem revelatam componi per se potest magna difficultas seu impotentia moralis in hoc officio implendo.* At patet, providentiæ divinæ non posse deesse media ad talem difficultatem superandam. Quia vero difficultates Rationalistarum atque Modernistarum contra factum transmissionis revelatæ religionis sæpe ex tali impotentia morali argumentari videntur, iuverit breviter data opera enarrare *quibus mediis Deus talem impotentiam auferre possit.*

In transmittenda revelatione divina diversis modis deficere potest et memoria et intellectus et voluntas. Memoria eo quod non omnia revelata retinet; intellectus eo quod vel sensum veritatum revelatarum mutat vel inter revelatas et non revelatas non distinguit; voluntas aut eo quod memoriæ atque intellectui

non efficaciter imperat, ut ea quæ sua sunt peragant, aut eo quod ad ipsa mendacia impellit.

Iamvero *voluntatem* sanare potest Deus eo quod ei reverentiam maximam atque amorem inspirat et veritatum, quæ communicatæ sunt, et formæ, sub qua communicatæ sunt, i. e. revelationis. Qua reverentia atque amore fit, ut et omne mendacium quoad revelationis materiam atque formam longissime arceatur et vires animi omnes ad eam conservandam atque rite propogandam efficaciter impellantur.

Memoriæ deficientia et in eo, qui revelationem immediatam recipit, et in iis, qui eam per hominem internuntium acceptam aliis tradunt, tolli potest et maxima attentione et frequentissima recordatione. Ad hanc attentionem iuvare possunt v. g. ex parte rerum revelatarum: novitas, sublimitas, ipsa quasi mysteriosa mysterii ratio, forma extraordinaria, qua conceptus stilo quasi sibi proprio vestiuntur; ex parte modi, quo res revelatæ sunt: circumstantiæ extraordinariæ, sub quibus revelatio data est, modus valde extraordinarius, quo impertita est, splendida miracula, quibus subito confirmata est. Frequentissimam etiam coram aliis recordationem promovent et hæc ipsa quæ diximus, et magnus amor, quo homines Deo adiuvante etiam veritates religiosas sensui repugnantes amplecti atque omni vitæ rationi applicare solent. Accedit medium efficacissimum, quo cognitiones facillime per sæcula retinentur atque traduntur, scriptio atque librorum scriptorum conservatio.

Intellectus quoque errores Deus diversis modis præcavere potest. Eos homines et ad primo recipiendam et ad tradendam revelationem eligere potest, qui naturaliter magis apti sunt, ut sanas harmeneuticae atque criticæ regulas sive modo connaturali sive ratione scientifica veritatibus revelatis applicent. Potest etiam præternaturali modo intellectum in inquisitionibus dirigere. Recta et internuntii et aliorum post eum intelligentia mediante scriptione quasi perpetua reddi potest.

Porro hæc omnia et in voluntate et in intellectu et in memoria Deus aut ita operari potest, ut tantum *singuli* in revelatione conservanda occupentur, aut ita, ut homines ad societates hunc in finem condendas suaviter inducat vel ipse tales *societates* fundet. Quæ quantum in doctrinis conservandis, ob collatas et voluntatis et facultatum cognoscitivarum vires valeant, cotidiana experientia manifestat.

Postremo providentia divina aut serie actionum constituitur, quæ tantum *uti tota* potentiam hominum superat, aut etiam actiones tales continet, quæ *uti singulæ* miraculis in ordine sive physico sive intellectus sive morum adnumerandæ sunt. A quibus miraculis neque nova revelatio, veterem sive denuo proponens sive recte explicans, excluditur.

36. — **Scholion.** Revelationem publicam immediatam fieri posse data opera non demonstramus. Nam a revelatione immediata privata nonnisi eo distinguitur, quod subiectum cui revelatio fit, et multi solent esse et relationibus iuridicis inter se in societatem publicam connectuntur. Porro contra revelationem publicam ita formaliter intellectam adversarii insurgere non solent. In quantum vero ratio revelationis mediatæ cum ratione revelationis publicæ coniuncta esse solet, simul cum possibilitate revelationis mediatæ tractata est.

CAPUT II.

DE RELIGIONIS REVELATÆ MAXIMA CONVENIENTIA ET UTILITATE

37. — *Expl. term. Conveniens* de Deo dicitur, *utile* de homine. Conveniens est id, cuius oppositum Dei perfectionibus repugnaret; utile id, quod homini bonum aliquod affert. Magis conveniens et magis utile est id, quod magis Dei perfectiones glorificat et maiora hominibus bona affert. — Ex Theodicea constat, inter ea quæ magis conveniunt Deo et magis utilia sunt creaturis intimum intercedere nexum. — *Non omnia quæ utilia sunt, necessaria dici possunt.* Num præter utilitatem necessitas quædam revelationi ascribenda sit, sequenti articulo videbimus.

Motivum tractationis. Thesibus huius articuli et bona quæ in revelatione sita sunt clarius patefacimus, et adversarios, qui eam insipientiæ accusant, efficacius refutamus.

Art. 1. De utilitate revelationis immediatæ.

Propositio 5ª: **Existunt fines Dei digni, quibus revelatio quædam præ cognitione solum naturali commendetur.**

38. — **St. qu.** *Expl. term.* De qualicumque revelatione agimus. Convenientiam atque utilitatem, quæ ex parte veritatum specialium revelatarum oritur, postea singulis thesibus exponemus.

Argum. I. *Ex ipsis bonis enumeratis quæ Deus intendere potest.* Si respicimus *modum* communicationis veritatis, qui in revelatione habetur, revelatio qua *actio miraculosa* vividius de Dei existentia atque perfectionibus, præcipue potentia, convincit; qua *locutio* eius potentiam revelandi et sapientiam experimento ipso manifestat; qua locutio *attestans* fidem possibilem reddit, per quam, assumendo Dei sapientiam et veracitatem in motivum credendi, et novo modo has divinas perfectiones honoramus, et perfectiorem assensum ponimus. Hic enim assensus ipsi veritati primæ ut motivo adhærens, et firmior est omni alio, et nostram cognitionem divinæ cognitioni assimilat. — Accedit quod, si Scotum sequeris, iam duobus modis plurimas veritates tenere potes, et fide et scientia.

Si ea *ex parte obiecti* addimus, quæ fere in omni revelatione inveniuntur, sive aliquid profani sive aliquid religiosi novi manifestatur, semper aliquo modo perficimur, nova cognitione ad meliorem Dei laudem disponimur, normam novam certissimam negativam vel positivam pro scientia sive sacra sive profana acquirimus.

39. — **Confirmatio.** *Ex auctoritate generis humani.* *a*) Actus fidei saltem in tantum liber est, in quantum homini liberum est in motiva credendi inquirere, et in quantum iis perspectis assensum ponere potest aut ob evidentiam in attestante aut ob motivum auctoritatis divinæ. Iamvero credidit mundus idque ob auctoritatem Dei. Iamvero nisi bona quædam sive actu fidei sive rebus creditis comprehendi vidissent, credere libere non potuissent. *b*) Plena est historia honoribus quos deferebant populi libris quos putabant revelatos, hominibus Dei internuntiis, locis revelatione memorandis, plena est literatura laudibus numini revelatori dicatis.

40. — Ob. 1. *Veritatis inquisitio perfectior est atque eius possessio.* Atqui revelatio quandam dat veritatis possessionem. Ergo præferendum est, revelationem nullam dari. Probatur maior: Inquirendo vires intellectus perficiuntur, non inquirendo languescunt. — R. N. ma.; ad prob.: inquisitione vires magis excoluntur quam inertia, c.; quam actione perfecta, qua veritas possidetur, n. — V. dif. in: *Lessing* Eine Duplik (1778); similem habet *Paul Janet*, secretarius Cousin: « Malumus errorem libere quaesitum quam veritatem serviliter acceptam ».

Ob. 2. Omissa difficultate, quam n. 19 Ob. 3 p. 13 iam solvimus, scilicet fide scientiam impossibilem reddi, tamen *in credentibus ob conditiones subiecti credentis videtur oriri moralis quædam necessitas, ut scientia decrescat.* Etenim α) in credente deest stimulus, qui solus ad res omnes creditas perquirendas impellit, desiderium cognoscendi. Etenim iam cognoscit eas. β) In genere ob habitudinem credendi atque in fide suaviter conquiescendi amittatur necesse est gustus et amor omnis inquisitionis scientificæ.

R. *a*) Etsi hæc damna sequerentur, maioribus bonis compensarentur. Inter quæ præcipue connumerandum est, quod revelatione tollitur impotentia moralis perveniendi ad debitam cognitionem religionis naturalis. De qua re cf. th. 10.

b) Responsum directum speculativum hoc sit: Quoad α). In credente deest impulsus is inquirendi, qui ex ignorantia ipsius rei procedit, c.; is qui ex ignoratione causæ intrinsecæ provenit, n. Iamvero hic scientiam per se parit, ille sive scientiam sive aliam cognitionem. — Quoad β) N. as., d. rationem additam: actus scientificæ inquisitionis a credentibus non ponuntur in ipso actu credendi, c.; non ante et post illum, idque cum augmento numeri, intensitatis, rectitudinis, n. — Expl. Crescit numerus, nam necessario inquirunt in factum et auctoritatem loquentis Dei, connaturaliter in nova revelata atque in ea, quæ cum iis connexa sunt. Crescit intensitas, cum amor veritatis revelatæ, studium eam contra adversarios defendendi, fervor eam eiusque bona aliis communicandi, maximam facultatum cognoscitivarum applicationem imperet. Crescit rectitudo ob novam normam negativam vel positivam.

Historia autem culturæ, speciatim vero philosophiæ et theologiæ docet, scientias inferiores fide christiana saltem non esse impeditas, superiores vero quam maxime promotas. Cf. de B. Alberto M. ut rerum naturalium scruta-

tore *Ehrle*, Stimmen 19 (1880) p. 375-414. — De progressibus maximis in scientiis positivis tempore reflorescentis Scholasticæ *van Laak* I pars. hist. — *Kleutgen* IV² p. 71-96 – *Scheeben* I 446. — De s. 13 v. *Harnack* Dogmengesch. III 326-28, ubi 328 dicit: « In scientia medii ævi manifestatur talis impetus ad cogitandum, talis energia ut cogitationi subiiciant omnia, quæ existentiam habent atque valorem, qualem forte nulla alia ætas nobis offert ».

Ob. 3. *Dedecet scientiam naturalem influxum pati a norma, quæ eius ambitu non continetur.* Atqui veritas revelata ambitu scientiarum naturalium non continetur. — R. D. ma.: si ea norma neque in se ipsa ambitu scientiæ naturali contineretur, neque ex ipsis scientiæ naturalis principiis probari posset, eam aut ob rationes intrinsecas aut ob auctoritatem assumendam esse, c.; si ipsa scientia naturalis suis ipsius principiis probavit, eam assumendam esse, sd.: si influxum pateretur non convenientem cum natura enuntiabilis quod normam format, c.; si influxum qui cum natura enuntiabilis convenit, n.

PROPOSITIO 6ª: **Deus revelationem rerum earum, quæ per se profanæ sunt, ad fines se dignos dirigere potest.**

41. — Thesim hoc loco præcipue propter plurimos *adversarios* proponimus. Innumeri enim recentiores præcipue inspirationem talium rerum profanarum non ex eiusmodi rationibus reiiciunt, quæ actionem inspirativam respiciunt, in quantum a revelatione eam aliquando antecedente distinguitur, sed ex rationibus omnino generalibus, in quantum inspiratio est aliquis modus, quo Deus sensa sua cum hominibus communicat. Inter quas recentiorum difficultates primaria ea esse videtur, qua *omnia facta historica, a fortiori profana, uti indifferentia pro religione proclamant.* Volunt inde deduci Deum, qui in revelatione sua tandem bonum religiosum intendat, nullo modo de rebus profanis ad homines loqui posse. Cf. v. g. *Kant*, Streit der Facultaeten I Abschnitt II, 1 (ed. Hartenstein VII 354). Plura in tractatu de inspiratione Scripturae.

42. — **Argum. I.** *E natura rei.* 1) *Abstrahendo ab eo, num res religiosa simul cum profana revelanda sit. a*) Potest Deus mediante revelatione malum physicum speciale ab homine removere vel bonum physicum speciale ei concedere, v. g. manifestare periculum mortis ignotum. *b*) Hoc Deum decere eo magis dicendum est, cum sæpe modo nobis abscondito bona æterna cum bonis physicis, mala æterna cum malis physicis coniuncta sint. Sume v. g. impediri mortem eius, qui in statu peccati mortalis invenitur. *c*) Ex utraque parte nascitur specialis gratitudo erga Deum.

2) *Considerando varios modos, quibus rei profanæ revelatio ad revelationem rei religiosæ ordinari potest. a*) Res profana natura sua potest esse relata ad rem religiosam, v. g. gravitas morbi ad demon-

strandum miraculum. *b*) Quædam circumstantiæ historicæ, quamvis natura sua cum re religiosa non cohæreant, tamen narrationem rei religiosæ possunt magis vividam atque amœnam reddere, atque proinde ideo a Deo revelante narrationi alicuius rei religiosæ aspergi, ut homines eius ipsius rei religiosæ facilius et libentius recordentur.

43. — **Argum. II.** *Ex auctoritate generis humani.* E multis hæc pauca accipe: Magna Indiæ pars notas suas classium etiam civilium distinctiones, Iudæi omnem constitutionem civilem suæ reipubblicæ e revelatione deducebant. Christiani quoque in sacris libris præcipue V. T. etiam multa profana revelata esse retinent.

44. — Ob. 1. *Dedecet, Deum modo miraculoso res temporales directe curare.* — R. D. ma.: ad resarciendum ordinem rerum naturalem, quasi in suo genere imperfectus esset, c.; ad aliquod speciale bonum concedendum, n.

Ob. 2. *Si Deus res temporales revelaret, omne rerum naturalium studium saltem scientificum destrueret.* — R. Si Deus omnibus omnes res temporales iis utiles vel necessarias revelaret, c.; si uni vel alii vel omnibus tantum paucissimas, neque secundum earum intimam naturam physicam, n.

Ob. 3. Certitudo, quæ ad bonum temporale prosequendum sufficit, est certitudo moralis vel etiam maxima probabilitas; certitudo vero fidei ea est, qua maior cogitari nequit. *Ergo illa maior certitudo fidei ad bonum temporale prosequendum superflua est* et consequenter a Deo non offertur. — R. N. sup., inter necessarium et superfluum non dari medium, scilicet utile. Cogita v. g. principem, qui ideo in conatibus ad salvandam rem publicam fortissime agit, quia Deus revelavit eius conatus successum habituros esse.

Propositio 7ª: Maxima sunt bona, quibus Deus moveri possit, ut religionem humano generi revelet.

Humanum genus in eo statu consideramus, in quo, teste historia, erat atque est.

45. — **Argum. I.** *E bonis enumeratis atque experientia.*

A. *Bona, quæ directe in vitam religiosam derivantur.*

1) Maximæ utilitatis est, *ipsas veritates religiosas etiam eas, quæ independenter a revelatione facile cognoscuntur*, quam maxime vividas esse atque certas. Iamvero propositione 5 n. 38 p. 29 vidimus, hoc revelatione obtineri. 2) Summi momenti pro ultimo fine hominis est, ut res religiosas, quæ summæ dignitatis atque utilitatis sunt, cognoscantur non tantum paucæ sed multæ, non permixtæ erroribus fœdis, non cum sola probabilitate sed cum vera imo maxima certitudine, expedite et ab initio vitæ et in eius decursu, ab omnibus non solum cultis verum etiam incultis. Iamvero hæc *perfectior religionis cognitio* a) *independenter a revelatione difficile*, b) *per eam facile habetur.*

a) *Difficultas hæc cognoscitur* α) *ex ipsa natura humana uti in concreto invenitur.* — Ex parte *intellectus* hæ sunt difficultates: 1) Multitudo et 2) rectitudo talium cognitionum et naturalem capacitatem et longam applicationem mentis supponunt. Iamvero illa in multis hominibus deest et hæc fere omnibus impossibilis est. Solent enim cum rebus temporalibus ob huius vitæ necessitudinem occupari. 3) Certitudo in rebus abstractis et difficile acquiritur et difficilius contra apparentes difficultates retinetur. 4) Celeritas in iis cognitionibus acquirendis in ætate infantili perdifficilis est. In ea enim ætate animus ad res speculativas tractandas minus est dispositus. 5) Maior pars hominum e rudibus consistit. Etsi ergo uni vel alii ea quam diximus cognitio facilis esset, certe hoc de maiore omnino humani generis parte non valeret. — Augentur etiam hæ difficultates ex parte *voluntatis.* Homines enim ad res temporales inclinantur. Unde nisi vim sibi inferunt, has præ æternis efficaci amore complectuntur. E quibus peccatis aversio a Deo iudice suo hominum mentes facile occupat. Quæ in causa est, ut ad res, quæ ad eum spectant, considerandas ægre se convertant.

β) *Ex factis historicis.* Ii, qui in rebus religiosis inquirendis soli rationi innitebantur, de facto veritates religiosas cognoverunt 1) paucas, 2) erroribus plurimis iisque gravissimis permixtas; 3) quoad maiorem earum partem nonnisi cum probabilitate, nunquam cum certitudine fidei divinæ; 4) nonnisi post diuturnum laborem; 5) cognitionem aliquam perfectiorem si qui paucissimi habebant, scholæ ambitu inclusam eam tenebant. — Quæ evolvemus, quando de effectibus bonis Christianismi agetur.

b) *Facilitas huius cognitionis mediante revelatione habetur.* Nam 1) facilius ipsi conceptus rerum, quos Deus exponere dignabitur, intelliguntur. 2) Infinitæ Dei potentiæ atque sapientiæ deesse non possunt modi, quibus certitudo locutionis divinæ ciusque auctoritatis, atque in ea omnium veritatum revelatarum, certa possessio facile in ipsa infantium atque adolescentium ætate, ab ipsis etiam rudibus, acquiratur. Quos modos in tractatu de motivis credibilitatis videbimus.

46. — B. *Bona, quæ e religione ut revelata in perfectiorem rerum temporalium statum redundant.*

1) In philosophia demonstratur, quo perfectius religio naturalis observetur, eo perfectiora esse *in genere* et per se tum *interna* hominis bona, quæ in veram felicitatem temporalem influunt, tum *exteriora* bona, quæ ad eam pertinent. Iamvero argumenti huius parte A vidimus, e revelatione religionis in eius perfectiorem observantiam innumerabilia plane bona derivari. — 2) Speciatim quod ad *scientias* atti-

net: *a*) Revelatione religionis crescit *philosophiæ* perfectio. Etenim plurima ex iis, quæ revelantur, ad Theodiceam vel Ethicam pertinent. Qui perfectior philosophiæ status in maiorem omnium scientiarum perfectionem redundat. *b*) Revelatione religionis *multæ aliæ scientiæ* etiam directe perfici possunt Nam multæ res e diversis scientiis profanis ob suam cum rebus religiosis vel cum locutione divina connexionem connaturaliter revelantur, multæ ex iis logica consequentia deducuntur.

47. — **Argum. II.** *Ex auctoritate sapientum.* Tum Iudæorum tum Christianorum auctores, cum in V. et N. T. tum extra illud in apologiis revelationis revelatæ, eam etiam ideo extollunt, quod cognitionem Dei eiusque præceptorum et speculativam et practicam conservaverit atque propagaverit. Sæpe etiam adducunt rationes similes iis, quas n. 40 et 41 exposuimus.

Qui vero falsæ revelationi adhærebant atque adhærent, uti Mahomedani et pagani, etiam ipsi ideo revelationem laudant, quia religionem ex ea deducunt.

48. — **Obiectiones** 1 et 2 utilitatem pro ipsa religione, 3 et 4 pro scientiis profanis impugnant, 5 est contra argumentum ex auctoritate.

Ob. 1. *Veritates religiosæ, quæ revelari possunt, independenter a revelatione sciri debent, ut ipsum iudicium credibilitatis et credentitatis formari possit.* Ergo inutile est, eas revelare. — R. D. antec.: Omnes eæ veritates vel saltem maior pars earum ad hunc finem necessario sciri debent, n.; quædam, sd.: eadem certitudine atque claritate, qua per revelationem sciuntur, n.; minore et certitudine et claritate, c. Pariter d. cons.

Ob. 2. *Persuasio de revelatione* cum suis beneficiis divinitus data, de præcepto credendi omnibus imposito, *fanatismum vel saltem intolerantiam producit.* Iamvero hoc malum est. — R. *Quoad fanatismum* c. min. at n. ma. Fanatismus enim in eo est, ut quis religionem propaget cum fervore quidem at mediis in se illegitimis vel saltem cum magno defectu prudentiæ adhibitis. At talia revelatio vera damnat. – Quoad *intolerantiam* d. antec.: revelatio vera docet intolerantiam dogmaticam, quippe quæ non sit nisi odium ipsius erroris, c.; civilem, sd.: etiam in iis circumstantiis eam commendat, in quibus ob maius malum evitandum exercitium falsæ religionis tolerari potest vel aliquando debet, n. Cd. min.

Ob. 3. *Libertas scientiarum ex amplo revelatorum complexu nimium restringetur.* Normæ enim extrinsecæ multæ mentes coarctant. — R. N. as. et rationem additam. Etenim multitudo normarum infallibilium id solum præstat, ut a multis enuntiabilibus eæ utilitates capiantur, quas diximus. Cæterim infinitus est campus rerum investigandarum, quæ neque revelatæ sunt neque cum revelatione connexæ.

Ob. 4. *Religiosas mentes timor vehemens occupabit, ne quid contra plurimas veritates revelatas vel connexas inconsiderate proferant. Silebunt ergo.* Quod silentium scientiæ sepulchrum recte dixeris. – R. *a*) Scientiæ multæ integræ, aliarum magnæ partes nullam relationem cum revelatis dicunt. In multis aliis connexio atque proinde periculum errandi non est nisi remotum. *b*) Ubi rationabilis certitudo de rerum revelatarum vel connexarum natura haberi nequit, non tantum permittitur ut modestæ de ea theoriæ proponantur, verum etiam ipso revelationis declarandæ et defendendæ studio commendatur. *c*) Aliquorum

nimia timiditas possibilis est, at utilitatibus pluribus e revelatione in res humanas derivatis compensatur. *d*) Historia teste revelationis amatores in scientiis tum sacris tum profanis continuos fecere progressus.

Ob. 5. *Ethnici ad revelationes deorum suorum tantum recurrebant, ut sibi emolumenta temporalia procurarent.* Ergo nihil testantur de utilitate revelationis ad promovendam religionem. — R. D. antec.: finis proximus cur ad oracula etc. recurrerent saltem generatim erat is ut scirent modos colendi numina, qui iis accepti essent. At hos ipsos, uti omnem suam religionem ad res terrenas obtinendas ut ad finem ultimum dirigebant.

Propositio 8ª: **Specialibus rationibus ostenditur, revelationem mysteriorum magnam afferre Deo gloriam, humano generi utilitatem.**

Loquimur hypothetice, si quæ sunt mysteria atque revelari possunt.

49. — Argum. *E bonis quæ revelatio mysteriorum confert.*

1) *Revelatio mysteriorum perfectionem religionis auget.* Nam mysteria cum intelligi nequeant, id quod est proprium fidei, *ipse modus adhæsionis* ob solam auctoritatem, in iis credendis magis splendet. Unde iis credendis specialis defertur honor Dei, speciale acquiritur meritum humilitatis. Id quod etiam eo confirmatur, quod incredulorum superbia quam maxime repugnat mysteriis, credentium vero humilitas ob eorum fidem sæpe maioribus tentationibus impugnatur. *Ipsæ vero veritates revelatæ* rectam augent de Deo atque nobis ipsis æstimationem: de Dei infinita essentia, potentia, sapientia, quippe qui mysteriosa in se habeat, cognoscat, perficiat; de singulis perfectionibus divinis, ad quas singula mysteria specialem ordinem dicunt. V. g. de Dei infinita communicabilitate, qua cum humana natura in unitatem personæ coniungi possit; de Dei bonitate, si constat, eum de facto mysteriosa in nostram salutem esse operatum. — Cum qua æstimatione connaturaliter crescit amor et Dei et hominum, pro quibus talia Deus efficere dignatus est. Aucto autem hoc amore omnes cæteræ virtutes augentur.

2) *Revelatio mysteriorum in naturalem perfectionem humani generis generatim sumptam redundat. a*) A perfectiore religionis statu etiam in genere maior perfectio veræ felicitatis terrenæ dependet. Iamvero, ut vidimus, mysteriorum revelatione religio multum perficitur. *b*) Speciatim intellectus mysteriorum revelatione valde perficitur. Nam ea credendo veritates sublimiores quas potest cognoscit.

3) *Speciatim scientifica procedendi ratio* multa emolumenta habet. Discit rerum indagator *circumspectionem*, quia edocetur, existere quæ capi non possint; quia monetur ne facilius concludat, res ita esse in Deo, uti sunt in creaturis, atque proinde facilius statuat, ea ex essentia

conceptuum obiectivorum fluere, quæ nonnisi ex eorum modo imperfecto se habendi ortum ducunt. *Normam* habet eo perfectiorem quo perfectius mysteria præ cæteris veritatibus intimam rerum creatarum atque ipsam divinam essentiam conceptibus analogis exhibere possunt. Unde mediantibus mysteriis ut principiis cognitionum, conclusiones de divina essentia atque intima rerum creatarum natura deducere possumus, quæ sine revelatione mysteriorum nobis absolute imperviæ mansissent. Id quod theologiæ speculativæ est. Denique *quædam ipsorum mysteriorum scientifica intelligentia* acquiri potest, si analogiis e rebus naturaliter notis illustrantur, si eorum nexus inter se et cum fine hominis exhibetur, si in unum systema scientificum colliguntur, si eorum ad veritates naturales relatio consideratur.

50. — Confirmatio. *Ex auctoritate sapientum.* Revelationis mysteriorum convenientiam atque utilitatem Scriptura, Patres, doctores scholastici partim summa eloquentia celebrant partim rationibus fere a nobis adductis declarant. Qui cum rerum divinarum cognitione excellant, sine dubio æqui æstimatores huius utilitatis dicendi sunt.

51. — Ob. 1. *Quod non intelligitur neque scientiam promovet neque voluntatem movet.* Atqui mysteria intelligi non possunt. — R. D. ma.: Eiusmodi enuntiabile, cuius neque sensus capi neque existentia ullo motivo affirmari potest, c.; in quo hæc obtinent, etsi eius veritas ex intrinsecis rationibus deduci nequeat, n. — Voluntatem porro veritas ipsa movet, non vero eius intima explicatio.

Ob. 2. *Qui fidei in mysteria assueti sunt,* si forte ad quædam difficillima intellectu pervenerint, ea mysteria proclamabunt atque proinde *ab ulteriore inquisitione abstinebunt!* — R. N. as. Generatim, historia teste, theologi catholici non ita egerunt; obstat quoque a priori sciendi cupiditas, qua impulsi multi vel ipsa mysteria plene explicare studuerunt.

Ob. 3. *Qui mysteriorum revelationem laudant, generatim culturæ humanæ, speciatim scientiæ naturalis hostes erant.* Iamvero eiusmodi tenebrarum homines diiudicare nequeunt, quid scientiæ utile sit. — R. N. ma. Nempe ii sunt, qui ex ethnicismi ignorantia ad religionis naturalis certam, amplam, e rationibus intrinsecis petitam cognitionem et doctos et secundum capacitatem eorum ipsos rudes perduxerunt atque perducunt; ii, qui et inferioris culturæ humanæ thesauros eos, quos Græci atque Romani comparaverant, quantum e temporum iniquitate licuit, posteris servarunt; ii, qui quando opibus et auctoritate plurimum valebant, et mediis materialibus et adiumentis spiritualibus omnem homine dignam rerum humanarum evolutionem promovebant.

Propositio 9ª: Sunt rationes, quibus revelatio universalior, imo communis earundem veritatum pro toto genere humano, præ alia commendetur.

52. — Argum. *E natura rei. Si revelatio communicaretur paucis,* quin nuntii ad alios divinitus constituerentur, facile fieret, ut pauci soli crederent, atque ita maior populi vel humani generis pars iis bonis privaretur, quæ prop. 7 et 8 e revelatione fluere demonstravimus.

Si vero non unus idemque complexus toti generi humano revelaretur, sed hic huic homini vel populo, ille etsi non oppositus at diversus illi, hæc bona continuo desiderarentur: deesset illud *uniformitatis* vinculum sive alicui populo, sive toti humano generi, quod in iisdem dogmatibus atque præceptis positivis amplectendis consistit. Deesset *facilior* quædam atque menti humanæ magis congrua *certitudo de facto revelationis.* Si enim varia dogmata vel præcepta diversis temporibus diversis hominibus vel gentibus amplectenda proponerentur, sua etiam diversis essent proponenda locutionis divinæ argumenta. Iamvero ita maior credentium pars, præcipue rudes, non iam, uti in præsenti rerum ordine, in diiudicandis revelationis argumentis ex auctoritate humana sapientum totius quasi generis humani, imo fide quasi totius orbis iuvarentur. — Hæc porro maior in omnibus fidei firmitas, hæc in amplectendis doctrinis uniformitas multa *removet pericula discordiæ in re religionis, quæ gravissima damna afferre solet et internæ et externæ populorum paci atque ipsi omnis religionis securæ possessioni.*

Art. 2. De utilitate revelationis mediatæ.

Propositio 10ª: Sunt rationes, quibus Deus moveri possit, ut revelationem religiosam publicam per unum vel paucos ad cæteros omnes derivet.

53. — **St. qu.** *Expl. term.* De ea sola rerum conditione agimus, in qua Deus eundem veritatum religiosarum complexum populo cuidam vel generi humano universo impertire voluerit.

Argum. *E natura rei.* — α) *Perfectiones divinæ revelatione mediata speciali modo manifestantur: Potentia.* Una enim actione immediata, qua Deus revelationem impertit, eundem effectum obtinet, ac si diversissimis temporibus in plurimos homines, nova semper miracula in ordine intellectus operando influxisset, omnibus directe revelationem immediatam dedisset. Etiam una argumentorum serie v. g. miraculis a Dei nuntio patratis, imo per se uno miraculo, revelatio pro omnibus hominum generationibus efficaciter probari potest. Si vero immediata esset revelatio, novæ semper revelationes novis semper argumentis connaturaliter essent confirmandæ. — *Bonitas.* Bonitate sua Deus omnibus omnis boni est fons. Cuius imitatio in eo habetur, quod revelatio, bonum altissimum atque soli Deo proprium, quantum fieri potest, ab uno homine cæteris communicatur. — *Sapientia.* Ordo enim aptus in eo conspicitur, quod vires creatæ, cum Deo coo-

perari possunt, otiosæ non relinquuntur. Aptissimus porro is ordo est, ut sicut generatim vita naturalis atque sæpe quædam magni momenti veritas naturalis ab uno vel paucis in cæteros omnes derivatur, ita veritas divina, quæ quasi animæ veram vitam constituit, ab uno quasi capite in omnes descendat.

3) *Homines vario modo perficiuntur. Certitudo de doctrina revelata* facile eo augetur, quod integer populus vel magna generis humani pars eandem revelationem atque eadem eius argumenta admittunt. — *Variæ virtutes connaturaliter augentur: Humilitas.* Homo enim ab homine, non tantum ab ipso Deo, revelationem divinam accipere obligatur. — *Unio animorum.* Totus enim populus vel universum humanum genus per sæcula unam magnam sub uno magistro discentium societatem formant. Quæ vincula eo arctiora sunt et sanctiora, quo sublimius atque pretiosius illud donum est, ob quod legato Dei debitores sunt.

Confirmatio. *Ex auctoritate generis humani.* Semper enim ea communis erat persuasio, maiorem omnino revelationum partem nonnisi internuntiis spiritibus vel hominibus ad cæteros pervenisse. Quæ persuasio supponit, homines hanc formam communicandæ revelationis religiosæ valde congruam habuisse.

54. — Ob. 1. Secundum doctrinam catholicam *Deus in omni actu credendi immediate ipse supernaturaliter in mentem hominis influit.* Ergo saltem secundum doctrinam catholicam revelatio mediata superflua est. — R. D. antec.: quo influxu veritas revelatur, n.; quo mens — in hoc ordine supernaturali — subiective elevatur, ut veritatem iam revelatam eo modo amplectatur, qui fini supernaturali congruat, c. Pariter d. cons. Cf. dogmaticos ubi de supernaturalitate actus fidei agunt.

Ob. 2. *Si Deus immediate omni homini eundem religiosarum veritatum complexum revelasset,* ex una parte revelationis propositio *magis vivida fuisset,* ex alia parte tamen eadem pro omnibus maneret. — R. D. antec.: et simul haberentur ea bona quibus Deus ad alium ordinem instituendum sapienter moveri posse probavimus, n.

CAPUT III.

DE REVELATIONIS NECESSITATE

55. — Prænotanda. 1) *Necessarium ad aliquem finem* est id, sine quo ille finis obtineri nequit. Necessarium *physice* est id, sine quo habetur impotentia physica; necessarium *moraliter* est id, sine quo habetur impotentia moralis. Impotentia physica consistit in defectu alicuius rei, quae ad agendum requiritur sive ex parte facultatis sive ex parte mediorum sive ex parte conditionis sine qua non. *Impotentia moralis consistit in ea difficultate operandi id, ad quod et facultates et*

media adsunt, ut ad actum non perveniatur. Ad quem si nunquam pervenitur, impotentia moralis dicitur stricta, si saltem aliquando, appellatur lata.

2) Ipse finis rei, ad quem aliquid necessarium esse dicitur, supposita rei existentia aut necessarius est aut non. Si necessarius est, medium ad eum assequendum dicitur *absolute*, sine ulla conditione, necessarium. Si necessarius non est, medium ad eum dicitur *hypothetice* necessarium, scilicet facta hypothesi, finem appeti.

3) *Finis hominis aut naturalis est, aut, si id fieri potest, supernaturalis.* Qui fines cum essentialiter diversi sint, etiam ea, quæ ad unum vel alium assequendum necessaria sunt, diversa sint oportet. Finis supernaturalis possibilitas est mysterium sensu stricto, atque proinde in theologia fundamentali essentialiter ignoratur.

Propositio 11ª: Si Deus voluit, ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, debita amplitudine et nullo admixto errore cognosci posse, si porro nullum aliud extraordinariæ suæ providentiæ auxilium concedere voluit, ipsa revelatio moraliter necessaria esse dicenda est.

56. — **Lit.** Quis sit conceptus necessitatis moralis, quam statuimus, v. v. g. *Th.* 1 qu. 1 a 1 in c. — *Scotus* (Montefortino) p. 5-16. — *Schema* 1 Constitutionis de doctrina cath. in *Concil. Vat.* propositum; explicatio ejus; in: Collect. Lacens. VII, col. 509 « verumtamen — possit », col. 524d- 525a. — *Granderath*, Const. Dogm. Concil. Vat. 78-80, 42-46. — *Id.* in ZKTh. VI (1882) 283-318 — *Wilmers*, th. 24 p. 82-83 — *Hurter*, th. 4 præcipue p. 24 n. 3 — De ratione argumentandi cf. *Gutberlet*, II § 6 p. 33-88 — *Wilmers*, th. c. — *Tilm. Pesch*, Log. II p. 635 — Materia historica huc pertinens data opera exponetur in thesibus de effectibus religionis revelatæ, præcipue christianæ. Interim cf. eam breviter collectam *Gutberlet* l. c. — *Mach*, Notwendigkeit der Offenbarung, nachgewiesen aus Geschichte u. Vernunft (Mainz 1883) pp. 339.

57. — **St. qu.** *Expl. term.* In *philosophia* contra traditionalistas probatum est tum ipsa doctrina proposita, tum continua eius applicatione in Theodicea et Ethica, hominem independenter a propositione revelationis eiusve fide universam religionem naturalem physice cognoscere posse. (Cf. v. g. libri textus, uti *Remer*, Psychologia prop. 5; *Schaaf* Theodicea th. 2; *de Maria*, Comp.³ p. 454-6; ex aliis libris v. g. *Hontheim* Theodicea th. 5). *Nos non negamus possibilitatem physicam ad integram religionem naturalem perfecte cognoscendam, sed de sola possibilitate morali loquimur.*

Theologi demonstrant hoc: Ad id, ut finis supernaturalis actibus intrinsece ei proportionatis connaturaliter appetatur, necesse est eum

cognosci. Finis autem supernaturalis cum sit mysterium sensu stricto, sine revelatione ne physice quidem cognosci potest (Cf. v. g. *Wilmers*, th. 25). *De suppositione elevationis et connaturalis intrinsecæ ordinationis ad finem supernaturalem, cuius ne possibilitas quidem naturaliter cognosci potest, hac thesi non agimus. Alias necessitatem revelationis non moralem sed physicam statuere deberemus.*

58. — Non affirmamus, Deum ad eum finem, ut homines naturalem beatitudinem consequi vel pro actionibus suis puniri iuste possent, debuisse eam perfectionem cognitionis religiosæ concedere, de qua in thesi sermo est. Id unum dicimus, Deum, *si talem cognitionem concedere voluit*, adiutoria addere debuisse. Est ergo sermo de revelationis quadam necessitate *conditionata* seu *hypothetica*.

59. — Præterea illa necessitas, uti ex enuntiatione theseos patet, intelligitur *disiunctiva*. Sensus igitur est: ad eum finem Deus aut alia media extraordinaria providentiæ suæ adhibere debuit aut revelationem impertire. Cum autem aliunde sciamus, Deum aliis mediis uti in præsenti ordine noluisse, ipsam revelationem necessariam esse dicimus. Quæ alia media poterant esse duplicis generis:

a) *In omnes immediate* influere poterat. Poterat ex parte *subiecti* v. g. mentis capacitatem perficere, operationes intellectus dirigere, maiorem voluntati inclinationem in res abstractas atque sublimes indagandas indere, maximum atque efficacem rerum divinarum amorem voluntati inspirare. Poterat res humanas ita disponere, ut a cura rerum temporalium homines multo magis essent liberi. Denique ipsa scientia infusa concedi omnibus poterat. Ex parte *obiectorum* Deus etiam clarius et quasi vividius suas perfectiones manifestare poterat v. g. plura et magis splendida etiam inter ipsos ethnicos miracula patrando.

b) *Mediate in omnes, immediate in quosdam* agere poterat V. g. quosdam homines ea scientia donare poterat, quam n. a. descripsimus; simul iis mirabilem atque omnium oculos percellentem sanctitatem addere; id providentia sua curare, ut eiusmodi homines corpus formarent apostolorum, qui decursu sæculorum nova semper sibi membra cooptarent; denique iis humani generis protectionem, æstimationem, amorem conciliare. Ita ipsa humana sua auctoritate humanum genus forte de veritate doctrinarum suarum convincere potuissent.

60. — *Ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt.* Intelliguntur religionis naturalis veritates et speculativæ et practicæ, quæ per se, i. e. potentia physica, ab homine cognosci possunt.

Harum *ambitus* intelligitur ita completus, ut ea omnia comprehendantur, quæ in vitam religiosam homine dignam influere solent. Ad

quam certe non requiruntur plura iis, quæ nunc religionis christianæ asseclis facile offeruntur.

Nullo admixto errore. Excluduntur errores ii, qui vitam religiosam indignam redderent. Quales non sunt ii, qui neque hodie, quamvis revelationis luce illustremur, evitantur, v. g. de modo, quo Deus res libere futuras in se ipso cognoscit, de rectitudine speculativa alicuius iudicii ultimo practici in re difficiliori.

Ab omnibus. Thesi hac de impotentia morali generis humani sermo est. Quid quidam singuli homines, forte in circumstantiis inquisitioni quam maxime adaptatis constituti, assequi potuerint non definimus.

Expedite. Eam facilitatem intelligimus, qua homines, quamvis in ætate infantili atque adolescentia versentur, quamvis postea in rebus temporalibus pro huius vitæ necessitate quasi continuo occupati sint, tamen sine magno labore veritates de quibus agitur rescire possint. Non vero aliquem laborem iis in talibus circumstantiis moraliter possibilem excludimus. Quæ facilitas cum quodam labore coniuncta v. g. nunc in infantibus vel rudibus iis invenitur, qui ab ecclesia catholica instruuntur.

Firma certitudine. Intelligitur ea, quæ statui dubii atque probabilis opinionis opponitur. Non antem dicimus, eam semper ex rationibus intrinsece perspectis debere proficisci.

In præsenti humani generis conditione. Consideratur humanum genus uti historice erat atque est. Quid humanum genus in alio providentiæ ordine moraliter efficere potuisset necne, non inquiritur.

Ratio cur thesis ponatur est, ut et generatim revelationis œconomia melius intelligatur, et adversarii, qui revelationis utilitatem negant, efficacius refutentur.

61. — Argum. I. *E rationibus rei internis.* Vidimus th. 7 humanum genus magna difficultate premi in ea cognitione acquirenda, de qua in hac thesi sermo est. Atqui ea difficultas tanta est, ut sine revelatione vel medio extraordinario, quod eius locum teneret, nunquam superata esset. Ergo humanum genus impotentia morali ad eam cognitionem acquirendam laborat.

Prob. min. Difficultates e parte singulorum hominum non cessassent. Uti n. 45 p. 32, 33 vidimus, difficultas quantum ad *intellectum* oritur e natura veritatum reconditarum et difficultate applicationis ob curas huius vitæ; quantum ad *voluntatem* ex desidia quadam generali in laboribus difficilioribus, ex aversione a Deo, ob quam a meditandis rebus divinis refugitur. Iamvero, si hanc aversionem excipis, certe illæ difficultates cum hominis et rerum mundanarum natura concretæ sunt; aversio autem ea, independenter a revelatione eiusque bonis, per millia

annorum non tantum non diminuta sed aucta est. Unde patet, eam, si idem providentiæ ordo remansisset, etiam ipsam remansuram fuisse.

Philosophorum cognitio nimis imperfecta erat. Multas et graves veritates ordinis naturalis ignorabant, alias nonnisi cum probabilitate tenebant, imo veris multos foedos errores interserebant. — *Quam vero habebant cognitionem, communem reddere non valebant. Deerat zelus* apostoli ad id necessarius, famæ, rerum terrenarum, vitæ oblitus. Deerat *modus eam propagandi.* Etenim instructionem, quæ in evidentia intrinseca inniteretur, populi uti n. 45 p. 32, 33 vidimus expedite, certe, plene assequi non poterant. Ad locutionem autem attestantem eiusmodi magistris præsto non erat auctoritas. Nam nota erant eorum in doctrinis principalibus dissidia, nota uti generatim pessimi alii mores, ita speciatim in asserenda veritate religiosa ob studium rerum terrenarum, favoris principum atque plebis, timiditas imo hypocrisis. Ita multi Polytheismum interne quidem condemnabant, externe tamen laudabant, exercebant. — Unde philosophi generatim ne conabantur quidem populis veritatem annuntiare.

Religiones novæ, quæ continuo inter se exceperunt, omnes etiam ipsæ multos graves continebant errores; neque ulla est, quæ aperte damnato omni Polytheismo unum verum deum colendum esse proclamare ausa fuerit.

Societates religiosæ, quæ plurimæ ubique gentium existebant atque præcipue sacerdotum sodalitia, in eo erant, ut neglecta rei moralis et religiosæ doctrina, ritus superstitiosos vel obscenos docere solerent.

Qui *status civilis* vires moderabantur, iis ad id abuti solebant, ut et generatim Polytheismum foverent et se ipsos sat communiter deos proclamarent.

Tandem omnes hæ aliæque vires innumerabiles atque quasi imponderabiles, quæ *progressum universalem continuum* efficere dicuntur, eam cognitionem de qua agitur, nunquam produxissent. Nam transmissa quæstione num hic progressus continuus in cultura externa locum habeat, certum est, eam qualemcunque progressus continui legem pro re religiosa non valere. Nam α) hodie innumeri, summa externa cultura circumdati, turmatim ad fœdos errores misere delabuntur. β) Generatim nulla ætate cultura externa cum religiosa pari gressu procedebat. γ) Genus humanum universum a statu puriore, imo a Monotheismo ad peiora semper delapsum est. Ad Monotheismum ut statum primitivum cum certitudine perduceris, si iam auctoritatem historicam Geneseos demonstrasti; ad statum saltem vicinum Monotheismo ducunt etiam alii

fontes etsi imperfectiores, atque præcipue studia, quæ in comparandis religionibus versantur.

62. — **Confirmatio.** *Ex auctoritate sapientum.* Ex Ethnicis hanc revelationis necessitatem insinuant v. g. *Plato.* Epinomis (ed. Didot, 1862) II 513, 514; *Iamblichus,* Vita Pythagoræ, c. 28. — E christianis huic veritati insistebant apologetæ ævi patristici, insistunt recentiores. Tandem Concil. Vat. definivit: « Huic (per prophetas et Christum datæ) divinæ revelationi tribuendum est, etc. ». (Sequuntur verba ab « ea » usque ad « cognosci posse ». Addidimus tamen ex Actis Concil. verba « debita amplitudine »). Ne hæc moralis necessitas revelationis cum physica confundatur, Conc. pergit: « Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est... ». (Ench. 1786).

63. — Ob. 1. *Si revelatio esset necessaria, esset debita.* Atqui cum sit præternaturalis, non est debita naturæ. Ergo non est necessaria. — R. D. ma.: si revelatio in se ipsa esset necessaria ad cognitionem de qua sermo est, et non sufficeret aliquod aliud auxilium quod inter naturalia providentiæ media continetur; si præterea cognitio illa necessaria esset ad eum finem, ut homo ipsum suum finem naturalem consequi posset, c.; si saltem prior conditio deest, n.

Ob. 2. *Impotentia moralis generis humani ad cognoscendam religionem naturalem repugnat sapientiæ Dei.* — R.: si etiam ad eas doctrinas extenditur, quas singuli absolute cognoscere debent ut finem suum naturalem consequi possint; et si præterea in tali suppositione Deus non efficaciter remedium sufficiens, quantum est ex se, apponeret, quo hæc absolute necessaria cognoscerentur, c.; si utraque hæc conditio deest, n.

Ob. 3. quæ saltem catholicos confundere videtur. Eædem sunt vires intellectus hominum in hoc statu atque in statu naturæ puræ. Atqui *in statu naturæ puræ impotentia ea moralis, de qua agimus, non adfuisset.* Ergo neque in hoc statu adest. — R. D. ma.: eædem fuissent vires intrinsecæ, c.; et simul fuissent eadem impedimenta pro usu earum sufficienti ad finem de quo agitur, tum ex parte voluntatis peccaminosæ tum ex parte aliorum impedimentorum, quæ a generali providentiæ ordine pendent, ut puta occupationes huius vitæ, etc. p. pr. — Tr. min., de qua diversæ sunt doctorum sententiæ. — D. cons.: si impotentia moralis penderet a viribus intrinsecis, c.; si ab impedimentis, quæ ipsa a voluntate et providentiæ ordine pendent, n.

Ob. 4. *Neque ipsa revelatio hanc impotentiam moralem tollit.* Nam etiam post revelationem datam innumeri damnosi errores in genere humano inveniuntur. R. D. as. et rationem additam: Revelatio impotentiam hanc moralem non tollit in iis, qui eam fide non recipiunt, c.; in cæteris sd.: non eam, de qua sola in hac thesi sermo est, n., non aliam, tr.

Ob. 5. Adest lex progressus naturalis in rebus religiosis. Nam *ab initio florebant sive Fetichismus sive Animismus sive Henotheismus. Nunc perfectiores religionis formæ habentur.* — R. N. as. Ad prob. *a*) Eo tempore, de quo documenta directa profana habentur, florebat religionis quædam forma polytheistica cum vestigiis Monotheismi permixta, c.; quædam religionis forma sine talibus vestigiis, n. Iamvero ab hoc rerum statu nulla ratione concluditur ad statum absolute primum Monotheismi expertem. *b*) Formæ perfectiores habentur nunc in iis, qui revelationi adhaeserunt vel eius influxum aliquem receperunt, c.; in cæteris generatim, n.

PARS II.

DE HABITU MENTIS AD REVELATIONIS PROPOSITIONEM

CAPUT I.

DE DEMONSTRABILITATE REVELATIONIS SEU DE MOTIVIS CREDIBILITATIS

64. — Prænotanda. 1) *Motiva credibilitatis* eæ sunt rationes, ob quas intellectus rationabiliter iudicare potest locutionem, quæ ut divina proponitur, de facto a Deo profectam esse. Expressiones hae tres: *motiva*, *criteria*, *notæ* revelationis seu locutionis divinæ aliquando promiscue usurpantur. Recentiores motiva vel criteria revelationis a notis ita distinguere solent, ut notas ea criteria dicant, quæ rei diiudicandæ vel vere inhærent vel ut inhærentia considerantur. Motiva credibilitatis vero et criteria quasi identica sumuntur. Vox tamen criterii id aliquo modo insinuat, adesse etiam revelationes, quæ se divinas immerito proclament, proinde inter has et eas, quæ vere divinæ sint, distinguendum esse.

2) Universa de motivis credibilitatis doctrina, quamdiu theologia fundamentalis a reliquo theologiæ corpore separata non erat, *in tractatu dogmatico de virtute fidei proponi solebat*. E libris recentioribus textus cf. v. g. *Pesch*, VIII prop. 16, 17. — *Billot*, de virt. infusis (Romæ 1901) Proleg. de fide § 3; th. 17. — *Schiffini*, de virt. infusis (Friburgi 1904) 259–76. — Ampliora *Wilmers*, de fide divina (Ratisbonæ 1902) ll. 4 l. 2 c. 1 p. 85–135.

3) *Dividitur* hæc doctrina in *partem generalem*, qua ea tractantur, quæ omnibus motivis credibilitatis communia sunt, *et partem specialem*, qua ipsa singula motiva proponuntur.

4) *Pars generalis a nobis data opera non proponitur*. Nam *a)* in quantum ea e Scriptura et Traditione eruitur, in theologia fundamentali tradi non potest. *b)* In quantum ex ipsa fidei notione abstrahendo ab eius supernaturalitate sequitur, ea quæ ad theologiam fundamentalem intelligendam absolute requiruntur, etiam breviter

adumbrari possunt. Ulterior quidem tractatio in tractatu dogmatico de fide proponitur, ad quem, ne fere eadem bis proponantur, hic remittimus. — Cf. interim libros textus, v. g. eos quos mox citavimus.

Doctrinæ generalis de motivis credibilitatis summa capita adumbrantur.

65. — I. *Species motivorum credibilitatis.*

1) Sunt motiva, *quibus probetur, Deum locutum esse;* sunt, quibus demonstretur, eum *non esse locutum vel etiam spiritum malum vel errori subiectum esse locutum.* De solis illis per se agimus; de his per accidens, in quantum iuvant ad locutionem divinam ab ea, quæ talis esse dicitur at non est, dignoscendam.

2) Sunt *motiva credibilitatis locutionis divinæ proprie talia, sunt improprie talia.* Proprie talia domonstrant id ipsum, quod demonstrandum est, i. e. Deum esse locutum; improprie talia aliquid probant, quod ad illud demonstrandum conferre potest, scilicet non esse impossibile, Deum hæc vel illa locutum esse. Illa etiam vocantur positiva, hæc negativa. Negant enim ea impedimenta adesse, quibus a priori constaret, Deum non esse locutum. Aliquando etiam eæ rationes, e quibus constet, Deum non esse locutum, criteria negativa dicuntur. Nos hæc criteria falsitatis appellabimus.

3) *Criteria interna et externa* a diversis diverso modo dicuntur. Quidam ea vocant interna, quæ in legato divino vel in subiecto credente inveniuntur, externa ea, quæ alio modo se habent.

Generatim vero ea dicuntur interna, quæ ex ipsa veritate revelata petuntur, externa ea, quæ ex eo petuntur, quod ipsi veritati revelatæ extrinsecum est. Nos hunc loquendi modum sequemur.

Interna, si hoc modo intelliguntur, distinguuntur in interna simpliciter et secundum quid. Interna simpliciter ea dici possunt, quæ doctrinæ revelatæ simpliciter intrinseca essent; interna secundum quid ea, quæ simpliciter extra veritatem revelatam constituta sunt, nexu tamen quodam modo naturali cum ea coniunguntur. Num criteria simpliciter interna existere possint, postea inquiretur.

4) Criteria externa dividuntur in ea, quæ *spiritualia* sunt, et ea quæ *non sunt spiritualia.* Quæ spiritualia sunt tamen sive effectibus suis aliquando connaturaliter sensibili modo produntur, sive verbis manifestari possunt. Quod si fit, suo modo ad ordinem criteriorum non spiritualium seu sensibilium referuntur.

5) Alia est divisio criteriorum in *primaria* et *secundaria*. Primaria ea dicuntur, quæ existere atque in hominis mentem agere possunt, quin ulla alia motiva obiective præcessisse necessarium sit. Secundaria ea sunt, quæ aliud obiective præcessisse supponunt. — Alio sensu primaria ea appellantur, quæ præcipua, i. e. omnibus, etiam rudibus, magis accomodata sunt; secundaria ea, quæ generatim difficilius applicari posse videntur. Quem modum loquendi non sequimur.

66. — II. *Qualitas motivorum credibilitatis.*

1) Existere debent motiva credibilitatis *obiective certa*, i. e. quibus demonstratur necessaria inter hæc motiva et locutionem divinam connexio. Etenim assensus fidei est certissimus. Certissimus esse nequit, nisi certitudo de facto locutionis habetur. Certitudo autem subiectiva connaturaliter certitudinem obiectivam ut rationem suam requirit.

Abstrahimus vero a quæstione, num per accidens gratia divina etiam actum fidei inspirare possit, cui præcesserit certitudo de facto locutionis divinæ subiectiva talis, quæ motivo obiective non sufficienti innitatur. Quam quæstionem tractant dogmatici cum de iudicio credibilitatis rudium agunt. Præter auctores citatos n. 64 p. 44 cf. *Scheeben* I p. 307-22, præcipue 310, 311.

2) Motiva credibilitatis non eo tantum modo evolvere intendimus, ut mentes rudium convincere possint, sed ita, *ut pro omni intellectu sufficiant*. Omnibus enim obligatio credendi incumbit.

3) *Non dicimus, motivis credibilitatis rite i. e. secundum eorum naturam propositis, mentem physice cogi, ut iis assentiatur*. Eam iis certitudinem generatim vindicamus, quæ sola in maiore parte propositionum etiam scientificarum habetur. Quæ certitudo saltem in tantum libera est, ut mens et ad motiva rite proposita non debite attendere possit et a certitudine iam rite acquisita ob dubia imprudentia, quibus se dat, recedere valeat.

4) E serie motivorum credibilitatis *simul cum certis proponimus ea, quæ tantum probabilitatem menti ingerere possunt*, vel quorum ipsa certitudo saltem non affirmatur, dummodo ut talia et non ut certa proponantur. Rationes hae sunt: *a)* Talia motiva probabilia inservire possunt ad refellendas obiectiones præcipue eas, quæ ex insipientia locutionis divinæ a priori petuntur. *b)* Sæpe occasio sunt, ut argumentum certum inveniatur. Mentem enim excitare possunt ad alia certa motiva quærenda et invenienda. *c)* Potest etiam esse, ut simul cum aliquibus veritatibus a mente ita excitata inventis argumentum certum integraliter constituant. *d)* Assensus mentis ob motiva certa motivis probabilibus et facilior redditur et firmior. Cf. *Wilmers* th. 29 p. 103-106.

67. — III. *Diversitas motivorum credibilitatis.*

Non unum vel aliud tantum etsi aptissimum motivum credibilitatis proponimus, sed Patres ecclesiæ atque magnos scholasticos auctores secuti, *ditissimum quem hi auctores probatissimi investigarunt horum motivorum thesaurum*, breviter ante oculos ponendum esse putamus. Id quod et ad scientiæ perfectionem pertinet et ad propagandam ipsam fidem iuvat.

Lit. *de diversitate et numero motivorum credibilitatis. Conspectum quemdam talium motivorum sive breviter insinuatum sive præcipue a posterioribus magis evolutum* v. v. g. in sequentibus auctoribus. *E Patribus Justin.*, Dial. cum Tryph. n. 35 ad fin. MG 6, 551C-554 A. — *Tatian.*, Orat. adv. Græcos n. 29 MG 866C-867 B; Texte u. Unters. IV, 1 p. 29-31. — *Clem. Alex.*, Cohort. ad Gentes c. 10 ad fin. MG 8, 227B c. 11, 230A; Stromata l. 6 c. 15 MG 9, 346 A B; c. 18, 399 B. — *Arnob.*, Adv. Gentes 1 n. 42-47 ML 5, 771B-779 A; C. V IV 28-30. — *Euseb.*, Præp. evang. l. 1 c. 3 et 4 MG 21, 30D-43 A. — *Lact.*, Div. inst. l. 5 c. 22 præcipue ad fin. ML 6, 628B-630 A; C. V 19 p. 472-477. — *S. Hilarius*, De Trinit. l. 11 n. 3 ML 10, 401 B. — *S. Aug.*, De morib. eccl. cath. l. 1 c. 7 n. 12 ML 32, 1316; contra epist. Manichæi quam vocant fundamenti c. 4 ib. 42, 175-177, C. V p. 196; de fide rerum quæ non videntur c. 3-8 præcipue c. 7 ib. ML 40, 179 et 180; ep. 137 ad Volusian. c. 4 et 5, ib. 33, 521-525, C. V 44 p. 114-125; de civ. Dei l. 22 c. 5, ib. 41, 755-757, C. V 40 II, 588-590; de divinat. dæm. c. 9 n. 13, ib. 40, 590; CV 41, 614-616.

E medio ævo. S. Th., S. c. G. l. 1. c. 6. — *Scotus*, Oxon. Proleg. qu. 2 tota, in Montefortino 17-24. — *Matthaeus ab Aquasparta* O. M., Quæst. Selectæ I q. 3 Resp. (ed. Quaracchi) 86-97. — *Savonarola* O. P., Triumphus crucis, l. 2 c. 16 (ed. Rom. de Propag. Fide) 187-192.

Tempore recentiori. — *I. L. Vives*, De veritate fidei christianæ inde a l. 2 usque ad finem p. 96-330 (ed. Basil. 1543 in fol.). — *Fr. De Silvestris* O. P. (Ferrariensis), in S. c. G. c. 6 (ed. Paris 1552 p. 6, 7). — *Mich. de Medina* O. S. F., De recta in Deum fide ll. 7 l. 2 fol. 9-87 (ed. Venet. 1564 in fol.). — *Barth. a Medina* O. P., qu. 3 introd. in 3 S. S. Th. (ed. Salmant. 1580 in fol.) præcipue p. 15-25. — *Lud. Granat.* O. P., Catechismus in Symb. fidei, inde a l. 2, præcipue ipse l. 2 p. 118-250 (vers. lat. Venet. 1586). — *Rob. Bellarminus* S. I., De controversiis 4ª contr. de conciliis et ecclesia l. 4 de notis eccl. (ed. Venet. 1590 II col. 1292-1365 in fol.). — *Franc. Suarez* S. I., De fide theol. disp. 4 sect. 3, 4, 5 (ed. Paris) 12, 119-133. — *Gregor. a Valentia* S. I., Comment. theol. de fide disp. 1 q. 1 punct. 4 a § 3 (ed. Venet. 1608 in fol.) 74-105; de rebus fidei hoc tempore controv. l. 1-6 (ed. Paris 1610 in fol.) 1-58. — *Leon. Lessius* S. I., quæ fides et religio sit capessenda consultatio (Opusc. ed. Ant. 1626 in fol.) 709-838. *Æg. Coninck* S. I., De moralitate... et fide spe ac charitate disp. 11 dub. 3 (ed. Lugd. 1623 in fol.) 171-174. — *Petrus Hurtado de Mendoza* S. I., Schol. et mor. disput. de 3 virt. theol. disp. 21 tota (ed. Salmant. 1631 in fol.) 174-267. — *Joan. Lugo* S. I., De virtute fidei div. disp. 5 s. 4 (ed. Lugd. 1646 in fol.) 184-187. *Sfortia Pallavicino* S. I., c. 16 et 17 in: Arte della perfezione cristiana (ed. Rom. Bibl. class. sacra V 1844) 137-179. — *Jo. B. Gonet* O. P., Clypeus theol. thomist. tract. 10 de virt. theol. disp. 1 art. 8. Digressio (ed. Ant. 1744 IV in fol.) 157-165.

Dominicus a SS. Trinitate O. Carm., Bibl. theolog. l. 4 præcipue s. 2 (ed. Rom. 1671 V pars 1 in fol.) 27-121. — *Vinc. Lud. Gotti* O. P., Theol. Schol.-dogm. I in 2. 2. q. 1 dub. 1 § 2 (ed. Bonon. 1731 X) 43-48. — *Wirceburg.* II[3] disp. 7 (ed. 1879) 159-213. — *Ant. Valsecchi* O. P., Dei fondamenti della religione e dei fonti della empietà, l. 2. c. 8-18 incl. (Padov. 1789) 55-255. — *Io. Perrone* S. I., Prael. theol. I ([34] 1900) 69-135. — *Fr. Hettinger.* Apologie II[2] 133-510. — *M. Scheeben.* I 313-315. — *P. Schanz.* II § 16-18 p. 447-566. — *Ottiger.* p. 149-170 cf. 309-333. — *Wilmers*, prop. 15-18 p. 57-66; prop. 26-47 p. 93-166. — *Ch. Pesch* I th. 8-13 p. 86-159; similes libri manuales. — *von Schmid.* 165-346.

68. — IV. *Divisio motivorum credibilitatis.*

Plurimæ diversæ divisiones propositæ sunt, aliæ pro scientia, aliæ pro arte apologeticæ. Inter diversas etiam in scientia apologetica possibiles hunc sequemur: Primo argumenta vera proponemus, deinde falsa reiiciemus. Inter vera a primariis exordiemur, quæ sunt actiones miraculosæ, sive in natura physica (miracula), sive in ordine intellectuali sive in ordine morali. Inter argumenta secundaria ea considerabimus quæ sunt ex auctoritate et ex effectibus.

Singula motiva credibilitatis proponuntur.

Art. 1. Argumenta ex effectibus miraculosis.

69. — Prænotanda. *Modus tractationis.* Brevius quasi *per modum lemmatum* ea proponimus, quae de nostra re in philosophia semper data opera tractari solent, præcipue ipsum conceptum exceptionis a lege physica eiusque possibilitatem. *Omittimus* ea, quae ad argumentum ex actionibus miraculosis formandum non necessaria sunt atque inter ipsos theologos disputari solent, uti sunt certæ quædam quæstiones de potentia physica angelorum. Pro ratione tractatus *insistimus* in iis, quae in miraculosis actionibus *ad rationem signi* pro revelatione divina requiruntur et sufficiunt.

70. — *Definitio.* Actiones miraculosæ seu miracula generalissimo sensu accepta sunt eiusmodi effectus præter naturæ cursum divinitus patrati, qui aliquo modo sive in rerum natura sive in mentibus hominum, in intellectu vel voluntate manifestantur. Intelligitur manifestatio, quae independenter a revelatione, per ipsam experientiam cognosci possit, sive immediata ea sit sive mediata.

71. — *Divisiones.* Præcipue ad nos spectant hæ: *a)* Dividuntur *ratione eminentiæ qua opus aliquod naturæ cursum superat.* Aut superat tantum vires mundi visibilis aut etiam vires physicas angelorum naturales aut etiam vires eorum physicas elevatas.

b) *Ratione modi quo opus praeter naturae cursum ad Deum ut causam reducitur.* Aut Deus est eius causa tantum moralis, aut causa physica sive principalis sive unica.

c) *Ratione rei, in qua effectus miraculosi suscipiuntur.* Si fiunt in potentiis humanis, in quantum formaliter in bonum morale tendunt vel hanc tendentiam aliqua ratione participant, vocantur miracula moralia. Si in iis potentiis suscipiuntur, in quantum in alia obiecta tendunt, vel si in aliis subiectis inveniuntur, miracula physica vocari possent. Miraculum physicum dividitur in illud, quod in externo mundo visibili patratur, aut in potentiis humanis, præcipue in intellectu et voluntate recipitur.

d) Ratione *cognoscibilitatis.* α) Quidam effectus miraculosi sunt *sensibiles per se,* utpote in natura sensibili patrati. Tales ex usu termino technico vocantur miracula sine addito. β) Quidam effectus non sunt *sensibiles in se et per se, sed per aliud, quod tamen effectus miraculosos ut tales externo modo refert et consequenter ratione sui in eam cognoscendam inducit.* Huiusmodi sunt quædam miracula in ordine morali et quædam physica in intellectu patrata. Exemplo sint virtutes miraculosæ christiana religione effectæ et prophetiæ. Illae quamvis per se sint in actionibus voluntatis, tamen connaturaliter externam quasi formam accipiunt actionibus externis; hae vero utpote cognitiones obiectorum eorum, quæ naturaliter cognosci nequeunt, propositionibus hæc obiecta enuntiantibus connaturaliter manifestantur. γ) Quidam effectus *neque per se neque per aliud rationem miraculi connaturaliter manifestans visibiles sunt.* Tales sunt e. g. cognitiones eiusmodi, quæ ut miraculosæ cognoscuntur non ex obiecto suo, quod nonnisi miraculoso modo cognosci posse iam aliunde constaret, sed ex ipso modo in animis abdito, quo habentur. Qui modus per verba directe repræsentari nequit, sed tantum aliis viis detegi potest. Verba enim humana exhibent quidem rem qua cognitam, at non omnia quæ de modo cognitionis dicenda sunt. V. g. verba quibus aliqua res naturalis describitur eadem sunt, sive eius cognitio naturaliter acquisita est sive per accidens infusa. — Cum in theologia fundamentali miraculum tantum ut signum consideremus, signum autem ad cognoscibilitatem referatur, tractationem nostram secundum hanc cognoscibilitatis rationem dividimus.

72. — *In unaquaque specie actionum miraculosarum tractanda quæremus haec: a*) generatim per modum lemmatis ex philosophia, num actio talis miraculosa fieri atque in signum testificationis divinæ pro aliqua revelatione per se assumi possit. *b*) Deinde magis data

opera in id inquiremus, quod requiritur et sufficit ut hae actiones pro nobis sint signum revelationis i. e. num et qua ratione constare possit earum veritas historica, philosophica, theologica, relativa.

Veritas historica dicit, illum effectum, qui miraculosus vocatur, vere locum habuisse; *philosophica*, illum neque viribus naturae sibi relictis neque humano influxui deberi; *theologica*, illum ad Deum ut causam sive moralem sive physicam reducendum esse; *relativa*, illum ad id esse actu relatum, ut revelationis divinæ factum (vel aliud, v. g. sanctitatem servi Dei mortui) probet.

Brevitatis gratia in tractandis singulis speciebus actionum miraculosarum prius *rationes internas* singularum assertionum exhibebimus. Deinde pro omnibus assertionibus simul sumptis argumentum *ex auctoritate* addemus.

De motivis credibilitatis in specie.

Art. 1. De effectibus miraculosis.

§ 1. *De effectibus miraculosis in genere.*

Propositio 12ª: Actiones miraculosæ fieri possunt.

73. — I. *Nulla est interna repugnantia in actionibus miraculosis.*

Argum. *E conceptu ipso. a) Quoad effectus, qui tantum vires naturæ sensibilis (et hominum) superant.* Ex una parte ipsæ res materiales indifferentes sunt, ut ab hoc vel illo localiter moveantur; ad naturæ vero ordinem pertinet, ut nullo modo (vel ad summum e sententia non recta veterum modo eodem semper sibi constanti) a causis creatis extra mundum visibilem positis moveantur. Ex alia parte existere possunt spiritus, qui et rerum vires, quæ mediante motu locali in actum perduci possunt, perfectius quam homines norunt, et potestate movendi localiter præditi sunt. Porro fieri potest, ut eorum actio moraliter ad Deum reducenda sit. — Certe existit causa omniscia et omnipotens Deus, qui talia efficere potest.

b) Quoad effectus, qui superant vires mundi visibilis, quæ a spiritibus per naturales suas vires applicatæ sunt. Cursus naturæ in eo est, ut 1) res secundum id quod in iis est, agant vel patiantur, et 2) nullæ res sive annihilentur sive creentur, quarum annihilatio vel creatio ab harum rerum exigentiis non requiritur. Iamvero quoad primum: Deus impedimenta externa actionibus vel passionibus ponere

vel eas concurso denegato impossibiles reddere potest; potentia rerum oboedientiali (sive activa sive passiva) usus, in iis (vel per eas) perficere id potest, ad quod non sunt in potentia naturali. Porro quidquid res cum divino concurso agere possunt, id omne — exceptis actionibus vel passionibus vitalibus — etiam sine rebus creatis ipse solus Deus facere potest. Quoad secundum: Aliqua annihilare, creare potest, quæ secundum ordinarium naturæ cursum neque annihilanda neque creanda erant.

Si vero accidit, quosdam ex his effectibus per vires physicas angelorum miraculose elevatas patrari, fieri potest ut ad Deum qua causam moralem reducendi sint.

II. *Existere possunt fines sapientes, ad quos Deus tales effectus dirigere possit.*

74. — Consideramus tantum eos fines, qui a testificatione revelationis diversi sunt. Hunc enim finem ob speciale eius momentum pro nostro tractatu sequenti propria thesi stabiliemus. At neque cæteri fines omittendi erant, tum propter Naturalistas, qui omnem finem miraculorum negant, tum propter quosdam catholicos, qui finem testificationis revelationis in ipsam definitionem miraculi inferre velle forte videri possunt.

Argum. I. *E finibus enumeratis.* 1) *Manifestantur perfectiones divinæ: Existentia* Dei clarius, perfectius quam aliis effectibus manifestatur. *Potentia* Dei, præcipue iis effectibus quos solus producere potest, at etiam iis quos spiritus creati naturaliter quidem efficere possunt, ad quos perficiendos vero specialem licentiam Deus iis concedere debet. *Scientia* Dei perfectissima. *Providentia,* qua omnes hos effectus ad bona consequenda apte dirigit. — 2) *Homines extraordinaria ratione miraculis iuvari possunt,* ut sive corporis sive animæ quædam bona consequantur vel mala evitent. Etiam pœnæ præternaturali modo iis infligi possunt. Ita fit, ut quædam virtutes connaturaliter perfectius exerceantur, uti sunt: Dei fiducia, fervor orationis precibus etiam miraculosa ratione exauditis, amor, timor, etc.

Argum. II. *Ex auctoritate sapientum, aliorum.* Etiam abstrahendo a fine revelationis communicandæ alium finem sufficientem miraculis assignant e Patribus v. g. *S. Aug.* De catech. rudib. c. 21 n. 37 ML 40, 337 premens, reges Babylonios iis cognovisse verum Deum; in Io. tract. 24 n. 1 ML 35, 1592 et 1593 idem in genere miraculis obtineri posse affirmat. — *S. Ioh. Damascenus,* fides orthodoxa l. 1 c. 3 MG 94, 794-95. E scholasticis v. g. *Alex. Hal.,* Univ. theol. Summa II qu. 41 membr. 4 a. 1. - *S. Th.,* c. gentes l. 3 c. 99; 2, 2. qu. 78 a. 1 ad 4; 3 qu. 29 a 1 ad 2. Disertis verbis *Suarez* de fide disp. 4 s. 3 n. 10 (ed. Paris) 12, 124. - *Salmant* (Comp.) tract. 14 de virt. theol. disp. 1 de fide dub. 3 § 3 n. 54 (ed. Parm. 1725) IV 25, 26 — *Card. Brancatus de Lauria,* Com. in 3 sent. doctoris subtilis IV disp. 20 a 8 n. 188, p. 506, 509, 512 - *Bened.*

XIV l. 4 pars. I c. 4 n. 1 — *van Weddingen* o. c. p. 206, 212, 295, 365-366 — *Wilmers*, th. 40 propria. *von Schmid*. 328. — Homines autem boni passim etiam ob fines a testificanda revelatione diversos v. g. ad morbum depellendum miracula petunt.

71. — *Principia ad solvendas difficultates. a*) *Ex parte ipsarum rerum creatarum.* 1) *Si miracula in iis fiunt, ordo rerum ad Deum* non tantum non tollitur, sed perficitur. Ita enim magis directe ei subiciuntur ut causæ efficienti, sublimius ad fines eius altiores conferunt, perfectius eius activitatem vel entitatem imitari solent.

2) Etiam quando miraculum fit, *ipsæ leges physicæ, ipsæ rerum vires, ipsæ rerum naturæ inviolatæ permanent.* Tantum aliquid sive mutatur sive impeditur ex iis quæ etiam ex ipsa natura eiusque viribus existentibus nonnisi hypothetice fluunt, i. e. in actionibus. Saltem per se non requiritur ut plus mutetur. Quod cum dicimus, non negamus, Deum ipsas rerum vires in ordine ad miracula patranda elevare posse.

3) *Ordo naturæ* ad illa, quæ ex ea emanare solent, *ordo unius rei ad aliam,* se habet ut *particularis* relate ad univarsalem, qui est ordo rerum ad Deum. Quare exceptio ab ordine particulari ob fines ordinis universalis non est deordinatio simpliciter sed secundum quid, est vero simpliciter ordo isque perfectus.

4) *Neque* hic vel ille effectus, præter ordinem particularem productus, *ordinem particularem plurimarum vel omnium rerum mundanarum necessario perturbat vel infringit*, v. g. mutata energiæ quantitate in aliquo corpore non necessario omnes energiæ in toto mundo extra ordinem debitum extrahuntur. Si vero talis effectus aliquando per se sequeretur, a Deo impediretur.

5) *Leges morales* generatim ideo mutari nequeunt, quia ordinem hominis ad Deum constituunt. Hic autem, eadem manente essentia Dei et hominis, necessario idem semper sit necesse est. Quædam autem iura hominum inter se non ita ex hominis essentia fluunt, ut necessaria sint ad eius Esse simpliciter, sed ad Esse conveniens. Talia deus, omnium iurium Dominus, etiam stante hominis essentia, e sententia multorum philosophorum et theologorum auferre potest. Ita polygamiam aliquando licitam fuisse putant.

b) *Ex parte Dei.* 1) Miraculum *non est contra immutabilitatem Dei;* etenim ab æterno statuit et generatim ordinem naturæ servare et aliquando ob fines sapientes exceptionem facere.

2) Neque obest *sapientiæ* Dei. Quamvis enim naturæ ordo sapientissimus sit, tamen non totam sapientiam Dei exhaurit, sed profundiores thesauros aliis viis manifestandos relinquit. Porro nunquam mi-

raculum ad eum finem patratur, ut id provideatur, quod ad perseverantiam ordinis universi necessarium sit. Nihil enim tale mundo deest. Omnes miraculi fines altioris ordinis sunt.

3) *Neque providentiam Dei destruit.* Etenim miracula non ita frequentia sint necesse est, ut in periculum vocent certitudinem de legibus physicis ad fines vitæ humanæ necessariam, aut in singulis vel in multitudine desidiam in adhibendis legibus physicis producant. Imo ita a Deo disponentur, ut hi effectus impossibiles sint.

PROPOSITIO 13ª: **Actio quædam miraculosa non tantum est argumentum aptum pro revelatione, verum etiam unicum primarium.**

76. — **St. qu.** *Expl. term.* Non dicimus, actionem miraculosam de qua est sermo, in revelatione immediata debere esse realiter distinctam ob ipsa actione revelatrice Dei. Imo *certum est eamdem actionem Dei revelatricem in mentem hominis posse esse tum argumentum revelationis*, in quantum est miraculosa et ut talis cognita, *tum revelationem ipsam*, in quantum enuntiabilia a Deo dicta continet. — Definitionem *argumenti primarii* cf. n. 65, 5 p. 46.

Adversarii. Quicunque veram revelationem negant, non tantum necessitatem verum etiam possibilitatem argumenti ex actione miraculosa inficiantur. Cuius rei intima ratio hæc est: qui revelationem divinam non in aliquo facto extraordinario divino, sed, uti adversarii possibilitatis revelationis solent, in perspicientia veritatis ex rationibus intrinsecis vel experientia circa veritatem constituit, stulte ad aliquod factum ab ipsa evidentia intrinseca vel effectu veritatis diversum uti ad argumentum sic dictæ revelationis recurreret. Negant proinde aptitudinem miraculi ad probandam revelationem v. g. *Schleiermacher, Twesten, Rosenkranz, Palmer, Strauss, Lessing* (quos v. *Denzinger* II p. 305-18), recentiores v. g. *Sabatier,* Esquisse etc. p. 72; *Harnack,* Wesen etc. prælectio 2 p. 19, qui cum multis ipsa Christi verba in hunc sensum detorquet. — Alii conceptum revelationis retinent, sed eam *alia revelatione interna* probari volunt; ita quidam, ut *Luther,* suum « testimonium Spiritus S. » intelligere videntur. — Tandem *Neo-Kantiani* eo modo miracula externa reiiciunt, ut ad interna quædam argumenta, at non ad actiones miraculosas internas recurrant. Cf. prop. de immanentia. — Singulas sententias oppositas in parte secunda (negativa) tractationis de motivis credibilitatis videbimus. — Ad culmen oppositionis contra thesim perveniunt ii recentiores, qui ut *Schultz,* Grundriss p. 43 affirmant, « conceptum scholasticum de miraculo hominibus cultis fidem in revelationem impossibilem vel incertam reddere... ».

77. — **Argum. I.** *E natura rei.* Hominem hunc vel illum esse auctorem alicuius enuntiabilis duplici via constare potest. Aut enuntiabile ab eius ore progredi videmus, aut enuntiabile quidem ipsum

sensu aliquo percipimus, illud autem ab hoc vel illo procedere non videmus sed ex aliquo effectu, eius hominis proprio, concludimus, quem enuntiabili uti signum originis a se ipso apposuit.

Deum vero esse auctorem huius vel illius enuntiabilis non ex eo scire possumus, quod illud videmus prout ex Deo procedit; invisibilis enim nobis est Deus. Unde non remanet nisi modus secundus, seu aliquod quasi sigillum, aliquis effectus deo proprius, locutionis probativus. Atqui talis non est nisi actio miraculosa.

Cuius rei ratio intrinseca hæc est. Cum Dei essentiam non videamus, ad aliquem eius effectum recurrendum est. Iamvero hic non potest esse aliquod aliud enuntiabile in quantum est tale; etenim iterum eius ipsius origo divina probanda esset, et ita in infinitum. Ergo *debet esse aliquis effectus, qui primo utpote Deo proprius, quasi locum teneat essentiæ Dei, qui secundo ita cum enuntiabili coniunctus est, ut inde pateat Dei consilium, hoc effectu sibi proprio enuntiabile ut suum exhibere.* Iamvero talis effectus non potest esse nisi actio miraculosa. Etenim si esset effectus aliquis Deo proprius, at secundum cursum naturæ patratus, ut v. g. creatio animæ in materia per generationem disposita, ex eo nequit patere aliquod speciale consilium mentis divinæ, sed nemo aliquod aliud consilium ex ea deducere potest, quam ut fines naturæ promoveantur. Speciale consilium Dei tantum indicari potest aliqua actione Dei propria, quæ simul est præter cursum naturæ ordinarium. Posse vero tali actione miraculosa etiam significari consilium Dei demonstrandi aliquod enuntiabile ut divinitus dictum, iam ex eo patet, quod homines effectibus sibi propriis suam locutionem probare valent. Non est autem minor Dei potentia quam hominum. Singulos autem modos, quibus hæc coniunctio probativa fiat, videbimus, cum de veritate relativa singulorum generum actionum miraculosarum agetur.

78. — **Confirmatur.** *Ex auctoritate generis humani.* Et docti et indocti inter fideles, cum ad signa locutionis divinæ primaria enumeranda convertuntur, solent talia afferre, in quibus apparet ratio actionis miraculosæ sive in mente absconditæ, sive voce prolatæ, ut est prophetia, sive in ordine physico conspectæ. Quæ per decursum tractationis videbimus. Cf. interim locos n. 67 p. 47, 48 citatos. - Disertam doctrinam cf. v. g. *van Weddingen*, de miraculo (Lovanii 1869) p. 38, 39; 99, 100. — *Wilmers*, th. 10-18, 41, 42, 46 inter se collatæ. - Etiam acatholici multi, sive rationalistæ sive alii, hanc veritatem confirmant. Ex illis cf. famosum *auctorem operis « Supernatural religion »* I (1874) p. 7. -- Ex his v. g. *Paley*, View of the Evidences of Christianity, Preparatory Considerations (1794, ed. Whately 1859) p. 12. - *Mozley*, Bampton Lectures (1865) p. 14. — Cf. « *Sup. rel.* » p. 2-10.

79. — **Obiectiones** 1-6 negant ullos effectus miraculosos, 7 et 8 saltem eos, qui physice ab angelis fiunt, in signum assumi posse.

Ob. 1. Revelatio est actio miraculosa. Iamvero ut medium probandi revelationem statuitur hic etiam ipsa actio miraculosa. Ergo *probatur idem per idem*, ergo circulus vitiosus incurritur. Cf. *Schelling*, Methode des akad. Studiums. — R. N. as.: Ad prob.: circulus vitiosus habetur quando id quod probandum est et id quod probat ad idem genus rerum pertinet, n.; si ea ipsa veritas quæ probanda est, ut medium probationis assumitur, c. Illud hic habetur, hoc non.

Ob. 2. *Veritas historica et contingens nequit probare veritatem metaphysicam et necessariam.* Atqui actio miraculosa est veritas historica et contingens, quod est probandum sunt veritates metaphysicae et necessariæ, puta veritates religionis naturalis, mysteria in Deo necessaria. Cf. *Lessing, Hegel, Schelling, Paulus, Strauss* (Denz. p. 318). — R. D. ma.: Veritas contingens nequit probare eam veritatem metaphysicam et necessariam, quæ in veritatem historicam miraculi ut causa influit, v. g. existentiam Dei, n.; alias sd.: non directe, c.; non indirecte n. Scilicet unum factum contingens, actio miraculosa, probat directe aliud factum contingens, i. e. locutionem Dei; locutio autem Dei, mediante veritate metaphysica, Deum neque falli neque fallere posse, credibilitatem veritatum revelatarum manifestat.

Ob. 3. Actio miraculosa est signum revelationis divinæ, in quantum est signum naturale omnipotentiæ Dei. Atqui *omne ens, quippe quod ut causam existentiæ suæ infinitam virtutem requirat*, est signum naturale omnipotentiæ Dei. Ergo aut omne ens aut nullum est signum revelationis divinæ. — R. D. ma.: si simul accedit ratio excedentis cursum naturalem rerum, c.; si hæc ratio deest, n.

Ob. 4. Actio miraculosa generatim non est nisi accidens physicum minimi cuiusdam momenti, v. g. sanitas in aliquo brachio homuncionis cuiusdam producta. Atqui *religio revelata cum omnibus suis beneficiis et perfectionibus tam misero accidenti inniti nequit.* Cf. v. g. *Sabatier*, Esquisse p. 72. — R. C. ma., d. min.: religio obiective sumpta i. e. complexus veritatum et obligationum circa Deum, item subiective sumpta v. g. charitas, fides, tale accidens neque ut totalem neque ut partialem sui causam habent, c.; ipsum iudicium credibilitatis talis religionis obiective sumptæ, sd.: non ut causam aliarum suarum perfectionum c., non ut causam seu motivum certitudinis suæ, iterum sd.: non in quantum est accidens c., non in quantum est signum locutionis Dei, n. - Cf. v. g. effectum physicum externum in subscriptione instrumenti pacis inter duo regna, qui non est nisi dispositio alia particularum atramenti.

Ob. 5. Actio miraculosa assumitur ut argumentum locutionis Dei. Atqui *etiam ipsa actio miraculosa est locutio,* secundum celebre illud effatum, Deum miraculis loqui. Ergo etiam actio miraculosa iterum aliud signum locutionis divinæ requirit, et ita in infinitum. — R. C. ma., d. min.: actio miraculosa est locutio sensu stricto, n.; sensu lato, c. Pariter d. cons. Cf. n. 6*b*, p. 3. — Etenim sicuti effectus secundum naturæ leges, ita etiam effectus præter naturæ leges est eiusmodi, e quo prius cognito ad iudicia in mente divina vi syllogismi concluditur, quo proinde non directe sed tantum indirecte Deus iudicia sua nobis manifestat.

§ 2. *De effectibus miraculosis in specie.*

1. *De effectibus per se sensibilibus seu de miraculis.*

80. — **Lit.** *De Patribus* v. *Denzinger*, I 58-88 II 395-401. Alia a Patribus *usque ad Conc. Trid.* ad miracula Christi applicata cf. *van Laak*, de miraculis Christi pars 2 (historica) 237-414. Tractatur *ep. Barn., Quadratus, Papias, Ps.-Arist., Iustin., Melito, Iren., Tertull., Orig., Arnob., Lact., Euseb., Athan., Greg. Nyss., Chrysost., Aug., Cyrill. Alex., Ioh. Damasc., Nicet. Byz., Petrus Ven., Bonav., Thom., Raim. Martini, Matth. ab Aquasparta, Scotus, Mars. Ficinus, I. L. Vives, M. Medina.* — Quoad *Aug.* plurimos locos collegit *Nitzsch*, Augustins Lehre vom Wunder (1865) 73-97, v. g. de Trinit. ll. 15, l. 3 c. 9 n. 19 c. 10 ML 42, 879-81; de utilitate credendi c. 16 n. 34 ib. 42, 89 et 90; de divers. quæst. 83 l. 1 q. 79 n. 1-5 ib. 40, 90-93; de Genesi ad litteram l. 6 c. 13-18 ib. 34 n. 24-29 p. 348-51.

E Scholasticis Thomas 1 q. 105 art. 6-8 cum locis aliis quæ in edit. ad h. l. citari solent. — *Scotus*, in Montefortino III 921-27. — *Bañez*, in l. Th. (ed. Venet. 1691) II 2011-28. *Suarez*, De fide disp. 4 c. 3 n. 8-10 (ed. Paris) 12, 123-24; præcipue vero in 3 q. 13 a. 4 speciatim s. 3-9 19, 96-167; q. 44 a. 4 disp. 31, ib. 480-98 occasione eorum, quæ de miraculis Christi habet, præcipue essentiam miraculorum Christi explicare studet. — *Bened. XIV.* de serv. Dei beatif. l. 4 pars 1 (ed. Rom. 1749) IV 1-535, tractatus celeberrimus cum lit. ampla usque ad id tempus. C. 1-4 de miraculo in genere, 6-33 fere de singulis speciebus.

Auctores recentiores: Wilmers, 123-60. — *Ottiger*, 170-246, 255-73. — *Cam. Mazzella*, 109-46. — *Didiot*, Log. surn. object. th. 25-29. — *Schanz*, [3]III § 17 p. 469-517. — *Gutberlet*, [3]II § 11 p. 107-75. — *Hettinger*, Lehrb.[2] § 21-24 p. 217-42. — *Lahousse*, 157-207. — *Mendive*, I, 30-36. — *Ch. Pesch.*, I[3] th. 15 p. 113-17. — *Zigliara*, l. 1 c. 20-24 p. 93-117; l. 2 c. 16 p. 156-61. — *Gatti*, II p. 474-522.

Monographiæ cathol. recentiores: Spagni, de miraculis, vol. 2 (Romæ 1785) XVI + 382, II 383-821; de mir. in genere I, 7-157; II 671-790. — *van Weddingen*, De miraculo deque eius in christiana demonstratione usu ac valore (Lovanii, 1869) pp. 428. — *Newman*, Essays on miracles (1870) — *Ward*, Science, prayer, free will and miracles (London 1881). — *Eugen Müller*, Natur u. Wunder (1892) XX + 206. — *De Bonniot*, Le miracle et ses contrefaçons ([5] Paris 1895) pp. 488. — *Juan Mir y Noguera*, El milagro (Madrid, 1895) pp. 1288, l. 1 de miraculis in genere, l. 3 de miraculo apparente. — *Lépicier*, Del miracolo, sua natura, sue leggi, sue relazioni con l'ordine soprannaturale [2]XIX + 271 (Roma).

Evolutionem historicam doctrinæ de miraculis, præcipue sententias adversariorum exhibet e catholicis v. g. *Denzinger*, II 334-402. — Etiam *von Schmid*, 12-106, præcipue 246-340. — *Werner*, I quædam de ævo Patrist. v. g. 385, 386; de temporibus recentioribus V. § 820-29, p. 149-63; plura *van Laak*, l. c.

Sententias falsas defendunt v. g. *Spinoza*, Tractatus theol.-pol. c. 6 et alibi. — Ex Deistis Anglis *A. Collins*, The Ground and reasens of the christian religion (1724). — *Woolston*, Discours of the miracles of our Saviour (1727). —

Annet, The Resurrection of Christ, etc. (1744). — *Voltaire,* Collections de lettres sur le miracle; *Dictionnaire philosophique* sub. v. miracle. — *J. J. Rousseau,* Profession de foi d'un vicaire savoyard (Emile, 1762 c. 4); Lettres de la Montagne (1764). — *Diderot,* Pensées philosophiques (La Haye 1746). — *Kant,* Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft II 2. — *Strauss,* Glaubenslehre (1840) I 250 sq.; cf. Einleitung 1 sq. — *Feuerbach,* Ueber das Wunder, Saemmtl. Werke (1903) I 1 sq. — *A. Sabatier,* Esquisse etc. (1897) l. 1 ch. 3 p. 64-91. — Inter Anglos famosus factus est Anonymus, *Supernatural Religion* (London 1874) Part. 1 Miracles c. 1-6, I, 1-212 (Popular edition, ib. 1905 1-121). — *M. A. Canney,* in EB IV col. 5351-53 cum alia lit. adversariorum. — *Loisy,* Sub nomine Firmin in art. Les preuves de l'économie de la Révélation, in: Revue du Clergé français 1900, 15 Mars; aliis in libris postea nominandis. — *Le Roy,* art. in Annales de philos. chrét. (Oct. Nov. Dec. 1906), cuius sententias v. refutatas a *Maisonneuve* art.: La notion du miracle in: Revue du Clergé français, 15 Jun., 1 Sept., 1 Dec. 1907.

81. — *Conceptus miraculi.* Uti e philosophia constat, miraculum intelligitur effectus sensibilis præter naturæ cursum divinitus patratus. Illud « divinitus » ita intelligimus, ut Deus qua causa aut physica aut moralis effectum produxerit.

Quidam auctores tantum effectum, qui a Deo ut causa physica procedit vocant miraculum.

« Nos hunc modum loquendi non sequimur, quia doctrinam de miraculis ita tradere volumus, ut commodissime inserviat usui theologorum. Miraculum vero, quod in theologia (fundamentali) tamquam revelationis criterium adhibetur, est (omnibus fere consentientibus, etiam) miraculum late dictum et non tantum miraculum stricte dictum ». *Hontheim,* Theodicea Th. 72 n. 985 p. 815.

« Quidam auctores nomen miraculi sumunt sensu latissimo pro quovis eventu insolito (præter cursum naturæ physicæ aspectabilis). Deinde miracula distinguunt in miracula stricte dicta, quæ a Deo præter vires universæ creaturæ patrantur; signa, quæ nomine Dei a spiritibus bonis fiunt; præstigias, quæ Deo permittente a malignis spiritibus monstrantur. Nos horum auctorum miracula stricte dicta et signa sub nomine miraculi comprehendimus, ut (hodie generatim) fit in theologia fundamentali ». *ib.* n. 986 nota 3. Imo in decursu sermonis vix evitari potest, ut etiam præstigiæ aliquando dicantur miracula diabolica vel etiam miracula, sensu latissimo scilicet.

82. — *Conceptus falsi de miraculo. Theosophi* vires quibus miracula fiunt, habent ut naturales homini, quem ita nimis extollunt. *Spiritistæ* omnia miracula explicant per vires naturales spirituum, quos insuper concipiunt agere nomine proprio, sine speciali dependentia a Deo, ac si pro sua et hominum lubitu in hunc mundum influere possent. *Naturalistæ* omnia miracula habent effectus virium hominibus naturalium, vel ut effectus Dei cum cæteris rebus aspectabilibus secundum naturam physicam earum cooperantis. Attamen non omnem omnino effectum sensibilem miraculum vocant. Unde ergo distinctionem miraculi

a cæteris operibus desumere possunt? Non ex ipso opere in quantum est præter cursum naturæ factum. Sed eam ponunt in certa quadam relatione operis naturalis ad Deum vel homines vel cæteras res huius mundi. Præcipue illam sitam esse volunt in certo quodam effectu vel fine miraculi quoad homines vel in certa quadam consideratione operum per hominem similive elemento subiectivo. Differunt quoque in qualitate virium quibus miracula effici dicunt.

83. *Singula quædam.* Lit. Usque ad a. 1856 *Denzinger*, II 335-45, 358-90. — De posterioribus: *von Schmid*, 260-87; quædam ad miracula Christi applicata in: *Fonck*, Die Wunder des Hern[2] (1907) 83-101; alii libri adversariorum ipsorum.

Theosophi miracula habent ut effectus virium, quæ quibusdam hominibus naturaliter insitæ sint vel cum rerum divinarum visione atque virtute morali necessario coniunctæ. Autumant tales homines naturaliter easdem cum Deo vires exercere aut occultas naturæ vires movere posse. Ita generatim statuerunt *Neoplatonici, Neopythagorei, Cabbalistæ*; speciatim vires occultas illas admittebant *von Zorzi, Cornelius Agrippa, Theophrastus Paracelsus.* Imo aliquando etiam recentiores docti ad tales sententias accedunt uti *Perty*, qui in opere: Die Mystischen Erscheinungen der menschlichen Natur[2] (1872) recurrit ad magicum « Ego », quod cum spiritu terræ, heliodæmone, spiritu universali coniunctum sit. Neque in quibusdam miraculis explicandis abludunt *Barth*, Die Hauptprobleme des Lebens Iesu (1889) p. 135; *Bernard Weiss*, Leben Iesu [4]I 454 sq.

De *Spiritistis* cf. v. g. *Zoellner*, Wissenschaftl. Abhandlungen III 1878-79; *Perty*, 1879. Zoellner ad explicationem etiam adducit spatium quatuordimensionale.

Naturalistae. Miracula talia *a cæteris effectibus distinguuntur elemento subiectivo.* Etenim opera naturalia sunt, attamen vivido modo concepta et narrata (*Spinoza*), mytho inconscio (*Strauss*), vel mutatione conscia (*Bruno Baur*) transformata; symbolismo sui generis concepta (Loisy, Le quatrième évangile, Introduction, c. 4 p. 76-97, porro s. v. miracle; *Furrer*, Vortraege über das Leben Christi 141 sq.), allegorice expressa (*Spinoza, Woolston*). — Elementum miraculosum sola indigentia religiosa rei supernaturalis in facta naturalia inferri tenent v. g. *Feuerbach, Pfleiderer*, Religionsphilosophie auf geschichtl. Grundlage [3]1886 p. 569.

Plurimi elementum miraculosum ponunt in relatione facti ad providentiam divinam et simul in homine eam relationem considerante, vel etiam in hoc ultimo elemento solo. Est opus inexspectatum quo homini speciale adiutorium præstatur; ita *A. Ritschl*, Unterricht in der christl. Religion [4]1890 § 17. Est opus quod speciali modo ad gubernium Dei circa mundum pertinet et ab homine religioso hac ratione ut supranaturale consideratur; ita *de Wette; Max Mueller*, Physical Religion (1891) 336; *Pfleiderer* o. c. 569, atque simili modo iam *Schleiermacher, Wegscheider.* Est opus, quod a Deo precibus est impetratum, etsi cursui naturæ nullo modo sit derogatum; ita *Bernard Weiss*, Leben Jesu II 186 sq., *Sabatier*, Esquisse 87, cui est « precum exauditio ».

Miracula secundum diversitatem virium in quibus procedunt, sunt effectus quos utique non comprehendimus, at qui oriuntur ex impressionibus generalibus unius personae ad aliam, *Barth*, o. c. 115, 116; vel effectus novarum virium

naturalium quæ omnibus initiatoribus in re religiosa donantur, cf. *Twesten*, *Delff*, Geschichte des Rabbi von Nazareth (1889) 83; vel effectus virium hominis redempti, i. e. a causalitate naturae liberati, uti v. g. erant protoparentes, *Zimmer*, *Kern*, *Barth*, o. c. 119, simile quid *Hase*, Geschichte Jesu 432.

Miracula alii dicunt effectus quæ habent specialem relationem ad alias res huius mundi v. g. ad inferiora. Ita bestiæ sunt miraculosæ, res novæ, relate ad plantas (*Martensen*); natura humana recta est miraculum relate ad depravatam (*Ebrard*); omnia opera quæ sunt initium alicuius novæ evolutionis, miracula relate ad præcedentia.

Alii miracula dicunt ob specialem relationem ad Deum v. g.: omne opus in quantum e libertate Dei effluit eamque designat, uti *Hegel*, *Hase*; vel quod speciali modo cum verbo revelante coniunctum est; vel quod non ordinarie sed raro fit sive per Deum sive per spiritus, uti *Clarke*. — *Houteville* (1722) tenet miracula esse præformata in causis efficientibus naturalibus, quæ nobis quidem essent ignotæ, soli Deo notæ, cognitionem vero talium operum vires humanas vere superare atque a solo Deo posse communicari. — *Bonnet* (1767) etiam ipsam prævisionem uti miracula omnia ex ordine uno in rebus deposito repetit, actiones vero quas naturales dicimus, ex præformato ordine alio.

De miraculorum natura.

Propositio 14ª: **Miracula fieri atque e natura sua convenientissime in signum revelationis assumi possunt.**

Theseos prima pars est lemma ex philosophia, porro e thesi 12 sequitur; secunda pars est applicatio theseos 13 de omni opere miraculoso ad illud quod est per se sensibile.

Pars I. *Miracula fieri possunt.*

84. — **Argum.** *Quoad miracula late dicta.* Spiritus si existunt, certe motu locali activa passivis in mundo corporeo applicare possunt, idque eo modo, quo vires naturæ sibi relictæ non potuissent, unde effectus producere possunt, quos vires naturæ sibi relictæ non produxissent, sive magnitudinem effectus respicis sive celeritatem sive modum operationis. Iamvero tali ratione habentur effectus præter cursum naturæ. Etenim ad cursum naturæ non pertinet ut spiritus activa passivis applicent, præcipue non eo modo quem diximus. — Porro fieri potest ut Deus sit causa moralis talium actionum spirituum. Ergo miracula late dicta fieri possunt.

Quoad miracula stricte dicta. Deus per se ipsum idque subito eas omnes actiones in mundo corporeo efficere potest, ad quas corpora alias inter se determinare debent, quæque proinde suo tempore indigent. Insuper utendo potentia eorum obedientiali activa vel passiva effectus alios atque eos producere potest, ad quos corpora in potentia

naturali sunt. Praterea omnibus ad agendum requisitis concursum denegare potest. Denique, creare, annihilare valet ea in mundo corporeo, quæ secundum cursum providentiæ ordinariæ et fixæ creanda vel annihilanda non erant.

Pars II. *Miracula convenientissime in signum revelationis assumi possunt.*

85. — 1) *Si respicitur natura hominis.* *a*) Homo ad divina per sensibilia assurgit. Miraculum autem est effectus sensibilis. *b*) Convenit signum ex natura sua facile attendi et diiudicari. Iamvero miraculum facile attenditur, quia ex natura sua est insolitum, præcipue si eiusmodi exceptio eligitur quæ sensus non ferire non possit; facile ut exceptio diiudicatur, quia potest esse exceptio ab eiusmodi legibus, quæ inter innumeras nobis magis notæ sunt. — Cæterum Deus certe potest dare media, quibus hominem iuvet, ut illud medium facile adhibeat, quod ex natura rei aptissimum est. — 2) *Si respicitur natura revelationis.* *a*) Etenim sicut revelatio ipsa quæ probanda est, ita miraculum ex natura sua omni tempore et loco pro omni homine patrari potest. Ubique enim præsto est natura corporalis. *b*) Speciatim vero revelationi tum publicæ tum mediatæ convenit. Plurimis enim hominibus eodem miraculo, ab omnibus viso et diiudicato, eodem tempore eadem revelatio probari potest.

86. — Ob. 1. *Finis miraculi intrinsecus v. g. sanationis filii ægroti, est ut sit signum exauditionis precum, realis et activæ præsentiæ Dei, libertatis spei*, etc. Ergo non est signum locutionis divinæ. Cf. *Sabatier. Esquisse* (ed. 1897) 90. — R. 1) N. sup. miraculum non posse esse simul naturale signum v. g. bonitatis Dei, si est v. g. sanatio, et signum ex institutione locutionis Dei, si ad talem extrinsece refertur. 2) Etiam precum exauditio est finis extrinsecus miraculi; potest enim fieri, quin preces præcesserint.

Ob. 2. *Actio angeli non est Deo propria.* Atqui miraculum est actio angeli. R. D. ma.: physice, c., moraliter sd.: non omnis, c.: non ea cuius causa moralis Deus esse demonstratur, n. Cd. min.

Ob. 3. Secundum Concil. Vaticanum sess. 3 cap. 3 *miraculum*, utpote signum a Deo assumptum, *divinam omnipotentiam luculenter commonstrare debet.* Atqui opus per naturales angelorum vires præter naturæ cursum factum omnipotentiam divinam non commonstrat. — R. D. ma.: aut directe aut indirecte c., tantum directe, n. — Directe omnipotentiam Dei demonstrat opus, quod physice a solo Deo fieri potest; indirecte tale, quod probatur sine eius licentia fieri non posse. Licentia enim danda dominum spirituum et mundi, et ita indirecte omnipotentem designat. — Cf. *Casaioana* I th. 11.

De miraculorum cognoscibilitate.

87. — 1) Cum affirmamus, certis sub conditionibus miraculorum veritatem historicam, philosophicam, theologicam, relativam cognosci posse, non dicimus, has conditiones semper esse verificatas.

2) Concedimus, revelatione quadam facta et suis criteriis iam comprobata, ea adiumenta præberi posse, quibus miracula cognosci possint et plura et a pluribus et certius et facilius. Negamus vero ad miracula cognoscenda per se iam revelationem requiri. Speciatim non exigitur ut iam cognitum sit, spiritus creatos nunc omnes esse in termino, sive mali ii fuerint sive boni.

Propositio 15ª: Miraculorum veritas historica certo cognosci potest.

88. — Argum. Veritas historica alicuius effectus sensibilis aut cognitione immediata aut testimonio aliorum cognosci potest. Atqui uterque cognitionis fons etiam miraculis applicari potest.

Ad min. 1) *(quoad cognitionem immediatam. α)* Effectus per se sensibilis eo quod modo extraordinario producitur, nihil sui Esse amittit, ergo sensibilis manet. Ergo *eædem rationes et conditiones, quæ pro cæteris rebus sensibilibus in logica statutæ sunt, etiam pro miraculi certa cognitione valent. b)* Imo in miraculo cognoscendo generatim etiam facilius erroris fontes excluduntur. Etenim α) phænomenon facilius *attenditur*, cum insolitum sit. β) Homo magis incitatur ut debite *inquirat*, num sensus externi vel interni atque iudicandi potestas impediti fuerint necne. Nam agitur de re, quam fieri posse primo aspectu impossibile videtur. γ) *Confusio idearum* generatim facillime excluditur, cum ut plurimum res facillimæ diiudicandæ sint, v. g. ante hoc momentum unum adfuisse panem, post hoc momentum millia, quin ulla causa eos afferens visa fuerit. δ) *Præcipitantia* in iudicando saltem tunc removetur, quando agitur de miraculo ut motivo credibilitatis pro religione ea, quæ gravissima officia homini imponit. ε) *Illusio* ex parte causæ extramundanæ aut in eo esse posset, ut nobis non advertentibus a spiritu extramundano loco unius rei, quæ obiective non mutaretur, alia apportaretur atque conspectui nostro subiiceretur, aut in eo, ut re in loco suo permanente et nulla alia substituta, sensus vel phantasia nostra perturbarentur atque ea ut obiectiva exhiberentur quæ nonnisi subiective in homine sunt. Iamvero primo ad hominem animadvertere licet, talia ab iis obiici non posse, qui

omnem interventum entis extramundani in cursu naturæ mutando reiiciunt. Ab huiusmodi vero influxu admittendo fere omnes recentiores adversarii cognoscibilitatis miraculorum abhorrere solent. Excluditur vero talis suppositio hac ratione: Deus, saltem si de miraculo agitur, quod ad revelationem aliquam probandam refertur, ne permittere quidem potest, ut talia artificia ab ullo spiritu sub ullis circumstantiis fiant, nisi sub talibus, in quibus moraliter possibile sit, ea ut fallacias cognoscere. Alias enim indifferenter se haberet ad finem miraculorum summum, qui in eo est, ut adsit medium aptissimum ad revelationem divinam probandam. — Cætera videbimus, cum de veritate theologica miraculorum agetur.

89. — *Quoad cognitionem mediatam seu mediantibus testibus.* *a*) Ex parte *veracitatis* nulla difficultas est. Etenim natura sua ad omnia facta applicari potest. Imo cum miraculum per se ad glorificandum Deum, præcipue ad rem gravissimam, revelationem publicam, referatur, ex ipsa testium pietate facilius de veracitate in hac re testanda quam in multis aliis constare potest. *b*) *De scientia debita.* Iis hominibus quibus *testes immediati* miracula narrant, sæpe *cognitione immediata* constare potest, eos debitis conditionibus ad rem cognoscendam instructos fuisse. Imo eæ conditiones per se non difficilius, sed sæpe facilius cognoscuntur cum de miraculis, quam cum de aliis rebus relatis agitur. Quod vidimus n. præcedente. Ex natura vero transmissionis per multas quasi manus factæ, saltem tunc cognitio certa ne per *testes* quidem *mediatos* quidquam damni pati debet quoad facti substantiam, cum de re publica et magni momenti et facillime intelligenda agitur. Præcipue autem talia facta sæpe inter miracula inveniuntur. Facti vero circumstantiæ etiam minores, scitu utiles, saltem instrumento scripto tunc facile cum certitudine transmittuntur, quando in instrumentis publicis continentur, quæ ab omnibus maximo in honore habentur et societati publicæ, summæ humanæ auctoritatis, custodienda tradita sunt.

90. — Obiectiones 1-6 immediatæ, 7-13 mediatæ cognitionis possibilitatem impugnant.

Ob. 1. *Qui affirmat factum miraculosum existere, simul dicit leges physicas esse applicatas et non applicatas.* Ergo talis affirmatio repugnat. Prob. ma.: Affirmat miraculum, ergo exceptionem a legibus physicis esse factam; affirmat in suis facultatibus cognoscitivis omnia e lege cessisse, ergo miraculum non esse factum. - R. D. antec.: si affirmaret, idem miraculum in eodem subiecto eodem tempore et factum esse et non factum esse, c.; si affirmat, eodem tempore, quo in re extra se factum sit miraculum, intra se nullum esse factum, n. — Hanc diff. fecit v. g. *Weisse.*

Ob. 2. *Falli in observationibus cotidianum est; miraculum* ex definitione ipsa vel saltem de facto *rarissimum* est. Ergo semper supponere licet, me in observando facto errasse. — R. D. ma.: Falli in rebus difficilioribus vel parvi momenti pro vita cotidiana ob erroris causas difficile exclusas cotidianum est c.; in rebus facilibus, quæ magni momenti pro omni vita esse putantur, præcipue si a multis observatæ sunt, n.

Ob. 3. *Probabilitas ut miraculum fiat,* ad eam ut non fiat, se habet ut unum ad numerum quasi infinitum, atque *proinde practice nulla est.* Ergo moraliter certum est, illud non fieri. — R. Numerus actionum miraculosarum ad numerum earum actionum, quæ secundum leges physicas procedunt, se habet ut minimus ad maximum et proinde pauciores omnino observare atque sperare poteris actiones miraculosas quam ordinarias, et consequenter prudenter in actionibus tuis inniteris legibus physicis ita, ac si nullas exceptiones admitterent, c.; si una ex istis exceptionibus sat raris fit, non possunt esse circumstantiæ, quibus facillime et certissime cognoscatur, n.

Ob. 4. Miraculum est res supernaturalis. Atqui *supernaturale nequaquam certitudine naturali historica cognosci potest sed sola fide. Loisy,* L'évangile et l'église ([3]1904) p. 118. Antea *Schelling,* alii. — R. D. ma.: Supernaturale eiusmodi, quod res ne analogice quidem imitari possunt, seu mysterium, c.; supernaturale vel præternaturale eiusmodi, quod in rebus naturalibus, imo sensibilibus inesse potest, n. Exceptio a lege physica eodem modo manifestatur atque ipsa lex physica. — Imo sæpissime id quod miraculoso modo efficitur, est omnino æquale iis quæ naturaliter producuntur, solus vero modus efficiendi diversus est. Cfr. v. g. sanitatem perfectam restitutam a medico mediis naturalibus, a Deo per miraculum. Unde recte quidam reiecerunt *Mercier* O. P., qui in Revue Thomiste, 1907, Sept. Oct., miraculum in entitate supernaturali iis constituere videbatur.

Ob. 5. *Saltem certitudo de existentia miraculi non est ita firma, uti ad cognoscendum motivum credibilitatis requiritur.* Nam certitudo de miraculo potest esse tantum physica, certitudo de motivo credibilitatis debet esse metaphysica. Fundat enim certitudinem fidei metaphysicam. — R. Certitudo iudicii credibilitatis non est causa certitudinis fidei, sed tantum eius conditio. Causa certitudinis actus fidei est auctoritas divina, cui metaphysice repugnat cum veritate rerum revelatarum non esse coniunctam.

Ob. 6 et instantia ad 5. *Certitudo de miraculo debet saltem crescere cum ipso momento miraculi, de quo agitur.* Atqui illa est ordinaria, hoc sæpe extraordinarium, v. g. miraculum resurrectionis Christi, etsi ab eo ut motivo credibilitatis abstrahitur. — Insinuat difficultatem *Loisy* o. c. p. 119. Antea *Annet. Rousseau* o. c. — R. 1) Sæpe ipsa certitudo ob circumstantias extraordinaria est. 2) N. ma. Momentum quod factis pro vita temporali vel æterna inest, ex eorum minore vel maiore utilitate seu ratione boni pendet, quæ in iis quasi includitur. Hæc autem, dummodo certitudine vera constet, secundum boni naturam applicari potest.

Ob. 7. *Sæpius hominum sive scientia sive veracitas deficit, quam legum physicarum constantia.* Ergo saltem generatim error vel mendacium in teste referente miraculum assumatur necesse est. — R. Tr. ma., n. cons. Certitudo de facto exceptionis non est diiudicanda ex eo, num causa, quæ exceptionem facit, raro tantum eam efficiat, sed tantum ex eo, num rationes sint affirmandi, eam hic et nunc factam esse.

Ob. 8. *Maior certitudo minorem vincit.* Iamvero quia certitudo, miraculum aliquod factum esse, nititur in testimonio hominum, ergo tandem in legibus quæ mores hominum regunt, certitudo autem, miraculum non esse factum, nititur in natura rei physica, certo certius hæc certitudo maior est illa. Ergo nunquam constat miraculum factum esse. — R. D. ma.: si sunt de eadem re. tr.: si de diversa re, nego suppositum unam aliam vincere posse. - Ad min.: Certitudine, quæ nititur in natura physica, non constat, miraculum non esse factum, sed solummodo id non fieri, nisi exceptio fit, quam fieri posse ex ipsa natura rei physicæ et Dei perfectione metaphysica certitudine sequitur, quam factam esse testimonium hominum testatur.

De hac obiectione, quæ *Bergier* cæteris melior visa est, integra literatura habetur. Eam ponit *Hume*, An enquiry concerning human understanding s. 10 of miracles (ed. Green and Grose 1898) p. 88-94; multi post eum, ut recentius *Anonymus* in *Supernatural religion* (1874) I c. 3 p. 77-94. Responsa v. v. g. *Denzinger* II 352-53; *van Weddingen* 367-71; *Newman*, Grammar of Assent 306-7; *Gutberlet* II³ 132-73. — *Ottiger* 207, 213-15. — *Schell* I ³321-38, ubi tamen quædam non recta.

Ob. 9. Experientia constat, saltem *testes mediatos, quo magis ab ipsa facti ætate recedunt, tanto plus et obiecti narrati et certitudinis de eo omittere.* — R. D. as.: si de orali traditione agitur relate ad res minus publicas et minoris momenti vel circumstantias pro natura rei tenues, c.; si de traditione scripta agitur vel de traditione orali relate ad res publicas magni momenti vel circumstantias magni momenti, n. — Generatim res sive scripta sive non scripta non ita vivide nos afficit, quam ea quam videmus vel ab immediatis testibus accipimus. At hæc ratio vividi sensum respicit, non certitudinem.

Ob. 10. *Historicus admittendo miracula, illum respectum, sub quo omnia considerat, a scientia sua removet*, ergo eam impossibilem reddit. Cf. *Harnack*, Dogmeng. I³ p. 63 nota 4. — R. Obiectum formale sub quo historiæ est auctoritas humana. Quæ admittendo miracula non destruitur sed contra pseudophilosophiam defenditur. Non enim ratio sed stultitia a priori miracula impossibilia esse declarat. Cf. *de Smedt*, Principes de la critique historique p. 276.

Ob. 11. In thesi *omissæ sunt conditiones essentiales.* Etenim res magni momenti non admitti possunt, nisi 1) qui ea referant sint plurimi, prudentissimi, ita comparati, ut miraculum nullam iis utilitatem afferat; 2) ipsa eorum relatio sub formis iuridicis et iuramento deposita, ab auctoritate publica recognita sit; 3) ipsa res relata ita publica uti eclipsis solis. Iamvero hæc omnia in thesi omissa sunt. — R. Iure omissa sunt hæc omnia. Per se enim nihil ex iis quæ enumerata sunt, ad id requiritur, ut de scientia et veracitate testium de aliquo facto miraculoso constet. Quid autem in aliqua speciali conditione necessarium esse possit non dicimus. Iuvare hæc omnia certe possunt.

Ob. 12. *Ecclesia catholica nulla miracula admittit, nisi formis iuridicis et sub iuramento deposita fuerint.* Ergo saltem catholici has quoque conditiones semper necessarias esse concedant necesse est. — R. D. ma.: Ecclesia catholica has conditiones requirit pro omnibus miraculis, quæ ut certa ab ea habentur, n.: pro aliquibus ad certum effectum et ob speciales rationes, sd.: ut necessarias, n.; ut utiles, c. — Expl. Effectus obtinendus solet esse servorum Dei canonizatio. Rationes præcipue eæ sunt, quod de talibus miraculis agi solet, quæ patrantur numero pauciora, in paucioribus rerum generibus, i. e. morbis cu-

randis, minus publice, a servis Dei qui visibiliter non agunt. In legato Dei publico res alio modo se habere atque ideo facilius diiudicari possunt. — Quoad dif. 11 et 12 cf. plura *van Laak*, de miraculis Christi 101-116 (lith). — Difficultates similes iis quæ sunt in obiectione 11, fecerunt v. g. *Renan*, Vie de Jésus, Introd. p. LI-LIII; *Freret*, Examen critique des Apologistes de la religion chrétienne.

Ob. 13. Sæpius *ad divinam providentiam provocatur*. Atqui *hoc idem est, atque*, desparata argumentorum vi, *ad « Deum ex machina » recurrere*. — R. D. ma.: ad divinam providentiam provocatur, quando demonstratum est, eam gubernationem de qua agitur, esse necessariam, c.; quin hoc demonstretur, n. Expl. Providentia Dei uti eius potentia etc. est vera causa rerum. Ergo a scientifica rerum inquisitione nequaquam excludenda est.

PROPOSITIO 16ª: **Miraculorum veritas philosophica certo cognosci potest.**

91. — A. *Certo cognosci potest, leges naturæ uti ab homine applicatas, certos effectus non produxisse.*

1) *Cognosci potest, quas vires homo sciens et volens adhibuerit. a) Quoad vires etiam cæteris cognitas. Histrionum* ars, qui celeritate applicationis virium cæteros superant, *experimentatorum* ars atque scientia, qui aptis machinis etc. vires dirigunt, excludi potest α) thaumaturgi veracitate aliunde cognita. Certum enim potest esse, ex una parte eum non esse hominem pessimum, ex altera parte eum maximae malitiæ reum fore, si ad opus artis atque scientiæ tamquam ad signum specialis interventus divinæ providentiæ atque revelationis sigillum provocaret. β) Circumstantiis quoque externis, v. g. facti publicitate, testium vigilantia. — *b) Quad vires cæteris incognitas, thaumaturgo forte soli notas.* α) *Ex impossibilitate talis scientiæ naturaliter acquisitæ.* Ex una parte fieri potest, ut opera tam diversa patret, ad quæ ea scientia rerum physicarum, chimicarum, psychicarum requireretur, quam neque post millia annorum in ullo homine inesse constet. Ex alia parte certum esse potest, eum in his rebus neque ullis studiis theoreticis se dedisse neque experimenta practica necessaria præmisisse. Id quod præcipue ii concedere debent, qui ob omnem interventus divini impossibilitatem negatam, progressum scientiarum humanarum nonnisi continuum esse posse premunt. β) *Si vero admitteretur, thaumaturgum supernaturaliter vires has omnes perspectas habere potuisse,* primum illud ad hominem dicendum est, ita concedi id ad quod vitandum theoria de his viribus incognitis excogitata est, scilicet influxum divinum miraculosum. Deinde auctoritate humana thaumaturgi probari potest, eum scientia ea supernaturali, quam forte habuerit, usum non esse. Quod cognosci potest ex

negatione thaumaturgi sive explicita sive implicita. Implicite id negat, quando ad opera ut ad signa omnipotentiæ et approbationis doctrinæ provocat. Porro idem ex modo agendi patere potest. Etenim scientia supernaturalis non removet eam necessitatem physicam, qua vires diversissimæ secundum naturam suam diversam modis quoque diversis applicandæ sunt. Iamvero certum esse potest, thaumaturgum vel nulla re applicationis gratia uti, vel ea tantum, quæ semper in omni opere miraculoso eadem sit v. g. unica subitanea manus impositione.

2) *Cognosci potest, vires, quas thaumaturgus sciens et volens adhibuerit, uti ab eo applicatæ sunt, effectum, de quo agitur non produxisse.* — *a*) *Vires naturales,* utpote naturaliter agentes, *sub iisdem circumstantiis eodem modo applicatæ nonnisi eosdem effectus producere possunt.* Atqui sciri potest, vires easdem eodem modo applicatas eum effectum de quo agitur, nunquam produxisse. Ergo certum est, hunc effectum vires ita applicatas superare atque proinde causam extramundanam liberam uti sui causam requirere. Hoc valet, etsi causæ illæ et effectus in eodem genere rerum naturalium continentur. *b*) Accedere potest aperta impotentia virium ad effectum producendum, quæ ex eo oritur, quod *effectus et causæ in diverso genere inveniuntur.* V. g. si constat, causas adhibitas nonnisi in genere virium inorganicarum contineri, effectum autem esse vitam sive inferiorem sive ipsam humanam.

92. — B. *Certo cognosci potest, vires occultas, ipsi thaumaturgo incognitas, effectum non produxisse.*

a) *Si magna actionum miraculosarum series* consideratur. Quæ si locum habuit, dicendum est, vires occultas, quæ eos effectus produxisse dicuntur, iis tantum momentis egisse, quibus thaumaturgus, earum omnino ignarus, effectus miraculosos fieri optabat. Iamvero etiam vires occultæ, utpote naturales, non libere, sed tunc semper et tunc tantum agunt, quando conditiones ut agant adsunt. Ergo dicendum esset, vires istas inter indefinite multa locorum puncta et temporum momenta tantum iis ipsis momentis et locis conditiones requisitas ad agendum invenisse, ubi et quando thaumaturgus miraculum patrare voluit. Atqui tali ratione ordo plane intricatus statuitur, qui nulli omnino causæ assignari possit. *b*) *Si actiones ut singulæ* respiciuntur. Vires occultæ utpote naturales etiam ipsæ iisdem legibus astringuntur, quibus omnes leges naturales uti tales alligatæ sunt. Ergo subito atque aliquid in actione detegitur, quod legum omnium naturalium conditionibus contradicit, neque leges occultas applicatas

esse manifestum est. Tales conditiones sunt v. g. ut agant in tempore, in materia disposita, necessario.

De viribus occultis cf. v. g. *Bened. XIV*, o. c. c. 7 n. 4 p. 98, 99. — *van Weddingen*, 158, 333-38, 340-42. — *de Bonniot* o. c. part. 1 ch. 4 § 2 p 68-71. — *Ottiger*, 221, 222. — *de Backer*, Inst. metaph. spec. I Cosmol. (Paris, 1899) 266, 267. — *Léon-Adolphe Amette*, archiep. Paris. in: Ordonnance... portant jugement canonique sur plusieurs guérisons opérées par l'intercession de Notre-Dame de Lourdes, ad finem (Pour conclure) 6 Jun. 1908. V. in: RCF 55 (1908) I. Jul. p. 97, 98.

93. — Ob. 1. *Non cognoscimus leges omnes.* Ergo constare non potest exceptionem esse factam. — R. C. ant. D. cons.: Ergo nescire possumus exceptionem a legibus iis, quas ignoramus, c.; ab iis multis, quas vel evidenter cognoscimus, n.

Ob. 2. et instantia ad 1. *Nescimus, quid illæ ipsæ vires quas cognovimus, perficere valeant.* Ergo nunquam affirmare possumus, aliquem effectum vires naturæ superare. — R. D. antec.: Nescire possumus, quid valeant vires sub iisdem conditionibus atque eodem modo applicatæ, n.; quid sub diversis conditionibus vel diverso modo applicatæ, sd.: nequimus positive determinare quousque intra genus causalitatis suæ et intra limites omnibus legibus naturæ communes pertingant, c.; nequimus negative determinare eas saltem genus causalitatis suæ non posse superare neque ab iis conditionibus liberas esse quæ omnibus viribus naturæ communes sunt, n. Cf. *Schiffini*, Disput. metaph. III n. 601 II.

Ob. 3. *Veteres si recentissima inventa vidissent, ea recte miraculosa habuissent.* — R. Si uti nos scivissent, ea applicationi ei deberi quæ e studio theoretico et practico hominum procedit, n.; si scivissent, ea nulli applicationi humanæ deberi, recte ad facti miraculosi veritatem philosophicam conclusissent, c.

Ob. 4. Quo iure hic e miraculo sic dicto concludit, exceptionem a lege esse factam, eodem ille iudicat, *usque nunc legem physicam nonnisi erronee fuisse statutam.* — R. N. Ratio affirmandi legem erat constantia effectus eiusdem, quæ antea sub iisdem circumstantiis observata erat, quam nonnisi lege naturæ explicari posse in cosmologia probatum est.

Ob. 5. *Modestiæ est, in his omnibus casibus iudicium definitivum non proferre.* — R. Quamdiu non constat de exceptione, c.; quando constat, n. Alias actum est de omni scientia et vita homine rationabili digna.

Propositio 17ª: Miraculorum veritas theologica certo cognosci potest.

94. — **Lit.** Quoad modum argumentandi cf. v. g. *van Weddingen* 131 sq., 327 sq. — *Hontheim*, Inst. Theod. 822. — *Lehmen*, Lehrbuch der Philosophie II 767, 768. — *Ottiger* § 19 p. 187; § 71, p. 229. — *de Backer*, Instit. metaph. specialis Cosmol. (1889) 263, 264. — *Urraburu*, Inst. phil. vol. 3, p. 437-40. — *Gutberlet*, II³ § 11 III 127-29. — *Bessmer*, in: Stimmen p. 122, 72 (1907). — *Casajoana* I th. 10, 11. — *Schiffini*, Disput. metaph. II, th. 32. — *Bened. XIV*, o c. l. 4 pars 1 c. 1-7 p. 2-111 præcipue c. 6 n. 6-12 (ed. Rom. 1749) p. 89-97.

St. qu. Argumentum eiusmodi quæritur, quod formari possit etiam ab incultis, ea diligentia præmissa, quæ iis moraliter possibilis est. Sermo erit de opere miraculoso reducendo ad Deum saltem ut causam mo-

ralem. Quod intelligimus de opere ut est signum, i. e. *Deum illud opus in quantum est signum saltem approbare.*

95. — Argum. *Ex imperfectionibus, quæ in operibus præter naturæ cursum a spiritibus nomine proprio patratis, inveniri deberent.*

Ad providentiam divinam pertinet, de talibus miraculorum criteriis prævidere, quæ omnes homines, etiam inculti, moraliter adhibere possint. Atqui talia criteria in eo tantum inveniuntur, quod opera quæ præter naturæ cursum per spiritus nomine proprio agentes patrantur, divinæ sive potentiæ sive sapientiæ sive bonitati opponerentur. Ergo quandocumque nulla talis oppositio cernitur, ab ipso Deo saltem moraliter procedunt.

Ad ma. Actiones miraculosæ generice sumptæ ad divinam revelationem demonstrandam necessariæ sunt. (Prop. 13). Inter quas ipsa miracula ex natura sua aptissima sunt, quæ in signum divinum revelationis eleventur. (Prop. 14). Imo hæc aptitudo pro revelatione mediata tanta est, ut connaturaliter omnes homines ad miracula ut ad signa revelationis quam maxime recurrant. Ergo ad providentiam divinam pertinet, ea talibus criteriis insignire, ut moraliter omnes homines ea ab iis operibus distinguere possint, quæ præter naturæ quidem cursum fiunt, at ita ut Deus neque physice immediate neque moraliter ea patret.

Ad min. Talia criteria non inveniuntur in natura physica operum si ea sola spectatur. Etenim uti ex natura rei et ex testimonio hominum constat, cum certitudine distinguere, quæ a spiritibus propriis viribus fieri possint, quæ non, difficilius est, quam quod generatim ab hominibus uti sunt expectari possit. Ergo ad aliud medium recurrendum est. Iamvero tale medium in eo solo esse potest, ut Deus non permittat, aliquem spiritum aliquod opus præter naturæ cursum patrare quod ad probandam revelationem externe relatum sit, nisi aut vere nomine Dei illud opus in ratione signi patret, aut ea criteria in opere appareant, quibus hominibus uti sunt, constare possit, illud non esse a Deo patratum.

96. — *Evolvitur quod ad minorem breviter comprehendimus. Difficultas illa magna in distinguendo quæ opera immediate a Deo procedere debeant, quæ non, constat ex auctoritate sapientum. S. Aug.*, de Trin. l. 3 c. 9 n. 18 M L 42, 878: « Quid autem possint Angeli (transgressores) per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat, dicens: alii diiudicatio spirituum. « C. 10 n. 21

ib. col. 881: » Quemadmodum ... hæc faciant Angeli vel potius Deus quemadmodum hæc faciat per Angelos suos ... sive sinendo sive iubendo sive cogendo, ex occulta sede altissimi imperii sui, nec oculorum acie penetrare nec fiducia rationis enucleare, nec provectu mentis comprehendere valeo, ut tam certus hinc loquar ad omnia quæ requiri de his rebus possunt, quam si essem angelus aut prophetа aut apostolus ». Præterea difficultatem commonstrant plurimæ illæ *inter se oppositæ sententiæ scholasticorum* de potentia naturali angelorum. Quas v. v. g. *Suarez*, de angelis l. 4 c. 27-39 (ed. Paris.) 2, 521-561; *id.* disput. metaph. 35 s. 6 ib. 20, 468-77. Comprehendit breviter has sententias *von Schmid* 307-15. — Diserte recentiori tempore iterum hanc difficultatem premunt v. g. *Bened. XIV* l. c. n. 7 ad finem p. 91, qui eam ad « fere omnes sanationes a morbis » applicat; *Gutberlet*, *Lehmen*, *Casaioana* l. c.

Idem ratio interna confirmat. Etenim tantum tunc opus miraculosum ad Deum ut causam physicam saltem principalem reducendum est, quando virtus creativæ par ad effectum requiritur. Iamvero numquid ethnici hanc normam respicere possunt, cum inter doctos neque illud constet, ipsum Aristotelem hunc conceptum habuisse, certe eruditi plurimi post Aristotelem eo caruerint? Neque ii qui hunc conceptum habent, facile eum applicare solent, idque præcipue propter tria: Sæpe difficile est, statuere, primo num effectus fuerit vere instantaneus, cum generatim non habeatur nisi moralis subitaneitas (*Bened. XIV* l. c.); secundo, num effectus vere fuerit independens a materiæ dispositione vel ei contrarius, cum sæpe nesciatur, num forte dispositiones necessariæ, mediantibus plurimis entibus spiritualibus, prius brevissimo tempore in materiam inductæ fuerint; tertio num aliquid novi hic et nunc creetur, an potius e materia novæ formæ, applicatis agentibus naturalibus, eductæ vel res iam existentes translatæ fuerint.

Ut ergo nihilominus generatim facile constet, aliquod opus præter naturæ cursum patratum, a Deo saltem moraliter agente descendere non posse, debet in eo aliquid esse, quod Deum vel moraliter agentem dedeceat, ergo aliqua *oppositio ad Dei sive potentiam, sive sapientiam, sive sanctitatem.* Quod enim a Deo est, omni ex parte cum eius potentia et sapientia et sanctitate conveniat necesse est. — Unde I quo plura perfectionibus divinis opposita inveniuntur, eo certius et clarius patet, opus non esse a Deo. Spiritus autem creati soli idque tantum in operibus a se nomine proprio factis et potentiæ et sapientiæ et sanctitatis defectum pati possunt. II Quo magis autem omnia in aliquo

opere has Dei perfectiones commendant, eo clarius et certius ad ipsum Deum agentem reducendum est.

97. — I. A. *Oppositio ad omnipotentiam* habetur: 1) Si unum agens ab alio agente potestate miracula patrandi privatur. Deus enim sibi ipsi contrarius non est. 2) Si illud agens a libera hominis alicuius voluntate contra suam propriam voluntatem ad agendum cogitur. Deus enim cogi a creatura nequit. 3) Si potestas agentis sive ad certum operationis locum et tempus sive ad certa miraculorum genera alligata apparet. 4) Si qui agit, sive explicite sive implicite promittit quidem opus perfectum, revera autem illud dimidiatum relinquit, vel tantum imperfectum opus producit.

B. *Oppositio ad sapientiam Dei* ita perspicitur: 1) Si ipsum opus in se inordinatum est, partes eius inter se ordine debito carent, malesanæ phantasiæ fœtum repræsentat. 2) Si finis operis intrinsecus neque ad animæ neque ad corporis veram salutem confert. Opera enim Dei amoris benefici pignora sunt. 3) Inter fines operantis quam maxime considerandus est is, quo opus ad doctrinam confirmandam sive directe sive indirecte refertur. Quod quando fiat vide in propositione 18. Quare opus a Deo sapientissimo esse nequit, si ad talem doctrinam confirmandam ordinatur, quam falsam esse aliunde constat i. e. aut e ratione naturali aut e revelatione antea probata. 4) Si modus opus patrandi rationi non consonat. V. g. si adhibentur verba, quibus non est sensus, cærimoniæ, quæ non habent rerum cœlestium significationem; si nihil in modo apparet, quo dei actio significetur, v. g. nulla oratio ad Deum, nullum imperium nomine Dei etc. 5) Si personæ quæ visibiliter agunt, solent eæ esse, quæ maxima quadam mentis imbecillitate vel quasi insania vel horrenda in rebus religiosis stultitia laborant. Deus enim ignominiam hominis rationi non infert. Hoc autem facere dicendus esset, si talibus hominibus præ cæteris ut miraculorum instrumentis uteretur.

C. *Oppositio ad sanctitatem Dei* his modis animadvertitur: 1) Ex parte ipsius operis seu eius finis intrinseci, si ipsum opus miro modo patratum Dei præceptis contrarium est. 2) Ex parte finis operantis, si patratur ad fovendam libidinem, ad explendum inimicorum odium, ad vanam ostentationem etc. 3) Præcipue si doctrina, ad quam probandum mira ista opera sive directe sive indirecte referuntur, mala est. Indirecta doctrinæ malæ commendatio etiam ex loco in quo, ex tempore quo mira patrantur, colligi aliquando potest. 4) Si modus patrandi mala continet v. g. obscœna. 5) Si personæ solent esse eæ, quæ

sunt cæteris deteriores imo forte homines mali vel pessimi. Etenim si Deus ordinarie malos præ bonis ad patranda miracula adhiberet, ipsam malitiam commendaret. 6) Si effectus, qui ex ista doctrina proveniunt, in eo sunt, ut homines ab isto virtutis gradu, quem possidebant, deficiant vel ad mala se convertant, speciatim si ista doctrina fovet idololatriam, vel revelationis iam factæ vel auctoritatis eam conservantis contemptum.

II. *Divina operum indoles eo magis splendet,* quo magis omnipotentia, sapientia, sanctitas Dei in opere splendent. Hic vero splendor eo maior est: A. Ex parte *potentiæ,* quo magis opera remota sunt a potentia rerum physica; quo maior est numerus eorum, vel numerus legum physicarum, a quibus exceptiones fiunt; quo magis independentiam divinam sive in se sive in suis circumstantiis manifestant. B. E parte *sapientiæ,* quo maior et sublimior est ordo inter ipsius operis partes; quo altiores et universaliores sunt fines, ad quos promovendos aptum sit; quo maior est sapientia doctrinæ aliunde iam cognita, ad quam probandam refertur; quo sapientior ex omni parte modus illud patrandi; quo sublimior thaumaturgi in rebus divinis sapientia; tandem quo arctior est ordo, quo et opera miraculosa inter se et cum cæteris factis divinis tum supernaturalibus tum naturalibus connectuntur. — C. Ex parte *sanctitatis,* quo sublimior est ratio virtutum, quæ in iis per se inveniuntur, in quantum v. g. sunt opera misericordiæ, amoris inimicorum, etc.; quo plures et altiores sunt virtutes, a quibus opus tale imperatur; quo sanctior est doctrina, ad quam demonstrandam refertur et quo pluribus modis ad eam ordinatum est; quo sanctior est modus quo, occasio in qua patratur; quo magis omni ex parte virtutes thaumaturgi splendent; quo universaliores et nobiliores effectus sunt, qui mediantibus istis operibus in mundo sunt producti.

98. — Ob. 1. *Ad rationem criterii quo miracula a Deo profecta ab aliis distinguantur, necessarium est, ut ex sola ratione physica operis perspecta desumatur.* — R. N. antec. Criterium est omne id, unde opus nomine Dei factum ab aliis sufficienter distinguatur, sive mere physicum sit, sive physicum morale. Cf. v. g. *Suarez,* de fide disp. 4 s. 3 n. 9 (ed. Paris). 12, 123 et 124; *Lugo,* de fide disp. 5 s. 4 n. 57 (ed. Lugd. 1646) p. 186, quo loco tantum ad moralia criteria recurrit; *van Weddingen* p. 207, 208.

Ob. 2. Quodsi criteria in thesi enumerata applicantur, *non habetur argumentum e miraculis, sed ex aliis fontibus v. g. ex effectibus bonis religionis christianæ, sapientia Dei, etc.* — R. N. as. V. g. bullam ab hoc non ab alio Pontifice scriptam esse, probatur utique sigillo, in quantum constat, illud ab hoc, non alio Pontifice appositum esse. At in controversia, num ab hoc an ab alio illud sigillum appositum sit, forte etiam materia laccæ, ars incisoria suffragium fert.

Ob. 3. *Deus alicui spiritui* ob fines nobis incognitos v. g. ut ei occasionem misericordiæ exercendæ præbeat, *generalem potentiam concedere potest, opera contra naturæ cursum proprio nomine patrandi*, idque sive per vires suas naturales sive per potentiam elevatam. Quis enim omnes omnium ordinum possibilitates exhaurire poterit? Atqui si hoc supponitur, nihil impedit, quominus spiritus quidam etiam in revelatione testanda proprio nomine agat. Ergo non possumus esse certi, miraculum nomine Dei attestantis fieri, et proinde aut de veracitate et scientia in ipsa testificatione dubitare possumus, aut saltem ignoremus necesse est, num testificatio divina adsit an tantum creata. — R. Tr. ma.: d. min.: nihil impedit ex parte potentiæ angelorum absolute consideratæ et forte voluntatis eorum, c.; nihil ex parte potentiæ eorum, inquantum eius exercitium subest providentiæ divinæ, n. — Expl. Quomodo res se haberet, si v. g. Deus revelasset, se nunquam in posterum actionibus miraculosis revelationem firmare velle, vel si aliæ nescio quæ suppositiones fierent, non inquirimus. De eo ordine rerum quærimus, in quo Deo expedita debeat esse potestas, ut per miracula divinam revelationem hominibus uti sunt exhibeat. Cf. *Schiffini*. Disputat metaph. II n. 604 Ob. III p. 429-31.

Ob. 4. *Plurima illa criteria physico-moralia ex parte operis eiusve circumstantiarum nonnisi difficillime applicari possunt.* Ergo veritas theologica miraculorum ab hominibus uti esse solent neque hoc modo moraliter loquendo cognosci potest. — R. D. antec.: Difficile esse potest, omnia et singula illa criteria enumerare eaque omnia et singula simul sumpta ad omne opus miraculosum possibile applicare, c.; difficile est, invenire aliquod signum debilitatis vel insipientiæ vel malitiæ quod in operibus nomine Dei non factis inveniri debere demonstravimus, sd.: nulla omnino diligentia præmissa, c. vel tr.; diligentia quadam vulgi captui accomodata, n. — Expl. Hac in re magni scholastici auctores id inculcant: Facultas quidem distinguendi in diversis hominum classibus pro diversa animorum cultura et rerum religiosarum cognitione diversa esse solet. At Dei providentia ita omnia disponet, ut ea media distinguendi in ipso opere eiusve circumstantiis adsint, quæ ipsis diversis classibus sint adaptata. Cf. *S. Th.* Quæst. disp. de pot. qu. 6 a 5. - *Suarez* de myst. vitæ Christi disp. 31 s. 2 n. 8 (ed. Par.) 19, 486.

Ob. 5. et instantia ad 4. *Saltem ethnici, quia Dei potentiam, sapientiam, sanctitatem ignorant, criteria talia adhibere nequeunt.* Ergo ii, qui maxime argumento e miraculis indigent, eo privantur. – R. N. as. Ad prob.: Scientia ethnicorum de his Dei perfectionibus non est tam perfecta, quam Iudæorum atque Christianorum, c.; nulla esse solet, vel saltem mediante ipsa missionarii prædicatione ante illud tempus, quo iudicium credibilitatis formandum est, non potest ad eum gradum elevari, qui necessarius est ad vim miraculi determinati capiendam, n. Cf. Ob. 4. - Expl.: Providentia Dei curabit, ut in quibusdam operibus debilitas vel insipientia vel malitia, in aliis vero oppositæ perfectiones divinæ ita appareant, ut ipsorum ethnicorum statui convenit. Cf. *van Wendingen* p. 419-21. — V. g. providentia divina etiam apud ethnicos quædam mira diabolica in cavernis hierodulorum permittere poterat, quibus homines a diis ad crimina diis propria v. g. sodomiam excitarentur; cum enim eiusmodi crimina in ipsis diis suis duce ratione damnarent, dubium esse non poterat, a quo spiritu ea miracula ederentur. Ex alia parte ignorari non poterat, a quo ejusmodi miracula procederent, quæ omni modo Polytheismo opponebantur.

Ob. 6. *Diabolus diabolum expellere potest.* Ergo etiam diabolus ad finem bonum potest conferre. — R. D. ant.: ad finem qui malus sit, et qui aliqua diligentia adhibita ut talis facile cognoscatur, c., ob finem bonum vel ob malum quidem at qui non appareret, n.

PROPOSITIO 18ª: **Miraculorum veritas relativa certo cognosci potest.**

St. qu. Quæritur quibus modis cognosci possit, Deum de facto aliquod miraculum in signum revelationis factæ elevasse.

PARS I. *Si de revelatione immediata agitur.*

99. — **Argum.** Arctior coniunctio inter miraculum et veritatem, ad quam refertur, cogitari nequit, quam si ille ipse, qui in revelatione immediata loquitur, 1) affirmat se, Deum, hæc loqui; 2) se in argumentum suæ primæ affirmationis miraculum hoc vel illud patrare; si 3) miraculum sequitur, cuius veritas historica, philosophica, theologica certa est. Ergo miraculum aut nunquam in signum locutionis divinæ assumi potest — id quod thesi 14 contradicit — aut conditiones dictæ sufficiunt.

PARS II. *Si de revelatione mediata agitur.*

100. — A. *Si ipse legatus verbis suis miraculum ad revelationem probandam refert.* Ab iis, qui revelationem mediatam recipiunt, veritas relativa alicuius miraculi certo cognosci potest, si hae conditiones simul sumptæ implentur, si scilicet: 1) legatus Dei sive explicite sive implicite affirmat, se miraculum aliquod, cuius veritas historica, philosophica, theologica constat, patrare ad eum finem, ut probet, se ut legatum Dei eius verba hominibus deferre; si 2) illud sequitur; si 3) adhibita morali diligentia hominibus nullum signum externum apparet, quo suadeatur, Deum tantum ad alios fines illud miraculum patrare.

Argum. Deus nequit se privare medio quam maxime congruo ad revelationem mediatam hominibus probandam. Atqui eiusmodi medio se privaret, si in tribus conditionibus quas posuimus simul sumptis miraculum non esset absolute connexum cum veritate locutionis divinæ.

Ad min.: 1) Medium quam maxime congruum ut revelatio mediata probetur, est miraculum, quod a legato patratur. (Cf. prop. 14).

2) Deus hoc medium aptissimum adhibere non posset, si miraculum sub tribus conditionibus a nobis positis non efficaciter probaret.

Nam veritas relativa, in suppositione Deum tantum revelationem mediatam impertire velle, non potest clarius exprimi quam ipsis legati verbis hanc relationem asserentibus. *b*) Ordinatio Dei, qua miraculum eo modo ad probandam locutionem suam dirigit, uti legatus affirmat, efficacius probari nequit, quam eo, quod Deus miraculum patrat ad hæc verba legati, atque in iis circumstantiis, in quibus, habita attentione moraliter possibili, aliunde externe non apparet, Deum hoc miraculum tantum ad alios fines, contra id quod legatus affirmat, referre. — Ratio intrinseca hæc est: Ordinatio Dei, qua miraculum, quod per legatum patrat, ad alios fines dirigeret quam ad eum quem legatus affirmat, certe per se invisibilis est, ergo signis externis manifestari deberet. Iamvero talia signa ex supposito absunt. Ergo aut Deus nunquam revelationem mediatam miraculo per legatum patrato probare potest, aut circumstantiæ eæ, quas diximus, ad eum finem sufficiunt. Primum repugnat; ergo secundum assumendum est. Unde necesse esset, Deum denegare concursum ad patrationem miraculi a legato annuntiati, si hic illud ad eam doctrinam ut divinam probandam referret, quæ revera divina non esset. — Accedit omnes et cultos et incultos modo suo procedendi talem rationem probasse.

3) Signum, ex quo apparet, Deum miraculum a legato patratum tantum ad alios fines referre, fere in eo solo videtur esse posse, ut Deus antea revelaverit, se cum tali homine semper ob certos alios fines obtinendos in patratione miraculi velle concurrere v. g. ad sublevandos pauperes.

B. *Modi, qui ab eo abstrahunt, quod ipse legatus verbis suis miracula ad locutionem divinam probandam refert.*

101. — *a*) *Quoad miracula, quæ alii patrant ante vitæ legati tempora:* si iis animi ad legatum Dei ut talem suscipiendum præparantur, vel fides in eum venturum commendatur; *tempore quo legatus in vivis degit vel iam vita defunctus est:* si ea patrant auctoritate eius in quem crediderunt, vel iis virtutibus moralibus instructi, quæ a fide in eum ut legatum Dei dependent.

b) *Quoad miracula quæ legatus ipse facit:* α) Si præ omnibus cæteris potestate miracula et plurima et splendidissima patrandi donatur. Dedecet enim Dei sapientiam, eum qui in ipsa dignitate maximi momenti pro genere humano sibi ascribenda, sc. legatione universali, sive errat sive mentitur, præ cæteris extraordinarium potentiæ et benignitatis divinæ ministrum constituere. β) Si ea miracula studium hominum promovent, quo ad eum ut legatum Dei audiendum

confluunt. — Idem dicendum esset de miraculis, quæ immediate ipse Deus vel alii ad eum finem facerent.

c) Quoad miracula quæ ipse Deus immediate in legato vel circa legatum patrat: α) Si gloriosum quendam sive animæ sive corporis statum in eo efficiunt vel manifestant, idque eo magis, quo magis extraordinaria sunt ea, quæ sive producuntur sive manifesta reddunturur. β) Si natura sua præmium extraordinarium eius virtutis constituunt, qua legatus officium suum gravissimum, scilicet legati, implevit. Etenim primo mendacium tali præmio excluditur. Deinde Deus sapientissimus neque errorem fundamentalem circa legationem, præmio bonæ voluntatis plane extraordinario seu miraculoso honorare potest.

d) Miracula quæ Deus in aliis vel circa alios dependenter a fide in legatum efficit. Si ea fides habet rationem sive causæ efficientis particularis moralis, sive quasi meriti, quod præmiandum sit, sive finis, ad quem cæteri sint perducendi.

e) Speciatim in omnibus his miraculorum generibus considerandæ sunt eiusmodi *miracula, quibus ii, qui in legatum non credunt, uti tales pœna a Deo vindice afficiuntur.*

102. — **Obiectiones** 1-4 sunt contra ipsam thesim; 5-9 contra argumenta.

Ob. 1. In eo argumento pro revelatione, quod ex miraculis petitur, habetur circulus vitiosus. Etenim in thesi 16 *ex doctrina, ad quam probandam miraculum referebatur, probatum est, illud esse a Deo;* in hac thesi *ex eo quod miraculum a Deo procedit, demonstratur illud revera probare eam doctrinam,* ad quam refertur. — R. N. as. Ad prob.: Ex doctrina conformi sapientiæ et sanctitati Dei naturaliter cognitæ concludebatur, illam *posse esse a Deo dictam,* ideoque ex hac parte nihil obstare, quominus miraculum, quod ad eam referatur, sit a Deo, vel etiam, attentis circumstantiis, eam doctrinam aliquid ad divinam eius originem suadendam conferre; ex miraculo vero quod aliunde probatur esse a Deo factum, concluditur, doctrinam *de facto esse a Deo dictam.*

Ob. 2. et instantia ad 1. Aliquando *saltem a catholicis quædam doctrina non ut naturaliter nota, sed ut revelata adhibetur ad dignoscenda miracula divina;* deinde ex miraculo ita cognito arguitur ad doctrinam revelatam. — R. D. antec.: Eadem doctrina qua revelata assumitur ad eandem doctrinam qua revelatam primo statuendam, n.; una doctrina quam revelatam esse aliunde constiterit, assumitur ut norma negativa ad discernenda miracula, qua discretione facta ad aliam veritatem qua revelatam arguitur, c.

Quoad difficultatem 1 et 2 semper de novo repetitam cf. ex adversariis v. g. *Strauss,* Christl. Glaubenslehre (Tuebingen 1840) § 17 p. 224, 225; in opere *Supernatural Religion,* I 1 p. 15-26; *Sabatier,* Esquisse l. 1 c. 3 n. III p. 79. E defensoribus v. g. *Denzinger* II 356; *van Weddingen* 263-67; *Spagni* o. c. p. 691-94; libri textus.

Ob. 3. *Inter ethnicos per ipsos ethnicos miracula patrata sunt, et tamen Ethnicismus iis non est commendatus.* Ergo neque miraculis thaumaturgi eius

religio probatur. R. D. antec.: patrata sunt opera præter naturæ cursum, quorum veritas historica, philosophica, theologica et simul relativa ad commendandum Ethnicismum constat, n.; facta sunt opera talia quæ ad Ethnicismum condemnandum referebantur, vel alium finem habebant v. g. misericordiam et simul verum Deum glorificabant; vel opera talia, quæ utique a quadam mala potentia ad falsum cultum approbandum referebantur, quibus tamen veritatem historicam vel philosophicam vel theologicam vel plures ex his deesse cognosci poterat, c.

Etiam hæc difficultas innumeros habet patronos. Cf. v. g. *Supernatural Religion* I 1 p. 10-15; *Sabatier* o. c. p. 78; *H. Schultz*, Grundriss der christl. Apologetik ²1902 p. 40; proprium opusculum in hunc sensum scripsit *H. Trede*. Wunderglaube in Heidentum und in der alten Kirche (Gotha 1901). — Responsa specialia videbimus, quando de revelatione in concreto agendum erit.

Ob. 4. *Multi prædicatores eam doctrinam quam prædicabant, miraculis confirmabant, et tamen multa in ea falsa inveniebantur*, v. g. oppositæ applicationes textuum Scripturæ. — R. D. Isti sancti miracula sua referebant ad omnia et singula, quæ ex pulpito docebant, n.; ad ea quæ ut ab ecclesia catholica missi ex nomine eius et secundum eius doctrinam auctoritativam qua credenda imponebant, c.

Ob. 5. Argumentum primæ partis supponit, Deum absolute mentiri non posse. Atqui hoc falsum est. Nam *mendacium non ideo vetitum est quia ex natura sua malum est*, sed ideo malum est, quia vetitum est. Vetitum autem certe non est Deo. Cf. v. g. *Rob. Holcot*, in sent. III q. 1 in fine; *G. Biel*, in sent. III dist. 38 a. 2 concl. 2, alii Nominalistæ. — R. 1) N. ma. Argumentum sumitur ex impossibilitate, ut Deus se medio privet, quo revelationem confirmet. 2) N. mi.

Ob. 6. *Deus mendacium permittere potest.* Atqui nihil aliud faceret, si permitteret, legatum referre miraculum ad alium finem atque is est, quem Deus intendit. Ergo argumentum partis secundæ non valet. — R. D. ma.: Deus permittere potest mendacium tale, e quo aliquis finis providentiæ necessarius impossibilis redderetur, n.; multa alia, c. Cd. mi.

Ob. 7. *Deus permittere potest, ut homo ad pravos fines, v. g. ad vanitatem fovendam, abutatur ipso dono miracula patrandi*, et consequenter ipso concursu præternaturali divino. Ergo a pari potest legatus miraculo abuti ad falsam doctrinam fovendam. — R. D. antec. Si tali permissione non impossibilis fit eiusmodi finis, qui sive absolute sive supposito decreto quodam Dei est necessario obtinendus, c.; si eiusmodi finis necessarius impossibilis fieret, n.

Ob. 8. *et instantia ad 7. Princeps etiam sapientissimus et piissimus ministro sigillum tradere potest, quamvis sciat, non esse absoluta cum certitudine exclusum eiusmodi abusum, quo adhiberetur ad ea testificanda quæ princeps non dixit.* Ergo a pari Deus sub iisdem conditionibus sigillum i. e. miracula, legato tradere potest. — R. N. paritatem. 1) Subditi sæpe connaturaliter etiam alio modo veritatem rescire possunt; v. g. adest princeps visibiliter inter eos degens. 2) Ut subditi in nulla suppositione verba alterius cum verbis principis confundant, non tantopere necessarium est, quantopere ne humanum genum medio connaturali ad revelationem mediatam divinam cognoscendam careat. 3) Princeps ideo rationabiliter agit, etsi sub dictis circumstantiis sigillum tradit, quia ei nullum humanum medium præsto est, quo efficaciter omnem talem abusum impediat.

Deo autem medium simplicissimum semper adest, ut scilicet deneget concursum suum ad miraculum patrandum.

Ob. 9. Instant.: *Sunt theologi primi ordinis qui affirment, Deum posse concursum concedere, ut v. g. transsubstantiationis miraculum visibili modo peragatur, etsi homo, qui consecrat, hoc miraculo ad eum finem uteretur, ut doctrinam falsam confirmaret.* – R. D. as.: hoc affirmant, quia in his casibus supponunt, aliunde iam constare, Deum illud miraculum semper tantum ad alios fines patrare, c.; idem docerent, si hoc non constaret, n. Scilicet supponunt ex revelatione divina notum esse, Deum promisisse, se nulla exceptione facta semper ad verba sacerdotis consecrati illud miraculum patraturum, ad eum finem ut Christus in utilitatem fidelium visibiliter præsens sisteretur.

Quoad difficultatem 6-9 cf. v. g. *Durandus a S. Portiano* in sent. I prol. n. 46-47; *C. Hurtado*, de fide, spe et caritate disp. 26 sect. 4. n. 10-24, 51-62. Quidam ex adversariis putant, debere ex verbo Dei constare de potentia ordinaria, cum talem usum non permissurum esse. — Responsum nostrum v. v. g. apud *Suarez*, de mysteriis vitæ D. N. I. Ch. disp. 31 s. 2 n. 6 circa initium, n. 7. et 8 (ed. Paris) 19, p. 486-87; *Lugo*, de fide disp. 2 s. 1 n. 15-30 incl. (ed. Lugd. 1646) p. 97-100, præcipue n. 25; *Salmant.* (*Comp.*,) tract. 15 disp. 1 de fide § 6 n. 64, 65 (generatim n. 46-68) (ed. Parmensis 1725) p. 29, 30. Iidem sunt theologi quos in difficultate 9 commemoravimus, iidemque eorum loci videantur.

Propositio 19ª: **Quæ de miraculis hucusque statuimus, humani generis atque præcipue sapientum auctoritate comprobantur.**

103. — **St. qu.** Cum veritas relativa miraculorum cætera capita doctrinæ de miraculis supponat, thesim eo ostendemus, quod probabimus, humanum genus atque præcipue sapientes ob miracula credidisse atque credendum esse affirmasse. — Nonnisi generalem quendam conspectum materiæ positivæ afferemus, cum singula in singulis sequentibus tractatibus evolvantur. Item difficultates nonnisi eas apponemus, quæ contra omnia vel saltem diversarum epocharum testimonia obiiciuntur. Quæ cum hodie a tot adversariis inculcentur, omittendæ non videbantur.

Argum. 1) In afferendo argumento e miraculis, *auctores V. et N. T.*, præcipue ipse *Christus* eminet. Christianorum fidem definivit *Concil. Vatic.* « Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos oblegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari, anathema sit ». Const. Dei Filius, can. de fide n. 4 (Ench. 1813). Cf. caput de fide (ib. 1790). 2) *Ethnici* quia *deorum suorum locutionibus nonnisi ob miracula* putativa aut ob effectus miros a diabolo productos credebant, implicite idem statuebant, quod Iudæi atque Christiani de miraculis divinis docebant. Quare apologetæ doctrinas

cæteras de miraculis fere supponentes præcipue in factis concretis differentiam inter opera diabolica et divina premebant. — 3) *Sectæ multæ christianæ* hoc argumentum avide sibi arripere saltem generatim studebant. Exemplum celeberrimum habes in eo, quod Monotheletæ in confirmationem suæ doctrinæ in concilio Constant. III in sessione 15 mortuum suscitare tentabant Cf. *Mansi* 11, 602 sq. — Auctoritatem talium testimoniorum desume v. g. e n. 18 ad min., p. 13, n. 19 Ob. 11 p. 15.

104. — **Obiectiones** 1-9 opponunt, testes non habuisse conceptum miraculi, 10 eos saltem veritatem theologicam miraculi cognoscere non potuisse, 11-15 eos veritatem relativam non agnovisse.

Ob. 1. Miraculum et lex inter se respondent. Atqui *nonnisi recentiori progressui scientiarum naturalium conceptus « legis ferreæ » naturæ debetur.* — R. C. antec. D. min.: conceptus falsus legis absolute necessariæ c., verus legis quæ exceptionem admittat, n. — Cæterum illum conceptum falsum non scientia naturalis sed pseudophilosophia statuit.

Cf. eiusmodi difficultatem v. g. ex acatholicis s. 19 v. g. *Harnack*, Wesen des Christentums [2] sermo 2 p. 16, 17. — *H. Schultz*, o. c. p. 44. — *Loisy* sub pseudonymo Firmin in art.: Les preuves de l'économie de la révélation in: Revue du Clergé français (1900) mense Martio p. 127 — Quam difficultatem nullius valoris esse, etiam acatholici quidam agnoverunt. Cf. v. g. *Sabatier*, Esquisse ch. 3 I p. 68; *Ménégoz*, La notion biblique du miracle (Paris 1894) p. 8 sq.

Ob. 2. *Post Copernicum universa ratio considerandi naturam mutata est.* Quare ante Copernicum ignorabant naturam, ergo legem, ergo exceptionem. — R. D. antec.: ratio considerandi eas naturæ partes, consequenter leges atque possibiles exceptiones plurimas, quæ nullo modo a cognito stellarum motu circa solem dependent, n.; ratio considerandi stellarum motum, sd.: in quantum est constans et certæ mensuræ, n.; in quantum stellæ potius circa solem moventur quam alio modo, c. Par. d. cons. — V. hanc difficultatem v. g. apud *G. Krueger*, Quid est historia dogmatum et ad quem finem ei studemus, p. 1-6 (germ.).

Ob. 3. Ut quis exceptionem etiam in phænomenis obviis concipere possit, *requiritur cognitio legum universalium* earum, quæ hæc phænomena regunt, v. g. legis Newton de attractione, ob quam v. g. etiam lapis proiectus cadit. Atqui tales leges veteres ignorabant. — R. D. ma.: requiritur cognitio eius constantiæ, *quæ* in phænomenis obviis a talibus legibus universalibus causatur, c.; *in quantum* ab ipsis causatur, n. — V. obiectionem v. g. in *W. Soltau*, Num Iesus miracula fecit? (1903) p. 92 (germ.). — *H. Schultz*, o. c. p. 44.

Ob. 4. *Hodie et plures leges naturæ cognoscimus et perfectius quam veteres!* — R. Ex quo sequitur, nos facilius et perfectius plura miracula cognoscere posse quam illi poterant, si tamen Deus ea patrare dignabitur.

Ob. 5. *Ethnici putabant a diis, nymphis, etc., Scholastici tenebant ab angelis res naturales*, v. g. *motum stellarum regi.* Ergo non putabant eas regi legibus naturalibus. — R. N. cons. Ad prob. d.: Ethnici putabant, istos rerum præsides modum constantem agendi secundum earum naturam auferre, n.; eos

posse opera præter naturæ cursum in iis efficere, c. — *Scholastici* quoque tenebant, angelos motum secundum naturam ipsorum corporum efficere. Quare recte admittebant, miracula in eo mutando fieri posse. — Cf. de difficultate v. g. « *Supernatural religion* » P. 1 ch. 4 p. 60.

Ob. 6. *Commune erat Hebræis et Christianis piis in omni re immediatam actionem Dei videre.* Ergo cursus ordinarii atque proinde exceptionis conceptum non habebant. Prob. ma.: Sæpissime dicunt, Deum hoc vel illud egisse, cum tamen res ordinario modo egerint. R. Etiam hodie omnibus piis persuasum est, Deum in omnibus rerum actionibus cooperari, sive ordinario sive miraculoso modo illæ agunt, Deumque omnia quæ facit ad animarum nostrarum bonum dirigere, sive miraculosa ea sint sive naturalia. — Ad prob.: illa vel simili ratione loquendi efferunt actionem primæ causæ, quin rationem ordinarii vel extraordinarii in ea efferant.

Hæc difficultas est una ex palmaribus incredulorum. V. eam v. g. apud *Spinoza,* Tractatus theologico-politicus c. 6 n. 43-51. Quem innumeri sequuntur. Cf. v. g. *H. Schultz,* p. 43. — Refutatur ab aliis ut a *Sabatier* o. c. p. 68-70.

Ob. 7. *Saltem nulla positiva probatio adest, v. g. Hebræos a. Ch. vel tempore Ch. conceptum legis naturæ habuisse.* — R. 1) Non necesse est positive probare adfuisse eos conceptus, qui cum evidentia maxima e rebus obviis eruuntur, qui porro ad vitam humanam plane necessarii sunt. Inter quos est conceptus legis naturæ. 2) At multis modis Hebræi conceptum suum manifestant. α) Referunt facta evidenter miraculosa. β) In iis narrandis sæpe insistunt, v. g. in miraculis Mosis (Exod. Sap.), Eliæ, Elisæi (Reg. Sap.), Christi, Petri. γ) Ea sola ut signa confirmationis locutionis divinæ habent, non opera alia ordinaria. δ) Exhibent essentiam legis naturalis, i. e. constantiam agendi eamque necessariam (v. g. Sap. 19, 6. 19). ε) Saltem probabilissime referunt ipsam vocem legis. Cf. Ps. 148, 8 (lect. heb.); Midrasch Ber. habet (ed. Wünsche 1881 Par. II, 1, 3): « deum cum aquis fecisse pactum, ut ... ventulum refrigescentem emitterent ». ζ) Voces quibus miracula significantur, cum sensu exposito conveniunt. Specialem relationem ad potentiam Dei indicant hæ: magnalia, fortitudines, virtutes, horribilia, opera (antonomastice dicta); aliquod nomen (bᵉrî'âh) ab ipso verbo creandi in hebr. derivatur, aliud (niflâ'ôth) a verbo deducitur, quod « a cæteris separare » significat. Signi rationem exprimunt voces: portenta, signa. η) Accedit quod auctores etiam liberales inter Protestantes contra multos alios defendunt, evidens esse, auctores sacros hoc conceptu non caruisse.

De voce et notione miraculi in Scriptura cf. *Denzinger* II 345. — *Fonck,* Die Wunder des Herrn I (²1907) Vorbemerkungen II § 2 n. 27, 28, ubi amplior literatura. — Confirmatio e Protestantibus v. g. *Naumann,* De æstimatione miraculi in N. T. (germ.; 1903) p. 74, 75; *Ménégoz,* La notion biblique du miracle (1894).

Ob. 8. *Saltem Patres ecclesiæ conceptum legis et miraculi habuisse probari nequit;* fœtus est speculationis Scholasticorum. — R. N. as. E plurimis testimoniis pauca insinuentur. a) *Quoad conceptum legis naturæ: S. Irenæus* (1) certam etsi ignotam causam cursus semper eiusdem rerum naturæ premit; *S. Cyrillus Alex.* (2) postquam non paucas leges obvias enumeravit, ita pergit: « Qui ergo rebus creatis ineluctabile voluntatis suæ iugum imposuit (Deus) »; *Eusebius*

(1) Adv. hær. l. 2 c. 28 n. 2, 3 MG 804-806. — (2) Adv. Iulian. l. 3 MG 76, 665 BC.

Caesarecnsis (1) bestias homini subditas esse affirmat « lege naturæ »; *S. Athanasius* (2) admiratur, in natura « in tam dissimilibus et contrariis rebus æqualem et similem ab iisdem absolvi perficique ordinem ». b) *Quoad conceptum miraculi: S. Iustinus* (3) miraculum resurrectionis habet inter ea: « quæ et sua natura et hominibus sunt impossibilia »; *Arnobio* (4) thaumaturgus « ea solvit et vicit, quæ perpetuis nexibus et immobili fuerant necessitate devincta »; *S. Ambrosius* (5) commemorat ea, quæ facta sunt « non secundum elementorum naturas, sed secundum Christum qui omnia, quæ voluit, fecit, abundans plenitudine divinitatis suæ »; *S. Chrysostomus* (6): « quomodo contra seipsam decertans natura opificem prædicaret »; *S. Augustinus* (7): « Si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis ». Cf. *Denzinger* II 395-401; *van Laak* o. c.

Ob. 9. At ab *ipso S. Augustino miraculum exhibetur ut effectus virium naturalium sibi relictarum.* Sunt præcipue hi tres textus: Miraculum est opus sensibile quod « fit non contra naturam sed contra quam est nota natura » (8); quod « supra spem et facultatem mirantis apparet » (9); quod fit, quia « occulta quædam semina in istis corporei mundi huius elementis latent » (10). — R. Qui loci ex alia doctrina sancti doctoris et contextu proximo ita explicandi sunt: prior: cuius causam nemo quidem inter res naturales invenire potest, quod tamen non contra eum ordinem est, qui solus a natura separari nequit, eum scilicet, qui ad Deum est; alter: opus ideo ita apparet, quia « arduum et insolitum » est, i. e. opus ideo admirationem excitat, quia insolitum est seu contra ordinarium naturæ cursum, ideo supra spem est, quia a viribus humanis et naturæ expectari non poterat: tertius: agitur de talibus effectibus, qui sensu lato miracula dicuntur, qui perficiuntur per potentiam activam rebus naturaliter insitam et ab ente quodam supramundano tantum applicatam.

Difficultas hæc quasi ab omnibus incredulis et multis acatholicis proponitur, v. g. a *Bayle, Voltaire, Wegscheider.* E recentioribus a *Loisy* sub nomine Firmin l. c. — Etiam quidam catholici hodie idem repetunt. V. g. *M. Martin*, Démonstration philosophique: secundum Augustinum « le miracle considéré précisément en lui-même n'a rien d'extraordinaire ».

Tantum abest, ut magni Scholastici putarent, hos locos S. Augustini genuinæ notioni miraculi opponi, ut ex ipso loco de util. cred. c. 16 conceptum miraculi « scholasticum » evolverent *Alex. Halens*, Summa II q. 42 membr. 1; *Alb. M.*, Summa theol. Pars II q. 31 M 2 art. 1.

110. Ob. 10. *Usque ad recentiora tempora ipsis doctis diversissimæ erant sententiæ de potentia angelorum.* V. g. quidam putarunt, ea naturaliter non tantum posse motum localem rebus materialibus indere, verum etiam plurimas formas accidentales et substantiales e potentia materiæ educere; eos porro præternaturaliter ipsa virtute creandi has vel illas res posse instrui. Ergo opera angelorum ab operibus divinis dignoscere non poterant. — R.: ii ipsi auctores, qui diversa sentiebant de potentia angelorum absoluta sive naturali sive præternaturali,

(1) Theoph. l. 1 c. 44 (ed. Gressmann CB) p. 61. — (2) Orat. c. Gent. n. 36 MG 25, 71. — (3) Apol. I n. 19 MG 6, 358. — (4) Adv. nat. l. 1 c. 47, ML 5, 779. — (5) Hexaem. l. 2 c. 1 n. 3 ML 14, 145. — (6) Adv. Iud. et Gent. n. 3 MG 48, 817 (ed. 1). — (7) Ep. 137 ad Volus. ML 33, 519. — (8) De civ. Dei l. 21, 8 ML 41, 721. — (9) De util. cred. c. 16 ML 42, 90. — (10) De Trin. 3, 8 ML 42, 875.

inter se conveniebant de potestate eorum, ut est divinæ ordinationi subiecta. Iamvero ex potestate angelorum ita spectata omnes legitima criteria desumere solebant. — Similem dif. v. *Schell,* Apologie I p. 393, 394.

Ob. 11. *Secundum ipsam Iudæorum et Christianorum doctrinam miracula non sunt apta, ut revelatio divina iis probetur.* Nam Deuter 13, 1-3 pseudoprophetarum, Mt 24, 23-25 pseudochristorum miraculis omnis probandi vis abiudicatur. Præterea Apoc. 16, 14; 2 Thes. 2, 8-11 prædicuntur dæmonum miracula. Insuper S. Paulus et Mt l. c. distinctionem miraculi divini a diabolico ad specialem favorem divinum, tantum electis concessum, reducunt. — R. N. as. Ad prob.: Deuter et Mt tantum docent, normam negativam ad mirum diabolicum a miraculo divino distinguendum esse sitam in doctrina, quæ sive natura duce sive anteriore revelatione iam ut certa cognita fuerit. — Christus vero apud Mt et Paulus Thes. hanc distinctionem ideo ad favorem specialem divinum referunt, quia firmissima illa fides quæ ad criteria illa negativa prompte et constanter adhibenda necessaria est, non retinetur nisi caritate, hæc autem caritas periculosissimis illis temporibus in multis sua culpa peribit, in aliis favente speciali misericordia Dei perseverabit. — Etiam hæ difficultates e Scriptura aliquando ab ipsis incredulis afferuntur. Responsum v. quoque in *van Weddingen* p. 252-55.

Ob. 12. *S. Augustinus* de miraculis hæreticorum *affirmat* (1), *non esse dicendum: « Verum est [quod docet Donatus] quia illa et illa miracula fecit Donatus vel Pontius vel quilibet alius »*; eodem fere loco (2) de miraculis universim sumptis hæc pronuntiat: « *Quæcumque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Catholica quia hæc in ea fiunt* ». Ergo secundum Augustinum non est probanda veritas doctrinæ miraculo, sed miraculum veritate doctrinæ. — R. N. as. Ad prob. Doctrina S. Augustini hoc loco contenta diversa complectitur: 1) posse deesse horum operum ab hæreticis factorum *veritatem historicam et theologicam.* Nam n. 49 col. 428 hæc ait: « Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum vel portenta fallacium spirituum ». 2) In exauditione precum miraculosa divinitus concessa in ipsis hæreticorum martyriis (locis ob martyres sacris) posse deesse *veritatem relativam ad probandam hæresim*: « Exaudiuntur aliquando ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad admonitionem quærendæ salutis æternæ ». 3) Quodsi addit (3), non ob tot mirabilia per totum orbem in locis sacris catholicorum patrata, divinam ecclesiæ catholicæ originem esse credendam, sed causæ catholicorum fundamentum esse doctrinam divinam in canonicis Scripturis contentam, hoc ita videtur intelligendum, ut tunc erga Donatistas sacram Scripturam admittentes, argumentum inter omnia facillimum, scilicet e diffusione ecclesiæ in Scriptura prædictæ, premere voluerit, aliud vero, quod Donatistæ cum aliqua dexteritate ad suam rem trahebant, transmiserit. Eodem enim modo, quo de miraculis, etiam de testimonio episcoporum eo loco loquitur. Quod tamen alibi sæpe quam maxime extollit. — 4) Tandem, si quis putaret, Augustinum argumentum ex eiusmodi miraculis, qualia eo loco commemorat, non admisisse, ad summum sequeretur, sanctum doctorem putasse, miracula ex eo quod præcipue ad memorias martyrum catholicorum imprimis pro hominibus catholicis patrantur, non ita clare ad ecclesiæ catholicæ divinam originem probandam referri, ut ex iis argumentum petere vellet. Veritatem autem relativam, quæ ex eo se-

(1) De unit. eccl. c. 19 n. 49 ML 43, 428. — (2) Ib. n. 50, 430. — (3) Id. ibid.

quitur, quod miracula v. g. disertis verbis ad aliquam veritatem probandam referuntur, eum firmissime admisisse aliunde constat.

Hæc difficultas præcipue ab hæreticis iam a sæculis proposita est. Refertur hodie etiam ab uno vel alio catholico. De responso cf. v. g. *M. de Elizalde S. I.*, Forma veræ religionis quærendæ (Neapoli 1632) p. 322, 323. — *van Weddingen*, 264-67.

Ob. 13. *Patres miracula ut motiva credibilitatis fere negligebant, sed ea tantum proponebant ut alia opera pietate plena*, e quibus, præcipue mediante allegorica interpretatione, pios animi sensus haurire studebant. — R. N. as. Res ita se habet: *a*) In operibus apologeticis miracula ut motiva credibilitatis vehementer inculcant. *b*) Simile quid videtur in quibusdam documentis, quæ pro credentibus destinata sunt. V. g. in imaginibus catacumbarum Romanarum continuo miracula V. vel N. T. celebrantur ut pignora extraordinariæ eius potentiæ Christi, qua eum etiam ad vitam beatam eos resuscitaturum esse sperabant, qui ibi dormiebant. *c*) In multis utique homiliis aliisque scriptis ad pietatem credentium facientibus, vim probativam miraculorum, quæ semper eadem est, brevius, cætera in iis consideranda largius exponunt, v. g. rationem specialium virtutum moralium, prophetiæ etc., quæ in iis apparet.

Exemplum sume hoc: *Orig.*, de resuscitatione Lazari, in Io. tom. 28 v. g. c. 11 n. 4-7 (MG 14, 685-98; CB 10, 392-97) allegorica habet, tamen ad finem n. 6 de veritate relativa ad probandam doctrinam agit.

Ob. 14. *Patres argumentum e miraculis tantum probabile habent.* Etenim α) illud præ argumento e miraculis negligunt, β) imo aliquando argumentum e prophetiis quasi in adiutorium vocant. — R. N. as. Ad prob. *Ad* α) Ex adversariis nullum vidi, qui suam assertionem ex omnibus operibus apologeticis Patrum serio probare vel aggrederetur. Ipse legi omnia, tale autem iudicium proferre non audeo, cum nondum omnia inter se comparaverim. — Si forte argumentum e vaticiniis Messianicis sæpe præferunt, ratio non est in eo quod argumentum e miraculis tantum probabile credidissent. Hæc enim explicatio aperte contra eorum mentem est. Rationes veræ hæ vel similes esse videntur: Iudæi, contra quos sæpe agebant, magis dispositi erant, ut argumentum prophetarum suorum de Christo audirent, quam assertiones et opera ipsius Christi. Si cum ethnicis agebant, argumentum e vaticiniis Messianicis aptissimum erat. Etenim et motivum credibilitatis in se habebat et generatim expositionem summæ cuiusdam nostræ religionis, quia etiam dogmata principalia de Christo in illis vaticiniis continentur. Forte etiam veritas theologica in illa specie prophetiarum modo clariore iis elucere videbatur quam in multis miraculis v. g. sanationibus. — *Quoad* β) Utique aliquando prophetia aliunde probata utuntur Patres, ut facilius veritas historica, philosophica, theologica, relativa miraculorum ab imitatione operum dæmonis distinguatur. At sunt etiam, qui miracula, quorum veritas probativa iam agnita sit, adhibent, ut argumentum e vaticiniis aptius proponant. Forte unus vehementissimus *Tertullianus* adv. Marc. 1 3, 3 ML 1, 323-25 putavit, prophetias necessarias esse ad vera miracula a falsis dignoscenda; at neque deesse mihi videntur rationes suspicandi, eum in hoc loco contradicere suæ ipsius doctrinæ quam aliis in locis proponit, idque eo studio abreptum, ut facilius probaret, Marcionem destitui argumentis solidis legationis divinæ, quam prætenderet.

Difficultatem quoad Tertul. premit v. g. *Collins*, A discourse of the grounds and reasons of the christian religion (1727) p. 37. — Responsum v. g. *Denzinger* 357, 358, imprimis *Hurter*, Compend I[11] n. 56 nota 2.

Ob. 15. *Si miracula valorem probandi doctrinam haberent, homines miraculis visis vel auditis doctrinam eorum, qui ea ad eam referebant, credidissent.* At innumeri non crediderunt. — R. 1) Aliud est fides theologica, aliud persuasio de valore motivi credibilitatis. Etiamsi hæc adest, illa deesse potest, cum v. g. sequi possit assensus ob evidentiam in attestante. Fides theologica libera est. 2) Ipsum argumentum e miraculis non pertinet ad principia prima vel conclusiones proximas ex iis deductas, quæ vi physica intellectum ad assensum cogunt. Quare multiplex in eo admittendo habetur libertatis influxus, etiam in iis partibus multis, e quibus constat, considerandis. 3) Si adversariorum argumentatio valeret, omnibus argumentis pro religione christiana allatis omnis valor esset abiudicandus. Etenim etiam omnibus simul motivis credibilitatis plurimi restiterunt. 4) Vis argumento intrinseca desumenda est ex effectu quem exercuit in multos bene dispositos, in quibus periculum erroris exclusum est. 5) Postremo magna est humani generis pars ea, cui nunquam motiva credibilitatis sunt proposita. Quare nequaquam maior humani generis pars exhiberi potest ut ea, quam miracula audita non commoverint.

2. De effectibus miraculosis per aliud sensibilibus.

Art. 1. De effectibus miraculosis in intellectu.

105. — **Lit.** De prophetiæ voce *Cremer*, Bibl.-theologisches Wörterbuch der neutest. Gräcität (⁹1902) 1048-50 s. v. De eius diversis significationibus Th. 2. 2. q. 171 a. 1 in corpore, passim usque ad q. 174 incl. — *Suarez*, de fide disp. 8 s. 3-8 (ed. Paris.) 12, 226-43. — *Cornely*, Introd. II[1] n. 242-45 p. 267-80. — *Pesch*. de inspiratione Scripturæ, n. 377, 378, p. 382-84; n. 395 p. 400-01; cf. v. proph. in indice.

De ipsis miraculis in intellectu, præcipue de prophetia: E Patribus cf. v. g. *Euseb.*, Demonstr. ev. 15 Proœm. MG 22, 333-49. — *Theodoret. Cyr.*, Græc. aff. curatio l. 10 MG 83, 1059-94. — *Aug.* de divinatione dæm. l. unus ML 40, 581-92. — E Scholasticis cæterisque auctoribus *Th.*, quæst. disput. de verit. q. 12 de prophetia præcipue art. 5, 8, 9; 2. 2. q. 171-74 præcipue q. 172 a. 2, 4, 5, 6. — *Scotus*, Oxon. Prologus q. 2 de octavo, in Montefortino IV 918-24. — *Savonarola*, Triumphus crucis l. 2 c. 8. — *Michæl de Medina*, o. c. l. 2 c. 1 fol. 9*b*-36*b*. — *Suarez*, l. c. — *Eusebius Amort*, de revelationibus, visionibus et apparitionibus privatis regulæ tutæ (Aug. Vind. 1744) multa ex auctoribus plurimis congerit. — *Bened. XIV* o. c. l. 3 c. 45-47 de proph.; c. 43. 48-57 de aliis miraculis intellectus; l. 4 pars 1 p. 32, 33. — *Spagni*, de mir. I p. 77-108. — *Denzinger*, II 402-406. — *Mazzella* n. 228-38, 245-48. — *Hettinger*, Lehrbuch ² § 25 p. 242-53. — *Wilmers*, inter theses de mir. præcipue 36, 39. — *Ottiger* th. 10. — *Pesch*. th. 18. — *Schanz* ³II § 16 p. 447-69. — *Gutberlet* ³II § 12 p. 175-81. — *von Schmid* p. 340-48. — Monographiæ de prophetia: *Becker*, Die Weissagungen als Criterien der Offenbarung (Mainz 1890) pp. 224. — *Mir y Noguera*, La profecia 3 vol. (1903). De proph. in genere I p. 3-105, 187-547.

Plurima, quæ huc pertinent continentur quoque in libris, qui de mystica agunt, imprimis in ea parte eorum, quæ de visionibus et visionibus est. Cf. v. g.

Philippus a SS. Trinitate O. Carm., Summa theologiæ mysticæ, pars 2 tract. 3 discursus 4 (1656; ed. Bruxellis 1874) II p. 396-437. *Antonius a Spiritu S.* O. Carm. († 1677), Directorium mysticum, tract. 3 disp. 5 (ed. Paris. 1904) p. 354-423. — *I. B. Scaramelli* S. I., Direttorio mistico, trattato 4. *M. I. Ribet*, La Mystique divine distinguée des contrefaçons diaboliques et des analogies humaines, tomi 3 (¹1879 ²1895) I, 2 partie, II, III integri. — *A. Poulain* S. I., Des grâces d'oraison (⁵1906) c. 20-22 p. 293-376. — *I. Zahn*, Einfuehrung in die christl. Mystik (1908) l. 2 c. 2 p. 186-217; l. 3 p. 346-576. — Neque plane neglegenda sunt, quæ in huiusmodi libris de cæteris donis mysticis dicuntur.

106. — *Enumerantur atque definiuntur hi effectus miraculosi.*

1) Ea cognitio quæ termino generaliore dicitur *sapientia mirabilis.* Consistit in hoc: Res (præcipue) ad ordinem speculativum et ad mores spectantes cognitæ sunt tot, tam sublimes, tam bene inter se ordinatæ, tanta cum certitudine, tanta cum facilitate, ut hæc cognitio (vel cognitio simul cum apta expositione) applicationem eam virium superet, quæ hominibus moraliter possibilis est. Ratio miraculi aut est in ea applicatione virium cognoscitivarum, quæ hominis facultatem superet, aut in communicatione quadam præternaturali ipsarum veritatum. 2) *Cognitio rerum absentium* (Telepathia). Intelligitur cognitio rerum sensibilium, quæ iam factæ sunt vel nunc fiunt, at quibus vires sensitivæ hominis ea cognoscentis applicatæ non erant. 3) *Scrutatio cordium.* Est in eo ut eiusmodi cognitiones in animo hominis latentes cognitæ sint, quæ solis verbis eius vel signis naturalibus manifestari possint, quin tamen talia verba aut signa naturalia præcesserint. 4) *Prophetia.* Est cognitio verbis manifestata earum rerum futurarum quæ ab homine naturaliter cognosci nequeunt. De cuius notione, quamvis amplius agi soleat in tractatu de inspiratione, tamen etiam hoc loco quædam indicanda sunt.

107. — *Evolvitur conceptus prophetiæ.*

Etymologice vox prophetia derivatur a πρό et φημί. Significat locutionem nomine alterius factam. — *Usus* etymologiæ limites multum excedit. Prophetia sensu generalissimo dici solebat omnis occupatio cum re scientifica, praecipue religiosa; sensu minus generali elocutio eorum, quæ aliqua ratione lumini præternaturali debebantur, sensu etiam magis determinato prædictio rei futuræ. Hæc nunc sensu proprio prophetia audit. — Si res futura iam existit in suis causis creatis necessario agentibus, eius praedictio dicitur prophetia sensu proprio at minus stricto; si non, prophetia sensu proprio et stricto. Hoc sensu stricto in apologetica et theologia vocem adhibere solemus.

Definitur prophetia sensu stricto: Rei futuræ liberæ prædictio univoca et certa. Res futura *libera* intelligitur ea, quæ in actum pro-

ducitur aut a libertate solius Dei, aut a libertate humana. — *Prædictio* intelligitur quidem elocutio rei, at eiusmodi quæ præcognitionem rei supponat. — *Univoca*, i. e. quæ non habeat sensum verborum æquivocum. — *Certa* dicitur in oppositione ad probabilitatem. Intelligitur certitudo et subiectiva et obiectiva.

Ratio effectus miraculosi in prophetia, si hoc modo sumitur, *non est in elocutione* rei liberæ futuræ, haec enim elocutio, postquam res futura cognita est, modo plane naturali procedere potest; *est vero in ipsa cognitione*, in quantum miraculoso modo habetur. Unde fit, ut prophetia, etiam non secuta elocutione, possit esse motivum credibilitatis pro revelatione immediata, ei scilicet, qui prophetiam in mente sua cognoscit. Ad hoc vero, ut prophetia possit esse motivum credibilitatis pro revelatione mediata, debet accedere eius elocutio, qua cæteris cognoscibilis fit.

108. — *Conceptus prophetiæ falsi. Adversarii possibilitatis prophetiæ. Adversarii possibilitatis prophetiæ*, uti patet, ob rationem generalem sunt omnes ii, qui omnem actionem miraculosam, speciatim omnem revelationem negant; ob specialem vero rationem ii, qui inficiantur, Deum futura libera cognoscere posse, de quibus cf. philosophia.

E ratione quam in re simili quoad conceptus revelationis et miraculi secuti sumus (n. 9 et 82), iuverit videre, *quos conceptus prophetiæ adversarii ei substituerint, quem defendimus*. Omnes prophetiam habent essentia sua naturalem, diverso tamen modo eius originem describunt. *Theosophi* cognitionem certam rei futuræ liberæ admittunt, eam autem naturalem participationem scientiæ entis cuiusdam superioris habent. *Rationalistæ* vero atque *Naturalistæ* cum quibusdam aliis, qui christiani esse volunt, negant quidem ipsam prophetiam quæ sit præcognitio certa rei liberæ futuræ, quasdam autem eius similitudines admittunt atque diversis causis ascribunt.

109. — *Ad singula. Theosophi* quidam, uti *Cornelius Agrippa*, prophetiam ex eo repetunt, quod anima ex Deo sit, ergo divina naturaliter cognoscat; quidam, idque generatim, ex eo quod habeat commercium cum « anima mundi », uti v. g. *Fludd*, recentissime *Perty* in o. c. n. 83 Ob. 9 p. 58, vel cum quibusdam astris, vel diversæ speciei dæmonibus, qui mediis naturalibus cogi possint ut vires quasdam animæ repleant; quidam ut *Eckartshausen*, ex eo quod prophetia simpliciter spiritus humani propria sit.

Ex *Rationalistis* cæterisque adversariis, quidam in cognitione quidem nihil speciale ponunt, sed *in enarratione* certarum rerum earumve *interpretatione*. Plurimis, uti *Paulus*, prophetiæ sunt narrationes scriptae post eventum; quibusdam, ut *Semler*, argumenta ad hominem, ex accomodatione ad ideas Iudæorum ortæ; quibusdam, ut *Collins*, sunt interpretanda vaticinia tantum allegorice, vel, uti *Socinianis*, ac si essent meræ parallelæ historicæ.

Alii in ipsa cognitione aliquid speciale ponunt. V. g. *Spinoza* tract. theol.-polit. o. c. c. 1 n. 43, 44 affirmat « prophetas ope imaginationis Dei revelata percepisse, h. e. mediantibus verbis vel imaginibus, iisque veris aut imaginariis ». Adiungit vero « quibus autem naturæ legibus id factum fuerit, fateor me ignorare ». *Pfleiderer*, Religionsphilosophie etc. (^{3}1896) p. 690-95 cum multis aliis prophetias ascribit excitationi nervosæ, perducenti ad intuitionem et activitatem productionis poeticæ, « quæ ideis ex inconscio animi abdito exurgentibus dat formam atque vitam per se stantem, ita ut videantur esse distinctæ ab « ego » ut quædam vis ab extrinseco veniens, ut quidam spiritus alienus » (p. 694). *Moses ben Maimon* propheticam cognitionem indoli speciali doctorum, artificum, parem facit. *Schleiermacher*, *Paul Volz* in art. Prophecy in EB § 17 col. 3870, multi alii, eam habent ut aliquam conclusionem hypotheticæ certitudinis, quæ ex fatis præteritis populi hauriri possit. Alii haud pauci prævisionem ut rem omnino minoris momenti habent, in cognitione vero qua religiosa vim atque essentiam prophetiæ ponendam esse putant. Ita v. g. *Twesten*, *Duhm*, etiam *Sabatier*, qui inspirationem prophetarum Esquisse p. 139 definit: « Elle n'est pas autre chose que l'obsession intérieure d'une grande pensée et d'un irrésistible devoir qui remplissaient leur âme et dont l'origine psychologique échappait à leur conscience ». Simili modo v. g. pro *H. Schultz* o. c. 54 prophetia est « certitudo fidei (sensu modernistarum) de iis quæ Deus facit, reprobat, digna esse vita iudicat ».

Theoria *W. Wundt*, quam proponit in: Voelkerpsychologie (psychologia populorum) II (^{2}1906) p. 94-102, his elementis constituitur: α) Supponitur in populo, in quo inveniuntur prophetæ, multos esse motus religiosos et nationales. β) Hi in certis personis quæ ingenio cæteros superant, producunt activitatem anormali mensura auctam omnium functionum vitæ ipsius animæ. γ) Hæc incitatio virium animæ secum fert activitatem multum auctam functionum ipsorum sensuum. δ) Hæc ipsa denique incitatio functionum sensuum producit visiones eiusmodi quæ genuinæ vocari possunt, in quantum sic dictis ordinariis visionibus somni opponuntur. ε) Hæ visiones genuinæ in hoc consistunt, quod cum phænomenis ordinariis somni et hallucinationum vitæ in statu vigiliæ coniungitur conscientia, ea quæ in visione videntur esse longinqua, sive quoad tempus sive quoad locum. ζ) Hæ speciales visiones physiologice ita explicandæ sunt: « ... fundantur quidem, uti phænomena somni, in incitatione aucta centrorum nervorum, ob quam multitudo impressionum sensilium, quæ debiles sunt atque proinde in circumstantiis ordinariis non attenduntur, cooperantibus assimilationibus reproductivis, modo hallucinatorio et validiores redduntur et mutantur; at hoc non obstante, tamen processus apperceptivi mensura ita sufficienti retinentur, ut conscientia propriæ personalitatis vel in his ipsis associationibus quam maxime concitatis retineri possit ». η) « Simul tamen hæc personalitas, simili modo atque in somno, se sentire potest ut mutatam, quæ, quo altior est gradus extraordinariæ excitationis, eo magis simul sentitur ut Ens spirituale a propria persona distinctum, remanente tamen, idque aliter atque in somno ordinario, propter energicum exercitium functionum apperceptivarum, conscientia proprii « Ego » eiusque relationum ad eos et ea quæ circa sunt. Ita pervenitur ad ideam, quæ tot visionum propria est, spiritum alium occupasse eum qui videntis proprius est. » (p. 95, 96).

110. — *Modus tractationis.* Ad ea, quæ de effectibus miraculosis in genere atque de miraculis in specie diximus, breviter ea adiungimus, quæ his effectibus propria sunt.

De natura horum effectuum miraculosorum in intellectu.

Propositio 20ª: Sapientia mirabilis, cognitio absentium, scrutatio cordium, prophetia possibiles sunt atque aptissime in signum revelationis assumi possunt.

Pars I. *Effectus huiusmodi fieri possunt.*

111. — *Huiusmodi effectus nullam in se habent intrinsecam repugnantiam.* 1) *Deus,* utpote omniscius, omnem eam cognitionem, de qua sermo est, perfectissime habet, quæ vero scit, revelare potest. Primum in philosophia, secundum in theologia fundamentali prop. 1-4 demonstratum est. 2) *Spiritus creati* quæ sciunt, saltem mediantibus sensibus externis hominibus manifestare possunt. Omnia autem quæ diximus saltem a Deo discere possunt. — Imo nemine negante natura duce mirabilem sapientiam habent. — Cognitionem quoque earum rerum, quæ pro nobis absentes sunt, aut semper habent, quando eæ existunt, aut saltem, si volent, facile acquirere possunt. — Scrutari corda hominum secundum quosdam quidem vires naturales spirituum excedit, attamen volente homine iis possibile redditur; secundum quosdam vero vires naturales spirituum per se quidem non excederet, at de facto a Deo impeditur. — Præcognitio multarum rerum quæ in causis suis naturalibus necessariis latent, naturalis iis esse conceditur, actuum vero futurorum liberorum certe absolute impossibilis est, cum infinitam intelligentiam requirat. — Qua expositione ea non supposuimus, quæ inter philosophos scholasticos controversa sunt.

112. — *Obiicit Celsus* in: Orig. c. Cels. l. 2 n. 20 (MG 11, 836; CB 2, 148); *Kant,* Anthropologie § 34 (ed. Hartenstein VII 504); *Wegscheider,* Institutiones theol. § 49 (⁸1844) 217: *Si Deus homini liberas eius actiones revelat, homo eas iam sine libertate ponet.* — R. 1) Ad summum sequitur, Deum ei ipsi homini a quo actio libera ponenda est, eam revelare non posse. 2) At de facto, etsi homo quando agere vult, scit hanc vel illam actionem a Deo prævisam esse, tamen in ea ponenda liber manet. Etenim, ut in philosophia docetur, hac prævisione nulla radix libertatis tollitur. 3) A fortiori si, id quod Deus facere potest, homo quando actio ponenda est, divinæ prævisionis non recordatur.

113. — *Existunt fines sapientes, ad quos tales effectus miraculosi dirigi possunt.* — 1) Inter *fines operis* speciatim splendet melior cognitio infinitæ Dei scientiæ et omnia complectentis providentiæ; inter

fines vero *operantis* quam maxime is, ut humanum genus, præcipue prophetiis admonitum, a malis imprimis moralibus caveat, in bonis prosequendis difficillimis, præcipue ob prædictum successum, novas semper vires sumat.

Pars II. *Effectus eiusmodi apti sunt, qui in signum locutionis divinæ assumantur.*

114. — 1) Sunt effectus extra naturæ cursum positæ, ergo *signa* revelationis esse possunt. (Prop. 13). 2) Sunt visibiles. Etenim quamvis hi effectus per se in mente hominis reconditi sint, tamen — supposita veracitate loquentis — verbis ipsum obiectum directe exhibentibus manifestantur. Unde *hominis naturæ* hæc signa valde *conveniunt*. 3) Speciatim apti sunt ut fiant signa revelationis *mediatæ*. Nam ex natura rei multi simul et prædictionem et impletionem cognoscere possunt. Porro impletio prædictionem celerrime sequi, experientiæ diversarum ætatum hominum subiici potest.

115. — Ob. 1. Si revelatio probatur prophetia vel scrutatione cordium vel cognitione rerum absentium, una *manifestatio divina in intellectu per aliam manifestationem divinam in intellectu probatur*. Atqui ita habetur *circulus vitiosus*. — R. N. min. Factum divinum unum, revelatio attestans, probatur facto divino alio v. g. scrutatione cordium. Hoc autem secundum factum divinum ut divinum demonstratur non ex admisso illo facto priore, sed ex aliqua quasi qualitate, quæ ipsi facto secundo inhærere perspicitur. Quæ qualitas est ipsa ratio miraculosi quæ in effectu invenitur.

Ob. 2. Processus in infinitum hoc argumento habetur. Etenim revelatio quæ probanda suscipitur, est aliqua locutio attestans. Atqui etiam v. g. scrutatio cordium vel prophetia est quædam locutio attestans. Ergo *una locutio auctoritativa probatur secunda locutione auctoritativa et ita porro*. — R. N. as. Si hi effectus miraculosi proponuntur ut unicum motivum credibilitatis, res ita se habet: Falsum omnino est, omnem scientiam mirabilem infusam debere esse communicatam per locutionem, qua Deus testetur, vera esse quæ in ea scientia infusa continentur. Si vero de cognitione rerum absentium, scrutatione cordium, prophetia agitur, transeat quæstio in quantum consideratur propheta, qui talia immediate a deo accipit. Haud pauca de ea quæstione dicenda essent. At etsi hoc putares, tamen is, qui tales effectus miraculosos in suo intellectu recipit, potest et in nostro casu debet illos saltem natura prius considerare ut miraculosos, ut postquam ita rationem miraculi in iis detexerit, videat hoc miraculum ob circumstantias esse relatum ad probandam eam revelationem attestantem, quæ cum tali scrutatione cordium, cognitione absentium, prophetia coniuncta esse supponitur. Ita certe ab iis procedendum est, qui prophetiam ut motivum credibilitatis pro revelatione mediata a propheta propositam recipiunt. — Nihil vero impedit, quominus tales cognitiones, etiam qua mediante locutione attestante acceptæ, in argumentum revelationis assumantur, dummodo hæc ratio in iis antecedenter probata fuerit. Quæ probatio diversis modis fieri potest.

De cognoscibilitate talium effectuum miraculosorum in intellectu.

Propositio 21ª: Veritas historica horum effectuum certo cognosci potest.

116. — 1) *Quoad omnes species cognitionis miraculosæ simul sumptas.* Num quis hoc vel illud certo quodam tempore dixerit, qualem sensum eius verba habuerint, num quæ dixit vera sint, hæc omnia ad amussim secundum regulas sanæ criticæ, hermeneuticæ, philosophiæ, historiæ determinanda sunt.

2) *Quoad prophetiam in specie. a*) Si forte prophetiæ ante multa sæcula, in populis a nostro diversis, stilo forte poetico, editæ sunt, omnia ea sedulo attendantur, quæ secundum temporis, nationis, generis literarii diversitatem *explicatio* talium documentorum requirit. — *b*) Num prædictio *præcognitionem* in mente hominis loquentis includat an mechanice e motu extrinseco organorum, ut in loquente psittaco, ortum habeat, eodem modo erui potest, quo etiam aliam locutionem e vera cognitione proficisci in cotidiana vita detegimus. — *c*) Num præcognitio *certa sit certitudine subiectiva*, cognosci potest α) ex clara prophetæ confessione, de cuius veracitate constet. β) Ex ipsa sermonis forma, e legibus communibus grammaticæ, usus loquendi. γ) Si eiusmodi cognitio miraculosa (etiam alia atque prophetia) ab homine sanæ mentis, sui honoris atque divinæ auctoritatis amante, *in signum legationis certo affirmatæ assumitur.* Cum enim iudicium certum, non tantum probabile de sua legatione in aliis producere velit, sine dubio ea argumenta proponere vult, quæ ipse ut certa habet. — *d*) *Certitudo obiectiva*, seu conformitas cum rebus uti in se vel erant vel sunt vel erunt, duplici via resciri potest: directe eo quod eas *experientiæ seu perspicientiæ propriæ* subiicere, indirecte eo quod eas *ex testificatione* ut veras cognoscere possumus. Quæ auctoritas et humana esse potest et divina. Divina testifatio intercedere potest v. g. eo quod statim post prophetiam editam miraculum patratur in signum, eam esse veram. Neque ea via excludi videtur, ut quis in auctoritate humana legati nitatur, vel ut legatus unam prophetiam a se factam et eventu probatam ad cæteras suas prophetias probandas referat.

117. — Ob. 1. *Rousseau* in Emile hoc affert: Ut certi esse possimus de veritate historica prophetiæ, *necesse est nos adfuisse et prædictioni et eventui.* Atqui hoc impossibile esse solet. — R. D. ma.: Necesse est nos habere veram certitudinem de prædictione et eventu, acquisitam sive experientia propria sive testimonio historico humano sive alia ratione, e.; semper experientia propria, n.

Ob. 2. — *Adagium est, prophetias esse obscuras.* Atqui quod obscurum est, nequit esse criterium. Cf. v. g. *C. H. Weisse*, Philos. Dogmatik n. 125-27, 158-60. — R. D. ma.: Prophetiæ obscuræ sunt per se et natura sua, n.; in ordine præsenti sd.: omnes, n., existunt clarissimæ, v. g. prædictiones Christi de lapsu Petri; multæ, sd.: iis qui modum loquendi literaturæ, ætatis, nationis diversæ atque poetarum nesciunt, c.; cæteris sd.: non semper omnis indeterminatio sensus omnium partium prophetiæ excludi solet, c.; nulla pars propositionum sensum ita determinatum habet, qui generatim iam ante impletionem, aliquando forte tantum impletione facta clare cognosci possit, n. — Prophetia saltem tunc incipere potest esse argumentum credibilitatis, quando, impletione facta, simul et sensus verborum capitur et ratio prophetiæ demonstratur.

De rationibus cur Deus prophetias ex parte obscuras esse sæpe velit cf. *Chrys.* de prophetiarum obscuritate (MG 56, 163-92); *Bossuet*, Médit. sur l'évang. 68 jour.; *Schanz* [3]II 455-58.

Ob. 3. — Rem elocutione formatam a prophetæ mente esse cognitam, ex eo scimus, quia eius veracitati innitimur. Atqui concedentibus Christianis *homines mali, imo ipsi dæmones, quorum tamen veracitas nulla est, prophetias edere possunt.* Ergo veritas historica saltem in eiusmodi vaticiniis cognosci nequit. — R. D. antec.: Cognitio de qua agitur, innititur essentialiter et semper veracitati ut est virtus moralis, n.; locutioni menti conformi, in quantum necessaria est vel ob defectum motivorum mentiendi vel in quantum a Deo etiam nolentibus efficaciter imponitur, c. — Iamvero vel hoc vel illud aliquando cognosci potest *a*) e circumstantiis locutionis vel loquentis, *b*) ex eventu, qui e congruentia accidentali cum locutione ficta explicari nequeat.

Ob. 4. *Vel ipsi boni fœtum phantasiæ vel cognitionem propriis viribus acquisitam cum cognitione divinitus accepta confundere possunt.* — R. D. as.: Error hic potest habere locum semper, n.; aliquando sd.: et tunc possunt aliquando præsto esse media, quibus detegatur, c., et talia præsto esse non possunt, n. — Expl. Eiusmodi criteria sunt v. g. hæc: Si tale est prædictionis obiectum, ut is, qui illud cum fœtu phantasiæ confunderet, insanus vel stultus habendus esset, aliunde autem patet, hominem sanæ mentis, imo sapientissimum esse; si propheta omnes suas prophetias probavit miraculo vel prophetia una, quæ aliunde ut vera cognita fuerit; si eventus complicatus singulis prædicationibus correspondet.

Ob. 5. *Prophetiæ possunt habere sensum non absolutum, sed tantum conditionum.* Atqui nunquam cognosci potest, num prophetiæ conditionatæ sint impletæ, necne. Ergo impletio prophetiarum cognosci nequit. — R. Ad ma.: D.: Omnes, n.; quædam, sd.: et habentur criteria, unde communiter sensus conditionatus ab absoluto distingatur, c.; et non habentur, n. — Expl. α) *Non subintelligi conditionem*, certum potest esse ipsis *verbis prophetiæ* quæ v. g. dicunt aliquem hoc vel illud bonum reapse facturum atque inde præmium habiturum esse. β) *Ex natura rei*, cum constare possit, insipientis esse talem effectum tali conditioni velle adnectere. γ) Ex eo, quod *aliunde v. g. ex prophetiis antecedentibus* constet, actionem, de qua sermo est, absolute a Deo intendi. δ) Tandem, si de prophetiis iis agitur, quæ in signum divinæ locutionis assumuntur, semper conditio abesse videtur, cum, adhibita morali diligentia, detegi nequit positiva ratio, cur certam conditionem subintelligi affirmetur. — *Certam aliquam conditionem subintelligi* certum esse potest α) disertis *verbis*; β) *ob naturam rei* vel verbis implicitis. V. g. si quis ex una parte obligatus esset spem æternæ vitæ retinere, ex

alia parte revelationem æternæ suæ damnationis recipe et: vel si Deus simul exhortaretur ad media adhibenda, quibus pœnam prædictam quis effugere posset. γ) Ex eo, quod *eventus* alicui prophetiæ, quæ ex natura sua possit esse conditionata vel absoluta, et quæ aliunde ut vera prophetia probata est, *non respondit.*

Ad min: N. Sæpe enim cognosci potest, num aliqua prophetia, cui conditio quædam adiuncta fuerat, expleta sit necne. V. g. si conditio fuerit conversio alicuius urbis ad Deum. Talis enim conversio num vere adfuerit, cum de magna communitate agitur, sæpe facile constat.

De prophetiis conditionatis cf. *Suarez* de fide disp. 8 s. 4 n. 9 (ed. Paris.) 12, 233, 234; *Bened. XIV* l. 3 c. 47 n. 7 (ed. c.) 716, 717.

Propositio 22ª: Veritas philosophica horum effectuum certo cognosci potest.

118. — **Lit.** De potentia naturali angelorum in cognoscendo cf. diversæ doctorum sententiæ, v. g. *Th.* de cognitione rerum futurarum, 1 q. 57 a. 3.; de scrutatione cordium a. 4. — *Scotus*, in Montefortino III, 248-55. *Suarez*, de angelis l. 2 c. 9 de cognitione rerum futurarum, c. 21-25 de secretis cordium. (ed. Paris.) 2, 144-152, 210-234. — Excerptum optimum in *Noel*, Suarez Summa seu compend. vol. 2 (1858) I c. 10, 11 col. 261-63, 279-75, 312-22. — E parte Scotistarum posteriorum *Claud. Frassen*, Scotus Academicus, tom. 4 de angelis Tract. 1 disp. 2 a. 1 q. 3 concl. 2 p. 120-27 de secretis cordium. — In locis affinibus aliæ quæstiones similes videri possunt.

Quoad sapientiam mirabilem.

119. — Ea saltem tunc demonstrari potest, quando constare potest, 1) eam non potuisse sine diuturno et multiplici studio acquiri; 2) eum vero, de quo agitur, aut nullum vel insufficiens studium impendisse, aut eiusmodi ingenii fuisse, ut etiam diuturnum studium non sufficeret. Etenim lex naturæ est, ipsa extraordinaria ingenia ad certas quasdam cognitiones vel scientias perfecte acquirendas, multiplici indefesso studio indigere, imo eo ipso supposito, in multis deficere solere. Deinde de dotibus mentis plane mediocribus constare potest.

Saltem cum maxima probabilitate ratio miraculi etiam tunc constare potest, cum studium adhibitum in scrutandis obiectis plurimis, diversissimis, difficillimis ad cognitionem pertigerit, quæ in se ab omni errore sit libera et in expositione clarissima et facillima. Id quod præcipue valet, cum non de homine quodam singulari agitur, sed de plurimis hominibus, qui diversis temporibus et locis ingenia sua applicantes, quamvis multis influxibus errores afferentibus patuerint, tamen eiusmodi systema doctrinarum religiosarum complicatissimum, sublimissimum, e rebus speculativis, moralibus, historicis constans, formaverint, quod ab omni errore sit liberum. Plurimæ enim mentes, plurimis erroris causis expositæ, si sibi relinquuntur, e legibus

moralibus, quæ applicationem facultatum cognoscitivarum de facto regunt, in multis deficiant necesse est. (Cf. th. 11).

Ob. Eiusmodi cognitio forte semper *indoli extraordinariæ in acceptis referenda est.* - R. N. in concreto hanc causam non posse sæpissime excludi. Cf. argum. — Cæterum indoles præ omnibus quam maxime excellens in eo qui se legatum divinum universalem affirmat, aliquid conferre potest ad argumentum ex providentia divina formandum. De quo argumento postea alia thesis proponetur.

Quoad res absentes.

120. — Eas præternaturaliter cognitas esse certum est, si probatur: *a*) non fuisse coniunctionem sensuum ex natura rei necessariam inter cognitum sensibile et cognoscentem; *b*) nullum hominem hanc cognitionem loquenti attulisse. Atqui utrumque certum esse aliquando potest sive ex auctoritate humana loquentis, sive ex eius prudentia ne fraus sua detegatur, sive e circumstantiis physicis, si quis v. g. Romæ annuntiat quæ postea rescitur moraliter eodem tempore, nullis humanis mediis referentibus, v. g. inter Sinenses facta esse.

Ob. 1. Secundum quosdam philosophos catholicos *actio in distans non repugnat.* Ergo cognitio absentium non est miraculum indubitatum. — R. Omnes concedunt, eam saltem physice repugnare. Id quod pro nostro argumento sufficit. Cf. *Tilm. Pesch.*, Phil. nat. I n. 75-80 p. 74-79.

Ob. 2. Cognitio rerum absentium eo haberi potest, quod *e spatio tredimensionali* paulisper *egredimur in spatium quatuor dimensionum.* Sicut enim, cum e planitie duarum dimensionum in tertiam dimensionem nos elevamus, facile videmus ea quæ in tota planitie fiunt, ita cum in quartam dimensionem ascendimus, ea facile observamus, quæ in spatio tredimensionali ubivis gentium fiunt. — R. 1) Spatium illud quatuor dimensionum secundum quosdam methaphysice repugnat. 2) Etsi non methaphysice repugnaret, tamen certissimum est, nos lege naturali physica in spatio nostro tredimensionali contineri.

Talem theoriam proponit v. g. *Zoellner.* Huiusmodi spatium metaphysice repugnare putat v. g. *Gutberlet,* Die neue Raumtheorie i. e. de nova theoria de spatio (1881); cf. quoque quæ de quantitate corporum nostrorum, uti nunc est, habet *Tilm. Pesch,* o. c. n. 346 II 18.

Ob. 3. *Cognitio rerum quarundam absentium seu telepathia naturalis est.* Animæ, cum e corporibus egrediuntur vel egressæ sunt, docente statistica, constanter, ergo e lege naturali, caris suis suum egressum e corporibus sive sine signis externis sive iis mediantibus nuntiant. — R. N. as. Ad prob. Facta ope statisticæ collecta non excludunt casum. Etenim *a*) innumera sunt exempla, in quibus morientes nullam sui notitiam dederunt. Hæc autem a statisticis istis omittuntur. *b*) Nihil aliud hæc facta exhibent, quam quod absolute sæpe aliquis eo ipso tempore de morientibus caris suis atque morte eorum cogitavit, quo de facto mortui sunt. Hoc autem naturale est. Etenim de caris nostris sæpe cogitamus, sæpissime periculum eorum nobis notum atque omnium cogitationum nostrarum quasi meta est. *c*) Illa cogitatio de morientibus cum morte eorum sæpissime non coincidit quoad tempus, alias circumstantias omnes visas vel

cogitatas. *d*) Personæ quæ talia « vident », generatim hallucinationibus etiam in aliis rebus videndis vel audiendis laborant. — Cæterum probatur positive, legem naturalem eiusmodi non adesse. Si enim animis morientium naturaliter hæc facultas expedita inesset, sine dubio e motivis et naturalibus et religiosis v. g. ad preces pro se petendas ordinarie ea uterentur. — Cf. *W. James* Psychol. Review II 1, 70 sq; contra quem multa recte statuit *Parisch*, Zur Kritik des telepathischen Beweismaterials (de diiudicanda materia pro demonstratione telepathiæ, 1897). Cf. *Gutberlet* II[3] 206-13.

Quoad res in alterius animo latentes.

121. — Lex naturalis est, homines hominum cogitationes scire non posse, nisi eas aut ex signis naturalibus corporis ob circumstantias cum certitudine deducunt, uti v. g. timorem ex tremore, aut eas ab eo qui eas habet directe vel indirecte communicatas accipiunt. Atqui primus modus sæpe excludi poterit præcipue ex obiecto, quod nullis signis naturalibus corporeis manifestatur; secundus e circumstantiis similibus eis quas n. 120 exhibuimus.

Ob. *Hodie* naturaliter *mediante arte atque exercitio cogitationes leguntur*. V. g. scitur, de quo numero, de qua littera, figura, charta lusoria quis cogitet. — R. Sæpe homines rem de qua cogitant, verbis sive scriptis sive ore formatis manifestant, at quin ipsi ad hoc attendant et modo minus perceptibili quam assolent. Aliquando vero ex circumstantiis iam scitur eos v. g. de uno tantum ex duobus obiectis cogitare, v. g. num quis acui quem cæteri absconderint propinquus sit necne. Eum esse propinquum sæpe quidam manifestant vero quodam etsi minimo augmento in intensitate palpitationis cordis et consequenter arteriæ. — Alii, experimentatores, huiusmodi verbis vel signis naturalibus minimis per tactum vel alium sensum excipiendis student, imo ea sæpe, additis instrumentis physicis sive simplicissimis sive magis complicatis, clariora et magis visibilia reddunt. Tali ratione sæpe iuvantibus circumstantiis, detegunt, de qua re quis actu cogitaverit. Sæpe tamen sive ex parte sive ex toto falluntur. — Quidam putant, in statu morboso posse aliquam cerebri impressionem cum cogitatione coniunctam, mediante æthere ab uno ad alium transmitti. At id nequaquam constat.

Experimenta optima in: *Proceedings of the Society for Psychical Research* (London) v. g. I et II. — Explicationes naturales multas rectas in *W. Preyer:* Die Erklaerung des Gedankenlesens (de explicanda lectione cogitationum, 1886); *Hansen et Lehmann* in: Philosophische Studien XI (1875) f. 4: Ueber unwillkuerliches Fluestern (de susurro inconscio). — Rem comprehendit cum optimo iudicio *Gutberlet* II [3]221-30. — Præcipue *Bessmer*, Gedankenuebertragung (de cogitationibus transferendis) in: Stimmen 62 (1902) p. 503-25 præcipue inde a 519. — Rem contra miraculosam cognitionem vertit v. g. *E. Reich*, Die Philosophie des Magischen (de philosophia rei magicae, 1890). Differentiam scrutationis cordium ab illis processibus naturalibus v. *Bessmer*, ib. 63 (1902) p. 484-99.

Quoad res futuras.

122. — 1) ***Res futuræ, quæ in causis suis necessario agentibus latent,*** **ut v. g. eruptio vulcani iam in dispositionibus geologicis con-**

tenta, naturaliter cognitæ non sunt, si *a*) hæ causæ loquenti sive generatim sive saltem hic et nunc cognitæ esse non poterant, et *b*) prædictio casu prolata non est. Iamvero primum aliquando cognosci potest, scilicet ex eo, quod vel leges physicæ quibus tales effectus reguntur, tempore loquentis a toto genere humano adhuc ignorabantur, vel saltem is, qui effectum prænuntiavit, eas propria experientia vel inquisitione rescire non poterat. Secundum simili modo cognosci potest, atque in sequenti numero de actione libera dicemus.

2) *Res futuræ quæ a libera voluntate pendent.* Harum præcognitio naturalis esse nequit, si præcognitæ sunt quam maxime determinatæ quoad speciem, locum, tempus, ordinem, cæterasque circumstantias. Etenim tales res futuræ in causis suis creatis iamiam existentibus hanc determinationem nondum habent, ergo ex ea neque cognosci possunt. Sufficit ergo cognosci, prædictionem non factam esse casu.

Iamvero casus aliquando evidenter excluditur ex ipso obiecto prænuntiato et eventu secuto. V. g. si prædicta et secuta fuerit ex infinite multis possibilibus actionibus una vel alia quam maxime determinata quoad ipsum obiectum; si simul ex infinite multis circumstantiis quædam paucæ determinatissimæ quoad locum, tempus, cætera, quæ stante eodem actionis obiecto varia esse possunt; si non tantum una actio cum suis circumstantiis determinatissimis, sed multæ eiusmodi; si tandem non solummodo singulæ tales actiones inter se non coniunctæ, sed complicato ordine, utique uno ex multis possibilibus, inter se connexæ.

Etenim convenientia prædictionis cum talibus factis sive singulis sive in serie connexis ordinem dicit complicatissimum, ordo autem complicatissimus casu oriri nequit, sed causam sapientissimam supponit. — Augetur impossibilitas rei naturaliter prænoscendæ, si res prænuntiata in se ipsa miraculum est, sive in ordine physico sive in ordine intellectus sive in ordine morum. Talis enim actio nullo modo e causis creatis pendet, ergo neque ex iis erui potest.

123. — Ob. 1. *Ordo is simplicissimus, qui casu oriri potest, ab eo ordine, qui intellectum requirit, non ad amussim distingui potest.* — R. Facillimum tamen est, ordinem cum complicatissimum designare, qui iam casu oriri nequit. — Cf. argumentum quod ex ordine mundi pro existentia sapientissimi ordinatoris ducitur. — Cf. hanc difficultatem v. g. in *Lessing*, Theolog. Schriften III (1825) 193.

Ob. 2. *Sunt leges morales, quæ etiam usum libertatis regunt, eæque cognitæ sunt.* Ergo etiam actiones liberæ prædici possunt. Prob. mai. Tales leges ab omnibus saltem pro communitatibus admittuntur. V. g. scientia nova, quæ dicitur statistica, cum certitudine docet, talem vel talem fere summam criminum certi generis a certa hominum multitudine patratum iri. At etsi ab hac nova scientia

abstrahis, omnes catholici argumentum pro necessitate revelationis ex eo formant, quod sine ea humanum genus nunquam ex ignorantiæ tenebris suscitatum fuisset. Quo argumento supponitur actiones conditionate futuras liberas nobis naturaliter notas esse. — R. Tales actiones 1) non sat determinatæ sunt, neque in se neque in suis circumstantiis. Plurima autem peccata etiam certorum generum patratum iri concludi potest e nota levitate hominum, e difficultate vitiorum habitum exuendi. 2) Non sunt absolute certæ. Supponunt enim, id quod cognosci nequit, conditiones sub quibus homines agunt, non fore mutatas. Unde statistica v. g. ob ortum bellum statim suos numeros de criminibus mutat. – Cf. v. g. *Gutberlet*, Die Willensfreiheit und ihre Gegner (de libero arbitrio eiusque adversariis, 1873) c. 3 p. 40-103.

Ob. 3. et instantia ad 2. Saltem e Catholicorum sententia neque ad actiones determinatas liberas singulorum prædicendas requiritur causa præternaturalis. Etenim *doctrina catholica est, neminem in gravibus periculis constitutum idque per longa tempora, peccatum grave evitare posse*; imo sunt theologi, qui hoc de omni gravi tentatione intelligendum esse docent. — R. 1) Doctrina catholica docet generatim omnes peccaturos esse graviter, si suis viribus in diuturnis gravibus tentationibus relinquantur, c.; eos suis viribus fore relictos, n. Gratia Dei, præcipue orationibus impetrata, plurima peccata evitant. 2) Hoc pro omni omnino homine cum certitudine absoluta valere, catholici non e scientia naturaliter acquisita deducere audent, sed e revelatione divina repetunt. 3) Ex hac experientia et revelatione generali non deducunt determinatum peccatorum numerum, tempus, speciem etc. 4) Prædictiones circa alias hominum actiones versari possunt.

Ob. 4. *Sagacitate naturali*, quæ v. g. in quibusdam hominibus politicis invenitur, etiam aliæ actiones v. g. *consilia regum determinatissima prævidentur*. — R. 1) Concluditur recte, quid quis secundum indolem suam aliunde notam in certis circumstantiis facturus sit, supponendo ab aliis causis liberis impedimenta improvisa non poni, neque Deum aliqua ratione interventurum sive e vivis auferendo unum vel alium ex agentibus, sive alia ratione, c.; a prudentibus simpliciter cum certitudine omnimoda actio determinatissima secundum multas circumstantias variabiles prædicitur, n.

Ob. 5. Sunt *in quibusdam terris, uti v. g. Scotia, Westfalia non pauci homines*, qui ex una parte præcipue *tristes eventus*, aliquando *determinatissimos, prævident*, quibus ex alia parte auxilium præternaturale ascribi non potest. Multi enim ex iis hæretici sunt; nulla sanctitate eminent; ad nullum finem sublimem hoc donum referunt. Ergo prædictio naturalis eventus etiam determinatissimi haberi potest. — R. 1) In plurimis ex iis prædictionibus non excluditur casus. Sæpe tantum in genere prædicitur aliquod ex eiusmodi infortuniis, quæ identidem accidunt. Sæpe porro id non constat, quot eiusmodi prædictiones tales homines emiserint, quibus nullus eventus responderit. 2) Quædam utique etiam a talibus hominibus prædicta esse videntur, quorum explicatio naturalis hominibus doctis catholicis difficilis videtur. — Iudicium vero de huius cognitionis natura sive divina sive alia e circumstantiis eruendum erit. Si res non patet, iudicium erit suspendendum. Id quod pro certis casibus facit *Gutberlet* Apologie II^3 213-22 ubi facta exponit collecta a *W. Ludwig* in: Spaziergaenge eines Wahrheitssuchers ins Reich der Mystik (excursiones indagatoris veritatis in regnum mysticæ, 1890), eius autem modum explicandi refutat.

Difficultates contra veritatem philosophicam plurium specierum cognitionis miraculosæ simul sumptarum.

124. — Ob. 1. *Spatium et tempus non sunt nisi formæ subiectivæ.* Qui ergo ab affectionibus subiectivis se liberare valet, quæ ubique sunt, quæ erant atque erunt, cognoscet. — R. 1) N. antec. 2) Etiamsi quis teneret hanc falsissimam sententiam a Kant propositam, tamen confiteri deberet, e lege naturæ nos his formis determinari. Quæ limitatio si in aliquo casu tollitur certe miraculum fit.

Ob. 2. *In homine naturaliter duplex est subiectum*, cum duplice actionum ordine. Unum *ordinarium* est, cuius nobis conscii sumus. Aliud extraordinarium est, *transcendentale*, quod conscientiam nostram fugit. Quod nobis manifestatur actionibus quæ in eiusmodi statibus contingunt, uti sunt somnus, somnambulismus, hypnotismus. Iamvero huic subiecto eæ cognitiones attribuendæ sunt, quæ hucusque miraculosæ dicebantur. — R. 1) Actiones extraordinariæ in somno etc., statui anormali quarundam virium unius eiusdemque subiecti sunt ascribendæ. 2) Cognitiones miraculosæ, de quibus agimus, non inveniuntur in hominibus, quando sui conscii non sunt, sed quando sui conscientiam et rationis atque voluntatis usum perfectissimum habent. Id unum sæpe factum est, ut cum intensissima intellectus atque voluntatis activitate, sensuum externorum quædam minus vel magis perfecta ligatio esset coniuncta. — Cf. *du Prel*, Die Philosophie der Mystik (de philosophia mysticæ, 1885). Refutationem eius etiam experimentis indagatorum incredulorum atque sententiis eorum firmatam v. *Gutberlet* II[3] 186-95.

Ob. 3. *Duplex in nobis est ordo virium animæ.* Unus, *ordinarius*, cum rebus extra nos commercium habet mediantibus sensibus; alius *magicus*, e longinquo, mediante ad summum æthere, directe in spiritus a nostro distinctos physice agit ab iisque physice patitur. Qui spiritus, sive terras, sive stellas etc., informant sive non, multa certe sciunt nobis incognita. Huiusmodi vis invenitur v. g. etiam in regno anorganico, v. g. venenum etiam inclusum certas personas afficit; invenitur in hominibus, quia intellectus perfectio non dependet a perfectioribus functionibus sensuum, quia in oratione in entia superiora nobis incognita ita influimus, ut quod volumus acquiramus. Cf. *M. Perty*, Die mystischen Erscheinungen der menschlichen Natur (de phænomenis mysticis naturæ humanæ). Refutationem v. *Gutberlet* II[3] p. 195-99. — R. Hæc theoria subiecti magici præter alia inter se confundit vires intellectuales et magicas, causalitatem physicam et moralem, activitatem in longinquum cum causalitate physica, cuius modus nondum cognitus est.

Ob. 4. *Status hypnoticus naturalis est.* Iamvero persona hypnotizata 1) cognoscit morbos præsentes atque remedia eorum, quæ anima antea non cognovit; linguas callet, quibus antea loqui non solebat; sensibus ea percipit, quæ antea nunquam percipere poterat. 2) Imo morbos nonnisi postea erumpentes indicat, quorum nulla usque ad id tempus signa observata erant. 3) Quamvis ab hypnotizatore per leucorum spatia sit remota, tamen eius imperia, quæ somnianti data erant, vigilans exsequitur. Unde voluntatis imperia sive antea data sive eo tempore repetita, nulla re sensibili mediante, e longiquo perspicere videtur. Ergo plane naturalis est sapientia mirabilis, cognitio absentium, scrutatio cordium, prophetia.

R. I. Plurimi auctores *negant, in factis, quorum veritas historica certo probata sit, quidquam reperiri, quod cum omnimoda certitudine dici possit vires*

naturæ superare. — Expl. Hypnotismus est status, in quo usus rationis atque libertatis modo artificiali vel dispositione naturali maxima ex parte ligatur, facultates vero sensitivæ externæ, sensus communis, phantasia, memoria modo anormali activitates suas exerunt idque generatim intensissime et simul. ob regiminis rationis deficientiam, inordinatissime.

Ad singula: 1) *Hyperæsthesia* ex intensiore sensuum activitate proficiscitur. Nunquam sensus id cognoscunt, cum quo nulla adest physica coniunctio. Morbi melius sentiuntur ob sensus communis activitatem excitatam. Remedia quædam cognosci videntur mediante activitate instinctus, qui etiam in brutis similes producit effectus. Linguæ nullæ sciuntur, quæ antea cognitæ non fuerint; tantum modo anormali memoria earum renovatur. 2) Nullum signum *extraordinariæ sapientiæ* observatum est, sed multa signa defectus ordinis in cognitionibus statui hypnotico propria sunt. V. g. melodiam cantant, in ea melodia sistunt; subito ad canis latratum imitandum transeunt; hunc pronuntiatione verborum eius linguæ, quam v. g. pueri discebant interrumpunt; qua serie actionum posita, eam ab initio eodem in ordine repetunt. 3) *Prævisio* morbi nulla observata est, sed tantum dispositiones præsentes citius, quam in statu normali fieri assolet, sentitæ sunt. 4) *Persona hypnotizata hypnotizatoris imperia* saltem generatim *exsequitur* ob influxum physicum, quem, cum localiter esset cum hypnotizatore coniuncta, ab eo recepit, et quem, etsi localiter distans, cum fere libertate privata sit, ob statum suum anormalem quasi cæce sequitur, idque tempore ab hypnotizatore determinato. Ad effectum vero nihil refert, num hypnotizator imperium suum eo tempore repetat, quo persona hypnotizata actiones antea imperatas ponit, necne.

R. II. *Aliud est status hypnoticus, aliud omnia facta, quæ in eo statu occurrunt.* Si quis putaret, se factum aliquod historice certum assumere debere, quod e statu naturali anormali hypnotizatæ personæ quem descripsimus explicari non possit, concludendum esset non illud quidem, tale factum esse naturale, sed illud, causam præternaturalem, uti in statu normali vigiliae intervenire potest, ita in statu anormali hypnoseos intervenisse. Quod certe impossibile non est.

Hæc explicatio omnino assumenda est, si de eo commercio inter has personas constat, in quo nulla coniunctio physica inter eas habetur.

Lit. *quoad hypnotismum.* Rem physiologicam qua talem præcipue exponunt v. g. *Foret*, Hypnotismus, (Stuttgart, 1889). — *Wundt*, Hypnotismus u. Suggestion in « Philosophische Studien. » B. VIII. — *Schmidkunz*, Psychologie der Suggestion (1892) — *Pierre Janet*. L'automatisme psychologique (Paris ²1899). — *O. Stoll*, Suggestion u. Hypnotismus (³1904). — Qui morbi methodo suggestionis quadam ratione sanati fuerint vel sanari non potuerint refert præcipue *Bernheim*, Hypnotisme, Suggestion, Psychothérapie (Paris 1891) 239-498, in c.: « Observations cliniques » quarum observationum conspectum habes p. 510-18 et aliis locis, quæ omnia v. excerpta *van Laak* de miraculis Christi 175-94. Opera catholicorum, quæ data opera ea phænomena diiudicant, v. g. *Schütz*, der Hypnotismus (²1898). *Méric*, Le merveilleux et la science, Etude sur l'hypnotisme (²Paris 1900). — *Dr. Imbert-Gourbeyrie*, L'hypnotisme et la science catholique. — *id.*, L'hypnotisme transcendant en face de la philosophie. *id.*, Où en est l'hypnotisme (Paris). — *Coconnier*, L'hypnotisme franc (Paris 1898) et plurimos articulos in Revue Thomiste inde ab a. 1. — *Hélot*, L'hypnose chez les possédés (1903). — *F. Gonzalez Herrero*, El Hipnotismo etc. (1901). *De*

Rochas, Les Etats superficiels de l'Hypnose (1893). — *id.*, Les Etats profonds de l'Hypnose (1896). *Dr. Lapponi*, Ipnotismo e Spiritismo (² Roma 1906). — *Cir. Cat.* multis articulis, quos v. in indice gener. 1903, ad v. ipnotismo p. 125. Scripti sunt præcipue a Franco.

PROPOSITIO 23ª: Veritas theologica horum effectuum certo cognosci potest.

125. — A. Si *solum obiectum genericum* miraculosæ cuiuscunque cognitionis in homine respicitur, sciri nequit, num Deus immediate eam cognitionem physice homini immiserit, an angelus scientiam sive propriam sive ab homine (scrutatio cordis), alio angelo, Deo (prophetia) sibi communicatam prophetæ communicaverit. — Si *modus communicandi* respicitur, esset utique e quorundam sententia signum operationis immediate divinæ, si species directe spiritui non vero prius phantasiæ imprimerentur, a fortiori si species eiusmodi essent, quæ res spirituales modo iis proprio non secundum analogiam materialium repræsentarent. Cf. v. g. *Suarez*, de angelis l. 2 c. 28 n. 69–71 (ed. Paris.) 2, 280 et 281. At hunc modum certe vix possunt facile diiudicare alii atque ipse propheta. Volumus autem præcipue criteria pro ipsa revelatione mediata.

B. At ad eum finem, ut talis cognitio miraculosa hominis in argumentum factæ revelationis adhibeatur, nequaquam necesse est, ut ad Deum qua causam immediatam physicam reducatur. *Sufficit si Deo ut causæ morali ascribitur* (Cf. prop. 17).

C. *Criteria* unde hoc cognoscatur, eadem sunt, quæ pro miraculis statuimus. Pauca addenda videntur, quæ hanc actionem miraculosam respiciunt, in quantum est cognoscitiva.

Obiectum cognitum quod spectat. α) Negative. Si quid aliunde scitur falsum, malum, hic et nunc minus bonum, vanum vel inutile, hoc a Deo eiusque nomine communicatum esse nequit. — β) Positive. Quo magis autem obiecta Dei potentiam, sapientiam, bonitatem manifestant, quo magis natura sua apta sunt, ut veram religionem naturalem vel revelatam aliunde notam promoveant atque quo magis cum ea connectuntur; quo magis hæc eorum aptitudo effectibus demonstratur, eo splendidius veritas theologica huius cognitionis manifestatur.

Modum quo communicatur, quod spectat. — α) Negative. Ne sit Deo indignus. Est autem Deo indignus, si modus obiecta hæc eloquendi esset tantum mechanicus, non autem ita ut homines pro humanæ naturæ dignitate antea sciant, se hæc vel illa eloqui. Imo generatim etiam convenit, ut rerum sive profundarum sive futurarum aliqua intelligentia iis communicetur. Omnia autem a loquente per-

fecte intelligi debere, e nullo principio aprioristico probari potest. — 3) Positive. Quo plura et magis splendida miracula in ordine sive physico sive morali, uti alienatio a sensibus, raptus, mirabilis sanctitas, hanc scientiam præternaturalem circumdant, eo magis veritas eius theologica splendet.

Auctoritas humana legati aliquando sufficere posse videtur. (Cf. propositionem de auctoritate humana testis unius). Quæ multum inde crescit, quod eum alias semper vera prædixisse eventu cognitum est. Cf. *Aug.*, de civ. Dei l. 10 c. 32 n. 3 ML 41, 315; C. V. 41, 1 p. 508. — Contra Faustum Manich. l. 13 c. 14 ML 42,290.

Auctoritas divina aliunde probata pro omnibus doctrinis proponendis, omne dubium dirimit.

126. — Ob. Ex dictis *sequitur, etiam angelum malum pia et vera prædicere posse.* Atqui si hoc fieri potest, prophetia ad Deum neque ut causam moralem reduci potest. — R. Sequitur, non e solo obiecto enarrato concludi semper posse, num forte bonus vel malus angelus suo nomine agat an spiritus nomine Dei intercedat, c.: sequitur, hoc non posse aliquando saltem ex ipsis circumstantiis erui, n. — Concedit v. g. *S. Augustinus*, Deum sapienter posse aliquando permittere, ut diabolus vera divinitus revelata prædicat. (Cf. de divin. dæmonum per totum. præcipue a c. 7-10, ML 40, 587-92). — Imo potest etiam spiritum malum astringere, ut contra suam voluntatem bona et vera pronuntiet, uti v. g. *Calmet*, Com. in Num. 22, 18 (ed. Ven. 1730) l 2 p. 198 assumebat, eum inter homines Balaam adegisse, ut contra suam voluntatem vaticinium Messianicum emitteret (Cf. Num. 22, 18; 24, 12). A Deo adactum esse spiritum malum aliquando e circumstantiis apparere poterit, eo quod v. g. patet eum sibi ingratissima in proprium damnum prænuntiare. Quod si fit, signum divinum habetur, non diabolicum.

Propositio 24ª: **Veritas relativa horum effectuum certo cognosci potest.**

127. — 1) *Simili modo sicut in aliis miraculis,* si hi effectus verbis sive Dei sive legati Dei ad revelationem probandam referuntur; si legatus qua talis his donis insignitus dicendus est. (Cf. n. 100, 101, p. 73-75). In priore casu perinde est, num ipse legatus, cuius legatio probanda est, ea vaticinia edat, an alius; in secundo casu, num directe ille legatus, quem alii annuntiant, dono prophetiæ honoretur, an illi qui eum annuntiant, in quantum tales sunt.

2) *Accedunt criteria quæ his actionibus miraculosis in ordine intellectus propria sunt:* Quam maxime si ipsis verbis hominem certum ut legatum Dei futurum prænuntiant vel si ab ipso legato prophetante, religionis suæ fata exhibente, ea ut revelata extollitur. Si maximos fructus religionis instituendæ, favores divinos ei præstitos, inimicos eius punitos vaticinantur. Si ipsam legati doctrinam illustrant. Re-

pugnat enim divinæ sapientiæ atqui providentiæ, præ omni alia re a millibus forte annorum illa quasi sola prædicere, quæ ad eam religionem glorificandam inserviunt, nisi eam humano generi commendatam vellet. Supponitur autem religionem qua revelatam humano generi a legato proponi.

128. — Ob. *Inter Ethnicos, Mohamedanos, inter ipsos Christianos in sessionibus spiritisticis referuntur res absentes, in animo latentes, futuræ, mirae sapientiae.* Nihilominus Ethnicismus, Mohamedanismus, doctrinæ spiritisticæ a Deo non sunt commendatæ. Ergo a pari neque religio christiana tali scientia præternaturali commendatur. — R. Applicetur responsum, quod n. 102 Ob. 3, pag. 75, 76 ad similem difficultatem de miraculis dedimus. — Singula quædam facta in tractanda revelatione revelata in concreto videbimus.

Spiritismum quod attinet, hæ sententiæ quoad historicam et philosophicam veritatem apparentiarum possibiles sunt: Aut quis putat, nullas relationes præ se ferre sufficientem certitudinem de ipsis factis quae praeternaturalia esse videntur, præcipue ob fraudes plurimas certo cognitas personarum mediumisticarum etiam in ipsis materialisationibus spirituum, photographiis spirituum materialisatorum, aut quis his relationibus fidit sive ex parte sive ex toto. Auctores catholici diversa sentiunt. Primum si obtineret, nihil iam curandum esset; secundum si locum haberet, tamen pro apologetica res facilis esset, cum sit evidens, res, si præternaturales sint, esse a spiritu malo. Habentur enim in iis apparitionibus plurimæ oppositiones ad Dei sapientiam, bonitatem, potentiam. Verba spirituum non tantum religioni aliunde ut revelatæ cognitæ opponuntur, verum etiam ipsi religioni naturali. Plurima vana curiositati hominum servientia proponere solent. Spiritus pendent e dispositionibus physiologicis vel physicis hominum, uti v. g. personarum mediumisticarum, iisque necessario obsequuntur. Plurima facere tentant quæ perficere non possunt. — Cæterum certum est, plurimas personas mediumisticas, materialisationes, photographias spirituum materialisatorum fraudibus plenas fuisse.

Ipse ardentissimus Spiritista *Aksakow* concedit o. c. Vorrede p. XXVI: « insulsitatem relationum, pauperiem earum intellectualem etsi non sint loci communes, indolem certe mystificantem et mendacem maioris partis manifestationum ».

Lit. *de Spiritismo.* Ea quæ inde ab anno 1843 cui initia horum phaenomenorum attribuunt, dicta et facta sunt mediantibus personis « mediumisticis » in sessionibus spiritisticis, describunt v. g. Spiritista *Davis*, The Principles of Nature, her divine Revelations and a voice to Mankind (1847), quod opus sequebatur aliud: The great Harmonia, 6 vol. — Alia addidit Spiritista *de Güldenstubbe*, Pneumatologie positive (Paris 1857). — *Zöllner* in: Wissenshaftliche Abhandlugen (1878-80). — *Richet*, Experiences de Milan (Paris.). Accedunt quæ in plurimis fol. period. spiritisticis leguntur, opera « historica » Spiritistarum ut *Howith* (1863), *Owen* (1872). *Hardinge-Britten*, praecipue *A. N. Aksakow*, Animismus u. Spiritismus ([4] 1905) 2 v.; eius compendium fecit *C. du Prel*: Phænomenologie des Spiritismus (1860). — Præterea in *K. Kiesewetter*, Geschichte des neueren Occultismus II (Leipzig 1895). e Catholicis *Schneider*, o. c. — Exponunt rem et diiudicant ex catholicis *Perrone*, de virt. relig. deque vitiis ei oppositis p. 183 sq. — *van Weddingen*, p. 403–407, 414-16. – *Schneid.* Der moderne Spiritismus, philosophisch geprüft (1889). — *Wieser*, Der Spiritismus u. das Chris-

tentum, in ZKTh. (1880) 662-716, (1881) 85-138 (etiam Regensburg 1881). — *Gutberlet*, Der Spiritismus (1882). — *Id.*, Der Kampf um die Seele (1899) p. 426-80. — *W. Schneider*, Der neue Geisterglaube (²1885) ubi lit. p. 109 sq. — *Bessmer*, Geisterphotographien, in: Stimmen 62 (1902) 183-206. — *A. Ianniard du Dot*, Où en est le Spiritisme. - *Id.*, Spiritisme dévoilé. — *I. Bertrand*, La religion spirite. — *Franco*, Le spiritisme, manuel scientifique et populaire (1894). — *Surbled*, Spirites et Mediums (1901). — *Civ. Cat.*, art. plurimi. v. ind. gener. 1850-1903 p. 247, præcipue scripti a Franco. — *Antonelli*, Lo Spiritismo (1902). — *Dr. Lapponi*, Ipnotismo e Spiritismo (²1906) pp. 222. *Mir*, El milagro c. 11 p. 1171-97. — *Id.*, La profecia III c. 10. 437-61. — Evolutionem brevem historicam v. *Schanz*, Kirchenlexicon², ad v. Spiritualismus XI 645-53. Plura *Zöckler*, ad v. Spiritismus, in RE ³18 (1906) 654-66.

Propositio 25ª: **Quæ de effectibus huiusmodi docuimus, humani generis auctoritate comprobantur.**

129. — Cum adversarii non ita negent, vim probandi præcipue prophetiæ agnitam etiam apud veteres Christianos fuisse, in hac confirmatione proponenda nobis brevibus esse licet.

1) Inter *Iudæos* Isaias (41, 23) veritatem theologicam effert, deos alloquens: « Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos ». Moyses legationem suam probavit prædicta morte Dathan et Abiron subitanea et terrifica (Num. 16, 28 30). Apud totum populum, doctos atque indoctos, *Christum, apostolos* argumentum e vaticiniis Messianicis solemne erat. Quoad *Rabbinos* cf. *A. Edersheim*, The Life and Times of the Messias (11 impression 1901) App. 9: List of old Testament passages messianically applied in ancient rabbinic writings p. 719-41. Inde a tempore *Patrum* vix de ullo argumento pro religione christiana plura conscripta sunt quam de vaticiniis Messianicis. Cf. I pars histor. — *Ethnicorum* idea de hoc argumento et ex modo procedendi Patrum eruitur et ex eo, quod oracula ut signa divinitatis habebant. De quibus cf. quædam *Schanz* ³II, 447-49.

Ob. 1. *Aristoteles*, Metaph. XI, 9 docet, *Deum nihil extra se, sed tantum se ipsum cognoscere*. Etiam *Cels.* in: Orig. c. Cels. l. 2 n. 20 MG 11, 835 vel C. B. 2, 148 Dei præscientiam negat, cum hominis libertatem lædat. Ergo ethnici erant longissimi ab admittendo argumento e prophetiis. — R. Hic quorundam doctorum error, ortus e difficultate speculativa rei, humani generis certitudinem neque destruxit neque minuit. Cæterum Aristotelis error, iterum magna cum eruditione stabilitus a *K. Elser*, Die Lehre des Aristoteles ueber das Wirken Gottes (Doctrina A. de actione dei, 1893) ab aliis non conceditur.

Ob. 2. *Schell*, Apologie ¹I 393. 394 hæc fere tradit: Secundum Scholasticos angeli « ideis infusis ab initio omniscientiam rerum existentium saltem habitualiter possident », prophetiæ vero obscuræ esse solent, ergo a perfecta intelli-

gentia angelorum res facile præcognosci, ergo prophetiæ ad Deum ut causam physicam reduci nequeunt. Quodsi diceretur, Deum ut causam moralem prophetiarum cognosci posse, eo quod angeli boni tantum ut nuntii Dei agant, mali vero ut mali cognosci possint, fatendum esset, argumentum e prophetiis supponere scholasticam theoriam de cognitione et activitate et eschatologia angelorum. Iamvero prima et secunda falsa est, tertia nondum ut demonstrata sumi potest. Ergo *saltem universa philosophia scholastica argumentum e prophetiis recte formare non poterat.* — R. 1) Libera futura ne ab angelica quidem sapientia prædici possunt, etsi hæ prædictiones aliquid obscuri continent. Cæterum non obstantibus ideis infusis, negabant scholastici caetera futura ab angelis ante futuritionem eorum cognosci. Cf. *Suarez*, de angelis l. 2. c. 11. — 2) Argumentum e miraculis et effectibus miraculosis in ordine intellectus dependet ab eo, quid angeli sub providentia Dei facere sinantur, sive hanc scientiam naturalem habent sive illam. — 3) Ut has similesve difficultates evitaremus, argumenta omnia, quae spiritus tangunt, ita posuimus, ut neque eschatologiam angelorum neque theorias inter catholicos disputatas de eorum agendi vel cognoscendi modo neque omnino existentiam eorum necessario supponant.

Art. 2. De effectibus miraculosis in voluntate.

Propositio 26ª: Revelatio divina probari potest miraculis moralibus.

Lit. *Th.* c. Gent. 11 c. 6. — *Suarez*, de fide disp. 4 s. 3 n. 4, 6, 11 (ed. Paris.) 12, inter 119 et 125. — *Kleutgen*, IV pars 2 s. 4 n. 208. — *Wilmers*, prop. 44, 45. — *I. Mueller*, de vera relig. (impr. ut ms.) 275-78; 514-17. — *Eugen Mueller*, Natur und Wunder 169-83. Theologi, ubi de gratia sanante agunt.

130. — **St. qu.** *Expl. term. Definitio miraculi moralis.* Miraculum morale est actio moralis vel series actionum, externe manifestata, præter hominum modum agendi constantem divinitus effecta. — *Actio moralis* est actio, quæ elicitur a voluntate sub directione intellectus respicientis regulam morum. *Series* talium actionum ideo speciatim nominatur, quia fieri potest, ut actio quædam singularis vires hominum morales non superet, sed tantum certa earum series. — *Constans modus in rebus moralibus agendi.* Intelligitur præcipue is, quod homines non solent operari bonum vel bonum melius natura sua et ob diuturnitatem difficillimum, cum magna promptitudine vel facilitate vel gaudio spirituali, impellentibus nullis vel quasi nullis motivis terrenis, ob motiva æterna eaque perfectissima. — *Externa manifestatio* proxime ea respicitur, quæ habetur effectibus i. e. actionibus externis quæ ipsam moralitatem actionum voluntatis participant. Ad quam manifestationem connaturaliter complendam etiam verba pertinent, quæ v. g. clarius exhibent, quo genere motivorum religiosorum homo motus fuerit, num v. g. præcipue timore an amore. Neque

absolute excludimus eam manifestationem actuum internorum, quæ solis verbis veracibus continetur.

Divisio miraculi moralis. Secundum subiectum, in quo fit, est aut individuale aut sociale. *Secundum id quod efficitur,* ratio miraculi potest esse aut in perfectione effectus particularis, aut in duratione longa termini qui per breve tempus etiam naturaliter fieri poterat. *Secundum modum quo efficitur.* Uti homo ita Deus diversis sane modis id efficere potest, ut actiones humanæ perfectiores sint iis, quæ ordinarie fiunt. Insuper eos modos addere potest, qui homini præsto non sunt. Cf. n. sequentem.

De natura miraculorum moralium.

Miracula moralia fieri atque in signum revelationis assumi possunt.

131. — *Miracula moralia possibilia sunt: a) Non est in iis repugnantia intrinseca.* Etenim miraculum morale est in exceptione a constanti agendi modo in rebus moralibus. Hic vero oritur tum ex impossibilitate morali, qua impedimur, ne conatus continuos difficillimos tentationibus et multis et diuturnis opponamus, tum ex illa animi levitate, qua plurimi, etsi id sine maxima vel magna difficultate possent, tamen tantum parvam aut nullam vim in reprimendis passionibus adhibere volunt. Iamvero et huic levitati et illi impossibilitati morali Dei omnipotentia remedia afferre potest. Difficultas illa magna in faciendo bono oritur ex vehementia passionis corporalis, ex debilitate considerationis motivorum ad faciendum bonum, ex ipsa voluntatis inclinatione in bonum particulare aliquarum facultatum, ex habitu eligendi ea, quæ eligi non debebant, ex ipsa fatigatione, quam in resistendo experimur. Iamvero Deus potest directe in ipsius corporis complexionem influere; cognitionem motivorum reddere magis vividam, frequentem, profundam, hominis cuiuscumque indoli adaptatam et congruam; ipsi voluntati intrinsece novas vires addere. Similibus modis ipsam incredibilem multitudinis levitatem e similibus rationibus ortam cohibere potest.

Ob. *Miraculum non fit per vires eius creaturæ, in qua locum habet.* Atqui miraculum morale dicitur fieri proprie per vires eius in quo fit, perficitur enim ab eo, in quantum libertate sua utitur. — R. In miraculo morali agunt vires liberi arbitrii præter naturæ cursum fortiores redditæ. In miraculo physico absoluto generatim res alio modo se habebit. At neque conceptus miraculi physici destrueretur, si vires rei in qua vel per quam miraculum fit, ut elevatæ in effectum influerent. In miraculo autem physico relativo semper vires physicæ ipsius naturæ aspectabilis ad opus applicantur, utique modo qui est præter naturæ cursum.

Existunt fines Deo digni, quibus moveri possit, ut miraculum morale patret. Ad fines *generales*, qui ad qualecunque miraculum efficiendum inducere possunt (cf. prop. 12), accedunt hi *speciales:* α) *ipsa intrinseca operum honestorum existentia sive maior* eorum *perfectio* atque ea quæ inde resultat maior hominis externa et interna felicitas, interna sanctitas, certior et intensior beatitudo æterna. Hæc autem bona Deus ut operum suorum finem proximum præ cæteris intendit. β) *Cognitio* in homine efficienda, *Deum* non solum rerum physicarum, verum *etiam ipsius libertatis humanæ supremum esse Dominum.* γ) *Cognitio et laus plane specialis sanctitatis et bonitatis Dei* tum ex parte eorum, qui tale miraculum ipsi in se experti fuerint, tum ex parte eorum, qui illud in aliis patratum esse resciverint.

Miracula moralia apta sunt,
quæ in signum locutionis divinæ assumantur

132. — Etenim qua actiones divinitus præter naturæ cursum effectæ simpliciter apta sunt ad eum finem; quia externe manifestantur, pro hominibus speciali modo accomodata sunt; quia, stante ea morum corruptione quæ adest, facillime omnium oculos ad se trahunt, valde apta sunt, quæ revelationem etiam mediatam probent (Cf. n. 134 II B. 1 b. p. 106).

De cognoscibilitate miraculorum moralium.

Veritas historica miraculi moralis certo cognosci potest.

133. — Miraculum morale non est aliud quam actio honestate sua insoliti quid in se continens. Atqui et tales actiones ipsæ et verba per se apta sunt, ut maiorem vel minorem actuum honestorum numerum vel perfectionem manifestent. Imo quo magis insolita est honestas, eo magis et menti imprimetur et ad causam suam investigandam impellet.

Veritas philosophica miraculi
quibusdam sub conditionibus certo cognosci potest.

134. — I. *Constantes agendi modi cognosci possunt.* Medium illos cognoscendi est inductio, quæ ut rite fieri possit, experientia sufficientem materiam attulerit necesse est. — Quam constantiam præcipue illustrant ea statisticæ tentamina, quæ nunc cum hominum moribus describendis occupantur.

II. *Cognosci possunt exceptiones, eæque ut a causa extramundana productæ.*

A. *Ipsæ exceptiones ut tales cognosci possunt.* Etenim 1) cognosci potest difficultas magna superata. Nam experientia tum in nobis tum

circa alios facta optime scimus, actiones bonas per se tanto difficiliores esse, quanto magis a bonis sensibilibus retrahunt, quanto sunt plures, diuturniores, ad genera virtutum magis diversa et magis sublimia pertinentes, e motivis magis perfectis exercitae.

Promptitudo se manifestat absentia indeterminationis vel deliberationis præcipue longioris; *facilitas* ex absentia signorum pugnæ internæ durissimæ atque præcipue e verbis agentis; *gaudium spirituale* ex absentia signorum tristitiæ, ex signis externis gaudium prodentibus, ex verbis veracibus.

Bona terrena ordinis physici sive simpliciter sive saltem non eo gradu influxisse, ut actiones causare possent, constare potest α) ex eo quod nulla eiusmodi bona terrena, imo forte nonnisi mala iis opposita, actionibus istis acquiri poterant, vel saltem non eo gradu, qui ullam proportionem cum ærumnis susceptis habebat; β) ex eo, quod etsi aderant quæ movere poterant, tamen aliunde, sive ex qualitatibus agentis sive ex verbis veracibus constat, eum qui agebat de facto talibus bonis motum non fuisse. — Sunt autem talia bona divitiæ, voluptates, honor, scientia, cupido dominandi aliis, gaudium ut quis propriæ voluntati inhærere possit.

Bona temporalia ad ordinem moralem aliqua ratione pertinentia effectum non produxisse facile constare potest. Ad talia præcipue pertinet ea vis, quæ sita est in pulchritudine virtutis, in pace conscientiæ quæ virtutis exercitium sequi solet, etc. Iamvero eiusmodi bona generatim homines non impellunt ad actiones difficiles. Accedere potest diserta confessio agentis, qui edicit, hæc se non impulisse.

E contra *bona æterna* actum produxisse constare potest exclusione aliorum motivorum, verbis agentium. His ipsis atque qualitatibus hominum moralibus aliunde notis etiam ipsa religiosi motivi perfectio generatim manifestari poterit.

B. *Cognosci aliquando potest, exceptiones a viribus præternaturaliter adiutis processisse.*

1) *Ex natura actionis.* Causæ naturales in miraculum morale influentes sunt ex parte subiecti melior dispositio naturalis ad colendas virtutes; ex parte obiecti illa vis, quam motiva æterna in animum exercent, quando homo pro naturali sua virtute ea amplectitur. Iamvero aliquando constare potest, has causas solas effectum illum de quo agitur, producere non potuisse:

a) Ex circumstantiis, v. g. e multitudine agentium, vita eorum anteacta, confessionibus eorum, patere potest, *eorum dispositionem na-*

turalem ad virtutem aut non meliorem fuisse quam cæterorum aut ad talem effectum non fuisse sufficientem.

b) Num *motiva æterna pro modo naturali virium humanarum* influxerint an modo præternaturali, hac ratione cognosci poterit: α) Potest esse, ut ipsa cognitio firma et ampla motivorum æternorum, atque proinde ipsa conditio necessaria ut motiva influere possint, e fide revelationis suscepta dependeat, deinde demonstrari possit, hanc ipsam fidei susceptionem mirabilem intellectus illuminationem et mirabile voluntatis robur supponere. β) At etsi ratio miraculi in ipsa fidei susceptione sæpe demonstrari non potest, uti v. g. in iis qui iam a pueris firmam fidei persuasionem hauserunt, alia via hæc ratio miraculi moralis statui poterit. Potest enim esse, ut clarissime inter se distinguere possimus duos ipsorum credentium operandi modos: unum valde imperfectum, qui tamen eum influxum motivorum æternorum includit, qui e naturalibus hominum viribus procedere posset, alium multo perfectiorem, qui eum influxum manifeste superet. Etenim historia teste inter ipsos vere credentes innumera multitudo maxima levitate vitia amplectitur; plurimi alii, etsi quadam ratione resistant, tamen difficultatibus succumbentes ne a multis quidem peccatis gravibus se immunes custodiunt neque de facto e vitiis surgunt; omnes generatim confitentur, se nisi recurrant ad vires divinitus dandas, ab ipsa motivorum æternorum generali propositione atque fide diversas, misere cadere atque peccatis inhærere solere. Quodsi ergo hac debilitate non obstante in ipsis credentibus et vitæ integritas ab hoc statu rerum quam maxime discrepat et virtutes eo modo coluntur, quem mox (n. 134 II A) descripsimus, haec operandi ratio influxui naturali motivorum æternorum ascribi nequit.

c) Unde effectus, quem descripsimus, explicetur necesse est aut influxu præternaturali in dispositiones naturales, v. g. concupiscentiæ ablatione vel mitigatione mirabili, aut influxu mirabili, quo vel directe intellectus illustratur, ut motiva æterna frequentius, vivacius apprehendantur, atque ita indirecte voluntas influxum patitur, vel directe in voluntatem agitur, ut motiva æterna fortiter sequi velit, vel directe et in intellectum et in voluntatem, divinus influxus exercetur.

Ob. *Recurri potest ad quandam causam incognitam*, quæ casu in multis illis effectibus perfectis operatur. — R. N. as. Etenim causa incognita casu operans manifeste iam inde excluditur, quod hi effectus regula quadam fixa cum ipsa religione revelata vel eius exercitiis coniuncti sunt. Porro omnes causas, quæ naturaliter influere possunt, exclusimus.

2) Ad argumentum, quo exclusio causarum naturalium vi ipsius actionis perspectæ demonstratur, accedere potest *testificatio* α) eorum ipsorum qui agunt, cum v. g. confitentur se nonnisi post recursum ad Deum has vires obtinuisse, talem autem recursum cum omiserint, suæ fuisse debilitati relictos; β) æqualium eorum. Hi enim mediis in circumstantiis constituti, quid humanæ naturæ viribus ascribi possit, iudicare potuerunt. γ) eorum qui, etsi postea viventes, ob scientiam maximam rerum humanarum, præcipue psychologicarum, moralium, historicarum, religiosarum, æquum de istis effectibus iudicium proferre posse censendi sunt.

Veritas theologica miraculorum moralium cognosci potest.

135. — *Principium quoddam malum* hos effectus producere non potuisse in hoc genere miraculorum etiam clarius patet quam generatim in cæteris. Ipsa enim eorum essentia finibus mali spiritus opposita est.

Spiritus alios forte suo nomine agentes eos non produxisse ex eo patere potest, quod v. g. ii de quibus agitur, hos effectus generatim tunc tantum in se experti sunt, cum eas vires extraordinarias aut precibus ad Deum fusis aut mediis, quæ divinitus instituta habebant, adhibitis impetrare studebant. — Quando de huiusmodi effectibus ad probandam revelationem relatis agitur, accedere potest ea argumentandi ratio, quam prop. 17 de miraculis exhibuimus quæque ad hæc opera intrinsece bona cum maxima facilitate applicatur.

Veritas relativa miraculorum moralium cognosci potest.

136. — 1) *Modi iidem atque in miraculis physicis*: α) Hæc miracula antequam fiant, verbis ad revelationem probandam referri possunt. β) Ad legatum ut talem commendandum natura sua etiam magis quam miracula alia inservire valent. Etenim miraculosa sanctitas legati Dei eum aptissimum reddit, qui officium docendi summo cum ardore impleat, alios vero iuvat, ut fidem facilius suscipiant. Nam eiusmodi legatus libentius auditur, etiam cum ingrata denuntiat; clariora edicit, cum exemplis monstret, quod verbis indicat; maiore cum auctoritate loquitur, cum maxima eius sapientia sanctitate ipsa miraculosa manifestetur. Denique repugnat, Deum hoc donum, quo illustrius his in terris conferre non potest, ei homini concedere, qui errore maximo et funestissimo se legatum Dei primarium pro genere humano constitutum esse crederet. Tali enim honore Deus errorem sane omnium quasi maximum afficere nequit.

2) *Alii modi*: α) *Iudicium credibilitatis, pius credulitatis affectus fides ipsa rationem miraculi moralis continere atque manifestare possunt.* Homines enim maximas solent experiri difficultates in iis doctrinis prompte atque indubitanter admittendis, quæ nulla terrena commoda promittunt, gravissima vero officia imponunt. Iamvero constare potest, hanc difficultatem in plurimis esse superatam. Hoc v. g. supponendum est, si iudicium credibilitatis in religionem difficillimam elicitur promptissime vel quasi subitanee, retinetur nullo dubio animum pulsante vel omnibus facillime spretis; si ipse pius credulitatis affectus est promptissimus, vehementissimus, a virtutibus sublimibus imperatus; si ipsa fides firmissima est atque non obstantibus gravibus tentationibus ab externo provenientibus ab omni voluntario dubio remotissima, si ad omnes res terrenas recte diiudicandas continuo est applicata, si in ipso modo accidentali intensissima est ex parte voluntatis et fortissime simul atque suavissime in partem sensitivam redundat. Atqui impossibile est, Deum vel miraculoso modo influere in falsam persuasionem producendam.

β) *Aliquando cognosci potest, fidem in religionem revelatam efficaciter in miraculum morale influere.* Qui influxus diversis modis locum habere potest. Perspici potest, alias virtutes morales vel theologicas miraculose habitas, v. g. virginitatem, vel cumulum earum, a fide in legati doctrinam divinam saltem ordinaria ratione habita pendere. V. g. patere potest, ab ea sola peti virtutum normas et motiva. Iamvero repugnat, tales effectus pendere a persuasione falsa, idque sive considerantur ut simpliciter et universim boni sive ut miraculoso gradu boni. Si priore modo considerantur, repugnat providentiae Dei, permittere, ut tales effectus e falsitate procedant. Id a fortiori dicendum est, si hi effectus meliores sunt, qui in mundo conspiciuntur. Quod probabimus in thesi in qua de effectibus simpliciter et universim bonis qua motivo credibilitatis agetur. Si posteriore modo considerantur, crescit repugnantia. Etenim qua miraculoso modo boni hi effectus non tantum sunt universim et simpliciter boni, non tantum forte sunt meliores qui existunt, verum etiam *generice* meliores sunt qui existere vel possint. Deinde si Deus ne permittere quidem potest, ut falsitas fructus eiusmodi bonos ferat, si creaturæ solæ agunt, a fortiori ipse miraculoso modo in eas actiones influere nequit, in quas eiusmodi falsitas ut aliqua causa influit. — Accedere potest etiam perfectior influxus fidei isque externo modo manifestatus. Fieri enim potest ut fides cognoscatur agere in actiones miraculosas voluntatis non tantum ea essendi ratione, quam in omnibus, qui credunt, habere

solet, sed pro ea ipsa mirabili essendi ratione, quam eam interdum induere posse hoc n. sub α vidimus. Iamvero esset specialis oppositio ad amorem, quo Deus fertur in verum, si persuasionem falsam ad Esse mirabile elevaret, sique ita elevatæ mirabilem efficaciam in effectus bonos tribueret.

γ) *Fides* in revelationem vel in legatum ut revelantem *potest etiam esse causa finalis* virtutum miraculosarum, si ex natura sua, itaque a Deo ad fidem vel suscipiendam vel retinendam vel profitendam diriguntur. Iamvero Deus sane nihil, a fortiori nihil miraculosi, agere potest ad eum finem, ut fides falsa sive suscipiatur sive retineatur sive externa professione manifestetur et confirmetur.

δ) Præterea *miracula physica*, quorum veritas relativa aliunde constet, ita *coniuncta esse possunt cum confessione fidei*, ut pateat utrumque miraculorum genus ad eundem finem referri. — Fieri etiam potest ut omnes modi, quibus miraculum morale ad finem demonstrandam referri potest, inveniantur collecti.

137. — Ob. 1. Sunt theologi, qui tenuerunt, *Deum*, etsi falsa loqui non possit, tamen diversis modis *errorem producere posse*. — R. 1) Nego hanc paucorum doctrinam esse veram. 2) Etsi in rebus indifferentibus esset vera, in rebus religiosis est falsa. Perfectior enim Deo debet esse cura rerum religiosarum quam cæterarum.

Ob. 2. *Deus ad errorem etiam in re religiosa impellere potest.* Etenim facit id quod est plus, i. e. stricte obligat, ut sequamur conscientiam erroneam, i. e. iudicium erroneum, i. e. errorem. — R. N. as. et prob. allatam. Deus obligat, ut iudicemus verum id quod falsum est, seu obligat ad ipsum errorem, n.; obligat, ut, quamvis adsit iudicium directum erroneum de liceitate alicuius actionis, agamus secundum iudicium reflexum verissimum, quo scilicet iudicamus, licitum esse agere secundum conscientiam invincibiliter erroneam, c.

Ob. 5. *Martyres hæretici miraculoso modo impelli possunt ad retinendam vel profitendam fidem suam.* Ergo Deus miraculoso modo ad fidem falsam impellere potest. — R. Martyres qui simul cum fide vera aliqua iudicia falsa coniungunt, miraculose impelli possunt, ut profiteantur id veri, quod credunt, c.; id falsi, quod forte putant se credere fide divina, at de facto fide divina non credunt, n.

Confirmatio theseos. *Ex auctoritate.* Auctores graves ævi et patristici et medii et recentioris plurimum huic argumento dabant. Constat quoque, *multos* miraculis moralibus visis *fidei veræ nomen dedisse*. Utrumque in tractatibus sequentibus evolvemus.

3. *De effectibus neque per se neque per aliud sensibilibus.*

Propositio 27ª: Revelatio probari potest effectibus qui neque per se neque per aliud sensibiles sunt.

138. — **Lit.** Primo ea lit. conferatur, quam n. 105 p. 83 dedimus. In ea enim non tantum signa evolvuntur, quæ se habent ex parte obiecti, quod na-

turaliter cognosci nequeat, verum etiam non pauca asperguntur, quæ se habent ex parte modi cognitionis. — Præterea speciali modo ea in operibus de mystica agentibus attendantur oportet, quæ de cognoscendis statibus mysticis a revelatione et visione diversis statuunt. Quos quidam nomine unionis mysticæ comprehendunt. Amplectuntur hi status modos præternaturales tum cognoscendi tum volendi. — Ex operibus n. 105 p. 84 citatis cf. *Philippus a SS. Trinitate*, II tract. 3 discursus 1-3 p. 281-396. — *Antonius a S. Spiritus*, tract. 1 § 8-12 p. 34-39; tract. 4 disp. 1, 2, 4 p. 423-97; 551-616. — *Scaramelli*, tract. 2, 3, 4. — *Ribet*, I Première partie, de la contemplation p. 33-435. — *Poulain*, Partie 1-3, 6 p. 1-293, 453-573. — *Zahn*, l. 2 c. 2 p. 186-271.

139. — *Expl. term.* Per se sensibiles sunt illi effectus, qui in rerum natura aspectabili patrantur. Per aliud sensibiles illi, qui quamvis in se ipsis spirituales sint, tamen in ipsa ratione miraculi connaturaliter sensibiles fiunt per actiones vel verba. Scilicet actiones morales externæ virtutem voluntatis miraculosam paticipant atque proinde connaturaliter manifestant; verba, quæ prophetiam, cardiognosiam, cognitionem absentium, mirabilem sapientiam referunt, dummodo veracia sint, ipsum illud obiectum exhibent, propter quod cognitum illæ cognitiones miraculosæ dicendæ sunt. Quæ obiecta cum qua vera et qua miraculosa ob omnibus facile diiudicentur, hæ cognitiones miraculosæ aptissimum sunt motivum credibilitatis non tantum pro eo in cuius mente reperiuntur, verum etiam pro omnibus aliis.

Hac thesi quæritur, num etiam aliæ *actiones miraculosæ* sive in intellectu sive in voluntate receptæ, possint esse motivum credibilitatis, scilicet *tales, quæ miraculosæ sunt vel saltem ut miraculosæ considerantur non præcise ob obiectum quod attingitur, sed ob modum quo attingitur*, in quibus ergo ratio miraculi in intellectu non attenditur ob obiectum cognitum sed ob modum cognoscendi, in voluntate non ob sublimem virtutem quæ exercetur, sed ob modum miraculosum quo actus voluntatis efficitur. Patet ergo, præternaturalitatem talium effectuum non posse fieri visibilem ex obiecto quod per actiones vel verba connaturaliter manifestatur, sed eam tantum experientiæ internæ subiici atque proinde nonnisi difficilius ab aliis colligi posse ex descriptionibus eius qui eos effectus experitur vel e certis aliis indiciis. Unde eiusmodi actiones miraculosæ non tam apte inserviunt ut motiva credibilitatis revelationis mediatæ multis destinatæ, quam revelationis immediatæ, præcipue pro ipso propheta.

De natura eiusmodi effectuum.

Huiusmodi effectus possibiles sunt atque convenienter in signum revelationis præcipue immediatæ assumi possunt.

140. — 1) *Huiusmodi effectus possibiles sunt. a) Nulla eorum est repugnantia intrinseca.* Etenim docente psychologia, philosophia, imo ipsa experientia v. g. in sanctis, Deus præternaturaliter augere potest *actuum intelligendi et volendi* durationem, intensitatem, porro concedere præternaturalem simultaneitatem cum aliis actibus sive mentis sive compositi humani. — Quoad *actus intellectus* certe nemo potest demonstrare repugnantiam in eo, quod species impressæ non repræsentent res spirituales secundum analogiam quam habent cum materialibus sed prout sunt in seipsis. Porro si ipsum assensum spectamus, is certe e lege naturæ fit sæpe ex aliquo imperio voluntatis, in rebus difficilioribus non intuendo, sed discurrendo. Iamvero Deus certe hunc influxum voluntatis potest augere, porro ipse per se ipsum non per voluntatem in assensum influere, denique etiam difficiliorum rerum intuitionem concedere. — Quoad *actus voluntatis*, Deus efficere potest, ut præter naturæ ordinem sive vehementissime imo forte fere vel simpliciter sine libertate, sive continuo in obiectum determinatum ferantur.

2) *Fines propter quos Deus tales actiones miraculosas patrare potest*, præter eos, qui omnibus actionibus miraculosis communes sunt, hi nominari possunt: Ostendit Deus, etiam intimas mentium leges a se pendere; sublimiore cognitione rerum v. g. divinarum concessa animos ad intimiorem voluntatum unionem disponit; mirabili influxu in voluntatem eam directe ad se trahere potest; talibus ac tantis donis intellectui atque voluntati iam his in terris collatis portendit, ad qualem secum unionem animos in cœlis sit elevaturus.

Huiusmodi effectus natura sua in signum revelationis præcipue immediatæ convenienter elevari possunt.

141. — Elevari possunt, quia sunt effectus miraculosi, natura sua independenter a fide cognoscibiles. Convenienter elevantur, ut scilicet Deus non tantum mundum aspectabilem atque moralem, verum etiam omnia abdita intellectuum atque voluntatum humanarum suæ revelationis signis impleat. Præcipue pro revelatione immediata, quia modus cognitionis ex natura sua experientiæ propriæ soli subiacet et aliorum iudicio generatim nonnisi longiore explicatione subiicitur atque ab illis difficilius capitur.

De cognoscibilitate horum effectuum.

Veritas historica talium effectuum cognosci potest.

142. — Ei qui eos habet, nonnisi attentione atque reflexione opus est. Cæteri narratione fideli quid alter in mente sua experiatur rescire possunt, si tamen in re psychologica, philosophica (theologica) ita exculti sunt, ut loquentem intelligant. — Non autem diximus, actiones internas etiam eatenus subiacere experientiæ quatenus intrinsecum ordinem ad visionem beatificam dicunt. Imo ex fide scimus, talem visionem atque omne quod intrinsecum ordinem ad eam dicit, esse mysterium stricte dictum. Talia autem experientiæ submitti nequeunt. Ipsa autem visio beatifica, si cui hic in terra concederetur, quam maxime conscientiæ esset manifesta.

Veritas philosophica talium effectuum cognosci aliquando potest.

143. — Ac primo quidem omnis actio natura sua causam suam prodit saltem pro eo, qui ad eam penetrandam divino auxilio adiutus fuerit. Ergo etiam hi actus intellectus et voluntatis saltem iuvante Deo qua præternaturales cognosci possunt.

Deinde, etiam abstrahendo a tali speciali auxilio, aliqui actus tantam discrepantiam a lege ordinaria agendi intellectus atque voluntatis in se continent, ut qua miraculosi ignorari non possint. V. g. si res spirituales modo earum proprio cognoscuntur, non vero secundum analogiam quam cum rebus materialibus habent; si quis inter alias serias intellectus atque voluntatis occupationes continuo ante mentem habet sublimes quasdam veritates religiosas atque intellectus et voluntatis actibus perfectis continuo cum iis occupatur; generatim si et in quantum in homine sano libertas in applicando intellectu et voluntate sive multum minuitur sive tollitur atque hæ facultates vi quadam in divina rapiuntur.

Sunt utique alii effectus qui sæpe indolem suam præternaturalem minus clare manifestent. Talis rationis sunt v. g. maior claritas in cognoscendo, motiones in intellectu circa obiectum amplectendum, in voluntate sive ut intellectui assensum in aliquam veritatem imperet, sive ut aliud obiectum complectatur. Tales enim motiones sæpe similes sunt inclinationi ei quæ ex naturali instinctu quibusdam in intellectu inesse videtur (cf. v. g. *Wilmers*, n. 81, 2), vel motionibus voluntatis iis quæ ex bonitate obiecti perspecta oriuntur. Nihilominus aliqua signa haberi possunt, quibus tales motiones cum certitudine

ut præternaturales cognosci posse videantur. Talia sunt v. g. si cognitio clarior nullam proportionem habet cum consideratione obiecti quæ præcessit; si hæ motiones (sive in intellectu sive) in voluntate nullam convenientiam habent cum habituali dispositione subiecti; si insuper sunt vehementissimi, subitanei.

Cæterum etsi aliquando ratio præternaturalitatis in talibus actibus internis non cum certitudine cognosci, sed tantum « vehementissime coniectari » possit, tamen ideo non inutiliter considerantur. Non enim inutile est novum argumentum saltem probabilissimum, sed « ad argumentum credibilitatis et ad maiorem firmitatem eius » confert. Cf. de his effectibus rationem præternaturalitatis minus clare manifestantibus *Suarez*, de fide disp. 4 s. 6 n. 4 (ed. Paris.) 12, p. 136, 137.

Veritas theologica horum effectuum aliquando cognosci potest.

144. — Primo applicanda sunt illa criteria e circumstantiis hausta, quæ de aliis miraculosis effectibus statuimus (Cf. prop. 17 p. 68-71). Inter quæ hic primum locum occupat profectus in rebus religiosis recte intelligendis, speciatim in rebus fidei, si fides ut vera iam aliunde supponitur, in virtutibus moralibus et theologicis etiam extraordinario gradu exercendis. Talem enim finem Deus huiusmodi donis proxime prosequitur.

Addi possunt quædam criteria his effectibus propria. Etenim primo quidam effectus huiusmodi sunt, qui ob moralem perfectionem quam includunt sive ad quam proxime disponunt, a spiritu malo proficisci non possunt. Cogita v. g. continuam cogitationem de deo in intellectum immissam, continuos vehementissimos simulque suavissimos affectus amoris rerum divinarum in voluntate excitatos. Deinde sunt quidam effectus, quorum Esse physicum angelorum virtutem naturalem superare generatim statuitur, v. g. movere voluntatem directe, non tantum indirecte vel obiective i. e. tantum per obiectum ab intellectu ostensum. — Cæterum etiam in agnoscenda veritate theologica homo auxilio divino iuvari potest.

Veritas relativa horum effectuum cognosci potest.

145. — Hæc facillime cognoscitur, si effectus miraculosus est in ipsa inclinatione ad aliquod enuntiabile affirmandum, quae intellectui, in inclinatione ad imperandum assensum, quae voluntati divinitus indita est. Id enim ad quod affirmandum Deus impellit verum non esse non potest.

Quoad cæteros effectus miraculosos hic tractatos præter criteria quæ de miraculorum veritate relativa statuta sunt (cf. prop. 18 p. 73-75) notentur hæc: Constat de eorum veritate relativa: *a*) Si isti status extraordinarii sive optimam dispositionem ad id continent, sive intrinsece id in se habent, ut veritates fidei nostræ, etiam ipsa mysteria, clarius percipiantur, interne gustentur, efficaciam maximam in vitam exerant, efficacius aliis persuadeantur. *b*) Favores sunt, qui magna ex parte ob ipsam suam naturalem relationem ad perfectionem religiosam hominis eos habentis multo maioris æstimandi sunt, quam miraculorum patratio, futurorum prædictio et similia. Quodsi ergo nonnisi iis conceduntur, qui certæ cuidam religioni ut revelatæ adhærent, eam a Deo commendari clarum est. *c*) Quam facillime autem veritas relativa alicuius mirabilis cognitionis ad locutionem divinam probandam tunc patet, si hæc cognitio ex una parte ob modum quo fit ad Deum saltem ut causam moralem reducta est, ex alia parte continet ut id quod in ea cognitum fit, affirmationem, Deum hoc et hoc edicere. Quo in casu eadem actio revelatoria divina prout natura prius v. g. a propheta ut miraculosa agnita est, probat revelationem divinam in quantum est directio iudiciorum divinorum ad hominem. Capitur ergo cur revelatio in tali casu nullo novo miraculo accedente vere ut divina probetur. Hunc vel similem modum agnitionis veritatis revelatae *S. Thomas* videtur habere ut eum, qui speciatim deceat eos, qui « fidem primo acceperunt et docuerunt », quales erant Adam, prophetae. Cf. Qu. disp. qu. 18 de cognit. primi hominis art. 3.

Art. 2. **Argumenta ex revelatione quæ iam probata est.**

146. — Deus demonstrare potest unam revelationem nondum ut talem cognitam, vel aliquem hominem legatum nondum ut talem cognitum, per aliam revelationem, quæ natura prius ut divina probanda est. Unde hoc argumenti genere tantum ii uti possunt, qui natura prius per aliquod motivum credibilitatis cognoverunt, revelationem unam, alterius probativam, ad Deum ut causam esse reducendam.

Atque ut de legato probando proxime loquamur, hæc revelatio *si obiectum respicis*, potest designare legatum ut futurum, præsentem, iam vita vel munere functum. Priore ratione prophetæ V. T. Christum prædicebant, secunda eum quasi digito monstrabat Ioannes Baptista, tertia eum designabat in Apocalypsi S. Ioannes Evangelista.

Si modum revelationis respicis, Deus aut immediate per se ipsum aut per angelos aut per homines legatum designat. Ultimum videmus

in exemplis mox allatis de Christo annuntiato; secundum in Gabriele qui nuntium Beatæ Virgini detulit; primum v. g. sublimi modo Deus in ipsa Christi anima operatus est, cui perfectissima ratione suam legati dignitatem patefecit.

Art. 3. Argumenta ex auctoritate humana.

147. **Lit.** De ratione argumentandi ex auctoritate humana cf. Logici uti *Tilm. Pesch*, Logica pars II v. I n. 767-72 p. 267-75; de teste uno n. 770. — Scriptores de methodologia historiæ uti *Ch. de Smedt* S. I., Principes de la Critique historique (1883) præcipue c. 4 c. 10-12 c. 16. — *E. Bernheim*, Lehrbuch der hist. Methode (⁴1903) c. 2 p. 158-84; plurima in c. 4. — *Patres* et *Scholastici* præcipue rem exhibent ut iam applicatam ad religionem sive mosaicam sive christianam in concreto, unde eos iis locis afferemus. Ideam argumenti cum difficultatibus v. *Ch. Pesch*, Theol. Zeitfragen, 5. Folge (1908) p. 58-67. — Multa quoque huc pertinent, quæ theologi in tractatu de traditione de ratione valoris testimonii Patrum et fidelium disputant, uti v. g. *Franzelin*, de divina Traditione s. 1 c. 2 et s. 2.

148. — *Expl. term. Auctoritas humana* est in scientia et veracitate humana relate ad eam rem, de qua quis testatur. Utraque in una re quam quis testatur, adesse potest, in alia deficere. — Quodsi in re scientifica generatim magis ex auctoritate multorum quam unius probatur, hoc non necessario ex eo provenit, quod auctoritas multorum semper maior sit, quam unius, sed sæpe ex eo peti potest, quod, quando testantur multi, generatim facilius cognoscimus, afuisse rationes eas, quæ auctoritati obesse possunt, quam quando testatur unus. — *Agimus de testimonio tum historico tum dogmatico*, ut aiunt. Illud de facto aliquo testatur, hoc de intima natura alicuius facti vel de alia quadam doctrina. — Pro nostro argumento perinde est, num auctoritatem humanam consideremus quatenus fundat *fidem humanam scientificam an ethicam*, seu, ut alii se exprimunt, *fidem ob evidentiam attestationis an ob auctoritatem attestantis*. Illo modo se exprimit v. g. *Tilm. Pesch*, Inst. logic. I n. 498 p. 586, hoc v. g. *Billot*, de virt. inf., de fide c. 1 § 2 (²Romæ 1905) p. 204-213. Fides scientifica vel ob evidentiam attestantis determinatur nexu logico necessario inter rem testatam atque impossibilitatem ut attestans hic et nunc erraverit vel mentitus fuerit, atque proinde in sua firmitate huic evidentiæ connexionis commensuratur; fides ethica vel ob auctoritatem attestantis, supposita cognitione de existentia et veracitate testimonii, determinatur ipsa auctoritate attestantis, atque proinde in sua firmitate huic auctoritati commensuratur. Illa præstari potest

homini vel pessimo, qui nullam virtutem veracitatis habet, dummodo cognitum sit, eum v. g. ex motivis propriæ utilitatis hic et nunc non habuisse motivum mentiendi; hæc virtutem veracitatis considerat. Illa præstari potest homini per se generatim etiam in illo ordine rerum de quo testando agitur stultissimo, dummodo ex circumstantiis pateat, illum hic et nunc non errasse; hæc præstatur homini propter eius scientiam, qua saltem in certo ordine rerum ornatur atque ideo in præsenti illa una affirmatione non errat.

Patet, auctoritatem humanam non posse esse nisi *motivum credibilitatis secundarium* (Cf. n. 65, 5 p. 46). Etenim tandem deveniendum est ad aliquod motivum, ob quod is, cuius auctoritati humanæ primi fideles inhæserunt, revelationem immediatam credidit vel persuasionem de manifestatione divina, quam cæteris credendam proponeret, sublimiore actu accepit, idque sive de una persona agitur, quæ tali ratione res divinas didicit, sive de pluribus. Iamvero hoc motivum nequit esse iterum auctoritas humana, sed necessario est aliquod signum divinum, aliqua actio miraculosa. (Cf. prop. 13).

Propositio 28ª: **Auctoritas humana testis etiam unius certum revelationis argumentum esse potest.**

Præcipue inquirimus in auctoritatem eius qui se dicit legatum Dei in revelatione deferenda, i. e. eius, qui dicit, se immediate veritatem divinam accepisse manifestatam, ut eam cæteris credendam proponat.

149. — Argum. I. *E ratione interna.* 1) *Veracitas* eius qui se dicit legatum Dei aliquando certissima esse potest. Potest enim esse evidens *a*) eum, si in tradenda revelatione contra mentem loqueretur, dicendum esse hominem diabolicæ malitiæ; *b*) eum autem de facto non esse tale portentum malitiæ, imo forte miraculum virtutis.

Primum sæpe constare potest ipsa prædicationis legati quasi forma et materia. Is qui se dicit legatum divinum *formam suæ prædicationi* ascribit nobilissimam, esse eam sicilicet revelatam. Qua in re si mentiretur, gravissime peccaret: Contra Deum; auctoritatem enim divinam despiceret atque, quantum est ex se, Deum medio efficacissimo privaret, quo gloriam suam promoveret, revelatione. Contra humanum genus; etenim, quantum e se pendet, et omnia illa bona illi eriperet, quæ e revelatione ut vera in humanum genus derivari posse vidimus, et indignissimum illud adderet, ut vocem impostoris qua divinam locutionem illi imponeret. Contra se; excellentiam maximam indebito modo sibi ascri-

bens, superbiæ crimen committeret. — *Materiam* quam revelatam dicit, si respicimus, malitia talis hominis certis sub circumstantiis in infinitum crescere dicenda esset. Crescerent peccata contra seipsum et Deum, quo plures et sublimiores excellentias, forte usque ad ipsam divinitatem, sibi inhærere fide divina credendum proclamaret; contra genus humanum, quo magis gravia et tamen, in suppositione revelationis falsæ, forte magna ex parte inutilia, debilitati humanæ sub gravissimis pœnis et credenda et agenda nomine Dei proponeret. Ita enim eorum et temporali et, ob hominum debilitatem, ipsi æternæ felicitati quasi insidiaretur. — Præter obiectivam etiam *subiectiva talis hominis malitia* certa esse posset, si scilicet aliunde sciretur, eum eiusmodi scientiam rerum religiosarum et moralium habere, ut obiectivam malitiam horum peccatorum videret.

2) *Scientia debita* de sua revelatione certe in ipso illo homine adesse potest. Etenim non possunt omnipotentiæ divinæ deesse media, quibus summa certitudine, imo maxima evidentia de facto manifestationis extraordinariæ divinæ hominem imbuat. Nobis autem de illa scientia constare potest ex *errorum fontibus in illo homine exclusis.* A voluntate excludi potest nimia *in imperando assensu præcipitantia* hominis nota circumspectione, qua cavetur, ne in re gravissima affirmanda temere procedat; *in rebus revelatis inordinata complacentia* eo quod, si adesset, ob materiam revelatam ingens superbiæ crimen argueret, a quo eum alienum esse et vita et revelatio, etiam humilia ei ascribens, testari potest. — Ab intellectu remota esse potest *idearum confusio.* Nam ea potest esse materia revelata, ut is, qui in ea ad se vel alios applicanda confusione idearum laboraret, stultissimus vel insanus dicendus esset. Utrumque vero exclusum, imo maxima hominis sapientia manifesta esse potest. — *Defectus attentionis* vero saltem tunc assumi nequit, quando is ob rei inquirendæ momentum hominem maximæ levitatis argueret, a qua eum alienum esse aliunde, e gravitate nota, constare potest.

Quæ diximus, tanto certius omne sive mendacii sive erroris periculum excludunt, quo evidentius non solum crimen, stultitia, levitas ab homine excluditur, sed virtutis et sapientiæ cumulus in eo ostenditur.

150. — **Confirmatio.** *Ex auctoritate sapientum.* Etenim auctores primi nominis ex una quidem parte argumentum ex auctoritate pseudoprophetarum refutant, ex alia tamen parte illud pro Mose, Christo, prophetis admittunt atque admittendum non raro arguunt. — Singula videbimus in propositionibus de revelatione Mosaica atque christiana hoc argumentum tractantibus.

151. — **Obiectiones.** 1 et 2 est ex ipsa natura auctoritatis humanæ, 3 et 4 ex aliis capitibus; 5-8 ex auctoritate procedit.

Ob. 1. Si nostra fides in res revelatas auctoritati humanæ inniteretur, desineret esse fides divina. - R. D. as.: si inniteretur auctoritati humanæ ut motivo fidei, c.; si tantum ut motivo credibilitatis, n.

Ob. 2. *Fides divina* firmissima est, ideoque *neque in ratione motivi credibilitatis potest fundari in auctoritate humana tam infirma!* - R. quamdiu suæ infirmitati in actu primo relicta est, c.; quando probatum est, eam in actu secundo, in concretis circumstantiis, esse firmissimam redditam, n.

Ob. 3. *Si hoc argumentum simplicissimum valeret, cætera motiva credibilitatis essent superflua.* - R. N. as. Alia argumenta v. g. miracula, etiam aptiora sunt. - Imo cum hoc argumentum nonnisi secundarium sit, semper supponit, obiective saltem in propheta aliquod argumentum ex aliqua actione miraculosa præcessisse.

Ob. 4. *Qui auctoritate divina, etsi ficta, utitur ad religionem naturalem hominum mentibus inculcandam, finem optimum medio efficacissimo prosequitur.* Iamvero hoc sane bonum est, vel saltem alicui bonum esse videri potest. — R. 1) N. ma., de qua cf. arg.; 2) Tr. ma., n. min. quoad primam partem, d. quoad secundam: hoc bonum videri potest homini eius ignorantiæ in re morali, quæ quorundam Rationalistarum est, c.; homini sapienti, n.

Ob. 5. *Ne in re quidem iudiciaria lites unius testis affirmatione dirimuntur.* Atqui obiectiva veritas revelationis divinæ sane est res etiam multo maioris momenti. — R. D. ma.: generatim, idque prudenter ob humanam infirmitatem, quae in regula generali præsumitur, c.: semper, atque ex persuasione, nunquam ex uno veritatem haberi posse n. — Expl. Admittitur testimonium iuridicum unius solius, v. g. eius, qui affirmat, se hunc vel illum hominem in fama sanctitatis mortuum invocasse. - De difficultate cf. v. g. *Bened. XIV* de serv. Dei beatif. et canon. (ed. Rom. 1749) l. 3 c. 5 n. 1-9 p. 44-48. De responso v. g. c. 5 n. 9 p. 48, n. 18 p. 54; c. 10 n. 11 p. 111-14; c. 52 n. 2 p. 748, n. 3 p. 785.

Ob. 6. *Deuter. 19, 15* legitur « *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* ». Id quod Christus Mt. 18, 16 confirmavit. — R. E contextu hæc verba non continent regulam criticam generalem detegendæ veritatis, sed practicam in re iudiciaria.

Ob. 7. Qui in revelationibus privatis diiudicandis occupantur, uno ore proclamant, esse *maximum periculum, ut cogitationes propriæ cum locutione alterius*, locutio diaboli cum locutione Dei confundatur. — R. D.: tradunt, illud periculum semper subsistere, n.; quando circumstantiæ non sat notæ sunt, c. Cf. v. g. *Poulain*, Des grâces d'oraison (⁵1906) c. 21, 22 p. 315-76.

Ob. 8. *Tertullianus*, div. inst. l. 5 c. 3 ML 6 561 A; C. V. 19, 410 habet hoc: « cui... de se dicenti potest credi? ». — R. Forte secundum communiter contingentia loquitur vel per modum transmittentis.

PROPOSITIO 29ª: **Auctoritas humana plurimorum fidelium certum argumentum revelationis esse potest.**

152. — **Argum.** *Ex natura rei.* 1) Testes hos *contra mentem non esse locutos* certum esse potest. Etenim a) de *virtute veracitatis* eorum constare potest. Manifestum enim esse potest α) saltem hanc

maximam malitiam a testibus afuisse, ut in affirmanda divina revelatione publica maximi momenti fallerent; β) eos vel in rebus minoris momenti veracitate continuo excellere; γ) imo eos secundum revelationem aut mutasse totam vitæ suæ rationem aut constanter composuisse; δ) tandem multos potius crudelissimas mortes sustinuisse quam ut vel semel contra revelationem saltem externe loquerentur. — *b*) Constare potest, *nulla adfuisse motiva*, ob quæ persuasionem de revelatione simularent. Ita si α) omnia, quæ in terris grata esse solent, ad id impellebant ut profiterentur se contrarie sentire; β) si gentes per longa tempora suam adhæsionem ad revelationem manifestant, quamvis nulla lex externa revelationem protegat, vel, si quæ talis lex existit, impune contemnatur.

2) *Scientia debita* certa esse potest. Nam ex parte voluntatis excludi potest indebitus influxus in *præcipitantiam* et *assensus nimiam facilitatem*, qui ex rei revelatæ amore ortus esse putari posset. Obstat enim forma veritatis assumendæ, i. e. fides; credere enim imprimis mysteria præcipue cultioribus onus est; obstare potest materia ob gravissima onera, quæ revelatio hominum debilibus viribus imponit, præscribendo perfectam legem naturalem, adiungendo multa alia.

Ex parte intellectus excludi potest *a*) eius *hebetudo*. Nam divinæ providentiæ est, in firmanda revelatione publica media adhibere quæ omnium intelligentiæ sint accomodata; deinde non agitur nisi de quibusdam motivis credibilitatis in concreto diiudicandis, quod per se facilius est, quam iudicium de singulis doctrinis; tandem inter asseclas revelationis forte sunt cultores omnis scientiæ præcipue philosophicæ. *b*) *Præiudicia* saltem tunc timenda non sunt, quando testes diversi sunt natione, statu, animi cultura, scholæ philosophicæ placitis. *c*) *Confusio idearum*, si de re faciliori agitur, qualis esse potest iudicium in concreto de motivis credibilitatis. *d*) *Defectus attentionis*, si revelatio divina ea præcepta continet, quibus vetus homo et omnia eius desideria quasi cruci affiguntur.

Crescit hoc argumentum ex humana auctoritate plurimorum, si consideratur, hanc certitudinem non in una sola generatione quasi sedem fixisse, sed multarum generationum mentes occupasse; præterea fideles tot difficultatibus, quas revelationis adversarii per multas ætates e diversissimis scientis movebant, a sua certitudine nequaquam dimotos fuisse.

153. — **Confirmatio.** *Ex auctoritate sapientum.* Hoc argumentum inde ab initio apologeticæ diversis ætatibus atque a multis auctoribus propositum est. Eminent in eo proponendo ii, quos ob ingenii aciem argumentis non ex auctori

tate sed ex visceribus rei petitis delectari putare posses, uti Origenes, Augustinus. Neque desistebant ab eo urgendo, quamvis pagani pro sua religione præcipue populorum auctoritati insisterent. Quæ in applicatione ad revelationem in concreto videbimus.

154. — Ob. 1. *Certitudo, quæ per multas inter se succedentes generationes transit,* necessario sensim sine sensu *diminuitur.* — R. N. as. Sub iis conditionibus quas posuimus, non solum omnis generationis integra certitudo transmittitur, verum etiam præcedentis ætatis pondere semper augetur.

Ob. 2. *Agitur de testimonio dogmatico.* Atqui in eo soli sapientes auctoritatem habent. — R. D. min.: ubi agitur de veritatibus difficilibus e ratione intrinseca diiudicandis, c.; ubi de motivis credibilitatis, adiuncta præterea speciali providentia divina hominibus debilibus in re religionis non negata, n.

Ob. 3. Ut auctoritatem testium diiudicaremus, *deberemus rescire rationes, quibus ad iudicia sua permoti fuerint.* — R. D.: debemus ex errorum fontibus exclusis scire adfuisse rationes obiectivas, c.; debemus eas in se ipsis scire, n. Cæterum nihil impedit, quominus, confirmationis gratia, etiam rationes eorum consideremus.

Ob. 4. *Pro omni fere religione quæ, etsi falso, per decursum sæculorum ut revelata proposita est, argumentum ex auctoritate humana asseclarum allatum est.* — R. Argumentum ex testimonio, c.; ex auctoritate testimonii, sd.: ex auctoritate affirmata, non demonstrata, vel levibus tantum argumentis insinuata, c.: argumentis solidis probata, n. Fontes erroris excludere sæpe vix conantur.

Ob. 5. *Etiam ad res maximi momenti homines non debite attendebant,* idque per millia annorum, v. g. num terra circa solem moveretur, an e contrario. Ergo ex momento rei ad debitam attentionem concludere nefas est. — D. ma.: non attendebant sæpe ad res maximi momenti scientifici, vel etiam practici in se, cuius tamen momentum practicum ignorabant, c.; non ad illas, quarum vim practicam persentiebant, n. Exemplum allatum ad hanc classem veritatum pertinet.

Ob. 6. *Si plurimi post fidem susceptam ab ea recedunt, argumentum ex auctoritate fidelium duci nequit.* Atqui hoc possibile esse disquisitioni non subiecimus. — R. D. ma.: si remanet is numerus, qui in concretis circumstantiis ad argumentum requiritur, n.; si non remanet, sd.: tunc nequit argumentum peti e fide permanente c., orta olim, n. Imo aliquando, per accidens, defectio multorum argumentum etiam clarius reddit. Demonstrat enim, magnas fuisse difficultates superandas etiam ab iis, qui fideles remanserunt. Ita autem firmitas adhæsionis testium nobis magis splendescit.

155. — **Scholion.** Reducitur ad hoc *argumentum* ex auctoritate humana illud, quod apologetæ aliquando solum, aliquando cum aliis coniunctum desumunt e *mendaciis et contradictionibus, quibus revelationis adversarii suam resistentiam erga motiva credibilitatis defendunt.* Quodsi enim a sæculis, ut motivorum credibilitatis vim effugiant, nonnisi ad mendacia multa confugiunt, vel nonnisi ea afferunt, quæ aut inter se opponuntur, aut aperte vel tecte ipsam revelationis possibilitatem vel religionem naturalem vel alia sanæ philosophiæ capita impugnant, merito persuasum nobis esse videtur, ea quæ postea

afferentur, non maioris fore ponderis. Nisi enim rationes obiectivæ desunt, explicari non posse videtur, cur mens humana, ad veritatem facta, in impugnandis motivis credibilitatis, quæ e tot partibus cum variis scientiis humanis cohærent, quot sunt motiva credibilitatis atque in iis argumentandi rationes, non ea detexerit, quæ saltem solidam quandam probabilitatis speciem præ se ferant. — Cf. v. g. talis argumenti ideam *Orig.* c. Cels. l. 1 n. 28 MG 11 714 B; CB 2, 79. — *Arnob.*, adv. gent. l. 2. — *Scotus*, Oxon. Prolog. qu. 2. De sexto. — *Le Franc de Pompignan*, La religion vengée de l'incrédulité par l'incrédulité elle-même (Paris 1772) in: Migne, Démonstr. évang. 12, 653-752. — Etiam argumentum ex *assertionibus dæmonum* huc pertinet.

Art. 4. **Argumenta ex effectibus.**

Propositio 30ª: **Fructus simpliciter et in universum boni, qui e doctrina ut revelata per se oriuntur, eam revelatam esse certe demonstrant.**

156. — **Lit.** In prima parte adhibebimus principia, quæ valent in moribus diiudicandis et ad causas eorum reducendis, quæ ab auctoribus non tam in abstracto exponi solent, quam in concreto occasione applicationis. Hac ratione ea erue v. g. ex his operibus recentioribus: *Balmes*, El Protestantismo comparado con el Catolicismo en sus relaciones con la civilisación europea (Barcelona 1842-44, 4 vol. versa in multas linguas). — *A. von Oettingen*, Die Moralstatistik (³1882), quod opus tamen applicationes falsas habet. — *Murray*, de eccl. Christi II p. 50, 52, 66, 67. — *Heinrich Pesch* S. I., Die sociale Befähigung der Kirche (²1899). — *A. Joung*, Cath. and Protestant Countries (New-York 1895). — *Müller Josephus* p. 565-73. — *H. Krose* S. I., Einfluss der Konfession auf die Sittlichkeit (1900, etiam bohem.); *id.*, Religion u. Moralstatistik (1906); *id.*, Der Selbstmord im 19 Jahrhundert (1906); *id.*, Die Ursachen der Selbstmordhaeufigkeit (1906). — *Flamerion*, De la prospérité comparée des nations catholiques et des nations protestantes, au point de vue économique, moral, social (1902, etiam germ.). — *Ch. Pesch*, Theol. Zeit fragen, 5. Folge (1908) p. 60, 77-80. — De auctoribus qui hoc argumentum insinuarunt vel proposuerunt cf. quædam in Confirmatione theseos.

St. qu. 1) *Con. mat.* Revelatio factum est. Factum vero aut e testimonio aut ex effectibus concluditur. Inquiremus, num etiam hac via ex effectibus ad revelationem admittendam perduci possimus.

2) *Expl. term. Simpliciter boni* ii sunt effectus, qui conveniunt hominis naturæ, in quantum ad Deum ordinatur, i. e. effectus in ordine religionis. Complectuntur cum cognitiones in intellectu, in quantum in vitam religiosam influunt, tum actiones honestas atque ad Deum relatas in voluntate. — *In universum boni* ii fructus dicuntur, quibus nihil mali adiunctum sit, quibus porro universa hominis vita e norma religionis saltem naturalis recte ordinatur. — *Per se* ii fru-

ctus ex aliqua doctrina oriuntur, qui ex ea recte applicata proficiscuntur; per accidens vero ii, qui applicationi falsæ debentur. — *E revelata doctrina ut tali* originem trahunt fructus ii, qui ex doctrina ortum habent, in quantum ea, quæ proponuntur, non solum sciuntur esse vera, verum etiam in quantum creduntur esse revelata. — Cum *influxum doctrinæ in actiones bonas* statuimus, non negamus præterea specialem impulsum quem Deus forte immediate voluntati dat. At hoc impulsu interim non considerato, ex illo influxu arguimus. — Subiectum, in quo fructus bonos consideramus, proxime intelligimus *multitudinem plurimorum collectam.* Ratio est quia in ea generatim facilius quam in singulis fructus boni diiudicantur.

Argumentum ex effectibus supponit aliud credibilitatis motivum iam cognitum ab iis, in quibus primis boni illi effectus habentur. Etenim hos effectus a fide in religionem uti revelatam dependere in argumentandi ratione supponitur. Fides autem motivum credibilitatis saltem unum iam cognitum supponit.

157. — Argum. Pars I. *Fructus religionis revelatæ ut tales certis sub circumstantiis cognosci possunt.*

1) *Certis sub conditionibus status morum cognosci atque a statu alio*, vel anteriore eiusdem populi vel præsente sive anteacto alterius populi, *distingui potest.* Quod secundum principia in Ethica exposita fieri potest, si ex utroque statu inter se comparantur: *a*) quam plurima membra; *b*) totus cumulus actionum bonarum vel malarum, non tantum actiones unius vel alterius speciei; *c*) ea quæ fieri solent, non quæ aliquando ab uno vel alio facta sunt; *d*) actionum maior vel minor difformitas obiectiva a regula morum vel conformitas ad eam; *e*) maior vel minor perfectio motivorum in iisdem actionibus; *f*) firmitas, qua virtutes vel vitia inhærent.

2) *Certis sub conditionibus cognosci potest, eum statum deberi religioni, non vero aliis causis.* Hoc concludi potest v. g.: *a*) ex ipsa comparatione inter doctrinas alicuius religionis atque persuasiones sive actiones asseclarum eius; *b*) ex ipsis verbis quibus religionis cultores veraciter se vitam suam ad eas normas componere asserunt; *c*) ex exclusione aliarum causarum. Sunt autem tales aliæ causæ præcipue physicæ, psychologicæ, œconomicæ, scientificæ, iuridicæ. Excluduntur vero duobus modis, sive directe, sive indirecte. Ut excludantur indirecte, demonstrandum est, aut duos alicuius subiecti status fuisse eosdem relate ad causas illas quas enumeravimus, diversos solum e parte religionis; aut eos diversos esse ex parte causarum illarum, eosdem solum ex parte religionis. Directe excluduntur causæ illæ na-

turales, cum singillatim ostenditur, quem influxum singulæ produxerint, atque probatur, ex eo eam morum diversitatem, de qua agitur, originem suam habere non posse.

3) *Certis sub conditionibus cognosci potest, statum morum religioni ut creditæ deberi.* V. g.: *a*) Si populus, de quo agitur, expedite, certo, nullis admixtis erroribus universam legem naturalem cognitam habet. Vidimus enim prop. 11 eam in hoc ordine rerum sine revelatione a multitudine tali modo cognosci non posse. *b*) Accedit, si firmitas, qua eam tenent, maior est, quam quæ ex scientifica inquisitione oriri possit atque revera originem habere experientia videtur. *c*) Si ipsi religionis asseclæ veraciter affirmant, se ideo solum eam habere persuasionem tam certam, voluntatem doctrinas sequendi tam promptam, quia eas omnes revelatas esse teneant. *d*) Si vires voluntatis ad bonum cognitum faciendum a fide in legationem nuntii divini pendent. Quod v. g. locum habet, cum nonnisi precibus ad Deum eius intercessione fusis vel mediis ab ipso ut legato divino institutis se illas vires obtinuisse homines veraciter affirment. Id quod experientia comprobare potest. *e*) Si excluditur influxus veritatum, in quantum simpliciter veræ putantur, non vero ut revelatæ creduntur. Qui præcipue incapacitate plurimorum ad res ex rationibus intrinsecis perspiciendas remotus esse cognoscitur.

Pars II. *Fructus simpliciter et universim boni e religione revelata ut tali profluentes, factum revelationis demonstrant.*

158. — Falsum nequit esse causa boni, quod est simpliciter et universim tale. Atqui fructus doctrinarum ex suppositione sunt et simpliciter et universim boni, una vero causa eorum est persuasio, eas esse revelatas. Ergo hæc persuasio falsa esse nequit. Ergo eæ veritates revelatæ sunt.

Prob. mai. Alias 1) oppositio esset inter bonum et verum, deesset ordo essentialis inter hominis intellectum atque voluntatem. 2) Deus indifferenter se haberet erga falsum et verum, imo falsitatem præ veritate amare dicendus esset. Providentia enim sua cum falso fructus coniungeret simpliciter et universim bonos. Quod argumentum e providentia divina multum crescit, si hi fructus meliores sunt dicendi, qui unquam in humani generis moribus conspecti sunt.

159. — **Confirmatio.** *Ex auctoritate sapientum.* Indirecte hoc argumentum proponunt, in quantum, quando agitur de motivis credibilitatis primariis, uti miraculis et prophetiis, ut vera a falsis distinguant, quam maxime ad effectus bonos attendunt. Cf. prop. 17 n. 97 p. 70, 71, quae argumenta multorum aucto-

rum sunt. Hæc enim argumentatio non subsistit nisi supposita cogitatione principali huius nostræ theseos. — Directe hoc argumentum ex auctoribus recentioribus proponunt v. g. *Wilmers* prop. 34 p. 120-23. — *Ottiger* p. 167-69. — *Schanz*, Ueber Neue Versuche der Apologetik (1897) § 4 p. 82-102. — *De Broglie*, Problèmes et Conclusions de l'histoire des religions. — *A. Weiss*, Apologie, cuius omnes tomi hanc quasi cogitationem principalem habere videntur. Ipsi adversarii religionis sive christianæ sive catholicæ in tantum hoc argumentum etiam ipsi ut verum agnoscunt, in quantum pro sua religione illud ut palmare adducere non cessant. Errant vero in iudicio, quid sit vere bonum vel ex quo fonte illa pars boni proveniat, quam possident.

160. — **Obiectiones.** 1 et 2 est contra cognoscibilitatem status morum, 3 et 4 contra vim argumenti.

Ob. 1. *Homines hypocritas agere possunt.* Ergo ex verbis vel actionibus externis nunquam ad mores bonos concludi potest. — R. D. antec.: Et sunt signa quibus facillime in ipsis populis et sæpe etiam in singulis hominibus certe cognoscitur, non adfuisse hypocrisim, c.. et non habentur talia signa, n. Expl. Signa talia aut in eo sunt, ut demonstretur, nullas in tot hominibus (eo homine) adfuisse mentiendi causas, aut in eo, ut probetur ea, quæ in genere morum facta sunt, difficiliora fuisse, quam quæ ob motivum hypocrisim suadens, a tot hominibus (eo homine) perfici potuerint.

Ob. 2. *Actionum motiva vix unquam detegi possunt.* Atqui actio religiosa a non religiosa distinguitur eo, num motivum ad Deum referatur necne. — R. D. ma.: Difficillimum sæpe est in singulis quibusdam actibus singulorum hominum discernere, num e motivo religioso an terreno egerint, et præcipue num uno motivo religioso præ alio moti fuerint, c.: difficillimum est, cum de tota vita cuiusvis hominis vel de integris populis agitur, discernere, num eorum in moribus mutatio e motivis religiosis ortum duxerit an e motivis terrenis, n.

Ob. 3. *Verum esse non est idem atque revelatum esse.* Atqui e fructibus bonis alicuius doctrinæ tantum sequitur eam veram esse. — R. C. ma. D. min.: e fructibus alicuius doctrinæ, quæ solum tenetur ut vera et quæ solum ut talis in actiones influit, c.; e fructibus doctrinæ, quæ habetur ut revelata atque ut talis in actiones influit, n.

Ob. 4. *Etiam Ethnici atque sectarii imo multi asseclæ Mohamedanismi, ut concessum est, pro sua religione hoc argumenti genere usi sunt atque utuntur.* Ergo nullius momenti est. — R. Ethnici, Mohamedani, Protestantes ex duplici fonte in applicatione argumenti errant. Primo non adducunt fructus simpliciter et universim bonos, sed v. g. bona materialia, vel bona spiritualia ficta v. g. falsam libertatem spiritus, vel mala moralia, uti praecipue Ethnici; deinde partem boni veri quam habent, falso ad Ethnicismum vel Mohamedanismum vel hæresim ut fontem reducunt, cum illam ad eas partes religionis veræ naturalis vel christianæ reducere deberent, quam sæpe adhuc retinent.

161. — **Scholion I.** Si quæ doctrina, in quantum simpliciter ut vera consideratur, fructus in universum bonos producit, hi fructus *criterium negativum revelationis doctrinæ constituunt.*

Scholion II. Fructus in genere morum mali ex aliqua doctrina orti, *signum sunt, eam doctrinam a Deo non esse revelatam.* Etenim

ea primo falsi aliquid continet. Deus autem falsum revelare nequit. Deinde malum producit. Mali autem auctor Deus esse nequit. — Quodsi autem spiritus existerent undequaque mali, tales talis revelatio apprime deceret. Porro si constat aliunde, talem revelationem factam esse, eam a spiritu processisse constat, qui aut fallitur aut fallit.

Propositio 31ª: Statuuntur partes, quas pax interna animi, e religionis cognitione vel exercitio orta, in formando iudicio credibilitatis habere possit.

162. — **Lit.** Cf. v. g. *Tertull.*, de spectac. c. 29 ML. 1, 659. — *Savonarola*, Triumphus crucis l. 2 c. 11. — *Gregor. a Valentia*, Analysis fidei l. 1 c. 5 ab initio (ed. Paris.) p. 5. — *Suarez*, de fide disp. 4 s. 6 n. 4 (ed. Paris.) 12, 136, 137 aliquo modo. — *Kleutgen*, IV ²pars 2 s. 4 c. 1 n. 168 sq. p. 325 sq. n. 203 sq. p. 391s q. — *Wilmers* th. 33 p. 117-20. - *Ottiger* p. 306-10. — *Pesch Ch.*, Theologische Zeitfragen I 107-30. — *Schanz*, Neue Versuche der Apologetik § 5 p. 102-34, 151-89. — *von Schmid*, p. 172-246. — *Ollé Laprune*, Les sources de la paix intellectuelle (²1893).

Pars I. *Principia de causis et cognoscibilitate huius pacis.*

163. — 1) *a*) Sola religio revelata, uti thesi 11 vidimus, religionem naturalem integram docet. Iamvero religio naturalis si cum certitudine, præcipue fidei, cognita, atque actionibus correspondentibus exercita est, et intellectus et voluntatis inclinationibus convenit. Ea quoque bona, quæ mysteriorum cognitione et participatione homini conferuntur, utramque facultatem perficiunt. Iamvero quod harum facultatum inclinationibus respondet, et intellectui quietem securam et voluntati pacem ob virtutis exercitium et vitæ æternæ firmam spem conciliat. Ergo *revelata religio, natura sua quandam animi pacem efficit. b*) *At etiam religio naturalis*, etsi ex parte tantum cognita et exercita, a fortiori si quando integra et perspecta et observata esset, *gaudio quodam hominem afficeret. c*) *Imo ipsa religio falsa*, præcipue si non tantum vera sed etiam revelata creditur, veri et boni specie oblata intellectui, qui præiudiciis, voluntati, quæ inclinationibus malis acquisitis corrupta est, *similem in his facultatibus effectum habeat necesse est.*

2) *Nihilominus ea pax in se et profundior et stabilior est, quæ oritur* α) *ex vero et bono vere tali*, non e putativo, β) *e maiore amplitudine* earum rerum, quæ intellectu certo cognoscuntur vel voluntate suo modo iam possidentur, *c*) *e maiore certitudine* cognitionis per intellectum et possessionis per voluntatem.

3) *Pax e vero et bono proveniens per se cognosci potest.* Signum eius præcipuum in eo est, ut neque intellectus neque voluntas ad nova semper obiecta, iis quæ antea amplexi erant, contraria amplectenda ferantur, sed in tenendo vero et prosequendo bono constanter perseverent.

4) *Animi pax ab eius redundantia in partem sensibilem distingui debet.* Hæc redundantia in aliquibus facillima est, in aliquibus difficillima; in quibusdam intensissima, in quibusdam debilissima; aliquando certis temporibus adest, certis abest.

Pars II. *Regulæ pro formando iudicio credibilitatis ex his principiis deducuntur.*

164. — I. Sive animi sive partis sensibilis *gaudium quod ex obiecto falso vel malo exortum est*, si a religione commendatur vel permittitur, vel ex ea connaturaliter sequitur, *signum est, eam religionem esse falsam.*

II. *Gaudium partis sensibilis de re quadam religiosa, cuius veritas aliunde nondum iudicata est, a*) si abest, per se nunquam probat, religionem subiecti non esse veram; *b*) si adest, in tantum religionem veram vel falsam esse indicat, in quantum aliunde constat, ipsius animi pacem, ex qua redundat, eius veritatem vel falsitatem arguere; *c*) in quantum religionem veram indicat, *hoc qualecunque indicium neque omnibus, qui veram religionem habent, commune est, neque in ipsis illis, in quibus adest, omni tempore invenitur, neque eadem intensitate sentitur.*

III. *Quoad animi ipsius pacem e re religiosa exortam:*

1) *Quoad internam experientiam, quam quis in se ipso sentit.* — *a*) *Si fidelis,* qui aliis credibilitatis motivis de religione sua certus est, hac pace, præcipue per aliquod tempus, carere videtur, nullatenus turbari debet. Qui vero eam experitur atque ad id attendit, eam e religione revelata ut tali fluere, hoc effectu uti aliquo credibilitatis motivo uti potest. Est enim effectus bonus, cum hac pace in vero et bono firmetur. Patet vero hoc *motivum pro eo nonnisi secundarium esse.* Supponit enim, eum aliunde revelationem ut certam cognovisse. *b*) Qui *fide amissa* etiam hanc pacem ante habitam sibi iam deesse sentit, ex hoc effectu tristi saltem induci debet, ut alia motiva credibilitatis iterum consideret. *c*) *Qui nondum credit* α) certe ex fide in mysteria vel ex certitudine maiore religionis revelatæ grata animi pace affici plane nequit. Ergo argumenti ex interna experientia pacis incapax est. β) Ea vero pax, quam ex cognitione et exercitio sive

partis religionis naturalis sive forte eius integræ haurit, ad id quidem iuvare potest, ut facilius sive certius iudicet, partem religionis naturalis vel eam integram veram esse, nullo vero pacto ad id inservire potest ut eam revelatam habeat. Ad id autem ea qualiscunque pax utilis est, ut e pace, quam minus perfecte in se habet, maioris æstimet eam, quam in fidelibus perfectius inesse cognoscere potest. γ) Si forte certo sciret, animum suum erga verum et bonum bene esse dispositum, nihilominus se in rebus religiosis diiudicandis nova semper inquietudine agitari, merito veritatis indagandæ gratia ad eos se conferret, quorum doctrina pacem subsequuturam esse suspicatur.

2) *Quoad internam pacem, quam in aliis inesse rescimus.* Aliquando pax, quæ in iis a religione revelata oritur, ab ea, quæ aliunde oritur, distingui potest: *a*) *Verbis* eorum, quibus et factum et facti causas veraciter produnt. *b*) Maxima differentia in *qualitatibus huius pacis* i. e. in eius profunditate et stabilitate. Hæc differentia quamvis in singulis difficilius dignoscatur, tamen cum agitur de multitudine diu observata, præcipue *de multis nationum generationibus*, haud raro aliqua ratione cognosci poterit. Ubi enim hæc pax non est profunda et stabilis, populi ad cæcum fideismum vel scepticismum intellectus, ad desperationem voluntatis sive inclinantur sive delabuntur. *c*) *Ex moribus personarum.* Etenim, ii, quos aliunde constat præiudiciis vel passionibus esse deditos, certe non de ipso vero et bono, sed ad summum de eius specie habitualiter gaudebunt. Contrarium in iis accidet, qui contrario modo dispositi sunt. *d*) Ipsis *veris et bonis in se cognitis.*

165. — **Confirmatio.** *Ex auctoritate sapientum.* Ex una parte auctores, uti ii quos in Lit. commemoravimus, etiam animi pacem inter credibilitatis motiva recensent; ex alia parte præcipue postquam, Reformatione exorta, Protestantes eo motivo false uti conspiciebantur, cautionem maximam in eo adhibendo commendant.

Propositio 32ª: Statuuntur partes quas consideratio bonorum externorum, quæ sæpe civilisationis dicuntur, in formando motivo credibilitatis habere possint.

166. — **Lit.** Cf. primo ea opera, quæ conceptum culturæ vel civilisationis exhibent, v. g. *Nostiz-Rieneck*, Das Problem der Cultur (1888) 4 sq. Deinde ea, quæ ad prop. 30 p. 121 nominavimus, præcipue *Heinrich Pesch* o. c. c. 17-19 p. 513-602. — Porro multi art. recent. in foliis periodicis v. g. *M. Weyrich* in: Revue sociale catholique (1899) 214-19. 225-34. — *Cathrein*, Cultur u. Kirche, in: Stimmen 63 (1902) 131 sq. 262 sq. — *Murillo*, Las naciones latinas en nuestras dias: La civilización y las naciones latinas, in: Razón y Fe II, III (1902) n. 8, 10, 12, 13. — *Ires de*

la Brière. Nations protestantes et nations catholiques, in: Etudes 104 (1905) 625-45. 801-18. — Etiam Patres non raro principia vera inculcant occasione similium obiectionum ethnicorum. Cf. v. g. *Euseb.*, in multis locis v. g. præp. evang. l. 1 c. 2 n. 1 MG 21, 23. B. — *id.*, contra Hieroclen c. 16 MG 22. 828 D. — *Aug.*, præcipue l. 1-5 de civit. Dei v. g. l. 2 c. 20 ML 41, 65, 66; l. 5 c. 24 ib. 170, 171. — E sæculo 15 et 16 *Savonarola*, Triumphus crucis præcipue l. 2. *Thomas Bozius*, de signis ecclesiæ Dei (ed. Col. Agrip. 1592) II l. 16-24 p. 368-1456.

PARS I. *De bonis externis, quæ sive in singulis sive in populis principaliter e causis a religione distinctis dependent.*

A. *Enumerantur eiusmodi bona eorumque causæ.*

167. — 1) *Bona* eiusmodi sunt v. g.: *Divitiæ*, quæ quam maxime pendent a soli fertilitate, a situ terræ commercio adaptato, a iudicio ultimò practico in rebus materialibus, sæpe quoque ab iniustitia sive hominum privatorum sive rerum publicarum.

Potentia politica, quæ plurimum debetur divitiis, arti militari, casui, scientiarum et artium naturalium progressui, ultimo iudicio practico in rebus œconomicis et politicis etc., sæpe iniustitiæ et ambitioni.

Scientiarum et artium status evolutus, quem maxime iuvant externa ex ipsis opibus profecta subsidia, indoles naturalis sive inquisitionibus philosophicis sive indagandis naturæ viribus magis apta.

168. — 2) *Causæ* tales in genere sunt natura rerum physica; corporum et animorum qualitates ab ipsa natura receptæ vel ob motiva simpliciter terrena excultæ, v. g. maior sagacitas vel energia; virium omnium ad solas res materiales acquirendas applicatio, omni rerum religiosarum cura posthabita, vel etiam alia vitia; denique etiam virtus vera, quæ e religione sive naturali sive revelata hausta est, v. g. diligentia et iustitia propter Deum exercita.

B. *Regulæ quæ e natura horum bonorum eorumque causis pro formando motivo credibilitatis fluunt.*

169. — 1) *Præsentia horum bonorum* sæpissime signum esse potest religionis falsæ vel ab ipso principio malo profectæ. Indirecte hoc ostenditur, si probatur, hæc bona orta esse e furto, ambitione, rerum divinarum neglectu, verbo e vitiis, ipsa autem vitia e religione, quam revelatam putabant, provenisse. Directe hoc ostenditur, si demonstratur, spiritum illum cui revelatio ascribenda esse demonstratur, ad media iniusta in rebus terrenis acquirendis, ad nimium eorum amorem provocasse.

2) Certis sub conditionibus præsentia bonorum temporalium in populo fideli aliquid ad religionem revelatam probandam conferre po-

terit. *a*) Si demonstrari potest ea vitiis non deberi, valide obiectionem refellit, religionem revelatam inimicam esse rerum humanarum affluentiæ et progressui. *b*) Si probatur, hæc bona in concreto non e causis malis vel naturalibus orta esse, sed ex quadam virtute, quæ e religione naturali vel revelata dependeat, signum sunt istius virtutis ut e religione procedentis, atque proinde aliquid conferre possunt ad argumentum ex effectibus bonis complendum.

3) Ipsa bona naturalia sine respectu ad causas eorum ex parte hominum vel naturæ physicæ signum infallibile religionis revelatæ fieri possunt, si ex revelatione constiterit, Deum præter communem providentiæ ordinem ea ut præmium partiale cum religionis revelatæ fide indiviso nexu coniunxisse. Quod decretum propter speciales circumstantias aliquando conveniens esse potest.

4) *Absentia horum bonorum* per se nunquam est signum, aliquem populum vera religione non frui. Potest enim esse, ut hæc absentia oriatur e causis naturalibus vel ex defectu observantiæ religionis atque virtutis ab ea præceptæ v. g. diligentiæ, sobrietatis, non vero ex ipsa religionis deficientia.

5) Imo hæc absentia bonorum temporalium signum esse potest religionis veræ. Potest enim fieri, ut quædam gens ob ipsam religionis sive naturalis sive revelatæ observantiam a religionis hostibus iniustissime privetur bonis terrenis, imo etiam mediis ea acquirendi. Neque repugnat, quominus diligentia et prudentia populi vera pietate eximii ob causas naturales quasi casu concurrentes fructibus suis terrenis careat. Hoc infortunium ad maius populi bonum a providentia divina ordinatum esse iure concluditur, si populus hæc mala fortiter propter Deum tolerat.

6) Aliquando hæc absentia bonorum temporalium religionem falsam demonstrare potest. Quod tum fit, cum probatur, eam ex vitiis in populo communibus esse ortam, ipsa vero vitia impellente vel permittente religione esse contracta.

Pars II. *De bonis externis, quæ arctius cum religione vera cohærent.*

1) *Enumerantur eiusmodi bona eorumque relatio ad religionem ostenditur.*

170. — *a*) Proxima norma moralitatis est ipsa connaturalis perfectio cum singulorum hominum tum familiæ atque societatis publicæ. Iamvero sola ea religio eam integre proponere et efficacibus motivis atque sanctione instruere potest, circa quam Deus extraordinariam

providentiam habuit (cf. prop. 11). Ergo *sola ea religio perfectum totius hominis atque societatis humanæ statum producere potest.* A statu vero hoc perfecto ea pendent bona temporalia, quæ singulorum atque totius præcipue societatis felicitatem quandam veram, etsi imperfectam, his in terris, fundare valent. Si ergo constiterit, hoc adiutorium divinum extraordinarium in sola revelatione situm esse, dicendum est, e sola religione revelata perfectum totius hominis atque societatis humanæ statum oriri posse.

b) *Bona, quæ hunc perfectum hominis atque societatis humanæ statum his in terris constituunt, sunt:* secura bonorum vitæ atque fortunæ possessio; æqua quædam bonorum temporalium distributio, disposita secundum normam boni communis, effecta cooperantibus legibus atque caritate; pax et civium inter se et inter omnes nationes sancte custodita; scientiarum atque artium inferiorum debita a superioribus dependentia atque ipsarum veritatum superioris ordinis certitudo naturalis vel etiam scientifice perfecta; præcipue vero ea omnia, quæ in custodia castitatis ut in cardine quodam moventur: populi ipsius existentia atque numerus, corporum incorrupta sanitas, suus omni sexui servatus honor, familiarum pax, debita prolis educatio, hominis ad altiora quæque appetenda aptitudo.

c) Inter hæc ipsa bona *quædam* sunt, quæ cum sive nullam sive non plenam religionis naturalis observantiam requirant, a causis naturalibus vel ab humana natura, religionis plane oblita, *ob ipsa motiva temporalis felicitatis efficaciter, saltem per aliquod temporis spatium, appeti possunt.* Talia sunt v. g. pax inter nationes, quædam securitas vitae, etc.

d) *Alia sunt bona, quæ* etiam singula humanæ naturæ ita difficilia sunt, ut teste experientia *ne ut singula quidem sola naturæ cognitione dirigente et solo naturæ vigore exequente a multitudine attingi possint,* v. g. matrimonii sanctitas.

5) A fortiori *cumulus bonorum illorum* arguit vires et cognoscendi et volendi superiores iis, quæ natura duce habentur.

6) Etiam ii qui religioni revelatæ veræ adhærent, eius præceptis inobedientes esse possunt. Imo hæc imperfecta eius observantia ex parte fidelium, spectata naturæ humanæ debilitate, a priori exspectanda est.

171. — 2) *Regulæ, quæ ex relatione horum bonorum ad religionem, pro formando iudicio credibilitatis fluunt.*

a) Qualiscumque eorum pars, quam ex vera religione descendere aliunde notum est, apta est, ut motivum credibilitatis perficiat; omnis

alicuius partis defectus, postquam e radice ipsius religionis descendere probata est, iudicium de falsitate talis religionis fundare potest.

b) Quædam ex his bonis, cum miracula moralia sint, si ad religionem revelatam probandam referuntur, etiam sola eam revelatam esse demonstrant. De quibus iam egimus.

c) Maxima excellentia in omnibus vel difficilioribus et præstantioribus his bonis, qua unus populus præ alio insignitus est, eius religionem esse revelatam probat, si demonstratur, hanc excellentiam e religione ut revelata procedere. Rationes pro his assertionibus eædem sunt, quas in prop. 30 exposuimus.

172. — Confirmatio. *Ex auctoritate sapientum.* Quæ de relatione bonorum externorum ad iudicandam revelationem diximus, auctoritate sapientum comprobantur. Etenim iam antiquitus apologetæ et iudaicæ et christianæ revelationis contra cotidianas ethnicorum fallacias ex una parte meram affluentiam rerum temporalium ut motivum credibilitatis reiiciebant, imo demonstrabant eam in concreto sæpe falsam religionem arguere; ex alia parte et singulas felicitatis veræ temporalis partes et eam quasi totam sæpe diverso modo inter motiva credibilitatis collocabant. Recentiores vero præcipue inde a sæculo 19° contra hæreticos hoc argumentum magis excoluerunt. Cf. lit. atque ea quæ in tractatibus de revelatione in concreto dicemus.

Art. 5. Argumentum ex ordine qui in gubernatione generis humani resplendet.

Propositio 33ª: **Ordo, quo historia humani generis, Deo providente, ad commendandum legatum Dei refertur, revelationem per eum impertitam esse demonstrat.**

173. — Lit. Modus procedendi eruendus est ex operibus, quæ rem ad hunc ordinem providentiæ applicant. Sunt v. g. *Aug.*, de civit. Dei, M. 41; *Otto Frisingensis* († 1158), de duabus civitatibus (ed. Wilmans in: Pertz, Monum. Germ. Script. XX 83-301). — *Bossuet*, Discours sur l'histoire universelle (1618). - *De Maistre*, Les soirées de Saint-Petersbourg (1821). — *Hettinger*, Ap. [3] V sermo 24 p. 534-83. — *F. de Rougemont*, Les deux Cités, philosophie de l'histoire aux differents âges de l'humanité, 2 v. (1874) continet potius introductionem ad ipsum opus quod auctor (protestans) meditabatur, quæ introductio historiam literaturæ de argumento ex philosophia historiæ affert. — Quid diversis ætatibus christianis de hac providentia scriptum sit, hic inde innuit *Hipler*, Die christl. Geschichts-Auffassung, Köln 1884.

174. — **St. qu.** *Expl. term. Providentia* divina est actus intellectus practici, quo res a Deo sapienti modo in finem præsuppositum ordinantur. Eius executio continetur *gubernatione.* Gubernatio vero *cognoscitur ex ipso ordine* rebus impresso, quo aptæ sunt, ut certus finis per eas

obtineatur. Res ipsæ quæ in finem ordinantur, etsi in se forte ex parte miraculosæ sint, tamen hac thesi non ut tales considerantur.

175. — Argum. *E natura rei.* Ordo complicatus ad commendandam doctrinam legati aptissimus, ordinationem intellectus divini et consequenter ipsum finem a Deo intentum indicat. Atqui talis ordo aptissimus atque complicatus aliquando adesse atque cognosci potest.

Ad min. Tantum generalia quædam capita indicare possumus, ad quæ in materia argumenti invenienda attendendum sit. Sunt vero hæc vel similia, si simul inveniuntur:

Si *ante legati adventum* rerum evolutione longissima id effectum est, ut tandem ipsa legati ætate adsit *specialis facilitas pro doctrinæ externa propagatione*, orta v. g. ex procurata orbis singulari unitate, ex legati natione, loco; *pro doctrinæ prædicatæ intellectione*, orta e meliore formatione generali intellectus, imo e quadam meliore cognitione ipsorum præambulorum credibilitatis; *pro fide revelationi præstanda*, orta aut e speciali promptitudine vel desiderio naturali mentium, aut e revelationibus antecedentibus, aut e speciali vehementi influxu divino, superatis multis ac magnis difficultatibus.

Si *ipse legatus præsens* excellit sapientia in exponenda doctrina et sanctitate, quibus doctrinam propositam amari faciat; si ea motiva credibilitatis exhibet, quibus paria antea visa non fuerint.

Si *annuntiatione secuta atque post legati mortem*, inveniuntur tales doctrinæ legati propagatores, talia credibilitatis motiva, qualia nunquam ulli religioni præsto erant; si in iis qui revelationem reiiciunt, apparent signa iræ divinæ, in iis vero qui eam credunt, maior perfectio deprehenditur, quam unquam in genere humano visa fuerit; si fatis extraordinariis populi ad legatum eiusque nuntios adducuntur, aut legatus eiusve nuntii ad populos; si stabilitate nunquam visa hæc doctrina gaudet etc.

176. Confirmatio. *Ex auctoritate sapientum.* Apologetæ fere omnes aliquid de hoc argumento cæteris argumentis aspergunt; multi diversis ætatibus partes librorum vel integros libros de eo composuerunt. Recentiores vero hoc argumentum perfectius reddiderunt, eo quod et ampliorem materiam pro eo collegerunt et illud accuratius a cæteris argumentis distinxerunt.

177. — Ob. 1. Ex argumento *id tantum sequitur, hominem,* de quo agitur, Dei providentia monstrante *esse suscipiendum ut eum, qui auctoritate humana religionem doceat.* — R. D. as.: si ut talem se proponeret, c.; si ut legatum divinum in revelatione deferenda, n.

Ob. 2. *Hoc argumentum ad summum in fine mundi proponi poterit;* antea enim universa providentia Dei de legato eiusve doctrina perspici nequit. —

R. N. as. Ad prob.: ordo intricatus ad certum finem directus etiam in parte generis humani apparere potest. Cf. argumentum de Deo ut mundi ordinatore, desumptum ex mundi aliqua parte.

178. — Scholion. Reduci potest ad argumentum sive e miraculis moralibus sive ex effectibus sive ex auctoritate humana sive e providentia divina sive ad argumentum ex istis rationibus simul sumptis, illa argumentandi ratio, quam quidam dicunt *argumentum ex mysterio amoris*. Cf. v. g. *Stentrup*, Apologetica religionis christianæ. Synopsis. Oeniponte (1889) th. 21. — Supponunt demonstratum: primo, effectus Christianismi esse simpliciter et in universum bonos, deinde eos vere pendere ab amore erga Christum.

De falsis quibusdam motivis credibilitatis.

179. — Lit. *De falsis motivis credibilitatis.* Diversa motiva falsa exponit atque refutat v. g. *Denzinger*, II 291-331. — *Kleutgen*, IV ² n. 171-4 p. 332-8; n. 190-208 p. 372-402. — *Hettinger*, Lehrbuch § 20 p. 207-17. — *Schanz*, Ueber neue Versuche der Apologetik (1897) p. 1-190. — *Le Bachelet*, De l'Apologétique traditionnelle et de l'Apologétique moderne (1898), seu articuli 3 in Études (1897) v. 72. — *von Schmid*, p. 173-246. — *Lahousse*, th. 14 p. 150-53; n. 149, 150 p. 277-87. — *Pesch*, De insp. Script. in parte historica p. 202-64, in parte doctrinali c. 7 art. 1 et 2 p. 571-607; *id.* Theologische Zeitfragen (1900), pars 2ª: de vetere et nova Apologetica p. 67-130; *id.* Theol. Zeitfrag. 4 Folge (1908) passim. — In genere auctores inde a reformatione, quando de falsis criteriis pro inspiratione Scripturæ vel de falsis notis ecclesiæ agunt, uti v. g. *Bellarminus*, de notis eccl. c. 2 (ed. Ingolst. 1590) col. 1292-9; ii qui contra philosophiam immanentiæ vel Modernismum scripserunt. — Alia ubi de singulis erroribus.

Plura motiva credibilitatis antea statuimus. Unde reiecta est ea falsa sententia, quæ non nisi unum argumentum pro revelatione admittit, v. g. ex motibus internis præternaturalibus. — Motiva *credibilitatis primaria a secundariis debito modo distinximus.* Unde refutata est doctrina, quæ secundaria primariis anteponit vel æquiperat. — Demonstravimus tum thesi propria (13) tum modo exponendi singula *motiva primaria* credibilitatis, ea esse *reducenda ad quandam actionem miraculosam.* Unde exclusæ sunt omnes eæ sententiæ, quæ quidquam aliud ut motivum sive unicum, sive primarium admittunt, v. g. ipsam sublimitatem doctrinæ, si ut talis et non ut signum sapientiæ miraculosæ spectatur. (Cf. n. 119 p. 91). — In singulis motivis credibilitatis exponendis *conditiones adiecimus, sub quibus argumentum tale valeat.* Simul attentos reddidimus, num in singulis motivis applicandis specialis quædam sit facilitas vel difficultas. Unde duplex genus fal-

sarum sententiarum de motivis credibilitatis exclusimus: unum quo conditiones non necessariæ pro valore motivorum credibilitatis statuuntur, v. g. fidem debere iam præcedere argumentum quod ex miraculis hauritur; aliud quo vis quorundam motivorum exaggeratur, v. g. vis motivi secundarii quod hauritur ex interno effectu naturali seu pace animi (th. 27), vis motivi primarii quod petitur ex internis motibus præternaturalibus (th. 31).

Sequitur *vix necessarium esse ut* data opera motiva credibilitatis falsa vel alias *sententias falsas de motivis credibilitatis* in se veris *refutemus.* — Accedit, quod *quædam* motiva falsa credibilitatis vel aliæ sententiæ falsæ ad motiva credibilitatis spectantia *in dogmate* ampliore ratione tractari solent idque cum applicatione ad ordinem præsentis providentiæ. Ita v. g. diversa falsa, quæ de internis motibus ut motivo credibilitatis in hoc ordine providentiæ statuere solent, in tractatu de criteriis inspirationis Scripturæ ut in propria tractationis sede refutare consueverunt.

At ob temporum circumstantias conveniens visum est, quasdam theses evolvere, quibus eiusmodi falsa motiva credibilitatis data opera refutantur, quæ *specialem relationem ad errores Modernistarum habent.* Cum tales theoriæ aliquando œconomiam præsentem supernaturalem seu elevationis ad ordinem visionis beatificæ tangant vel supponant, etiam nostra refutatio eam hinc inde respiciat necesse est.

Propositio 34ª: Inter motiva credibilitatis enumeranda non sunt: neque realitatis divinæ intuitus atque experientia aut cæcus instinctus aut postulata rationis aut sentimenta aut alia similia, quæ ne rationabilem quidem assensum fundare possunt; neque intrinseca rei veritas ex eius causa vel effectu perspecta.

180. — 1) *Exponuntur quæ adversariis omnibus fere communia sunt.*

Fides est assensus intellectus in veritatem a Deo revelatam propter auctoritatem Dei eam eloquentis. Erant autem atque sunt *plurimi, qui vocem fidei retinentes, ea sublimia quæ de actu fidei valent, ad aliquem actum transferunt, qui est assensus positus ob aliquod aliud motivum v. g. rei experientiam, effectus, evidentiam intrinsecam.* Quidam assensum statuunt in se possibilem, uti v. g. ex evidentia, quidam assensum ex se vel saltem pro hominibus hic in terris impossibilem, v. g. ex intuitu realitatis divinæ.

E tali doctrina falsa de essentia actus fidei adversarii deducere solent *diversa falsa de motivis credibilitatis.*

a) Quidam affirmant, *fidem firmari non deberi motivis credibilitatis*, cum per se ipsam stet.

b) Quidam sicut vocem fidei ita vocem motivi credibilitatis vel similem retinent; uti autem voci fidei falsum sensum substituunt, ita voci motivi credibilitatis. Etenim sicut fidem habent ut actum, quo quis adhæret veritati propter aliquod motivum internum, ita motivum credibilitatis habent ut tale motivum, quo ostendatur ex quadam ratione rei intrinseca, eam esse veram. Unde *ea ipsa motiva, quæ statuunt ut motiva actus fidei quem abusive ita nominant, revera ponunt atque vi systemata ponere debent ut motiva credibilitatis.*

Unde quamvis hæc doctrina adversariorum sæpe proponatur atque refutetur ut doctrina de falsis motivis credibilitatis, tamen per se rectius videtur affirmari, tales adversarios ne velle quidem motivis credibilitatis veris falsa motiva credibilitatis substituere, sed potius *omnia motiva credibilitatis, utpote impossibilia, a limine removere.*

Quoad modum loquendi notandum est, multos ad eum perversum usum terminorum pervenisse, ut *talia motiva actus, qui nullo modo est fides, atque talia motiva iudicii credibilitatis, quod nullo modo est tale, vocent testimonium Spiritus Sancti.* Unde quidam ipsam evidentiam rei tali nomine insigniunt, aliqui experientiam intimam religionis etc.

c) Omnes deprimunt motiva credibilitatis vera, primaria, quæ de facto, uti prop. 13 ostendimus, *in solis miraculosis actionibus posita sunt.* Multi simpliciter negant iis fidem firmari atque in hac affirmatione sibi constant. Quidam — sibi non cohærentes — si fides iam aliunde parta sit, iis vim probandi ascribunt. Quidam probabilitatem in fide firmanda iis tribuunt. Quidam id solum statuunt, ea excitare ut ad revelationem attendamus etc. Quæ singula prosequi longum est.

181. — 2) *Distinctio motivi credibilitatis falsi, quod e veritate obiectiva naturaliter cognita petitur, ab eo vero motivo, quod e mirabili sapientia hauritur.* (De cuius conceptu v. n. 119 p. 91, de modo argumentandi prop. 20–25).

1) Sapientia illa mirabilis in tantum proposita est ut motivum credibilitatis, in quantum primo miraculum est, secundo eiusmodi miraculum, quod hic et nunc ad aliquam revelationem probandam refertur. Cognitio vero ea, de qua in hac thesi sermo est, nihil miraculosi in se habere supponitur; a fortiori non est miraculum quod ad revelationem probandam refertur. — 2) Neque hæc differentia maxima eo tollitur, quod et illa sapientia mirabilis et hæc cognitio naturalis circa veritates quæ revelatæ dicuntur, ut circa obiectum suum versantur. Nam di-

verso modo circa eas versantur atque in ipso diverso illo modo ratio sita est, quod in uno casu motivum validum credibilitatis habetur, in alio non. In argumento falso ex cognitione naturali ita concluditur: enuntiabile verum est, ergo revelatum est. In argumento ex mirabili sapientia vero ita arguitur: in nuntianda vel cognoscenda hac doctrina revelata intercessit miraculum, quod e circumstantiis refertur ed eam affirmationem probandam, qua legatus dicit, doctrinam quam enuntiat, esse revelatam; ergo revelata est. — In argumento falso ex naturali cognitione enuntiabilis, ex omni enuntiabili qua vero ad eiusdem revelationem concluditur. In argumento legitimo ex mirabili sapientia primo ad rationem miraculi generatim concludi nequit nisi ex eiusmodi doctrina, quæ continet tot enuntiabilia, tam difficilia et sublimia, nullo errore permixta, ut constet hominem, qui eam proponit, hic et nunc naturaliter eam acquirere non potuisse. Deinde ex hac ipsa mirabili sapientia quæ in tali doctrina proponenda apparet, nequaquam immediate concluditur ad eiusdem doctrinæ revelationem, sed tantum sub duabus conditionibus. Quarum prima est, eam doctrinam proponi non tantum ut veram vel simpliciter infusam, sed ut dictam a Deo per revelationem attestantem; secunda, sapientiam mirabilem ex circumstantiis referri ad talem affirmationem de revelatione huius doctrinæ probandam. Quod quibus modis cognoscatur v. prop. 24. — 3) In argumento e sapientia mirabili eam non respici simpliciter ut veram sed ut mirabili modo acquisitam, tandem optime ex eo potest videri, quod argumentum ex mirabili sapientia abstrahit ab eo, num doctrina, cuius mirabilis sapientia demonstratur, sit ea ipsa doctrina de qua probanda ut revelata agitur, an potius alius cumulus veritatum, qui ad aliquam aliam veritatem ut revelatam probandam referatur. In argumento autem falso ex naturali cognitione semper ex eodem enuntiabili qua vero ad idem enuntiabile qua revelatum concluditur.

182. — 3) *Adversariorum classes uberius exponuntur.*

Præcipue ab iis adversariis, quos hac thesi refutamus, profectum est bellum infensissimum quod ultimis sæculis contra motiva credibilitatis gestum est. Præcipue ab eorum ideis prodierunt errores Modernistarum, imo ii non solent esse aliud quam eiusmodi idearum repetitiones. Hæ porro theoriæ falsæ ultimam radicem manifestant, unde tot falsæ doctrinæ de motivis credibilitatis pullularunt: falsam fidei notionem. Unde adversariorum sententias modo quodam largiore describemus.

Adversariorum classis 1ª. Fidem reponit in assensu aliquo in se repugnante vel saltem hominibus hic in terra impossibili.

Quidam ex his adversariis fidei substituunt assensum ob realitatis divinæ intuitionem vel experientiam; quidam ob postulata rationis practicæ; quidam ob sensum religiosum proprium; quidam ob cæcum instinctum, similia. Adversarios ordine fere chronologico exhibemus, qui simul aliqua ratione evolutionem errorum indicat.

183. — *Gnostici, Theosophi, Pseudomystici Protestantes intuitionem Dei per intellectum* statuebant. Novo errore accedente, hanc visionem non claram sed obscuram dicebant.

Kant eiusque asseclæ veritatibus religiosis adhærent propter *postulata rationis practicæ*. Ratio practica autem est ipsa voluntas (Grundlegung zur Metaphysik der Sitten=Fundatio metaphysicæ morum, pars 2; ed. Hartenstein IV. 260). — Voluntas se sentit obligatam. Ergo supponenda sunt ea, sine quibus talis obligatio adesse non posset. Inter quæ existentia Dei numeratur. Hæc adhæsio ad veritates religiosas et morales ob postulata rationis in oppositione ad scientiam vocanda est fides. (Ib. p. 233-313). — Hæc autem ita capias necesse est, ut usum principii causalitatis omittas. — Miracula quod attinet, in scripto: Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft=Religio intra limites rationis puræ, ed. Hartenstein VI p. 180-5 docet, esse «quendam gradum levitatis moralis pœna dignum» velle, ut religio moralis iam introducta iis firmetur, quippe «cuius confirmatio sita sit in documento, quod indelebili modo in omni anima servetur». Permitti posse ut religio quædam talibus vehiculis ab initio introducatur, dummodo nemini imponatur, ut talia qua res religionis admittat.

Schleiermacher ex una parte religionem definit ut *omne sanum sentimentum* excitatum a munuo, qui est utique ipse Deus. Cognitionem vero omnem a tali sentimento exulare statuit, revelationem autem Dei esse omnem modum quo Deus nostra sentimenta excitat. Unde ei fides est sentimentum infiniti. Cf. v. g. Reden ueber die Religion an die Gebildeten unter ihren Veraechtern, 1799 = Sermones de religione ad cultos inter eos qui eam contemnunt, ed. Schwarz 1880 p. 60, 84. Unde nihil mirum quod in opere: Der christliche Glaube = Fides christiana § 11 n. 5 ed. Hallensis p. 65 affirmat: «Plene missum facimus omne argumentum pro veritate vel necessitate fidei christianæ, atque potius supponimus, omnem Christianum, antequam cum inquisitionibus huius generis occupetur, iam habere in se ipso certitudinem, suam pietatem non posse aliam formam induere atque eam quam de facto habet».

Albrecht Ritschl præcipue in: Rechtfertigung und Versoehnung = Iustificatio et reconciliatio III [1] 1875, [4] 1895, docere videtur, iudicia religiosa esse formanda *ob sentimenta gaudii et doloris,* quæ ideis religiosis efficiuntur. Ei igitur *fides est adhæsio ad obiecta religiosa ob sentimenta quæ ideæ eorum excitant.* «Cognitio religiosa sita est in iudiciis valoris (= Werturteilen i. e. iudiciis quæ valorem alicuius rei pro homine indicant), quæ referuntur ad positionem hominis erga mundum, quæque in eo excitant sentimenta gaudii vel doloris, in quibus homo aut fruitur dominio mundi quod per gratiam Dei obtinuit, aut Dei auxilio ad hunc finem necessario doloris plenus caret.» l. c. ed. 4 p. 195. — Quem auctorem plurimi Protestantes liberales sequuntur.

Fidissimus eius scholæ assecla vero, *Adolf Harnack,* quæ quoad motiva credibilitatis ex tali doctrina fluant exemplo suæ doctrinæ ostendit. V. g. de miraculosis sanationibus Christi in: Dogmengeschichte I³ 64 nota, hæc habet: «... quam inepta in se et per se sunt, ut nos certiores reddant, eum, cui attribuuntur, post 1800 annos ut magnum quiddam esse considerandum, nisi independenter ab iis iam constaret, eum tali ratione æstimandum esse!»

J. A. Balfour in operibus: A Defence of Philosophical Doubt, Being an Essay on the Foundations of Belief, 1879; The Foundations of Belief, Being Notes Introductory to the Study of Theology, 1895, principia Kantiana hoc modo evolvit: Veritates religiosæ irrationales sunt. Eas scilicet assumimus ob motiva quæ coram ratione iustificari non possunt. Consistunt enim hæc motiva «in collectione causarum non-rationalium, moralium, socialium, ad educationem spectantium, quæ collectio ad fines suos perducit operationibus psychicis diversis a ratiocinio, diversis quoque ab ipsa evidente intuitione.» (Foundations etc. Part. 3 ch. 2. V vers. germ. a Robert Kœnig 1896 p. 219: in genere cf. c. 2: Auctoritas et ratio p. 192-230). Sunt tandem sitæ hæ causæ in indigentiis naturæ humanæ, quin tamen ex iis ad obiectivam rerum veritatem concludere liceat. Ita naturæ humanæ tendentiæ exigunt, ut Deus incarnatione se visibilem nobis faciat; tamen demonstrari coram ratione incarnatio nequit. — *Est ergo fides,* ut videtur, *adhæsio ad veritates religiosas, quin ratio iudicaverit eas esse assumendas, producta impulsu naturæ cæco.*

Idem quibusdam videtur proponere *Brunetière,* in præfatione ad vers. gall. operis Balfour: Les bases de la croyance, 1896 p. XXI, XXV, XXVI: in quo loco cum de «irrationali» agit, aut verborum significatione non consueta atque exaggeratione quadam utitur, aut ideas Balfour approbat. Cf. quoque opusculum eius: La science et la religion.

Motiva credilibitatis, quæ in miraculis sita sunt, Balfour theoretice extenuat, practice insufficientia habet. Cf. l. 2 ch. 4 ed. cit. p. 174-82.

I. A. Dorner in: System der christlichen Glaubenslehre = Systema christianæ doctrinæ fidei ² Berlin 1886 I p. 41 docet: Fides christiana certa fit quadam intuitione Dei et Christi. Etenim «de Deo habetur scientia immediata, non tantum secundaria vel eiusmodi quæ habetur mediantibus conclusionibus ex effectu ad causam... Non ideo sumus certi de Deo, quia nobis sumus conscii nostri (in quantum sumus renati et conversi), sed ideo nosmetipsos scimus ut redemptos, quia Deum in Christo ut pro nobis existentem experimur et scimus.» — Capitur, cur §. 56 p. 616-20 ad veram et plenam rationem signi *divini* in miraculis Christi agnoscendam non perveniat.

I. Koestlin in: Die Begruendung unserer sittlich-religiœsen Ueberzeugung = De fundanda persuasione nostra morali-religiosa, Berlin 1893, hæc tradit: Omnis persuasio cum religiosa tum christiana rationem suam habet in experientia interna; ab omni cognitione methaphysica vero abstrahendum est. Quæ experientia «mystica» ab eo ita describitur p. 53: «Est in eo, ut interna nostra immediate tangantur et commoveantur per divinum, quod nobis exhibetur in revelatione reali, historica, et in eiusmodi experientia, quæ cum ordinariis experientiis sensilibus communem habet indolem immediati, at quæ in se est prorsus suprasensibilis, imo est aliquod integrum experiri, idque vitali modo, in ipso centro propriæ vitæ internæ spiritus».

184. — Nihil ergo novi proposuerunt multi *Modernistæ*, cum, docente Encyclica « Pascendi » p. 15 initio eius numeri, qui est de Modernista ut credente, hoc quasi systema elaborarunt: Modernistæ credenti ut tali « ratum ac certum est, *realitatem divini* reapse in se ipsam existere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem hæc credentis assertio nitatur, reponunt: in privata cuiusque hominis experientia. In qua affirmatione, dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: *in sensu religioso* quendam esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit, tantamque de existentia Dei haurit persuasionem deque dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem quæ ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia præstantiorem: quam si quis, ut rationalistæ, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in eis se ipse constituere moralibus adiunctis, quæ ad experientiam gignendam requirantur. — Hæc porro *experientia*, cum quis illam fuerit assequutus, proprie vereque credentem effic it ».

Vereor ne Alfred Loisy et George Tyrrell etiam hanc sententiam doceant, quamvis ea quoque statuere videantur, quæ magis motivum credibilitatis referunt, prout a secunda adversariorum classe explicatur. Confiteor me ea quæ hi auctores, præcipue Tyrrell, de motivis credibilitatis docent, plene capere non potuisse.

Loisy doctrinam suam de motivis credibilitatis præcipue exponere videtur in articulo: Les preuves et l'économie de la révélation (R C F [1900] XXII 128 p. 126-53). « Les miracles (et prophetiæ) ne sont donc vraiment miraculeux qu'au regard de ceux qui sont déjà mûrs pour reconnaître l'action divine dans les événements les plus habituels » (p. 128). Maturi autem ad hoc sunt tantum ii, « qui iam habent fidem; « ... l'explication surnaturelle peut être celle qui, pour un esprit sans prévention, réunit seule tous les caractères de la vraisemblance, mais cette hypothèse n'est pas d'une absolue nécessité, parce que le raisonnement qui l'appuie porte sur deux objets dont la perception directe nous échappe, à savoir la réalité intime des choses et l'être de Dieu. *Le miracle comme tel n'est évident que pour la foi* » (p. 131). At pro ipsa fide miraculum non est actio divina quatenus est præter vel contra leges naturæ, sed quatenus est divina aliquo modo clarius percepta: « ... *le miracle*, chez les peuples primitifs et *au point de vue de la foi, n'est qu'une action divine un peu plus sensible que les autres*...; le miracle est le train du monde et de la vie contemplé par la foi, qui seule en pénètre l'énigme » (p. 128), « mais la certitude absolue du fait divin ne résulte pas et ne peut résulter de ses preuves, elle naît d'une lumière supérieure qui éclaire les preuves et les faits eux-mêmes, et qui est la lumière de la foi » (p. 132).

Quale tamen est, si ita loqui fas est, motivum credibilitatis? « La raison profonde et universelle de la foi n'est pas autre que *la conformité de la reli-*

gion avec le besoin et les aspirations de l'homme. Or cette proportion du surnaturel à notre nature, cette accommodation de Dieu à notre indigence est sentie moralement autant qu'elle est vue intellectuellement; et ce n'est pas un rapport abstrait que le croyant discerne par l'attention de son esprit; c'est une réalité qui s'accomplit en lui et par lui, par Dieu avec lui... La véritable religion est fait pour être connue, expérimentée, vécue, et *cette expérience intime en a toujours été la véritable démonstration*, variable dans son expression logique selon les temps et même les personnes, certaine pour tous ceux qui croient, c'est à dire qui, voyant d'assez près la religion pour la bien connaître en elle-même et par rapport à eux, ont le courage d'y adhérer volontairement ».

G. Tyrrell in opere: Trough Scylla and Charybdis = Intra Scyllam et Charybdim, 1907 c. 11 Revelation p. 264-307, v. g. p. 287 revelationem eiusque experientiam ita describit: « *In hac totali experientia (Deus) non revelatur ut factum aliquod revelatur aliquo enuntiabili, sed ut causa revelatur in eius effectu....*, Deus loquitur factis non verbis. Eadem excitatio quæ dat ignem cordi et impulsum voluntati, implet mentem aliqua interpretativa imagine actionis in opere, ea ratione qua sonus passuum evocat imaginem ingredientis... « Hæc impressio in imaginatione diversa est secundum diversos habitus mentales eius qui revelationem patitur, simili modo sicut eadem phænomena in barbaro eliciunt ideam dei tonitru, in homine culto ideam tempestatis. P. 288: « Sed hæc reactio mentalis automatica non minus facit partem experientiæ quam sensus lucis et sonus; est pars materiæ pro sequente reflexione. Barbarus audivit deum suum tonantem; doctus testatus est tempestatem, non tantum fulgur et tonitrua, sed ea omnia quæ automatice infert vel con-apprehendit ut cum iis connexa ». Hæc cognitio et veritas (!) dicitur prophetica, in distinctione a theologica quæ reflexionis opus est. Vide aliquam expositionem magis systematicam doctrinæ Tyrrell de revelatione in: *Hakulyt Egerton,* Father Tyrrell's Modernism, London 1909, speciatim IV Revelation p. 64-116.

Quoad modum quo enuntiationes religiosæ, imo dogmata ut « vera » agnosci possint, illud secundum Tyrrell quærendum est, *num promoveant amorem Dei et hominum* (Cf. Lex orandi, 1904 p. 53 sq.). V. g. doctrina de Trinitate ideo valorem religiosum habet (et consequenter veritatem?), quia magis determinat originem, centrum et finem mundi voluntatis, atque nobis monstrat, vitam amoris reciproci esse æternam et intradivinam, quin in periculum adducat unitatem Dei, eo quod in Deum inferret limites personalitatis humanæ. — Quoad veritates historicas hæc docet: Modus quo Christiani res historicas considerant « in multis rebus cedere debet criticæ historicæ atque forte postea cedere debebit »; sed fides dubitare nequit, eas quoad essentiam iure meritoque affirmari, itemque quoad eas circumstantias, quæ essentialiter connexæ sunt cum aliquo valore religioso quo carere non possumus. At fides hæc facta curat secundum eorum esse religiosum non vero historicum. Affirmare ut verum, Christum crucifixum esse sub Pontio Pilato, vel hoc ipsum, eum resurrexisse a mortuis atque ascendisse in cœlum, non magis postulat fidem, quam affirmare ut verum, Wellington in pugna apud Waterloo victorem fuisse. Fides talia facta tenet ob rationes conscientiæ et religionis, in quantum fructifera sunt pro vita æterna; lex orandi, lex credendi — regula precum est regula fidei » ib. p. 164. — Quæ in opere: Lex credendi (1906) p. 251 sq. revocare velle videtur; at nescio qua consequentia, quo sensu.

185. — *Adversariorum classis 2.ª Fidem reponit in assensu in enuntiabile religiosum ob perspectam rei causam vel visos eiusdem effectus. Systematis elementa omnibus asseclis communia breviter exhibentur.* — Via legitima qua ad cognitionem Dei naturaliter pervenitur, sita est in sola conclusione ex effectu ad causam. Qui effectus sunt aut in ordine physico aut in ordine morali. — Quoad conclusionem ex ordine morali duplici via procedi potest. Aut ex hominis natura concluditur, legem moralem atque sanctionem homini necessariam esse atque proinde eam existere et consequenter eius causam, Deum. Aut ex effectibus in universum et simpliciter bonis experientia compertis, qui dependent e persuasione v. g. existentiæ Dei, concluditur, eam persuasionem veram esse atque proinde Deum existere. Evidens est viam ex effectibus persuasionis de existentia Dei, experientiæ subiectis, supponere, eos qui primi hos effectus e persuasione vera fluentes in se perceperunt, antea alia via de existentia Dei certos esse debuisse.

Sunt ergo qui, postquam tali via legitima i. e. conclusione scientifica ad enuntiabilia vera religiosa pervenerunt, illico loquuntur ac si iam de eorum revelatione constaret. Non enim admittunt revelationem nisi naturalem. — Aliquando sequuntur hanc sententiam etiam ii qui ad ipsam religionem naturalem nonnisi falsa methodo perveniunt uti v. g. Pantheistæ, Modernistæ. Non raro enim, qui falsa systemata proponunt, diversas personas in se sustinent.

Singuli quidam adversarii. — Cum eos exhibemus, non id quidem de iis referimus, eos esse Deistas vel Naturalistas vel Rationalistas atque proinde tantum revelationem naturalem admittere, non vero præternaturalem, veram Dei locutionem. Hoc enim notum est. (Cf. n. 16 p. 10). Sed id data opera exhibemus, eos ipsam veritatem alicuius enuntiabilis religiosi naturaliter via legitima perspectam, habere ut motivum credibilitatis.

Moses ben Maimon ex eo revelationes veras habet, quod de Deo rebusque divinis agunt atque hominum saluti prodesse student.

Spinoza ep. 21 ad Henr. Oldenburg, ed. Bruder II Lipsiæ 1844 p. 195, persuasum habet, «divinæ revelationis certitudinem sola doctrinæ sapientia, non autem miraculis, hoc est ignorantia, adstrui posse».

E Deistis Anglis Shaftesbury: Characteristics of Men etc. (1714) I 53 sq. 297 sq. III 229 sq., multis probare nititur, revelationem se ipsa probari, moralitatem esse unicam revelationis mensuram.

E Deistis Gallis audiatur *Rousseau:* Emile, l. 4, Profession de foi du Vicaire savoyard, reiecta plane probatione e miraculis: «reste enfin l'examen le plus important dans la doctrine annoncée».

Fichte: Versuch einer Kritik aller Offenbarung ed. Kirchmann (1871) p. 90-1: «Assumptio rationabilis revelationis qua divinæ non est possibilis nisi ex rationibus a priori, sed a posteriori possunt, et quibusdam in casibus debent, dari causæ occasionales ut eiusmodi rationes evolvantur». Quod momentum, ut

attentos reddant homines ad rationem ex ipsa re revelata haustam, etiam alii miraculis ascribunt.

Inter Gallos e Protestantibus liberalibus Sabatier, Esquisse p. 58 docet: «Écoutez; un seul critère est infaillible et suffisant: toute révélation divine, toute expérience religieuse vraiment bonne pour nourrir et sustenter votre âme, doit pouvoir se répéter et se continuer comme révélation actuelle et expérience individuelle dans votre propre conscience».

PARS I. *Argumenta contra utramque adversariorum classem simul.*

186. — Argum. I. *Ex eo quod et omnia simul et singula motiva fidei vel credibilitatis, quæ adversarii afferunt, ex ipsa essentia sua inepta sunt ad munus motivi credibilitatis explendum. a)* Motiva credibilitatis in eo sunt, ut non ostendant internam enuntiabilis veritatem, sed eius credibilitatem seu factum, Deum illam veritatem elocutum esse. Atqui quæcumque motiva adversarii statuunt, id unum in se habent ut — methodo sive recta sive falsa — ostendant internam enuntiabilis veritatem, nulla vero ratione, Deum illud enuntiasse. Ergo inepta sunt ad explendum munus motivi credibilitatis. — *b)* Motivum credibilitatis primarium in sola actione miraculosa situm esse potest. Atqui omnia ista sic dicta motiva credibilitatis quæ adversarii afferunt, non sunt nisi determinationes naturales potentiarum naturalium. Ergo nequeunt esse motiva credibilitatis primaria. — Neque considerari possunt ut motiva credibilitatis secundaria. Etenim primo ipsi theoriarum falsarum asseclæ ponere solent motivum suum ut unicum in oppositione ad actionem miraculosam, quæ independenter ab hoc motivo saltem non sit certum motivum credibilitatis. Deinde motivum credibilitatis secundarium tali facto constituitur, quod ut subsistat supponit aliud primarium credibilitatis motivum ab aliquo iam cognitum fuisse. Iamvero motiva credibilitatis qualia a theoriæ asseclis statuuntur, certe talem cognitionem per se non supponunt. Ergo motiva ab adversariis proposita plane inepta sunt ut motivi credibilitatis sive primarii sive secundarii munere fungantur.

187. — Argum. II. *Ex eo quod systemata adversariorum fidem atque proinde omne motivum credibilitatis destruunt.* — Fides est assensus in aliquod enuntiabile propter auctoritatem Dei loquentis. Iamvero secundum adversarios fides est affirmatio veritatis religiosæ propter alia motiva. Ergo fidem destruunt. — Motivum credibilitatis est factum divinum quo demonstratur Deum hic et nunc locutum esse. Atqui ubi negatur, quidquam a Deo revelatum esse, immerito quæstio instituitur, quomodo constare possit eum esse locutum. Ergo hæc theoria omne motivum credibilitatis destruit.

188. — Argum. III. *Ex eo quod hæc motiva, etsi essent motiva credibilitatis vere talia, tamen non possent dici universalia. Etenim mysteria iis credibilia reddi non possent.* — Mysteria neque conclusione e rebus creatis possunt cognosci neque experientia ulla ex iis erui. Etenim neque analogice iis manifestari possunt (Cf. n. 25 III n. 27 p. 19, 22). Atqui secunda adversariorum classis atque multi e priore eiusmodi assensum ponunt, qui ex naturali indagatione naturæ rerum creatarum proficiscitur. Ergo eo mediante nullo modo ad mysteria cognoscenda perduci possunt.

Ii autem ex priore adversariorum classe, qui ipsam realitatem divini a nobis directe attingi affirmant, si sibi constare volunt, visionem eorum mysteriorum statuere debent, qui cum ipsa Dei essentia necessario connexa sunt. Iamvero ita ad visionem mysterii perducerent, non ad fidem.

Pars II. *Argumenta quæ contra unam vel aliam ex adversariorum classibus diriguntur.*

A) *Contra priorem classem adversariorum in genere.*

189. — Assensus qui sive humanæ naturæ simpliciter impossibilis est, sive saltem in eo statu, in quo homines hic in terris versantur, certe neque fidei divinæ, neque iudicii credibilitatis partes agere potest. Atqui omnes species assensus, quos prima classis adversariorum ponit, in se impossibiles sunt, excepta intuitione Dei. Hæc autem in hac vita non habetur, sed, docente fide, tantum in altera vita conceditur, atque in se rationem mysterii sensu stricto habet. Illud in philosophiæ ea parte demonstratur, quæ psychologia dicitur, hoc præcipue in theologia.

B) *Contra eos adversarios e priore classe, qui intuitionem vel experientiam divini statuunt.*

190. — 1) *Secundum hos adversarios omnes religiones essent æque veræ.*

Ut hoc argumentum capiatur, quædam *de modernistica Symbolismi doctrina* indicanda sunt.

Quidam e Modernistis, in sua doctrina de fide, falsa docent de sensu religioso, falsa de formulis fidei. In sensu Incogniti stat ipsa intima essentia fidei; ad intellectum autem spectat enuntiationes fidei formare. Iuverit scire quænam intercedat «*relatio inter formulas religiosas et religiosum animi sensum.* Id autem facile intelliget, qui teneat, *formularum* eiusmodi non alium esse finem, quam modum suppeditare credenti, quo sibi suæ fidei rationem reddat. Quamobrem mediæ illæ sunt inter credentem eiusque fidem: ad fidem autem quod attinet, sunt inadæquatæ eius obiecti notæ, vulgo *symbola* vocitant; ad credentem quod

spectat, sunt mera *instrumenta*. — Quocirca nulla confici ratione potest, eas veritatem absolute continere: nam, qua *symbola* imagines sunt veritatis, atque idcirco sensui religioso accommodandæ, prout hic ad hominem refertur; qua *instrumenta*, sunt veritatis vehicula, atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Obiectum autem *sensus religiosi*, utpote quod *absoluto* continetur, infinitos habet adspectus, quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis atque aliis uti potest conditionibus. Ergo et formulas, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet, ac propterea varietati esse obnoxias ». Encycl. « Pascendi » p. 13-4.

Sequitur « ex hac experientiæ doctrina, coniuncta alteri de symbolismo, religionem quamlibet, ethnicorum minime excepta, ut veram esse habendam. Quidni etenim in religione quavis experientiæ huiusmodi occurrant? occurisse vero non unus asserit. Quo iure autem modernistæ veritatem experientiæ abnuent, quam turca affirmet; verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistæ denegant; quin immo, subobscure alii, alii apertissime religiones omnes contendunt esse veras. Secus autem sentire nec posse, manifestum est. Nam religioni cuipiam quo tandem ex capite, secundum illorum præcepta, foret falsitas tribuenda? Certe vel ex fallacia *sensus* religiosi vel quod falsiloqua sit formula ab intellectu prolata. Atqui *sensus religiosus* unus semper idemque est, etsi forte quandoque imperfectior: formula autem intellectus, ut vera sit, sufficit ut *religioso sensui* hominique credenti respondeat, quidquid de huius perspicuitate ingenii esse queat. Unum, ad summum, in religionum diversarum conflictu, modernistæ contendere forte possint, catholicam utpote vividiorem, plus habere veritatis, itemque christiano nomine digniorem eam esse, ut quæ christianismi exordiis respondeat plenius ». *Encycl.* « *Pascendi* » p. 16 7 paulo post initium tractationis de Modernista ut credente.

2) *Secundum hos adversarios facta historica credi non posse videntur.*

191. — Etenim obiectum unicum istius experientiæ est divinum illud Incognoscibile. Unde patet, nihil ab eo sensu posse cognosci atque consequenter nihil rationabiliter credi, quod in eo divino Incognoscibili non contineatur cogniscibili modo. Iamvero facta historica, res profanæ, cognoscibili modo in eo non continentur. Non ut pars in toto; Incognoscibile enim divinum quid est, illa vero creata. Non ut effectus in causa, alias certe omnia facta historica, etiam profana, secundum Modernistas deberent posse cognosci per fidem, cum tamen tantum aliquod genus factorum, scilicet facta religiosa, fide cognosci posse statuant. Non ut causa, quæ in effectu cognoscibiliter inest,

cum creata non possint causare increatum. Non ut dicta in dicentis locutione, cum Modernistæ locutionem veram Dei negent. Non ut significata in signo per institutionem, cum divinum illud non sit aliquid institutum.

Unde mirum non est, non tantum eos Modernistas, qui theoriam prout exposita est, tenent, verum etiam eos, qui aliquo modo mitiora sequuntur, ad nulla facta historica religiosa qua credenda pervenire posse atque eos in vanum diversas vias ad hunc finem inivisse. Cf. v. g. *Ch. Pesch*, Theologische Zeitfragen 4 Folge 200-17, iudicium præcipue p. 215.

C) *Contra secundam classem adversariorum.*

192. — Argum. I. *E sublata distinctione inter manifestationem Dei naturalem et revelationem seu locutionem attestantem.* — Si obiectiva veritas alicuius enuntiabilis e natura rei deducta esset criterium revelationis, omne enuntiabile quod tali modo ut verum cognoscitur, eo ipso quod ut verum cognosceretur, cognosceretur quoque ut revelatum seu ut affirmatum locutione attestante. Atqui ita deberet falsum illud statui, omne quod verum est, de facto simul esse a Deo revelatum, et quod peius est, non iam agnosci posset distinctio inter manifestationem veritatis divinæ vel religiosæ, factæ a Deo mediante creatione, et manifestationem veritatis per Deum mediante locutione attestante. — De facto quoque, ut vidimus, ii qui hoc criterium falsum statuunt, revelationem veram negare, imo impossibilem habere solent.

193. — Argum. II. *Ex eo quod nulla est connexio inter cognitionem naturalem veritatis rei et revelationem divinam.* — Una res quæ nullo modo exigit aliam, non est medium aptum e quo concludatur ad aliam. Iamvero veritas obiectiva alicuius enuntiabilis lumine naturali rationis cognita omnino indifferenter se habet ad revelationem Dei. Ergo.

Ad min. Considerari potest et obiectiva veritas enuntiabilis, quod naturaliter cognosci potest, et ipsa cognitio eius naturaliter habita. Iamvero primam quod attinet, veritas obiectiva alicuius enuntiabilis religiosi quod naturaliter cognosci potest, certe est aliquid ei intrinsecum, necessarium, æternum, indifferens ut hoc vel illo modo manifestetur, v. g. per rationem naturalem, scientiam infusam, revelationem divinam (vel visionem beatificam). Revelatio vero est aliqua actio divina ipsi veritati obiectivæ enuntiabilis extrinseca, contingens, temporalis, libera, habens se indifferenter ad illud enuntiabile ut unus e multis modis possibilibus, quibus illa veritas manifestari posset. Ergo inter veritatem obiectivam enuntiabilis, quod naturaliter cognosci potest,

et revelationem divinam nulla intercedit necessaria connexio. — Quod vero attinet elementum secundum, ipsam cognitionem naturalem veritatis naturalis, certe ea est actus humanus, determinatus quoad specificationem suam evidentia naturali, quoad exercitium partim ipsis facultatibus cognoscitivis, partim voluntate applicante illas ad activitatem iis connaturalem. Unde præter concursum divinum nihil ad existentiam talis cognitionis naturalis exigitur. Ergo nulla est necessaria coniunctio inter cognitionem naturalem veritatis naturalis et locutionem divinam attestantem.

194. — Argum. III. *Ex eo quod restringeretur libertas Dei in eligendo modo, quo remedium afferret ei impotentiæ morali, qua humanum genus in acquirenda perfecta quadam cognitione religionis naturalis impeditur.* — Vidimus prop. 7 et 11, quam maxime promoveri et Dei gloriam et humani generis utilitatem, si Deus revelatione seu locutione attestante remedium afferret ei impotentiæ, qua humanum genus impeditur, quominus in præsenti conditione vel ea quæ rationi naturali de Deo rebusque divinis et moralibus impervia non sunt, cognoscat debita cum amplitudine, certitudine, facilitate, immunitate ab erroribus funestis. Iamvero tali medio Deus esset privatus, si unicum motivum credibilitatis esset in perspicientia veritatis e rationibus intrinsecis. Etenim uti vidimus prop. 7 et 11, ob hoc ipsum adest illa impotentia moralis, quia homines uti sunt, e rationibus intrinsecis has veritates facile iudicare non possunt.

195. — Argum. IV. Ex eo quod hoc motivum, prout ab eius defensoribus statuitur, etsi verum esset, tamen *immerito ab iis haberetur universale aut unicum.* — Adversarii tantum eam veritatem obiectivam habere solent ut motivum credibilitatis, quæ detegitur aut per comparationem conceptuum enuntiabilis directe res divinas exhibentis, aut per effectus religiosos bonos alicuius veritatis non creditæ sed ob intrinsecam veritatem perspectæ. Iamvero in ea suppositione tantum eiusmodi veritates a Deo revelari possent, quæ per evidentiam naturalem enuntiabili intrinsecam diiudicari possunt. Consequenter Deus non posset credendas proponere 1) ullas veritates profanas; ulla præcepta positiva naturalibus addita; ullas res absentes; ulla secreta cordium; ullas prophetias; ulla consilia sua libera; ulla facta historica. 2) A priori certum esset, non posse unquam revelari mysteria, etsi ea existere iam probatum esset. Atqui Deum hæc omnia credenda proponere posse, tum vox naturæ est atque ex Dei perfectione summa sequitur, quia ipsi homines talia cum cæteris credenda communicare possunt, tum ex expositione positiva nostri tractatus sequitur.

Cæterum adversarii ipsi hanc pessimam consequentiam ipso modo procedendi concedunt. Etenim plurimi directe docent, Deum tantum veritates religiosas e natura hominis et Dei effluentes revelare posse; cæteri indirecte hoc supponunt eo quod, de ordine revelationis agentes, nonnisi hoc veritatum genus considerant. Unde id quoque intelligitur, cur ii Modernistæ, qui hoc criterium ut unicum vel universale complectuntur, tantopere sudent et algeant, idque in vanum, ut fidem quæ vere talis sit, in facta historica et mysteria in religione christiana contenta statuant.

Scholion. **Quod eæ partes religionis revelatæ, quæ mores spectant, vitam moralem hominis iuvare possunt, per se non probat, eam religionem esse revelatam.**

196. — *Quomodo sententia, quam impugnamus, a quibusdam doctrinis veris distinguatur.* — 1) Non negamus convenientiam præceptorum moralium alicuius religionis, quæ se revelatam dicit, cum dictamine rectæ rationis, multum conferre posse ad id, ut homines bonæ voluntatis ea præcepta amore complectantur atque proinde *excitentur ad inquirendum*, num revera revelata sit ea religio, atque *facilius eam ut revelatam admittant.* — 2) Evidens quoque est, eiusmodi convenientiam asse *notam negativam* revelationis. — 3) Id quoque patet, non repugnare, quominus hæc convenientia præceptorum moralium vel veritatum quæ ad ea pertinent cum recta ratione et desideriis sanctis cordis, aut partem materiæ aut forte integram materiam constituat, ex qua *ad mirabilem sapientiam institutoris huius religionis concludatur.* Id quod a numero, diversitate, sublimitate, connexione talium veritatum inter se pendet. De qua argumentandi ratione cf. thesim 22 n. 119 p. 31. — 4) Tantum eiusmodi sententiam reiicimus, quæ a tali convenientia alicuius partis religionis cum ratione vel corde humano *immediate ad eius partis vel totius religionis revelationem concluderet,* quin antea talis convenientia, dummodo ex circumstantiis id fieri possit, reducatur ad aliquod aliud motivum credibilitatis, et proxime quidem ad aliquod primarium, i. e. ad actionem aliquam miraculosam.

197. — *Argum.* Convenientia earum legum moralium et motivorum ad eas observandas ut est v. g. summa dignitas Dei qui super omnia ametur, etc., quas religio quædam revelata docet, cum iis legibus et motivis, quæ natura duce sciuntur, porro quod quædam in vita morali per religionem eam optime explicantur, *per se illud unum probat, doctrinam morum quam ea religio proponit, esse veram.* At

ex hoc solo per se *nullo modo* sequitur, *eam religionem ex parte vel universim sumptam esse revelatam.* Etenim

a) Ne hoc quidem ex eo sequitur, ipsas doctrinas directe ad mores pertinentes esse revelatas. Nam primo alius est conceptus enuntiabilis qua veri, alius enuntiabilis qua revelati, neque ex primo secundus sequitur. Deinde ex eo quod aliqua doctrina morum se dicit revelatam, certe per se non sequitur eam esse revelatam. Quærendum ergo est num alia argumenta pro revelatione adsint, diversa ab ipsa veritate enuntiabilis qua tali atque ab affirmatione illud esse revelatum.

b) Non sequitur, ea quæ aliquam explicationem veritatum ad mores pertinentium continent, esse vera, atque iterum a fortiori non sequitur ea esse revelata. V. g. ex eo quod peccatum originale explicat pugnam in homine, non sequitur, illud habuisse locum. Etenim etiam sine peccato originali eadem pugna potuisset in homine esse, idque ipsa doctrina catholica docemur. (Cf. errorem Baii damnatum « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur ». Denz. n. 1055). A fortiori nullum est in tali pugna argumentum, peccati originalis existentiam esse revelatam.

c) Etiam minus sequitur, alia, quæ cum talibus veritatibus revelatis non cohærent, et tamen in tali religione ut revelata prædicantur, aut vera esse aut revelata, v. g. non primam vel tertiam sed solam secundam personam Trinitatis esse incarnatam.

198. — *Nota.* Secundum ea, quæ in hoc Scholio exposuimus, iudicium ferendum est de quibusdam doctrinis recentioribus. E quibus duas affero.

Fonsegrive in articulo: La science, la croyance et l'apologétique, in: La Quinzaine 1 Ianv. 1899 hæc habet: « Si quis ad id perveniret, ut compararet interna eiusmodi vitæ (moralis quæ est maxime talis), actus scilicet quos ea postulat, ideas quas sibi vult, organa quæ supponit, cum actibus quos postulat moralis christiana, cum conceptibus et propositionibus dogmatis christiani, non posset quin miraretur de similitudinibus maxime notandis. Homo qui usque ad id tempus vitam humanam quam maxime elevatam egisset, utique nondum esset Christianus, at tam bene pro Christianismo dispositus, ut, quamprimum ædificium doctrinarum theologicarum ei monstraretur, non posset diffiteri, se videre ante oculos suos domum ita mire institutam, ut pro vita sua iam ita elevata plenissime omnia præstaret, quæ sibi deesse usque ad id tempus senserit; et subito, quantum hoc est ex parte hominis, se plane paratum inveniret, qui limen christianæ fidei transiret ». — Similia habet in opere: Le catholicisme et la vie de l'esprit.

Ollé-Laprune in libro: Prix de la vie [6] 1899, prius proponit ideam legis moralis naturalis perfectæ. Deinde ad religionem christianam hac ratione pervenit: Ut hæc præcepta exequamur, necessarium est adiutorium divinum. Iamvero religio christiana primo docet rationem pugnæ quam homo in se experitur, scilicet peccatum originale; deinde in redemptione rationem auxilii ostendit.

Ubi ea quæ vere humana in homine sunt, meliorem inveniunt explicationem altiores fines, validiora media, quam in Christianismo, eius factis, doctrinis, præceptis, mediis gratiæ? Ita certe ratio nihil magis nobile nobis monstrabit quam Christianismum; porro primum tentamen, ut quis vitam vere christianam agat, ei dabit probationem practicam veritatis eius, quæ probatio usque ad insuperabilem persuasionem perducat. Cf. La Science catholique 1897, 15 Mart. p. 289 sq.

PROPOSITIO 35ª: **Falsum est, religionem qua revelatam (christianam) ab explicatione vitæ perfecta postulari, hancque exigentiam esse aliquod motivum credibilitatis revelationis.**

199. — *Brevis expositio theoriæ.* — Elaborant quidam «ut homini persuadeant, in ipso atque *in intimis eius naturæ ac vitæ recessibus celari cuiuspiam religionis desiderium et exigentium, nec religionis cuiuscumque, sed talis omnino qualis catholica est:* hanc enim postulari prorsus inquiunt ab explicatione vitæ perfecta ...» Quod «ita incaute faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetæ catholici opportunis adhibitis temperamentis demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam». Encycl. «Pascendi» p. 46.

200. — *Uberior theoriæ explicatio.* — Explicatio vitæ perfecta intelligitur ea perfectio actionum, qua idea (ideale) hominis plene exprimeretur. Idea vero hominis intelligitur homo in quantum eius actiones perfecte concordant cum regula morum, quæ naturaliter cognosci potest. — Iamvero homo tali modo perfecte agere non potest, nisi adiutus auxilio Dei. Hoc vero auxilium Dei non potest esse conclusum in ordine naturali, cum religio naturalis non sit nisi artificiosum figmentum. Ergo necessarium est auxilium supernaturale, atque cum revelatione coniunctum. Ergo revelatio supernaturalis est necessaria naturæ. Deus autem in necessariis deesse homini non potest. Ergo Deus dedit religionem revelatam cum iis auxiliis de quibus agitur. Ut revelatam eaque auxilia de quibus agitur, continentem, se offert religio christiana. Ergo ea revelata est.

Potest quis in id solum incumbere, ut hoc argumentum validum declaret; potest vero præterea adiungere, cætera argumenta, præcipue ea quæ e miraculis et prophetiis petuntur, nullum valorem habere, vel ad summum probabilia esse.

201. — *Distinctio huius motivi falsi credibilitatis a doctrinis veris, quæ cum eo forte a quibusdam confunduntur.* — 1) *Convenientia cum natura humana* est criterium negativum, item *perfectio* quam dona supernaturalia naturæ humanæ afferunt, in quantum ea imperfectioni

positivæ opponitur. — 2) *Mira sapientia religionis christianæ* etiam eo ostenditur, quod ea continet omnia, quæ sunt naturalibus desideriis conformia et in religione naturali inveniuntur, quod porro omnia quæ adduntur bona supernaturalia in plena harmonia sunt tum inter se tum cum bonis naturalibus, ea perficiunt, nulli contradicunt. Quam miram sapientiam si consideras, habebis argumentum pro revelatione revelata, at non ex naturali exigentia perfectionis supernaturalis, sed ex miraculo sapientiæ quod in eo supponendum est, qui eam religionem primus nuntiavit. Cf. ampliora quæ de distinctione argumenti veri e mirabili sapientia ab argumento falso e veritate obiectiva enuntiabilium diximus prop. 34 n. 181 p. 135-6. — 3) Rectissime quis argumentari potest *ex miraculis homini internis* sive in ordine intellectus sive in ordine voluntatis, sive in ordine physico sive in ordine morali. Hæc sunt utique in homine, at non ex homine, non sunt indigentia naturalis, sed actio Dei præternaturalis. Unde argumentatio hæc toto cœlo diversa est. — 4) Recte quis etiam ita argumentatur: Religio christiana in iis qui crediderunt, *fructus producit simpliciter et universim bonos* qui dependent a persuasione, eam esse revelatam. Atqui falsum nequit, providente Deo, habere hos effectus. Ergo religio christiana revelata est. At hæc argumentatio primo non est argumentum primarium, sed secundarium, quod iam alia motiva credibilitatis nota fuisse supponit; deinde non est argumentum ex aliqua re ex omni parte naturali, sed ex factis quæ concausam habent fidem, quæ ipsa miraculis orta est. Hic vero statuitur argumentum sive unicum sive primarium idque ex ipsa natura qua tali in se considerata.

202. — A multis affirmatur, *Mauritium Blondel* hanc theoriam proponere. Quædam verba, in quibus eiusmodi doctrinam inesse putant, hæc sunt: In libro » L'action » p. 388 hæc habet: « Absolute impossibile et absolute necessarium pro homine, hic est proprius conceptus (entis) supernaturalis »... « ordo supernaturalis est in ordine naturali, cui est necessarius; et impossibile est, illum in hoc non esse, cum ordo naturalis totus quantus eum (supernaturalem) spondeat, eo quod eum exigit (garantit en l' exigeant) ». Unde supernaturale considerandum esse « non ut gratuitum vel liberum (facultatif) ad modum doni quod propositum sit non vero impositum; non ut conveniens et adaptatum naturæ, cuius non esset nisi supremus quidam flos (épanouissement); non ut ineffabile in ratione essendi, sine radicibus in nostra cogitatione et in nostra vita; sed ut eodem tempore non minus indispensabile quam inaccessibile pro homine ».

Quamvis diversis modis id egerim ut librum legerem, tamen id obtinere non poteram, unde quid contineat ipse iudicare non possum.

In articulis 6: Lettre sur l'exigence de la pensée contemporaine etc., in « Annales de Philosophie Chrétienne », 1896, præcipue in articulo tertio et sexto, prius proponitur doctrina, qua valor demonstrativus miraculorum qui-

busdam negari videtur; deinde theoria, quæ dicitur methodus immanentiæ, stabilitur ut alia via perveniendi ad Christianismum. Forte summa eius continetur p. 344 «.... s'il est vrai.... médiateur ».

Pars I. *Revelatio ab explicatione vitæ perfecta non postulatur.*

203. — Argum. Revelatio ob duplicem rationem posset dici postulari ab explicatione vitæ perfecta: primo ob ipsam formam, sub qua veritates proponit, scilicet ipsam formam revelationis, in quantum revelatio diversa est ab aliis modis, præcipue naturalibus, ad eandem veritatem perveniendi; secundo ob quandam materiam, quæ tali revelatione comprehendi deberet. Posset quis scilicet cogitare, explicationem vitæ perfectam exigere, ut homo ad ordinem visionis beatificæ elevetur atque consequenter iam his in terris ea dona adipiscatur, quæ intrinsecam relationem cum ea habent. Hanc porro elevationem ei ideo revelatione manifestari debere, quia ex una parte sine revelatione cognosci non possit, ex alia parte homo non possit debito modo tendere in finem quem non cognoverit.

Iamvero *explicatio vitæ perfecta exigere nequit, ut revelatio hominibus detur, sive formam revelationis proxime respicis, sive quasdam veritates revelandas proxime consideras.*

204. — Exigere nequit ut in genere aliquid reveletur. Nam explicatio vitæ perfecta habetur, si idea hominis perfecte et cognoscitur et impletur. Atqui utrumque haberi potest sine revelatione.

Atque primum quidem cognitio perfecta. Etenim aut physicam possibilitatem respicis aut moralem. Iamvero physica semper adest eaque in singulis hominibus. Moralis vero utique secundum ea quæ thesi 11 docuimus, in hominibus, uti solent esse, non adest. At, uti in eadem propositione n. 59 p. 40 proposuimus, hæc moralis impossibilitas tolli potest multis modis præter eum modum, qui est revelatio seu locutio Dei attestans. Ergo cognitio perfecta ideæ hominis non exigit revelationem.

Secundo ipsa explicatio ideæ perfecta, in quantum a cognitione ad eam requisita distinguitur, non exigit revelationem. Etenim auxilium quod ad hanc perfectam impletionem requiritur, aut est solum robur directe addendum voluntati, aut est sola cognitio practica vivida, aut in utroque consistit. Si primum dicis, certe ipsum robur voluntatis neque est revelatio neque eam supponit; si secundum vel tertium, redit argumentatio quam relate ad cognitionem fecimus. Ergo neque explicatio ideæ perfecta revelationem exigit.

205. — Etiam minus explicatio ideæ perfecta exigere potest, ut homo ad ordinem visionis beatificæ elevetur eaque elevatio cum eo — utique per strictam revelationem — communicetur. Etenim explicatio vitæ perfecta nihil est aliud quam finis naturalis, ab homine his in terris obtinendus, in sua propria forma perfectus. Iamvero finis naturalis nequit ad sui realisationem exigere finem supernaturalem vel media supernaturalia in quantum talia sunt. Alias natura exigeret supernaturale, id quod ipsi conceptui contradicit. Atqui demonstrant dogmatici visionem beatificam esse donum sensu stricto supernaturale. Ergo explicatio ideæ perfecta nequit exigere elevationem ad ordinem visionis beatificæ, atque proinde neque revelationem ideo postulare potest, quia est unica forma, in qua convenienti modo hæc elevatio cum homine communicetur.

Pars II. *Etsi existeret exigentia religionis revelatæ, tamen non posset esse motivum credibilitatis universale pro religione, quæ se ut talem offerret.*

206. — Religio quæ se ut revelatam *offert* — quo termino asseclæ huius sententiæ non raro utuntur — ea intelligitur, quæ se talem affirmat. Negamus ergo, dicta exigentia probationem talis affirmationis contineri. Aliquando utique adversarii in describenda ratione, qua religio illa se ut revelatam offert, ea afferunt, quæ potius distincta et vera motiva credibilitatis sunt, ut v. g. effectus in universum et simpliciter bonos. In quantum ita faciunt ipsi de sua ratione argumentandi ex exigentia, quam explicite statuunt, implicite recedere aut sibi contradicere videntur.

207. — Argum. *Tale motivum credibilitatis statueretur aut in exigentia revelationis, quæ naturales tantum veritates religiosas contineret, aut in exigentia revelationis, in quantum elevationem ad finem supernaturalem in se concluderet.* Atqui sive hoc sive illo modo hæc exigentia intelligitur, non potest esse motivum universale revelationis.

Ac primo quidem si intelligitur exigentia revelationis in quantum veritates religiosas naturales contineret. Nam *a)* ut ex exigentia agnita veritatum ad earum revelationem concluderetur, deberet antea esse nota, idque via naturali, earum necessitas ad vitam homine dignam. Iamvero, uti thesi 11 vidimus, hæc ipsa cognitio hominibus in hoc ordine rerum moraliter impossibilis est. — *b)* Hac via ad summum eæ veritates ut revelatæ cognosci possent, quæ sensu stricto exiguntur ad vitam homine dignam, non vero eæ veritates religiosæ, etiam abstractæ, quæ ad eum finem tantum utiles sunt. — *c)* Certe plurimæ

veritates historicæ, etiam per se profanæ, revelari possunt, quibus veritates religiosæ illustrentur. Atqui harum certe nulla exigentia statui potest. Ergo exigentia hæc ad illas qua revelatas agnoscendas perducere nequit. — *d)* Sine dubio veritates hæ sive religiosæ sive cum religiosis connexæ sæpius a Deo revelari possunt. Atqui talis repetitæ revelationis certe nulla necessitas demonstrari potest. — *e)* In revelatione etiam veritatum religiosarum nuntianda propheta etiam bonæ voluntatis putare potest, aliquam veritatem sibi naturaliter notam, esse revelatam eamque ex errore inculpabili ut talem nuntiare. Ergo exigentia revelationis cum affirmatione, eam hic et nunc haberi, loco argumenti esse nequit. Imo etiam impostor vel homo a spiritu sive proprio sive alieno deceptus veritates naturales v. g. antea revelatas in unum systema coniungere iisque veritates non revelatas adiungere potest. Ergone illæ priores, utpote necessitati religiosæ correspondentes, imo etiam aliæ ut per illum revelatæ haberi possunt?

208. — Secundo: hæc exigentia etiam minus esse posset motivum credibilitatis, si ageretur de religione, quæ affirmaret, se dona supernaturalia afferre. Etenim *a)* exigentia illa deberet naturaliter cognosci. Ergo dona supernaturalia deberent naturaliter saltem ut possibilia cognosci. Iamvero unicum quod de iis cognosci potest, est, neminem posse demonstrare ea repugnare. Adiungo, neque hanc demonstrationem facilem esse hominibus uti esse solent, sed paucis tantum doctioribus. — *b)* Mediante hac exigentia certe tantum ea ut revelata cognosci possent, quæ necessaria essent ad eam exigentiam explendam, non vero ea, quæ stante hac exigentiæ necessaria expletione a Deo in elevando homine ad finem supernaturalem, in communicandis bonis istius ordinis aliter atque aliter statui possunt. Iamvero potest esse ut Deus non tantum revelaverit, se homini supernaturales vires indidisse, in quantum hæ ex natura elevationis ad ordinem visionis beatificæ sequerentur, verum etiam se ea conferre tali et tali modo qui inter multos possibiles ei præferendus videbatur, v. g. per meritum alicuius redemptoris, Dei incarnati, per sacramenta, etc. Ergo hæc omnia qua revelata cognosci non possent.

209. — *Ob. 1. S. Thomas, v. g. 1. q. 12 a. 1 et in 1 Cor. c. 13 lect. 4* docet, *in hominibus esse desiderium naturale visionis beatificæ, quod inane manere non possit.* Atqui id, quod homo naturaliter desiderat, idque ita, ut desiderium inane esse non possit, a natura exigitur. Ergo visio beatifica atque consequenter revelatio secundum doctrinam S. Thomæ a natura exigitur. — R. c. textum, n. sensum. S. Thomas agit contra errorem philosophorum præcipue arabum sui temporis, qui affirmabant, visionem Dei ne per omnipotentiam quidem divinam concedi posse, sed tantum esse inventum fanaticorum Pietistarum. Contra hos

loquens S. Thomas naturale intelligit eiusmodi desiderium quod est in rem, 1) cuius possessio non esset contra perfectionem naturæ, sed eam perficeret, 2) quæ non ita superat naturam, ut neque per omnipotentiam Dei homini concedi posset, 3) cuius tamen amissio non faceret infelices. Tale desiderium non est exigentia. — Illud autem desiderium inane esse non posse affirmat in suppositione, hominem ex fide scire, se ad talem visionem ut ad finem suum esse destinatum. — Hanc explicationem S. Thomæ esse rectam v. v. g. *Pesch* II. n. 84-5. — *Kleutgen*, Theologie der Vorzeit II² tract. 5 n. 3 p. 140-50. — De diversis quibusdam sententiis et modis loquendi theologorum quoad desiderium visionis beatificæ v. v. g. *von Schmid* p. 178-200.

Ob. 2. Veritates revelatæ a natura non postulatæ nobis essent absolute extraneæ, indifferentes pro nobis. Iamvero tales ne credere quidem possemus. Etenim ad credendum requiritur actus voluntatis. Voluntas autem non movetur nisi eo quod pro nobis est bonum. — R. Duplex est suppositio falsa in obiectione. Prima est: ad id ut aliquid credatur, necessarium esse ut ipsa res credita appareat ut bona. Essentiale tantum id est, ut ipse actus credendi appareat bonus. Hoc enim sufficit ut imperetur. Absolute posset Deus aliquid revelare pro nobis indifferens, tantum ut nostram fidem experiretur. — Secunda suppositio falsa est: id quod pro nobis bonum est atque id quod a natura exigitur esse conceptus identicos. Perspicimus quam maxime nobis bona, proinde quam maxime per se desiderabilia esse ea, quæ secundum revelationem Dei tam perfecta sunt, ut sint bona divina, tantum per summa Dei miracula nobis, antea ad hunc ordinem bonorum elevatis, communicanda, v. g. visionem beatificam, quæ omni modo naturam superat. Cf. diff. 1.

Cf. quoad ideas huius difficultatis v. g. *Blondel*, L'Action, l. c. — *Laberthonnière*, Essais de philosophie religieuse, 1903 p. 196. — *Tyrrell*, Trough Scylla and Charybdis c. 11 Revelation p. 305.

Ob. 3. Secundum S. Thomam, cæteros theologos, voluntas habet partes principales in actu fidei. Atqui hoc est, quod theoria immanentiæ hic statuta sibi vult! — R. Secundum theologiam voluntas in tantum habet partes principales in actu fidei, in quantum fides christiana est actus essentialiter imperatus a voluntate libera, e; in quantum motivum credibilitatis sive principaliter sive saltem ex parte sit desumendum ex exigentiis voluntatis naturalibus, n. — De qua libertate fidei plura in theologia dogmatica docentur.

Propositio 36ª: Gratia qua elevans non est motivum credibilitatis.

210. – **St. qu.** *Con. mat. et occasio huius theoriæ.* — Doctrina a *Blondel* proposita a quibusdam eo sensu explicatur, quem thesi præcedenti refutavimus. At sunt qui putent, eam intelligi posse eo modo qui sequitur.

Theoria proponitur. — Summa theoriæ, in qua exhibenda abstrahimus a quibusdam erroribus, que cum ea accidentaliter coniunguntur, hæc esse videtur: Existit utique in homine exigentia ordinis supernaturalis, at non in tantum, in quantum natura hominis consideratur ut sibi relicta, sed in tantum, in quantum consideratur ut iam or-

nata gratiis. Iamvero secundum fidem catholicam de facto gratia Dei in omnes agit. Ergo in omnibus est exigentia ordinis supernaturalis. Atqui *hæc exigentia ordinis supernaturalis, detecta in actione quam gratia iam penetravit, et necessaria est et sufficiens ad id ut veritas revelata assumi possit.* Est necessaria; nam aliter non explicatur, quomodo revelatio nobis possit apparere ut respondens exigentiæ, id quod necessarium est ad id, ut assumi possit. Est sufficiens; nam ordo revelationis cum ordine gratiæ necessario coniunctus est.

211. — Hanc theoriam multis proposuisse videtur *L. Laberthonnière,* prius in: Annales de philosophie chrétienne (1897 Mart. April.), deinde in: Essais de philosophie religieuse [2] (1903) p. 168-90. Quo in loco hæc exponit:

« Il faut partir de la réalité vivante que nous sommes. Mais, puisqu'il existe un ordre surnaturel, puisque tout homme en fait — nous ne disons pas en droit — est appelé à vivre surnaturellement, c'est que *Dieu agit par sa grâce sur le cœur de tout homme et le pénètre de sa charité;* c'est que l'action même qui constitue fondamentalement notre vie est en fait comme informée surnaturellement par Dieu. *Si donc on suit l'expansion et le développement de l'action humaine, on devra voir apparaître et s'épanouir ce qu'elle recèle en son fond.* Même méconnu Dieu est toujours là. Et en effet en toute vie humaine, bon gré mal gré, sous les attitudes les plus diverses et les plus opposées n'y a-t-il pas toujours le désir de posséder Dieu, le désir d'être Dieu? Mais ce désir n'est pas naturel, je veux dire que l'homme ne saurait l'avoir par lui même, car on ne peut pas posséder Dieu malgré lui, comme on possède une chose; il faut que Dieu se donne. Et si l'homme désire posséder Dieu et être Dieu, c'est que déjà Dieu s'est donné à lui. Voilà comment dans la nature même peuvent se trouver et se trouvent des exigences au surnaturel. *Ces exigences n'appartiennent pas à la nature en tant que nature, mais elles appartiennent à la nature en tant que pénétrée et envahie déjà par la grâce.* S'il n'est pas légitime, ni même possible, en un sens, de s'en tenir à une philosophie séparée, c'est qu'en fait il n'y a pas de nature séparée.

Par conséquent, en faisant la science de l'action humaine, puisque cette action est en même temps notre action et l'action de Dieu, *on devra trouver en elle l'élément surnaturel qui entre dans sa constitution.* En fait l'action humaine postule le surnaturel. Assurément cela ne veut pas dire qu'on trouve dans l'action la vérité surnaturelle sous sa forme précise et dogmatique. *Mais cela veut dire que dans l'action, qui, informée par la grâce, postule le surnaturel, on trouve ce qui nous permet de recevoir cette vérité et de lui donner un sens quand elle est révélée.* Et lui donner un sens c'est avoir des motifs d'y croire, motifs qu'on peut toujours renforcer et multiplier de façons diverses, en considérant toutes choses à sa lumière et en résolvant par elle le problème de la vie, qui sans elle reste un mystère angoissant. De cette manière, et de cette manière seulement, on s'explique que la révélation puisse nous apparaître, selon un mot qu'on répète souvent, comme comblant un vide et comme répondant à un besoin de notre nature. Quoique venue du dehors, elle n'est plus une étrangère, parce que du dedans on va vers elle, et parce qu'en la recevant on a en soi un principe organisateur qui y correspond et par lequel on peut s'en emparer, se l'assimiler et

la faire sienne. Il se passe là quelque chose d'analogue à ce qui se passe dans les corps organisés. Les corps organisés reçoivent du dehors leurs aliments; mais c'est du dedans qu'ils les organisent d'après « une idée directrice ». S'il n'y avait pas aussi en nous surnaturellement comme une idée directrice, la vérité révélée ne pourrait jamais devenir notre vérité, nous ne pourrions jamais l'introduire dans notre vie, parce qu'elle ne répondrait pour nous à aucun besoin ».

212. — *Duplex modus hanc theoriam intelligendi.* — Gratia per se intelligi potest aut in quantum est *elevans* actus nostros ad ordinem visionis beatificæ, aut in quantum est *sanans*, seu in quantum et illuminat intellectum, ut tum speculative tum practice videat quid sit agendum, et roborat voluntatem ut quæ homo agenda vidit complere possit. Si in hac theoria gratia intelligitur tantum qua sanans, iam vidimus thesi 27, illuminationes intellectus et impulsiones voluntatis aliquando eiusmodi esse posse, ut et in se sint extraordinaria et ut talia percipi possint, simulque ea ex circumstantiis aliquando referri posse ad aliquam revelationem probandam. Necessaria autem talis gratia in ratione motivi credibilitatis dici nequit, cum alia multa sufficientia motiva credibilitatis probaverimus. — *Quæritur ergo nunc tantum, quid de hac theoria sentiendum sit, si gratia intelligitur qua elevans. Qua in suppositione eam, in quantum ut motivum primarium statuitur, absolute reiicimus.* Rem breviter tractamus; ampliora, quæ dici possent, nimia ex tractatu de gratia supponerent.

213. — Argum. I. *Ex eo quod gratia qua elevans nonnisi per revelationem cognosci potest.* — Id quod nonnisi dependenter a revelatione cognosci potest, nequit esse motivum primarium credibilitatis. Atqui, theologis dogmaticis docentibus, ordo intrinsecus ad visionem beatificam qui in actibus intellectionis et volitionis elevatis invenitur, non est minus mysterium sensu stricto, atque ipsa visio beatifica. Iamvero mysterium sensu stricto nonnisi per revelationem cognosci potest.

Argum. II. *Ex eo quod gratia qua elevans, etsi posset esse motivum credibilitatis, tamen neque universale esse posset neque unicum.* — Gratia qua elevans certe eas solas veritates qua revelatas vel aliquando revelandas notas facere posset, quæ cum elevatione hominis nexum prorsus essentialem habent. Iamvero maior pars veritatum credendarum talem nexum cum gratia elevante non habet, v. g. ea quæ per accidens revelata sunt, porro ex iis quæ per se revelata sunt, ea omnia quæ Christum ut redemptorem respiciunt. Etenim v. g. etiam Adam et Eva ante peccatum ad ordinem supernaturalem elevati erant, at non per Christum redemptorem. — Gratiam non esse unicum seu necessarium motivum credibilitatis v. n. 212.

214. — *Nota de habitu voluntatis ad revelationem.* — Postquam egimus de habitu intellectus ad revelationem, seu de motivis credibilitatis, per se tractandum esset de habitu voluntatis ad eam. Hanc quod attinet, per se proponendæ essent hæ theses: Tenetur homo 1) si habentur signa probabilia, revelationem Dei factam atque ad se directam esse, in factum revelationis inquirere; 2) si certitudo de hoc facto obtenta est, revelata credere. Cf. n. 12 p. 8. — At utraque thesis in ethica tractari solet. Unde eas hoc loco omittimus.

Ampliorem tractationem in operibus apologeticis v. v. g. *Wilmers* prop. 26, 27 p. 93-9. — *Ottiger* th. 11, 12 p. 276-93.

Appendix de arte apologetam agendi.

215. — Ars agendi apologetam pro aliqua religione revelata in multis rationem habere debebit et obiectorum eorum, quæ aliqua revelatio continet, et earum circumstantiarum historicarum, in quibus humanum genus nunc invenitur. Unde ampliora de ea proponemus, quando de revelatione christiana demonstranda sermo erit. — Nihilominus iuverit, differentiam inter scientiam apologeticæ atque artem apologetam agendi paucis videre. Porro quædam principia de hac arte sequuntur ex ipsa natura quasi omnis revelationis credendæ atque hominis qui credere debet. Quare quædam summa capita de hac arte hoc loco prælibanda videntur.

1) *Ars apologeticæ* in eo est, ut quis *a*) e systemate demonstrationum, quibus scientia apologeticæ obiective sumpta constituitur, *argumenta eo modo eligat electaque proponat, quo iis quibus persuadere vult, ad finem obtinendum convenit;* b) *ad cætera omnia, in quantum ex ipso est, cooperetur, quæ ad certitudinem de motivis credibilitatis ingerendam necessaria vel utilia sunt.*

2) Sæpe intellectus sive ob ruditatem sive ob præiudicia pseudophilosophia in ipsis præambulis fidei et motivis credibilitatis diiudicandis cæcutit, voluntas ob superbiam vel sensuum illecebras a credendo, præcipue si mysteria, præcepta difficilia revelantur, abhorret. Quæ impedimenta Deus efficaciter superare potest adiutorio interno, apologeta non potest instructione, exhortatione externa. Unde apologeta hos favores divinos et ipse *oratione* petat, *vitæ sanctitate* quasi emereatur, et eos quos convertere vel firmare vult, ad fundendas preces et obedientiam præstandam iis mandatis quæ iam cognoverunt, perducere studeat.

3) *Actus fidei ex natura sua liber est; imo ipsum iudicium credibilitatis generatim ita proponi vix potest, ut intellectum ad assen-*

tiendum physice cogat. Quare id agendum est, ut *voluntati efficacia motiva proponantur, quibus mota influxum debitum in hos actus exerceat.* Unde diserte doceatur, quantus honor Deo, quanta bona homini his actibus et his in terris accrescant et in futurum sperari possint, quantæ pœnæ eos maneant, qui in revelationis factum vel non serio inquirant vel veritatem cognitam non amplectantur.

4) Adlaborandum est, ut *eliciatur iudicium credibilitatis objective verum atque stabile.* Quare, argumento ad hominem ad refellendas tantum obiectiones adhibito, motiva credibilitatis tantum ea proponantur quæ sunt obiective vera, v. g. non Neo-Kantiana. Neque cedendum est iis qui dictitant, argumenta obiective non vera hodie sæpe magis placere. Enitendum est potius, ut saltem in tantum vera philosophia admittatur, in quantum ad capienda vera motiva credibilitatis absolute necessarium est.

5) *Ex argumentis veris ea eligantur, e quibus,* attenta dispositione audientis, aliquando etiam facultate loquentis, *fructus desideratus speretur.* Quare præter scientiam suam apologetæ noscendi sunt prædilecti ætatis sive errores sive ideæ rectæ, vita et via cordis humani tum in genere tum eorum qui instituendi sunt.

6) Tamen per se quam maxime *inculcentur argumenta, quæ per se certissima atque clarissima sunt,* uti miracula, prophetiæ. Caveat apologeta ne tantum ea argumenta afferat, in quæ diiudicanda dispositio subiectorum diversa magis quam in cætera diiudicanda influit. Qualia sunt v. g. e pace interna, aptitudine doctrinæ ad desideria animorum implenda.

7) Quæ regulæ e doctrina et exemplis auctorum magni nominis, præcipue ævi patristici, aliis in tractatibus confirmabuntur.

INDEX ANALYTICUS.

DE RELIGIONIS REVELATIONE IN ABSTRACTO CONSIDERATA.

INTRODUCTIO.

1-8.

Huius tractatus obiectum formale quod est systema demonstrationum earum, quæ de revelatione in abstracto formari possunt; *locus proprius* philosophia. *Formari cœptus* est ut integer sæculo 18° 1.

Subiectum eius est *revelatio* — Revelationis *definitio* verbalis; realis: locutio Dei attestans. Locutio est actus quo quis directe (non per medium obiectivum ex quo, scilicet per effectus) sua iudicia alteri communicat; attestans est ea locutio qua quis auctoritatem suam interponit 2-3 — *Falsæ notiones* revelationis ab *adversariis* propositæ: lit. de iis 4-5 — exhibentur 5-6 — Etiam attestans varie *dividitur* secundum causam proximam physice influentem (obiecta); secundum modum repræsentandi, analogice aut aliter; secundum modum quo communicatur, scilicet per signa ex institutione aut per solas ideas rerum; secundum facultates humanas et subiecta eam recipientia; secundum quod tum Dei miraculosus influxus, veritates credendas proponens, tum præceptum divinum eas credendi ad easdem personas dirigitur, aut prior ad pauciores, posterius ad plures extenditur, quibus eæ veritates qua credendæ per homines communicantur (immediata, mediata); secundum modum tendendi, qui actibus inest, etc. 6-7.

Divisio tractatus. 1) De revelatione in se, scilicet eius possibilitate, utilitate, necessitate. 2) De habitu mentis ad revelationem, scilicet *a*) de eius demonstrabilitate *b*) de obligatione eam amplectendi 8.

PARS I.

De revelatione in se sumpta.

9-43.

Revelatio est physice possibilis.

9-28.

Lit. de possibilitate revelationis 9 — *Notio.* Possibilitas adaequata alicuius rei in eo consistit, ut eius existentia cum omnibus perfectionibus divinis conveniat, quæ in existentiam alicuius rei influere possunt; *physica* est mera non repugnantia notarum intrinsecarum 9-10.

Immediata.
10-25.

Quædam, abstrahendo a specificatione obiecti.
10-5.

Adversarii. Materialistæ, Pantheistæ, Deistæ, Naturalistæ, Rationalistæ 10. *Argum.* Non repugnat forma efficienda: similitudo alicuius enuntiabilis recepta in mente humana; neque modus eam efficiendi, sive per linguam iam notam aut tunc infusam, sive sine lingua, per solum conceptum mentis; neque dispositio recipientis, cum homo tales formas ab alio, ergo a fortiori a Deo, recipere possit; neque finis: notitia rei fide tenenda 10-2 — Auctoritas generis humani proponitur 12-3.

Ob. Deus revelando sibi contradiceret; vilem se redderet: intellectum hominis deprimeret; suo dominio derogaret 12; revelatio non potest repræsentare Dei iudicia; protoparentibus, utpote lingua carentibus, fieri non poterat; repugnat perfectioni humanæ; consisteret in cognitione sine animæ activitate; redderet impossibilem scientiam historiæ; neque Christus neque prophetæ eam sibi ascripserunt; negata est eius possibilitas ab integris classibus hominum; ab ethnicis ascribebatur diis qua corporeis 13-5.

Religionis.
15-8.

Expl. Veritas religiosa est enuntiabile, quo aliquid de Deo vel de relatione rerum ad Deum affirmatur; religio (obiective sumpta) est complexus eiusmodi veritatum 15.

Argum. Etiam Deus et res divinæ analogice a nobis repræsentantur; porro plurimæ etiam ex iis veritatibus eiusmodi sunt, quæ non eo ipso quod menti proponuntur, ad assensum cogant — Genus humanum præcipue religionem ad numinum revelationem reduxit 16-7.

Ob. Veritates divinæ si revelantur, ad ordinem sensibilem deprimuntur; necessario falsis miscentur; omnes (naturales) sciri possunt; ex persuasione ethnicorum argui non potest 17-8.

Mysteriorum.
18-25.

Lit. 18 — *Expl.* Mysterii definitio verbalis; realis 18-9 — divisio in mysteria naturæ, sensu lato, sensu stricto 19 — Mysterium sensu stricto est enuntiabile, cuius neque existentia neque possibilitas independenter a revelatione cognosci potest 19-20 — *Adversarii,* præter eos qui omnem revelationem negant, Semirationalistæ 20 — *Falsæ notiones* ab iis statutæ 20-1 — Sufficit pro fine theologiæ fundamentalis thesis negativa 21-2.

Argum. Pars I. Non potest demonstrari mysteria existere non posse; nam unicum medium eiusmodi demonstrationis esset conceptus proprius Dei,

quem non habemus. — Pars II. Non potest demonstrari mysteria, si existunt, revelari non posse. Nam nequit demonstrari, conceptus analogos de iis haberi non posse 22-3 — Utramque partem confirmat auctoritas humana ecclesiæ catholicæ 23.

Ob. contra I: habemus conceptum infinitatis Dei; obiectum intellectus nostri est ens; negatio cognoscibilitatis diceret negationem entitatis 23-4 — contra II: id quod creaturæ ne analogice quidem imitari possunt, hoc nulla mens creata ne analogice quidem repræsentare potest; id revelari nequit, quod absolute intelligi nequit 24 — contra argum. ex auctoritate: Scriptura mysteria « metaphysica », non novit; apologetæ sæculi 2i et 3i ea negarunt; Patres posteriores ea habebant « complexionem oppositorum » 25.

MEDIATA.

Religionis atque etiam mysteriorum.

25-8.

Adversarii. Pseudomystici quidam; Deistæ; recentes Evolutionistæ in re dogmatica; Modernistæ 25.

Argum. Inter obiecta per revelationem immediatam proposita, etiam hoc contineri potest, Deum velle ut veritates revelatæ cæteris suo nomine credendæ proponantur. Quod mandatum homo exsequi potest. Quo completo cæteri illas Deo credere possunt 26 — Humanum genus ordinarie revelationi mediatæ credidit 26.

Ob. Revelata si in mente retinentur, necessario cum non revelatis confunduntur, transmittuntur commixta cum ideis falsis, saltem si per multas generationes transeunt mutantur; lumen speciale, ad intelligenda mysteria requisitum, transmitti non potest; quod ab homine pronuntiatur, non potest habere auctoritatem divinam 26-7.

Corol. Impossibilitati morali in transmittenda religione revelata providentia divina mederi potest juvando memoriam, intellectum, voluntatem, tum in singulis tum in societatibus, tum naturali, tum miraculoso modo 27-8.

Revelatio est conveniens et utilis.

29-38.

Conveniens intelligitur id quod ita convenit perfectionibus divinis, ut contradictorium iis tamen non repugnet 29.

IMMEDIATA.

29-37.

Quævis, etiam abstrahendo a specificatione obiecti.

29-31.

Argum. Qua actio miraculosa existentiam atque potentiam, qua locutio sapientiam, qua attestans speciatim veracitatem Dei manifestat; nobis vero assensum e motivo infinito possibilem reddit. Obiecto quovis, quod continet, ad laudem Dei disponit 29-30. — Confirmat humanum genus, libere actum fidei, qua bonum, amplectens, honorem prophetis etc. deferens.

Ob. Veritatis inquisitio est perfectior atque eius possessio; scientia morali quadam necessitate decresceret; dedecet scientiam, pati influxum a norma sibi extrinseca 30-1.

Profana continens.

31-2.

Adversarii v. g. Kantiani 31.

Argum. Revelatio potest, etsi sola profana continet, aliquando curare hominis bonum physicum, cum quo sæpe spiritualia connectuntur, quæ cura gratitudinem excitat; si simul religiosa continet, profana cum iis obiective necti, porro eorum narrationem vividiorem reddere possunt 31-2 — Homines universim tales revelationes numinis admiserunt 32.

Ob. Dedecet Deum miraculoso modo res temporales curare; destrueretur studium rerum naturalium; certitudo fidei superflua est ad bona temporalia prosequenda 32.

Religionis.

32-5.

Argum. Ea religiosa, quæ sine revelatione facile cognoscuntur, per eam certius et vividius tenentur; ea vero, quæ ex natura rerum et teste historia sine revelatione difficilius cognoscuntur, si tamen cognoscuntur, per eam expedite inde ab initio vitæ, ab omnibus etiam incultis, sine fœdo errore, magna cum certitudine et amplitudine tenentur. Porro maior perfectio vitæ religiosæ per se veram felicitatem terrenam promovet. Nominatim scientiæ, imprimis philosophia, perficiuntur, eo quod in tot veritatibus, quæ sive revelatæ sunt sive cum revelatis connexæ, infallibilem normam habent — Genus humanum revelationem extollit 32-4.

Ob. Revelatio religionis supponit, revelanda iam antea sciri; fanatismum vel intolerantiam producit; libertatem scientiæ restringit vel saltem religiosas mentes ab indagatione facile impedit; ethnicorum testimonia pro se non habet 34-5.

Mysteriorum.

35-6.

Argum. Revelatione crescit æstimatio de Dei magnitudine, de eius bonitate si ea simul opere complet, humilitas; vera felicitas terrena ob auctam vitam religiosam; speciatim proficit scientia ob maiorem indagationis circumspectionem, novam normam fere ex essentiis rerum haustam, quandam mysteriorum scientificam intelligentiam 35-6. — Confirmant sapientes 36.

Ob. Quod non intelligitur neque scientiam promovet neque voluntatem movet; qui mysteriis assueti sunt, ab inquisitione alieni erunt; nonnisi culturæ hostes ea laudant 36.

Publica, imo communis.

36-7.

Argum. Ea affert toti generi humano maiorem religionis unitatem, faciliorem revelationis certitudinem ob argumentum ex auctoritate humana 36-7.

Mediata.

37-8.

Argum. Deus perfectius manifestat suam bonitatem, utens homine; potentiam et sapientiam, cum successu utens debili. Efficit firmiorem et faciliorem certitudinem revelationis, ob communia motiva credibilitatis; perfectiorem humilitatem atque unionem animorum — Genus humanum præcipue mediatæ adhæsit 37-8.

Ob. Deus in actu credendi immediate in mentem hominis influit; revelatio immediata magis vivida fuisset 38.

Revelatio est moraliter necessaria.

38-43.

Lit. 39 — *Expl.* Intelligitur necessitas moralis, i. e. quæ remedium affert impotentiæ morali seu ei difficultati operandi id ad quod facultates et media adsunt (quod proinde physice fieri potest), quæ impedit quominus ad actum perveniatur; disiunctiva, i. e. Deus aut revelationem concedere debebat, aut aliud adiutorium quo eundem effectum obtineret; hypothetica, scilicet si Deus efficaciter volebat, humanum genus certam quandam perfectiorem cognitionem assequi, ravelationem impertire debebat. Intelligitur eiusmodi cognitio, qua ea quæ in rebus divinis humanæ rationi impervia non sunt, in præsenti generis humani conditione ab omnibus etiam incultis, expedite inde ab initio vitæ moralis, firma certitudine, debita amplitudine, quæ vitam homine dignam deceat, nullo admixto fœdo errore cognoscantur. — In suppositione elevationis ad ordinem visionis beatificæ necessitas revelationis physica statuenda esset 38-41.

Argum. Difficultas illa cognitionis, quam thesi 7ª in humano genere adesse demonstravimus, sine revelatione (aut alio adiutorio extraordinario) ablata non esset. Non per singulos qua singulos, cum difficultates intellectionis oriantur ex natura rerum et intellectus atque ex ea voluntatis mala dispositione, quæ decursu sæculorum non minuta est. Non per media socialia. Nam philosophi cognitiones habebant nimis imperfectas, eas vero quas habebant propagandi neque zelum habebant neque aptum modum, cum magisterium auctoritativum iis præsto non esset, simpliciter docens vero neque uniforme neque humano generi conveniens esset. Religiones novæ errores fœdos continebant. Societates religiosæ ritus eosque superstitiosos docebant. Status civilis Polytheismum fovebat. « Lex » progressus universalis saltem in rebus religiosis non existit — Confirmat auctoritas sapientum 41-43.

Ob. Si revelatio esset necessaria, esset debita; impotentia generis humani ad cognoscendam religionem naturalem repugnat sapientiæ Dei, in statu naturæ puræ non adfuisset, neque ipsa revelatione aufertur; religiones ad formas semper magis perfectas se evolverunt 43-4.

Credibilitatis motiva.

44-156.

Notio. Sunt rationes, ob quas intellectus rationabiliter iudicare potest, locutionem, quæ ut divina proponitur, de facto a Deo profectam esse 44.

Species. Motiva interna ipsi veritati credendæ, ei externa; spiritualia uti cognitio mirabilis, non spiritualia uti miraculum in ordine physico; primaria, quæ

existere et in mentem agere possunt, quin necessarium sit, ulla alia motiva obiective præcessisse; secundaria, quæ alia existere supponunt 45-6 — *Qualitates requisitæ* ut iudicium credibilitatis certum fundare possint. Debent esse obiective certa, at non necesse est ut physice intellectum cogant. Etiam probabilia utiliter certis adduntur 46 — Numerus eorum magnus — *Lit.* multorum, qui inde ab ætate Patrum elenchum motivorum credibilitatis proposuerunt 47 — *Divisio tractationis.* Prius proponuntur vera, deinde reiiciuntur falsa; inter vera priu primaria tractantur 48.

STATUUNTUR MOTIVA CREDIBILITATIS VERA.
48-133.

Primaria.
48-114.

Miraculosi effectus in genere.
48-55.

Notio. Sunt eiusmodi effectus præter naturæ cursum divinitus patrati, qui sive in rerum natura sive in intellectu sive in voluntate, independenter a revelatione facta, manifestantur 48 — *Divisiones* in theologia fundamentali præcipuæ. Deum habent ut causam aut physicam aut tantum moralem. Sunt in ordine aut morali aut physico. Si in ordine physico, sunt in ordine aut mundi externi aspectabilis aut cognitionis aut volitionis. Sensibiles sunt, aut per se (miracula sine addito); aut per aliud, scilicet sive per effectum earum sensibilem sive per signum ex instituto sensibile; aut neque per se neque per aliud quid, quod esset eorum effectus sensibilis vel signum ex instituto sensibile 49 — *Quoad unamquamque speciem eorum haec probanda sunt:* posse eam fieri; posse eam, quantum est ex eius natura, in signum revelationis assumi; posse cognosci eius veritatem historicam, philosophicam (i. e. factum neque viribus naturæ aspectabilis sibi relictis neque hominis deberi), theologicam (i. e. illud ad Deum ut causam sive physicam sive moralem reducendum esse), relativam (i. e. illud esse actu ad id relatum, ut factum revelationis divinæ probet) 48-50.

Fieri possunt. 50-3 — *Argum.* Non repugnat, quominus spiritus, sub Deo ut causa morali, activa materialia passivis applicent, atque ita directe in mundum corporeum et hac ratione saltem indirecte, mediante corpore humano, in ordinem intellectionis et volitionis influant. Quæ opera eorum ad cursum huius mundi non pertinerent. Ipse Deus potest omnia per se solum sine creaturis peragere, quæ istæ inter se agere natæ sunt; utendo potentia earum obedientiali alios effectus addere; contra cursum naturæ concursum denegare, annihilare, creare. — Etiam abstrahendo a fine probandæ revelationis Deus talia patrare potest, ut manifestet suam existentiam, potentiam, providentiam, hominibus bona corporis vel animæ conferat — *Lit.* theologorum, qui tales fines sufficientes habent 51-2.

Principia ad solvendas difficultates. Effectus miraculosi ordinem rerum ad Deum non tollunt, sed perficiunt; ipsas leges physicas non mutant; exceptio ab ordine unius creaturæ ad aliam non est simpliciter deordinatio; non necessario ordinem plurimarum rerum inter se turbant; leges morales multæ directe

ordinem ad Deum constituunt; ab æterno a Deo volitæ sunt; non emendant ordinem naturæ; non destruunt certitudinem de legibus physicis etc. 51-2.

Sunt unicum motivum primarium credibilitatis 53-5 — *Expl.* Non tantum apta sunt, ut in motivum primarium eleventur — Etiam ipsa revelatio passive sumpta est aliquis effectus miraculosus — *Adversarii.* Omnes qui conceptum non rectum revelationis habent, Rationalistæ, Modernistæ (Plura de adversariis in tractatione de falsis motivis credibilitatis).

Argum. Deum aliquod enuntiabile elocutum esse, non patet ex visa causa, essentia Dei, in quantum illud eloquitur; non ex ipso enuntiabili qua tali. Ergo non remanet nisi ut demonstretur ex effectu, qui primo sit proprius Dei; secundo præter naturæ cursum patretur, cum ex operibus secundum naturæ cursum nihil aliud concludi possit, quam Deum fines naturæ promovere; tertio a Deo dirigatur ad enuntiabile ut suum probandum, id quod ab eo fieri posse iam hominum similis potentia probat — Confirmat auctoritas generis humani, ipsorum quoque adversariorum revelationis 53-4.

Ob. Probatur una actio miraculosa scilicet revelatio, per aliam; factum contingens, uti est brachium sanatum, nequit probare veritatem æternam metaphysicam quæ causaliter in illud non influit, puta tertiam personam Trinitatis spirari a prima et secunda; omne ens creatum est signum omnipotentiæ divinæ; religio revelata nequit inniti miseris accidentibus physicis, qualia sæpe sunt actiones miraculosæ; iam ipsa actio miraculosa est locutio 55.

Miraculosi effectus in specie.

56-114.

Effectus per se sensibiles.

Miraculum.

56-83.

Lit. 56-7 — *Notio.* Effectus sensibilis præter naturæ (aspectabilis) cursum divinitus patratus. Cum multis complectimur etiam eiusmodi effectus, quorum Deus est causa tantum moralis 57 — Classes *adversariorum* theseos cum exemplis *notionum falsarum* miraculi et *lit.* 57-9.

Fieri potest. 59-60 — *Argum.* Quæ de effectibus miraculosis generice sumptis dicta sunt ad effectus corporeos transferantur.

Ex natura sua convenientissime in signum revelationis assumi potest. 60 — *Argum.* Qua sensibilis naturæ hominis convenit; quatenus omni tempore et loco, etiam publice, fieri potest, naturæ revelationis etiam publicæ et mediatæ.

Ob. Finis intrinsecus miraculi est exauditio precum; actio angeli non est Deo propria; miraculum omnipotentiam commonstrare debet 60.

Cognosci potest miraculi veritas historica 61-65 — *Argum. a*) Cognitione immediata. Effectus eo quod extraordinario modo producitur, nihil sui Esse sensibilis amittit. Imo generatim facilius quam in multis aliis factis excluduntur causæ erroris: inadvertentia, quia est factum extraordinarium; difficultas rei, quia saepe est factum quam maxime palpabile; præcipitantia, si agitur de motivo cre-

dibilitatis pro revelatione officia gravissima imponente; illusio dæmonis, saltem si agitur de facto quod externe relatum est ad revelationem probandam, dummodo diligentia moraliter possibilis adhibita fuerit, quæ illusio in hac suppositione saltem ideo exclusa est, quia Dei providentia probandæ possibilitatis revelationis specialem curam habere debet — *b*) Quæ suo modo ad cognitionem mediatam, per testes, applicentur 61-2.

Ob. Qui affirmat miraculum, dicit leges fuisse et non applicatas et applicatas; falli in observationibus cotidianum est; probabilitas ut miraculum fiat ad eam ut non fiat, se habet ut unum ad infinitum; supernaturale sola fide cognosci potest; certitudo debet esse tanta, quanta est momentum miraculi; saepius hominum scientia seu veracitas deficit quam leges physicæ; certitudo maior, scilicet physica, vincit minorem, scilicet moralem; testes mediati semper plus obiecti narrati et certitudinis omittunt; historicus admittens miracula impossibilem reddit suam scientiam; in argumentatione omissæ sunt conditiones essentiales v. g. formæ iuridicæ; ecclesia catholica tantum admittit relationes sub formis iuridicis depositas; contra scientiam est recurrere ad divinam providentiam 62-5.

Philosophica. 65-7 — *Argum.* 1) Cognosci potest quas vires thaumaturgus sciens et volens adhibuerit. Si omnibus notæ sunt, eorum vigilantia, legati prudentia etc. Si soli legato notæ dicuntur, eas aut naturaliter scit, aut præternaturaliter. Primum excludi potest hominis veracitate, impossibilitate acquirendi eam quæ requireretur; secundum confessione sive explicita sive implicita legati et eo modo patrandi miracula, qui applicationem diversarum virium excludit. 2) Cognosci potest, eas vires, quas legatus forte adhibuisse diceretur v. g. impositionem manuum, effectum non produxisse; ex eo quod, sub iisdem circumstantiis eodem modo applicatæ eundem effectum non producunt, ex eo quod quidam effectus et causæ in diverso genere inveniri possunt, v. g. organico, inorganico. 3) Cognosci potest, vires ipsi thaumaturgo incognitas effectum non produxisse. Si magna series miraculorum consideratur, eo quod coincidentia non posset explicari nisi libertate virium; si singula, eo quod aliquid in iis invenitur, quod contradicit conditioni omnis modi agendi naturæ sibi relictæ v. g. si effectus habetur in materia non disposita. *Lit.* de viribus occultis 65-7.

Ob. Non cognoscimus leges omnes; nescimus quid illæ quas cognoscimus, perficere valeant; veteres si recenter inventa vidissent, ea miraculosa habuissent; iudicari potest, usque nunc legem physicam erronee fuisse stabilitam; modestiæ est, assensum suspendere 67.

Theologica. 67-73 — *Lit.* 67 — *Argum.* Quærimus criteria, quæ etiam inculti applicare possint. Quæ in eo sunt, quod opera præter naturæ cursum patrata atque ad revelationem probandam externe relata, si per spiritus non nomine Dei agentes fierent, oppositionem quandam ad Dei sive potentiam sive sapientiam sive bonitatem cognoscibili modo continere deberent. Etenim criteria quæ e sola natura physica operum hauriuntur, e natura rei et auctoritate sapientum, difficiliora sunt, quam ut ab hominibus, quales esse solent, morali facilitate applicari possint. — Oppositio habetur ad potentiam: si potestas thaumaturgi invenit contrariam fortiorem; a creatura cogitur (magia); ad certas operationes ligatur; opus imperfectius producit quam promissum erat. Ad sapientiam: si opus est inordinatum; finis intrinsecus sine vera corporis aut animæ utilitate; finis operantis irrationabilis, v. g. confirmatio doctrinæ, quæ aliunde

ut falsa nota est; modus patrandi Deo indignus est; thaumaturgi solent esse cæteris magis insipientes. Ad sanctitatem: si opus in se est contrarium legi Dei; doctrina ad quam probandam miraculum refertur, aliunde nota est ut mala; modus mala continet; personæ solent esse cæteris deteriores; effectus ad minus bonum vel ad malum tendunt; etc. — Quo magis contraria horum omnium obtinent, eo evidentior est veritas theologica 68-71.

Ob. Criterium ob essentiam suam ex sola natura physica operis desumendum est; si criteria moralia adduntur, non iam habetur argumentum e miraculis, sed v. g. ex effectibus bonis; Deus spiritui concedere potest generalem et potentiam et licentiam patrandi opera præter naturæ cursum; etiam criteria physico-moralia nonnisi difficillime applicari possunt, saltem ab ethnicis; diabolus diabolum expellere potest 71-3.

Relativa. 73-7 — *Argum.* Cum de revelatione immediata agitur: si ipse loquens affirmat se, Deum, loqui et ad hanc affirmationem probandam se miraculum patrare; si porro miraculum reapse sequitur, idque ita, ut de eius veritate historica, philosophica, theologica constet. Etenim arctior connexio inter revelationem et miraculum ab ea realiter distinctum existere nequit. Cum de revelatione mediata agitur: *a*) si sub iisdem cæteris conditionibus iam nominatis, legatus ex sua parte affirmat, Deum hæc eloqui et ad hanc suam affirmationem probandam miraculum explicite vel implicite refert, Deus vero non revelavit, se tantum ad alios fines miracula patrare. Alias Deus se privaret potestate mediate revelandi. *b*) Modi, qui a verbis legati abstrahunt: si iis fides in futurum legatum commendatur vel si auctoritate legati fiunt; legatus præ cæteris dono miraculorum insignitus est; ea studium hominum in eum qua talem promovent; gloriam animæ vel corporis legati manifestant vel efficiunt vel præmium constitutun; fides in eum habet rationem causæ efficientis vel finalis in iis patrandis; iis puniuntur legati adversarii qua tales 73-5.

Ob. Antea e doctrina etiam qua revelata concludebatur ad miraculum, nunc e miraculo ad doctrinam revelatam, ergo circulus vitiosus habetur; miraculis ab ethnicis patratis ethnicismus commendari non dicitur; prædicatores qui falsa veris admiscent, miracula in confirmationem doctrinæ patrant; non constat, Deum absolute non posse mentiri; Deus saltem permittere potest, ut legatus ea mendaciter referat ad legationem probandam, uti permittere potest, ut iis ad alios pravos fines abutatur; etiam sapiens princeps, non obstante prævisione possibilitatis abusus, sigillum suum ministro tradit; theologi concedunt Deum posse talem abusum permittere. *Lit.* de ultimis difficultatibus 75-7.

Comprobat valorem probativum miraculorum auctoritas generis humani: Christianorum, hæreticorum, ethnicorum 77-8.

Ob. Conceptus legis naturæ, ergo miraculi, recentior est; ratio considerandi naturam post Copernicum mutata est; leges universales non sunt cognitæ nisi post Newton; hodie plures leges cognoscimus; ethnici nymphis etc., scholastici angelis regimen rerum mundi ascribebant; commune erat Hebræis et Christianis in omni re immediatam actionem Dei videre; saltem nulla positiva probatio adest, notionem legis naturæ fuisse apud Hebræos, apud Patres ecclesiæ; saltem Augustinus eam non habebat 78-80 — Veritatem theologicam saltem Scholastici cognoscere non poterant, cum diversa sentirent de potentia angelorum 80-1 — Veritas relativa negatur ab ipsa Scriptura: Deuter. 13, 1-3; Mt. 24, 23-5; Apoc. 16, 14; 2 Thes. 2, 8-11 — S. August. eam negavit de unit. eccl. cath. —

Patres miracula fere tantum considerabant ut opera cætera, qua pia; argumentum ex iis haustum tantum probabile habebant — Homines visis miraculis non crediderunt 81-2.

EFFECTUS PER ALIUD SENSIBILES.
83-109.

Effectus miraculosi in intellectu: Sapientia mirabilis, cognitio absentium, scrutatio cordium, prophetia.
83-102.

Lit. præcipue de voce et conceptu prophetiæ 83-4 — *Definitio prophetiæ* verbalis: locutio nomine alterius — realis, si sensu stricto sumitur: rei futuræ liberæ prædictio univoca et certa 84-5 — Exempla *notionum falsarum* 85-7.

Fieri possunt. 87-8 — *Argum.* Deus hæc omnia natura sua et scit et cum hominibus communicare potest; angeli partem naturaliter, partem præternaturaliter scire, scita hominibus referre possunt. Causa finalis: manifestatio sapientiæ Dei, admonitio de malis præcipue animæ vitandis etc.

Ob. Si Deus hominis actiones liberas prædiceret, eius libertatem destrueret 87.

In signum revelationis etiam mediatæ elevari possunt. 88 — *Argum.* Sunt actiones miraculosæ; qua tales externæ redditæ sunt per verba, quæ ipsa obiecta naturaliter impervia referunt; omnium animos in se convertunt.

Ob. Habetur circulus vitiosus, nam unus effectus miraculosus in intellectu alium probare deberet, imo una locutio auctoritativa aliam 88.

Cognosci potest veritas eorum historica. 89-91 — *Argum.* Sensus enuntiabilium, quæ talem miraculosam cognitionem continent, item obiecta quæ iis edicuntur, in genere eodem modo cognoscuntur atque obtinet in enuntiabilibus, quæ alia obiecta repræsentant. Quoad prophetias in specie, certitudo subiectiva cognosci potest loquentis veracitate, præcipue si vaticinium ut motivum credibilitatis adhibet; eventus vero experientia propria, testificatione historica, iam ante eventum testificatione divina quæ ut talis probata sit 89.

Ob. Prophetiæ obscuræ sunt; a malis, quorum nulla veracitas est, edi possunt; boni fœtum phantasiæ cum iis confundere possunt; forte sensum conditionatum habent 89-91.

Philosophica. 91-8 — *Lit.* de cognitione naturali angelorum propria 91.

Argum. Sapientia mirabilis: in singulis, si sine diuturno et multiplici studio acquiri naturaliter non poterat, quod afuisse constat; in multitudine, si eam cognitionem rerum divinarum habet, quam præternaturalem esse thesi 7 et 11 vidimus 91-2.

Ob. Indoles extraordinaria in causa esse potest 92.

Cognitio absentium: si nulla coniunctio cum obiecto cognito aderat, neque immediata per sensus, neque mediata per homines 92.

Ob. Actio in distans non repugnat; telepathia iis, qui in quartam dimensionem egrediuntur, naturalis est, *lit.* de quarta dimensione; docente statistica, animæ e corporibus egredientes constanter, ergo e lege naturæ, cum caris suis commercium habent 92-3.

Scrutatio cordium: si cogitationum aut volitionum nulla aderant signa, neque naturalia neque ex instituto 93.

Ob. Hodie mediante arte atque exercitio cogitationes « leguntur » — *Lit.* de hac re 93.

Vaticinia: si agitur de eventu ex natura rerum sequente, eo quod isti ætati, vel saltem homini prædicenti hæ leges ignotæ erant; si de actionibus liberis futuris, ex eo quod res determinatissima prædicta est 93-4.

Ob. Ordo simplicissimus ab intricato ad amussim distingui nequit; leges morales etiam usum libertatis regunt (statistica!); sagacitate etiam determinata prævidentur; existunt v. g. in Scotia « videntes » 94-5.

Ob. Contra veritatem philosophicam harum quatuor specierum cognitionis miraculosæ simul. Spatium et tempus sunt formæ subiectivæ; extraordinaria ascribi possunt uni ex duobus subiectis in nobis, etsi non ordinario, tamen transcendentali, vel statui magico facultatum nostrarum, vel statui hypnotico, quippe qui naturalis sit 96-97 — de hypnotismi phænomenis et *lit.* 96-8.

Theologica. 98-9 — *Argum.* proponimus quod non dependeat ab ulla ex sententiis theologorum de angelorum potentia cognoscendi atque cognita cum speciatim hominibus communicandi. Unde cf. de verit. theol. miraculorum, habita tamen speciatim ratione obiecti nuntiati 98-9.

Ob. Etiam angelus malus pia et vera prædicere potest 99.

Relativa. 99-101 — *Argum.* Præter modos omni miraculo proprios: si quis per ipsam cognitionem miraculosam ut legatus Dei exhibetur; eius religionis favores divini, fructus etc. prædicuntur; doctrina legati miraculosa eius cognitione illustratur etc. 99-100.

Ob. Etiam inter ethnicos, Mahomedanos, Spiritistas huiusmodi cognitiones mirabiles habentur, quin eorum religio iis confirmetur; de Spiritismi phænomenis et *lit.* 100-1.

Valorem probativum vaticiniorum comprobat auctoritas humani generis: Christianorum, Iudæorum, Ethnicorum 101.

Ob. Secundum Aristotelem Deus nihil extra se cognoscit; secundum Scholasticos angeli ab initio habebant « omniscientiam rerum existentium » 101-2.

Miraculum morale.

102-9.

Lit. 102 — *Notio.* Est actio moralis vel series actionum, externe manifestata, præter constantem hominum agendi modum divinitus patrata. *Dividitur* in individuale aut sociale etc.

Fieri potest. 103-4. — *Argum.* Deus directe influere potest in causas tantæ imperfectionis actionum moralium: passiones, levem considerationem rerum divinarum, debilitatem voluntatis. Causa finalis: specialis sanctitas talium actionum, cognitio dominii Dei etiam in voluntatem, laus sanctitatis Dei.

Ob. Quod physice ab homine procedit, non est miraculum 103.

Convenienter in signum elevari potest. 104 — *Argum.* Est actio miraculosa, externe reddita actionibus, ob raritatem oculos in se trahens.

Cognosci potest eius veritas historica. 104 — Modus idem est, qui in genere in cognoscendis actionibus moralibus obtinet. Cf. prop. 30 I n. 157 p. 122-3.

Cognosci potest eius veritas philosophica. 104-7 — *Argum.* 1) E rei natura. Cognosci potest *a*) ipsa exceptio a constanti agendi modo: si difficillima facta sunt prompte, si ad ea non trahebant bona terrena, etc.; *b*) causa præ-

ternaturalis huius exceptionis: si e circumstantiis patet, easdem dispositiones naturales agentium mansisse et nihilominus et susceptionem fidei et vitam secundum eam plurimum superare eum modum agendi, in quo motiva æterna pro natura hominum magis sibi relicta influere solent. — 2) E testificatione ipsorum agentium, cæterorum æqualium, posterorum.

Theologica. 107 — *Argum.* Ex ipsa natura horum effectuum qua bonorum.

Relativa. 107-9 — *Argum.* Præter modos aliqua ratione etiam miraculis physicis communes: 1) iudicium credibilitatis, pius credulitatis affectus, ipsa fides miraculum morale in se continere possunt; 2) fides in mirabiles virtutes influere potest ut quædam concausa efficiens; 3) ut causa finalis v. g. fidei confessio, propagatio; 4) coniungi possunt miracula physica, quorum veritas relativa ad eandem revelationem probandum aliunde constat 107-9.

Ob. Deus errorem producere vel ad eum impellere potest: martyres qui hæretici materiales sunt, miraculoso modo impelli possunt ad confitendam fidem suam. — Confirmat thesim auctoritas 109.

Effectus, qui neque per se neque per aliud sensibiles sunt. 107-14.

Modi quidam mirabiles intelligendi et volendi. 109-14.

Lit. 109-10 — *Notio.* Intelliguntur eiusmodi effectus in intellectu vel voluntate, qui miraculosi sunt atque ut tales cognoscuntur non præcise ratione obiecti quod attingunt, sed modi quo illud attingunt 110.

Fieri possunt. 111 — *Argum.* Cum spiritus non minus a Deo dependeat quam corpus, Deus mirabili modo influere potest in actuum durationem, intensitatem, simultaneitatem, independentiam a rebus extrinsecis, in ortum specierum etc. Causa finalis, ut manifestet universale suum dominium, animos directe ad se trahat etc.

In signum elevari possunt directe pro revelatione immediata in eo qui talia in se experitur. 111 — Argum. Extraordinaria sunt, independenter a revelatione cognoscibilia.

Cognosci potest eorum veritas historica. 112 — *Argum.* Attingi possunt attentione præcipue reflexa, non tamen in quantum forte dicerent relationem intrinsecam virium ad ordinem visionis beatificæ.

Philosophica. 112-3 — *Argum.* Aliquando ob intrinsecam earum naturam v. g. si res spirituales non iam secundum analogiam materialium cognoscerentur; aliquando ob circumstantias, v. g. si motiones intellectus, voluntatis non conveniunt cum habituali dispositione subiecti, vehementissimæ, subitaneæ sunt.

Theologica. 113 — *Argum.* Si homo iis in vita spirituali proficit, si ipsæ motiones immissæ sunt amor Dei etc.

Relativa. 114 — *Argum.* V. g. si miraculosa est ipsa inclinatio ad aliquid affirmandum quod qua revelatum proponitur; si illa cognitio miraculosa divinitus immissa continet ut obiectum affirmationem, Deum hæc et hæc revelare etc.

Secundaria.
114-33.

Revelatio divina.
114-5.

Una alterius argumentum esse potest 114-5.

Auctoritas humana.
115-21.

Lit. 115 — *Notio.* Intelligitur ea, cui respondet fides sive ethica sive historica, pro testimonio sive historico sive dogmatico 115-6.

Testis unus.
116-8.

Argum. Constat veracitas eius: si mendacium ob formam, scilicet revelationem, et materiam, scilicet excellentias proprias sublimissimas sibi ascriptas, officia gravissima hominibus imposita, argueret maxima peccata contra Deum, seipsum, cæteros, quæ abesse aliunde constat; scientia: si ob materiam propositam, hominis indolem cognitam, excluduntur talis erroris causæ: præcipitatio in assensu imperando, inordinata complacentia in rebus revelatis, idearum maxima confusio, defectus attentionis — Confirmat hanc argumentandi rationem auctoritas sapientum 116-7.

Ob. Fides divina, humana auctoritate fulta, desinit esse divina, atque infirma fit; redduntur superflua alia motiva credibilitatis præcipue primaria; ad certitudinem de rebus religiosis ingerendam licet uti accomodatione; ne in iudiciis quidem res affirmatione testis unius dirimuntur, id quod confirmatur Deuter. 19, 15 etc., Mt. 18, 16; revelationes proprias diiudicare periculosum est; Lactantius vim huius argumenti negavit 118.

Testes plurimi.
118-21.

Argum. Constat veracitas eorum in revelatione publica asserenda, si aliunde scitur: eos non esse pessimos; secundum revelationem mutasse totam vitæ rationem etc.; si motiva terrena non tantum non impellebant ad fidei simulationem, sed potius ad negationem; scientia, si in talibus plurimis testibus diversæ culturæ etc., eamdem tamen revelationem gravissima onera imponentem credentibus, excluduntur eiusmodi assensus præcipitantia, intellectus hebetudo, præiudicia communia, confusio idearum, defectus attentionis, quæ ad talem errorem essent necessaria 118-9. — Crescit argumentum una generatione credentium aliam excipiente 119 — Confirmat auctoritas sapientum 119-20.

Ob. Minuitur succedentibus sibi generationibus; in testimonio dogmatico soli sapientes auctoritatem habent; deberemus scire rationes assensus testium; etiam pro religionibus falsis hoc argumentum præsto est; homines ne ad res

quidem maximi momenti debite attendebant; argumentum evertitur per numerum maximum apostatarum 120.

Scholion. Reducitur ad hoc argumentum illud, quod *ex mendaciis et contradictionibus adversariorum* atque ex *testimonio dæmonum* hauriri potest 120-1.

Effectus.

121-33.

Effectus simpliciter et in universum boni, qui e religione qua revelata per se oriuntur.

121-5.

Lit. 121 — *Explic.* 121-2 — *Argum.* Pars I. Eiusmodi effectus cognosci possunt ut boni ex principiis ethicæ naturalis; ut procedentes a religione præcipue per exclusionem causarum naturalium; ut procedentes a religione ut revelata per certitudinem universim habitam veritatum earum, ad quas humanum genus in impotentia morali esse thesi 11 demonstravimus, simul cum confessione credentium etc. — Pars II. Eiusmodi effectus probant religionem esse vere revelatam, cum falsum nequeat esse causa boni quod simpliciter et universim est tale 122-3 — Confirmat argumentum auctoritas sapientum 123-4.

Ob. Homines hypocritas agere possunt; actionum motiva vix unquam detegi possunt; sequitur quidem, eas religionis partes quæ in mores influunt esse veras, non vero eam integram esse revelatam; etiam ethnici etc. pro suis superstitionibus hoc argumentum adhibent.

Pax interna.

125-7.

Lit. 125 — *Argum.* Pars I. Religio sive revelata sive naturalis sive falsa aliquam eiusmodi pacem efficit; at profundiorem religio vera quæ multa eaque revelata continet. Hæc pax cognoscitur præcipue constantia in tenendo vero et prosequendo bono. Pax ipsa distinguenda est ab eius redundantia in partem sensibilem — Pars II. Regulæ inde sequentes: Gaudium partis sensibilis eam rationem signi habet quam illa pax animi ex qua resultat. Gaudium de obiecto falso vel malo a religione saltem permisso, signum est eam esse falsam. Pax animi per propriam experientiam sentita, si tamen sentitur, in eo qui iam propter alia motiva credidit, motivum secundarium esse potest, at non facile applicandum; in infideli vero ne existere quidem potest; ea vero pax quam in aliis inesse rescimus, præcipue si est profunda eaque magnæ multitudinis, aliquando motivum secundarium esse potest 125-7 — Confirmat auctoritas sapientum 127.

Civilisatio.

127-31.

Lit. 127-8 — *Argum.* Pars I. Bona externa quæ principaliter e causis a religione distinctis dependent, uti divitiæ, potentia politica, scientiarum multarum et artium status evolutus, causas habere possunt differentes, naturam physicam, vitia, virtutes sive naturales sive e religione revelata haustas. Horum

bonorum præsentia aut absentia per se neque veritatem neque falsitatem revelationis arguit; per accidens falsitatem, si oritur e vitiis ut a religione commendatis, v. g. præsentia e nimio studio rerum terrenarum, absentia e pigritia; ad veritatem probandam confert, in quantum ex aliqua virtute ut a revelatione commendata proficiscitur, v. g. absentia e persecutionibus ob fidem patienter toleratis. — Pars II. Alia sunt bona externa, quæ arctius cum vita morali cohærent, uti securitas vitæ et possessionem, earum æqua distributio, pax, bona individuorum et socialia ea quæ e sanctitate matrimonii oriuntur etc. Quædam faciliora inter ipsa aliquando ex motivo terreno, aliquando e virtute naturali, aliquando e religione ut revelata oriri possunt. Si hoc ultimum fit, aliquid ad iudicium credibilitatis conferre possunt. Difficiliora, uti bona ex castitate profecta, vel omnia simul, miraculum morale constituunt; porro omnia simul effectus simpliciter et universim bonos arguunt. Unde regulæ, quas de his motivis credibilitatis statuimus, applicandæ sunt.

Historia generis humani.

131-3.

Lit. 131. — *Argum.* Ordo in gubernando genere humano conspectus, si complicatus est atque aptissimus ad commendandam doctrinam eius, qui affirmat, se religionem revelatam homines docere, eam ut talem comprobat 132 — Confirmat auctoritas sapientum 132.

Ob. Sequitur utique, hominem docere vera, at non, revelata; argumentum hoc tantum in fine mundi proponi poterit 132-3.

REIICIUNTUR MOTIVA CREDIBILITATIS FALSA.

133-56.

Cum falsæ sententiæ de motivis credibilitatis in expositione de veris motivis credibilitatis implicite et sæpe etiam explicite refutatæ sint, data opera tantum ea falsa motiva credibilitatis reiicimus, quæ specialem relationem habent ad errores Modernistarum 133-4.

1) Realitatis divinæ intuitus atque experientia; postulata rationis; sentimenta atque similia, quæ ne rationabilem quidem assensum fundare possunt; 2) intrinseca rei veritas ex eius causa vel effectu perspecta.

134-49.

Adversarii fere omnes negant actum fidei esse assensum propter auctoritatem Dei loquentis, unde motiva credibilitatis tantum quoad nomen admittunt, atque proinde negant actiones miraculosas esse vera motiva credibilitatis — Distinctio motivi credibilitatis falsi quod e veritate obiectiva naturaliter cognita petitur, ab eo quod e mirabili sapientia hauritur 134-6.

Adversariorum classes duæ, quas in enuntiatione theseos innuimus, *exemplis allatis,* uberius exponuntur; prima præcipue Kantiani et Modernistæ; secunda, Rationalistæ et Deistæ 136-42.

Argum. Pars I. Contra utramque classem simul: 1) eorum motiva credibilitatis non credibilitatem enuntiabilis, sed ad summum internam eius veritatem ostendunt; unde 2) etsi essent motiva legitima credibilitatis, tamen non possent ostendere credibilia etiam mysteria 142-3. — Pars II. Contra singulas classes. A. Kantiani et Modernistæ assensus in se absurdos vel hic in terra impossibiles statuunt; qui intuitionem vel experientiam divini statuunt, præterea omnes religiones æque veras faciunt, facta historica credere non posse videntur. — B. Rationalistæ auferunt distinctionem inter manifestationem naturalem et revelationem; nulla est connexio inter cognitionem naturalem veritatis eiusque revelationem; Deus impotentiæ morali cognoscendi religionem non posset remedium afferre per revelationem; etsi veritas obiectiva naturaliter cognita esset motivum credibilitatis, tamen non posset esse universale aut unicum 143-7.

Scholion. Iurari mores hominum quibusdam partibus religionis revelatae, per se non probat, eam religionem revelatam esse 147-9.

Expl. Distinguitur hoc motivum falsum credibilitatis ab incitamento ad inquirendum, a motivo mirabilis sapientiæ 147 — *Argum.* Aptitudo ad vitam moralem iuvandam per se ne hoc quidem probat, eas ipsas doctrinas, quæ ad hunc effectum producendum directe conferunt, esse revelatas; a fortiori non eas, quæ cum talibus cohaerent; a fortiori non integram illam religionem. — In nota quædam sententiæ recentiores exhibentur 147-9.

Exigentia explicationis vitæ perfectæ.

149-54.

Expl. Theoria (Blondel?) exponitur — Eius distinctio a criterio negativo convenientiæ cum natura humana, a criteriis positivis miræ sapientiæ, miraculorum homini internorum, fructuum quatenus sunt simpliciter et in universim boni 149-51 — *Argum.* Pars I. Explicatio perfecta vitæ exigere nequit primo ut quidquam reveletur, cum omnis cognitio ad eam requisita atque omne robur voluntatis aliis modis saltem miraculosis a Deo dari possit; exigere nequit secundo ut homo ad ordinem visionis beatificæ elevetur atque ideo is ordo ei, utique per revelationem, cognitus fiat. Etenim explicatio finis naturalis nequit exigere elevationem ad finem supernaturalem 151-2. — Pars II. Etsi hoc motivum credibilitatis legitimum esset, tamen ad summum ducere posset in cognitionem earum veritatum sive religiosarum naturalium, sive — dato non concesso — stricte supernaturalium, quæ necessariam connexionem cum tali explicatione habent. Iamvero multa alia revelari possunt 152-3.

Ob. S. Thomas docet in nobis desiderium visionis beatificæ adesse, idque non posse manere inane; veritates quæ, non postulantur a natura nostra essent indifferentes pro nobis; voluntas habet partes principales in actu fidei 153-4.

Gratia qua elevans.

154-6.

Expl. Exponitur theoria Laberthonnière — Duplex modus eam intelligendi: de gratia sanante, elevante 154-6.

Argum. Si de gratia qua elevante intelligitur, refutatur theoria ex eo quod gratia qua elevans 1) tantum e revelatione cognosci potest; 2) etsi esset motivum

credibiliatatis, tamen non posset esse universale aut unicum, cum tantum e cognoscibilia reddere posset, quæ cum ea necessario cohærent 156.

Nota de obligatione inquirendi in revelationem eamque amplectendi (remissive ad ethicam) 157.

Appendix de arte agendi apologetam.

157-8.

Apologetæ est 1) ex argumentis, quæ scientia apologeticæ proponit, ea eligere electaque eo modo proponere, ut apta sint ad gignendum iudicium credibilitatis certum in iis de quibus hic et nunc convertendis vel firmandis agitur; 2) in rebus cæteris, quæ ad hunc finem necessariæ vel utiles sunt, efficiendis, Deo cooperari. Unde *a*) et ipse apologeta oret atque digne Deo serviat, et convertendos orare Deoque digne servire iubeat, ut Dei gratia impedimenta ex parte superbiæ, sensualitatis auferat. *b*) Ipsius actus fidei honestatem, pulchritudinem, obligationem exhibeat. *c*) Argumenta credibilitatis proponat vera, non ea quæ ad hominem sunt. *d*) Ex veris ea eligat, quæ, attenta sua et convertendorum dispositione, aptiora sunt, per se vero præcipue ea, quæ in se certissima et clarissima sunt.

INDEX NOMINUM

(Numeri paginam indicant)

Abaelardus, falsa notio mysterii 20 (1).

Abraham ben ha-Levi, negat mysteria 20.

Ahrenhold, existentiam mysteriorum a priori positive probari non posse 18.

Aksakow, insulsa esse solere ea quæ in sessionibus spiritisticis « revelentur » 100.

Albertus Magnus B., scrutator rerum naturalium erat 30 — e loco S. Aug. de util. cred. c. 16 notionem miraculi evolvit 80.

Alexander Halensis, probationem revelationis non esse unicum finem miraculi 51 — ex Aug. de util. cred. c. 16 notionem miraculi evolvit 80.

Ambrosius S., recta notio miraculi 80.

Amette, Leon-Ad., « Ordinatio » de miraculis quibusdam in Lourdes 67.

Amort, regulæ de visionibus aliisque miraculis in intellectu 83.

Annet, liber contra miracula 57 — certitudinem de miraculo insufficientem declarat 63.

Anonymus auctor libri « Supernatural Religion », difficultatem Hume contra cognoscibilitatem historicam miraculi premit 64.

Antonelli, liber de Spiritismo 101.

Antonius a Spiritu S., de visionibus etc. 84 — de statibus mysticis strictius sumptis 110.

Aristides (Pseudo-), quae de miraculis Christi docuerit 56.

Aristoteles, sententia de possibilitate prophetiæ 101.

Arnobius, elenchus motivorum credibilitatis 47 — quæ de miraculis Christi docuerit 56 — recta notio miraculi 80 — argumentum pro revelatione ex adversariorum mendacis et contradictionibus 121.

Athanasius S., quæ de miraculis Christi docuerit 56 — recta notio miraculi 80.

Augustinus S., notio revelationis 2 — distinctio inter locutionem simpliciter docentem et testantem ib. — diversi elenchi motivorum credibilitatis 47 — probationem revelationis non esse unicum finem miraculi 51 — quæ de miraculis Christi docuerit 56 — monographia de eius doctrina de miraculis 56 — difficultas cognoscendi quid angeli propriis viribus possint 68 — expenduntur loci quibus dicitur aut pervertisse rectam miraculi notionem 80 — aut negasse valorem probativum miraculi 81 — doctrina de prophetiæ cognoscibilitate 83 — de cognoscenda veritate theologica prophetiæ 99 — motivum credibilitatis ex auctoritate plurimorum humana multi æstimavit 120 — civilisatio motivorum credibilitatis? 128 — motivum credibilitatis e providentia Dei 131.

Le **Bachelet**, de quibusdam motivis credibilitatis recentius statutis 133.

De Backer, de viribus occultis 67.

(1) Sæpissime l. c. non invenitur ipsa expositio auctoris qui nominatur, sed remittitur ad locum ubi rem tractat.

Bayle, S. Augustino falsam notionem miraculi ascribit 80.
Balfour, falsa notio fidei 138 — vim probativam miraculorum extenuat, ib.
Balmes, motivum credibilitatis ex effectibus revelationis 121.
Bañes, de miraculis 56.
Barnabas (epist.), quæ de miraculis Christi docuerit 56.
Barth, miracula explicat theosophia 58 — impressione personali 59 — viribus naturalibus hominis redempti ib.
Baur Bruno, miracula explicat transformatione conscia narrationis 58.
Becker, monographia de prophetia 58.
Bellarminus, elenchus verorum motivorum credibilitatis 47 — refutatio falsarum 133.
Benedictus XIV, finem miraculi non esse unice probationem revelationis 51 — liber de miraculis 56 — de viribus occultis 67 — de difficultate cognoscendi vires naturales angelorum 69 (bis) — de miraculis in ordine intellectus 83 — de prophetiis conditionatis 91 — de auctoritate humana testis vel unius 118.
Berengarius, negat mysteria 20.
Bergier, de difficultate Hume 64.
Bernheim, liber de hypnotismo 97.
Bernheim E., de auctoritate humana 115.
Bertrand, liber de Spiritismo 101.
Bessmer, de cognoscenda veritate theologica miraculorum 67 — diiudicat theoriam de cogitationibus transferendis 93 — de photographiis spirituum 101.
Biedermann, falsa notio revelationis 5.
Biel, de absoluta possibilitate mendacii in Deo 76.
Billot, de immutabilitate traditionis 17 — de motivis credibilitatis 44 — de fide ob evidentiam attestationis, auctoritatem attestantis 115.
Blondel, theoria de exigentia vitæ perfectæ ut motivo credibilitatis, ei a quibusdam attributa, exponitur 149-51 — quæ a nobis non postulentur, nobis indifferentia esse 154 — eius doctrina diverso modo intellecta est 154.
S. Bonaventura, quæ de miraculis Christi docuerit 56.
Bonnet, falsa notio miraculi 59.
de **Bonniot**, monographia de miraculis 56 — de viribus occultis 67.
Bossuet, de obscuritate prophetiarum 90 — de motivo credibilitatis ex providentia Dei 131.
Bozius, civilisatio motivum credibilitatis? 128.
Brancatus de Lauria Card., finem miraculi non esse unice probationem revelationis 51.
Bretschneider, falsa notio mysterii 20.
de **Broglie**, de motivo credibilitatis ex effectibus revelationis 124.
Brunetière, quibusdam videtur adhærere doctrinæ Balfour de fide 138.
Calmet, Deum aliquando etiam malos ad prophetandum adigere 99.
Canney, falsa notio miraculi 57.
Casajoana, de possibilitate revelationis 9 — quomodo omne miraculum omnipotentiam Dei commonstret 60 — de veritate theologica miraculi cognoscenda 67, 69.
Cathrein, civilisatio motivum credibilitatis? 127.
Celsus, difficultas contra prophetias 87, 101.
Chantepie de la Saussaye, ex eius libris de historia religionum desumitur materia argumenti pro possibilitate revelationis ex auctoritate humana 9.
Cheyne, falsa notio revelationis 5.
Chillingworth, negat mysteria 20.
Chrysostomus S., quæ de miraculis Christi docuerit 56 — recta notio miraculi 80.
Cicero, numina revelare posse 12.
Clarke, falsa notio miraculi 59.
Clemens Alexandrinus, elenchus de motivis credibilitatis 47.
Coconnier, liber de hypnotismo 97.

Collins, quomodo revelationem mediatam impugnet 25 — liber contra miracula 56 — Tertullianum argumentum e solis miraculis insufficiens habere 83 — vaticinia mere allegorice interpretanda esse 85.

Coninck, elenchus motivorum credibilitatis 47.

Copernicus. Sunt qui dicant, ante eum leges, atque proinde miracula, cognosci non potuisse 78.

Cornelius Agrippa, theosophia explicat miracula 58 — prophetiam 85.

Cornely, de voce et conceptu prophetiæ in Scriptura 83.

Cremer, de voce prophetiæ in Scriptura 83.

Cyrillus Alex. S., quæ de miraculis Cristi docuerit 56 — recta notio miraculi 79.

Davis, liber in quo sessiones spiriticæ describuntur 100.

Delff, falsa notio miraculi 59.

De Maria, refutat Traditionalismum 39.

Denzinger, tractatio de revelationis falsis notionibus 4 — possibilitate 9 — de adversariis existentiæ omnis revelationis 18 — de adversariis revelationis mediatæ 25 — de adversariis aptitudinis miraculi ad demonstrandam revelationem 53 — evolutio historica doctrinæ de miraculis 56 — de notionibus falsis miraculi 58 — de difficultate Hume contra cognoscibilitatem historicam miraculi 64 — de quibusdam difficultatibus contra veritatem relativam miraculorum 75 — de voce et notione miraculi in Scriptura 79 — de notione miraculi in Patribus 80 — de miraculis in intellectu, præcipue prophetia 83 — de falsis motivis credibilitatis 133.

Deussen, de conceptu revelationis apud veteres Indos 12.

Diderot, liber in quo miracula impugnat 57.

Didiot, de possibilitate revelationis 9 — de miraculis 56.

Dominicus a SS. Trinitate, elenchus motivorum credibilitatis 48.

Donatus, S. Augustinus de miraculis Donati 81.

Dorner, falsa notio fidei 138 — unde plenam rationem signi in miraculo non admittit.

Dot du Janniard, liber de Spiritismo 101.

Duhm, falsa notio prophetiæ 86.

Durandus a S. Portiano, de difficultatibus quibusdam contra veritatem relativam miracolorum 77.

Ebrard, falsa notio miraculi 59.

Eckartshausen, prophetiam homini naturalem esse 85.

Edersheim, elenchus locorum V. T. quos Rabbini de Messia exponebant 101.

Egerton, Modernismum Tyrrell describit 140.

Ehrle, de Alberto Magno ut rerum naturalium scrutatore 31.

Elizalde, refutat difficultatem ex S. Augustino haustam contra veritatem relativam miraculi 82.

Elser, doctrina Aristotelis quoad scientiam Dei 101.

Eusebius Cæsar., elenchus motivorum credibilitatis 47 — quæ de miraculis Christi docuerit 56 — recta notio miraculi 79 — de miraculis in intellectu, præcipue prophetia 83 — civilisatio motivum credibilitatis? 128.

Felicianus, mysteria negavit 20.

Feuerbach, liber contra miracula 57 — eius falsa notio miraculi 58.

Fichte, falsa notio revelationis 5 — difficultas contra possibilitatem revelationis 17 — falsum motivum credibilitatis 141.

Ficinus Mars., quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Flamerion, de motivo credibilitatis ex effectibus 121.

Fludd, falsa notio miraculi 20 — falsa explicatio prophetiæ 85.

Fonck, de falsis conceptibus miraculi apud recentiores 58 — de voce et notione miraculi in Scriptura 79.

Fonsegrive, de doctrina hominibus congrua ut motivo credibilitatis? 39.

Foret, liber de Hypnotismo 97.

le **Franc** de Pompignan, motivum credibilitatis e mendaciis et contradictionibus adversariorum 121.

Franco, articuli de hypnotismo 98 — liber de spiritismo 101.

Franzelin Card., de valore testimonii humani 115.

Frassen, de miraculis in intellectu 91.

Freret, difficultates contra cognoscibilitatem historicam miraculorum 65.

Furrer, falsa notio miraculi 58.

Garvie, falsa notio revelationis 5.

Gatti, de possibilitate revelationis 9 — de miraculis 56.

Gla, recenset qui sæculis 18 et 19 de revelatione in Germania scripserint 9.

Gonet, elenchus motivorum credibilitatis 47.

Gonzalez Herrero, liber de hypnotismo 97.

Gotti, elenchus motivorum credibilitatis 48.

Granderath, existentiam mysteriorum a priori positive probari non posse 18 — quæ sit mens Concilii Vaticani de necessitate morali revelationis 39.

Gregorius a Valentia, elenchus motivorum credibilitatis 47 — de partibus pacis internæ in motivo credibilitatis fundando 125.

Gregorius Nyss., quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Grimme, de conceptu revelationis in Corano 13.

Guenther, mysteria negat 18 — ejus falsa notio mysterii 20.

de **Güldenstubbe**, liber quo res Spiritismi enarrantur 100.

Gutberlet, de ratione argumentandi pro necessitate morali revelationis 39 — de miraculis 56 — de difficultate Hume contra cognoscibilitatem historicam miraculi 64 — de veritate theologica miraculorum 67 — de difficultate cognoscendi vires naturales angelorum 69 — de miraculis in ordine intellectus 83 — de spatio quatuor dimensionum 92 — de telepathia 93 — de relatione inter libertatem et statisticam morum 95 — de duplici subjecto in homine 96 — liber de Spiritismo 101.

Hansen, de susurro inconscio 93.

Hardinge-Britten, liber de historia Spiritismi 100.

Harnack, falsa notio revelationis christianæ 6 — mysterii 20 — Scripturam mysteria « metaphysica » non proponere 25 — energiam cogitandi in medio ævo adfuisse 31 — vim probativam miraculorum ab ipso Christo negatam esse 53 — historicum miracula admittere non posse 64 — conceptum legis naturæ recentem esse 78 — fidem independentem esse a motivis credibilitatis 138.

Hase, notio falsa miraculi 59.

Hegel, veritatem relativam actionis miraculosæ impossibilem esse 55 — falsa notio miraculi 59.

Hélot, liber de hypnosi 97.

Hettinger, de notionibus falsis revelationis 4 — de possibilitate revelationis 9 — elenchus motivorum credibilitatis 48 — de miraculis 56 — de miraculis in ordine intellectus 83 — de argumento ex gubernatione generis humani 131 — de falsis motivis credibilitatis 133.

Hilarius S., elenchus motivorum credibilitatis 47.

Hipler, quædam innuit quæ scripta sunt de providentia Dei in historia manifestata 131.

Hobbes, falsa notio mysterii 20.

Holcot, de possibilitate mendacii in Deo 76.

Hontheim, refutat traditionalismum 39 — de conceptu miraculi late dicti 57 — de ratione cognoscendi veritatem theologicam miraculi 67.

Houteville, falsa notio miraculi 59.

Howith, liber de historia Spiritismi 99.

Hume, difficultas contra cognoscibilitatem veritatis historicæ miraculi 64.

Hurtado Petr. de Mendoza, elenchus motivorum credibilitatis 47 — de difficultatibus contra veritatem relativam miraculorum 77.

Hurter, videtur affirmare existentiam mysteriorum non posse a priori positive demonstrari 18 — de necessitate morali revelationis 39 — diiudicat difficultatem a Tertulliano haustam de insufficentia motivi credibilitatis e miraculis 83.

Iacobi, falsa notio mysterii 20.

Iamblichus, admittit revelationem numiminum 12 — quandam eius necessitatem 43.

Iames, falsa explicatio telepathiæ 93.

Ianet, veritatis inquisitionem eius possessioni præfert 30.

Ianet Pierre, liber de hypnotismo 97.

Imbert-Gourbeyrie, liber de hypnotismo 97.

Ioannes Damascenus S., probationem revelationis non esse unicum finem miraculi 51 — quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Ioung, de motivo credibilitatis ex effectibus revelationis 121.

Irenæus S., quæ de miraculis Christi docuerit 56 — recta notio miraculi 79.

Iustinus S., elenchus motivorum credibilitatis 47 — quæ de miraculis Christi docuerit 56 — recta notio miraculi 80.

Kæhler, de notionibus falsis revelationis apud Protestantes 5.

Kaftan, falsa notio de revelatione 6.

Kant, revelationem de rebus profanis fieri non posse 31 — contra possibilitatem prophetiæ 87 — de tempore et spatio ut formis subjectivis 96 — de fide ut assensu propter postulata rationis 137 — negat vim probativam miraculi, ib.

Kern, falsa notio miraculi 59.

Kiesewetter, liber de historia Occultismi recentioris 100.

Kirn, falsa notio revelationis 5.

Kleutgen, doctrina de mysterii existentia et revelatione 18 — de adiumentis quæ scientiæ a fide accipiunt 31 — de miraculis moralibus 102 — de pacis internæ partibus in fundando iudicio credibilitatis 125 — de falsis motivis credibilitatis 133 — de explicatione doctrinæ S. Thomæ quoad desiderium visionis beatificæ 154.

Koestlin, falsa notio fidei 138.

Krose, de motivo credibilitatis ex effectibus revelationis 121.

van **Laak**, de essentia theologiæ fundamentalis 1 — de Patrum et hæreticorum persuasione de existentia revelationis 9 — non necessario cum elocutione inspiratorum enuntiari ideas falsas humanas 17 — de progressibus ecclesiasticæ scientiæ tempore reflorescentis Scholasticæ 31 — collegit quæ de miraculis Christi proposita fuerint inde ab epist. Barnabæ usque ad Michaelem de Medina 56 — de difficultatibus contra cognoscibilitatem historicam miraculorum Christi 65 — de notione miraculi ætate Patrum 80 — excerpsit doctrinam Bernheim de effectibus hypnoseos 97.

Laberthonnière, quæ a nobis non postulentur, nobis indifferentia esse 154 — gratiam qua elevantem esse motivum credibilitatis ? 154-6.

de la **Brière**, civilisatio motivum credibilitatis ? 128.

Lactantius, elenchus motivorum credibilitatis 47 — quæ de miraculis Chri-

sti docuerit 56 — num neget vim testimonii unius de se ipso 118.

Lahousse, de revelationis possibilitate 9 — de miraculis 56 — de falsis motivis credibilitatis 133.

Lapponi, liber de hypnotismo 98 — de Spiritismo 101.

Lechler, doctrinas deistarum Anglorum collegit 5.

Lehmann, de susurro inconscio 93.

Lehmen, de veritate theologica miraculorum cognoscenda 67, 69.

Leland, mysteria negat 20.

Lépicier, monographia de miraculo 56.

Le Roy, falsæ doctrinæ de miraculo 57.

Lessing, veritatis cognitionem præfert eius possessioni 30 — veritatem relativam miraculi negat 53, 55 — contra possibilitatem cognoscendi eventum ut prædictum 94.

Lessius, elenchus motivorum credibilitatis 47.

Locke, contra revelationem mediatam 25.

Loisy, falsa definitio revelationis 5 — sequi solet Augustum Sabatier ut magistrum 6 — veritatem mutabilem esse 17 — immediatam revelationem puram recipi non posse ib. — falsa notio mysterii 20, 21, 25 — falsa de miraculis docet 57 — falsa notio miraculi 58, 139 — miraculum, utpote rem supernaturalem, demonstrari non posse 63 — notionem legis naturæ recentem esse 78 — miraculum a S. Augustino exhiberi ut effectum virium naturalium 80 — miraculum non esse evidens nisi pro fide 139 — argumentum universale pro fide non esse nisi conformitatem cum exigentiis hominis 139-40 — et experientiam intimam religionis 140.

Ludovicus Granatensis, elenchus motivorum credibilitatis 47.

Ludwig, liber de « videntibus » in Westfalia 95.

Lueken, collegit traditiones generis humani de revelatione primitiva 9.

Lugo Card., de notione revelationis divinæ 2 — elenchus motivorum credibilitatis 47 — de criterio physico-morali ad dignoscendam veritatem theologicam miraculi 71 — de quibusdam difficultatibus in veritate relativa miraculi demonstranda 77.

Luther, quomodo « testimonium Spiritus sancti » intelligere videatur.

Mach, de necessitate morali revelationis 39.

Maisonneuve, refutat sententias Le Roy de miraculo 57.

De Maistre, de motivo credibilitatis ex providentia Dei 131.

Mannens, existentiam mysteriorum non posse positive a priori probari 18.

Mansi, exemplum affert, hæreticos suas doctrinas miraculis probare voluisse 78.

Martensen, mysteria negat 20 — falsa notio miraculi 59.

Martin M., S. Augustino falsam notitiam miraculi attribuit 80.

Martini Raym., quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Matthæus ab Aquasparta, elenchus motivorum credibilitatis 47 — quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Mattiussi, de quibusdam erroribus recentioribus quoad possibilitatem revelationis immediatæ 17.

Mazzella Card., de possibilitate revelationis 9 — de miraculis 56 — de miraculis in ordine intellectus 83.

Medina Barth., elenchus motivorum credibilitatis 47.

de **Medina** Michael, elenchus motivorum credibilitatis 47 — quæ de miraculis Christi docuerit 56 — de miraculis in ordine intellectus 83.

Melito, quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Mendive, de possibilitate revelationis 9 — de miraculis 56.

Ménégoz, in Scriptura notionem veri miraculi contineri 78, 79.

Mercier A., minus recte miraculum concipere videtur 63.
Méric, liber de hypnotismo 97.
Midrasch Bereschith rabba, de notione miraculi 79.
Mir y Noguera, monographia de miraculo 56 — monographia de prophetia 83 — de Spiritismo 101.
Morgan, falsa notio mysterii 20.
Moses ben Maimon, falsa notio revelationis 20 — prophetiæ 86 — falsum motivum credibilitatis 141.
Mozley, solas actiones miraculosas esse motiva primaria revelationis 54.
Mueller Eug., monographia de miraculo 56 — de miraculis moralibus 102.
Mueller I., mysteriorum existentiam non posse a priori probari 18 — de miraculis moralibus 102 — motivum credibilitatis ex effectibus revelationis 121.
Mueller Max, protoparentes revelationem suscipere non potuisse 14 — falsa notio miraculi 58.
Muncunil, existentiam mysteriorum a priori positive demonstrari non posse 18.
Murillo, civilisatio motivum credibilitatis? 127.
Murray, de diiudicando influxu religionis in mores 121.
Naegelsbach, ætatem homericam revelationes numinum admisisse 9.
Nauman, notionem veri miraculi in Novo Testamento haberi 79.
Newman Card., monographia de miraculo 56 — de difficultate Hume contra historicam cognoscibilitatem miraculi 64.
Newton. Obiicitur, ante eum leges naturæ universales atque proinde miracula non potuisse cognosci 78.
Nicetas Byz., quæ de miraculis Christi docuerit 56.
Nitzsch, monographia de notione S. Aug. de miraculo 56.
Nostiz-Rieneck, de notione civilisationis 127.
von **Oettingen**, de diiudicando influxu religionis in mores 121.
Ollé-Laprune, de partibus pacis internæ in motivo credibilitatis fundando 125 — de doctrina hominibus congrua ut motivo credibilitatis? 148.
Origenes, quæ de doctrina Christi docuerit 56 — motivum credibilitatis e mendaciis et contradictionis adversariorum 121.
Ottiger, de notione revelationis 2 — de possibilitate revelationis 9 — elenchus motivorum credibilitatis 48 — de miraculis 56 — de difficultate Hume contra cognoscibilitatem veritatis historicæ miraculi 64 — de cognoscenda veritate theologica miraculi 67 — de miraculis in ordine intellectus 83 — motivum credibilitatis ex effectibus bonis revelationis 124 — de partibus pacis internæ in fundando iudicio credibilitatis 125 — de obligatione in revelationem inquirendi eamque credendi 157.
Otto Frisingensis, de providentia Dei in gubernatione generis humani 131.
Owen, de Spiritismi historia 100.
Paley, mysteria negat 20 — solas actiones miraculosas motivum primarium credibilitatis formare posse 54.
Pallavicino Sfortia Card., elenchus motivorum credibilitatis 47.
Palmer, negat veritatem relativam miraculi 53.
Papias, quæ de miraculis Christi docuerit 56.
Paracelsus Theophrastus, falsa notio miraculi 58.
Parisch, de telepathia contra Iames 93.
Paulus, negat veritatem relativam miraculorum 55 — falsa notio prophetiæ 85.
Perrone, elenchus motivorum credibilitatis 48 — de Spiritismo 100.

Perty, falsa notio miraculi 58 — falsa explicatio prophetiæ 85 — et aliorum miraculorum in ordine intellectus 96.

Pesch Ch., de notione modernistica revelationis 4 — de possibilitate revelationis 9 — qua ratione visio beatifica impeccabilem reddat 17 — mysteriorum existentiam a priori positive probari non posse 18 — doctrina dogmatica de motivis credibilitatis 44 — elenchus motivorum credibilitatis 48 — de miraculis 56 — de miraculis in ordine intellectus 83 — de motivo credibilitatis ex auctoritate humana 115 — de argumento ex effectibus revelationis 121 — de partibus pacis internæ in fundando iudicio credibilitatis 125 — de falsis motivis credibilitatis (ter) 133 — secundum Modernistas facta historica religiosa credi non posse 145 — explicatio doctrinæ S. Thomæ de desiderio visionis beatificæ 154.

Pesch Henr., motiva credibilitatis ex effectibus revelationis 121 — civilisatio motivum credibilitatis? 127.

Pesch Tilmannus, de possibilitate revelationis 9 — de notione necessitatis moralis pro revelatione 39 — de spatio quatuor dimensionum 92 — de motivo credibilitatis ex auctoritate humana 115.

Petavius, de notione mysterii apud Patres 18.

Petrus Vener., quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Pfleiderer, exhibet falsas notiones Protestantium de revelatione 5 — difficultates contra possibilitatem revelationis immediatæ 17 — falsa de ortu mysteriorum 25 — falsa notio de miraculis 58 — falsam origenem prophetiæ statuit 86.

Philippus a SS. Trinitate, de miraculis in intellectu, ut visionibus 84 — de donis mysticis stricte dictis 110.

Philo, mysteria negare videtur 20.

Pius X, exhibet Modernistarum errores de revelatione atque fide 139 — de relatione inter formulas fidei et sensum religiosum 143 — sequi, omnes religiones esse æque veras 143 — reiicit motivum credibilitatis ex exigentia vitæ perfectæ 149.

Plato, revelationem numinum admittit 12 — quandam revelationis necessitatem statuit 43.

Plutarchus, quæ de revelatione doceat 9.

Poulain, de quibusdam miraculis in intellectu 84 — de donis mysticis stricte dictis 110 — regulæ pro decernendis revelationibus 118.

du **Prel**, duplex subjectum in homine statuit 96 — compendium historiæ spiritismi 100.

Preyer, de explicanda lectione cogitationum 93.

Quadratus S., quæ de miraculis Christi docuerit 56.

Reich, contra cognitionem miraculosam 93.

Reimarus, contra possibilitatem revelationis immediatæ 13.

Remer, Traditionalismum refutat 39.

Renan, difficultates contra cognoscibilitatem historicam miraculi 65.

Richet, experientias spiritisticas describit 100.

Ribet, de visionibus 84 — de donis mysticis sensu strictiori 110.

Ritschl, falsa notio revelationis 5 — christianæ 6 — miraculi 58 — fidei 137.

de **Rochas**, liber de Hypnotismo 98.

Rosenkranz, negat veritatem relativam miraculorum 53.

de **Rougemont**, de providentia Dei in gubernatione generis humani 131.

Rousseau contra miracula 57 — contra sufficientem certitudinem miraculi 63 — contra cognoscibilitatem prophetiæ 89 — falsum motivum credibilitatis 141.

Sabatier Augustus, exhibet falsas notiones Protestantium Gallorum de re-

vēlatione 5 — proponit falsa de origine mysteriorum 25 — negat veritatem relativam miraculorum. 53, 55 — ejus falsa doctrina de miraculis 57 — falsa notio miraculi 58 — contra veritatem relativam miraculi 60, 75 — agnoscti in Scriptura notionem miraculi veri contineri 78, 79 — falsa notio de prophetia 86 — falsum motivum credibilitatis 142.

Salmaticenses, finem miraculi non esse solam probationem revelationis 51 — de quibusdam difficultatibus contra veritatem relativam miraculorum 77.

Sancara, revelationem numinum agnoscit 12.

Savonarola, elenchus motivorum credibilitatis 47 — de miraculis in intellectu 83 — de partibus pacis internæ in iudicio credibilitatis fundando 125 — civilisatio motivum credibilitatis? 128.

Schaaf, refutat Traditionalismum 39.

Scaramelli, de visionibus, etc. 84 — de donis mysticis stricte dictis 110.

Schanz, exhibet materiam historicam pro demonstratione, humanum genus revelationem possibilem habuisse 9 — elenchus motivorum credibilitatis 48 — de miraculis 56 — de miraculis in intellectu 83 — de prophetiarum obscuritate 90 — de Spiritismo 101 — de motivo credibilitatis ex effectibus 124 — de partibus pacis internæ in iudicio credibilitatis fundando 125 — de motivis credibilitatis recentius propositis 133.

Scheeben, de notione revelationis 2 — de profectu scientiarum ecclesiasticarum tempore reflorescentis Scholasticæ 31 — de iudicio credibilitatis in rudibus 46 — elenchus motivorum credibilitatis 48.

Schell, non videtur recte definire revelationem 6 — neque recte proponere notionem mysterii sensu stricto 20 — respondet difficultati Hume contra cognoscibilitatem veritatis historicæ miraculi 64 — contra vim argumenti e miraculis et prophetiis uti a Scholasticis proponebatur 81.

Schelling, negat miraculorum veritatem relativam 55 — eorum cognoscibilitatem historicam 63.

Schiffini, de conceptu revelationis 2 — de motivis credibilitatis 44 — de difficultate contra miraculorum veritatem philosophicam 67 — atque theologicam 72.

Schleiermacher, negat veritatem relativam miraculi 53 — falsa notio miraculi 58 — prophetiæ 86 — fidei et revelationis 137 — missa facit motiva credibilitatis, ib.

von **Schmid,** recenset notiones falsas de revelatione 4 — de possibilitate revelationis 9 — de mysteriis 18 — elenchus motivorum credibilitatis 48 — revelationis probationem non esse unicum finem miraculorum 52 — agnoscit evolutionem historicam doctrinæ de miraculis 56 — recenset falsas notiones de miraculis 58 — exhibet varias sententias de potentia angelorum 69 — de miraculis in ordine intellectus 83 — de partibus pacis internæ in motivo credibilitatis fundando 125 — de falsis motivis credibilitatis 133 — exhibet diversas sententias theologorum quoad desiderium visionis beatificæ 154.

Schmidkunz, liber de hypnotismo 37.

Schneid, liber de Spiritismo 100.

Schneider, liber de Spiritismo 100, 101.

Schultz, falsa notio revelationis 5 — christianæ 6 — miraculo fidem impossibilem reddi 53 — contra cognoscibilitatem veritatis relativæ miraculorum 76 — conceptum legis naturæ recentem esse 78 — atque ab Hebræis etc. alienum 79 — falsa notio prophetiæ 86.

Schuetz, liber de Hypnotismo 97.

Scotus, de mysteriis 18 — notio necessitatis moralis revelationis 39 — elenchus

motivorum credibilitatis 47 — de miraculis 56 — de miraculis in intellectu 83, 91 — motivum credibilitatis e mendaciis et contradictionibus adversariorum 121.

Scotus Erigena, mysteria negare videtur 20.

Semler, falsa notio prophetiæ 85.

Shaftsbury, falsum motivum credibilitatis 141.

de Silvestris Fr., elenchus motivorum credibilitatis 47.

St. Simon, falsa notio mysterii 20.

de **Smedt**, historicum admittendo miraculum contra suam scientiam non agere 64 — de argumento ex auctoritate humana 115.

Socrates, revelationem numinum admittit 12.

Soltau, antiquam notionem legis naturæ non sufficisse ad concipiendum miraculum 78.

Spagni, monographia de miraculis 56 — solvit difficultates contra cognoscibilitatem veritatis relativæ miraculorum 75 — de miraculis in intellectu 83.

Spinoza, falsa notio mysterii 20 — miraculi 58 — prophetiæ 86 — falsa doctrina de miraculis 56 — Hebræos etc. non habuisse notionem miraculi 79 — falsum motivum credibilitatis 141.

Stentrup, motivum credibilitatis ex mysterio amoris 133.

Stoll, liber de Hypnotismo 97.

Strauss, falsa notio revelationis 5 — miraculi 58 — contra possibilitatem revelationis 13, 14 — contra veritatis relativæ miraculi possibilitatem 53, 55 — atque cognoscibilitatem 75 — falsa doctrina de miraculis 58.

Suarez, de conceptu locutionis 2 — mysterii 18 — elenchus motivorum credibilitatis 77 — finem miraculi non esse solam probationem revelationis 51 — de miraculis 56 — de virtute naturali angelorum 69 — de criterio physico-morali ad dignoscendum miraculum 71, 72 — de difficultatibus contra cognoscibilitatem veritatis relativæ miraculi 77 — de miraculis in intellectu 83 — de cognoscenda horum miraculorum veritate philosophica 91 — atque theologica 98 — de miraculis moralibus 102 — de cognoscenda veritate philosophica in effectibus miraculosis neque per se neque per aliud visibilibus 113 — de partibus pacis internæ in iudicio credibilitatis fundando 125.

Surbled, liber de Spiritismo 101.

Tatianus, elenchus motivorum credibilitatis 47.

Tertullianus, quæ de miraculis Christi docuerit 56 — num putet argumentum e solis miraculis non sufficere 82, 83 — de partibus pacis internæ in motivo credibilitatis fundando 125.

Theodoretus Cyr., de miraculis in intellectu 83.

Tholuck, falsa notio revelationis 20.

Thomas S., de notione revelationis 2 — mysterii 18 — necessitate morali revelationis 39 — elenchus motivorum credibilitatis 47 — probationem revelationis non esse unicum finem miraculi 51 — de miraculis in genere 56 — de criterio physico-morali in diiudicando miraculo 72 — de miraculis in intellectu 83 — de cognoscenda eorum veritate philosophica 91 — de miraculis moralibus 102 — de effectibus miraculosis neque per se neque per aliud visibilibus 114 — non docuit in hominibus esse desiderium visionis beatificæ quod inane manere non posset — quo sensu cum cæteris theologis docuerit, voluntatem habere partes principales in actu fidei 154.

Thomassinus, de notione mysterii apud Patres 18.

Tindal, falsa notio revelationis 20.

Toland, falsa notio revelationis 20 — falsa origo mysteriorum asserta 25.

Tournely, de notione mysterii apud Patres 18.
Trede, contra vim probativam miraculorum 76.
Tyrrell, falsa notio revelationis et fidei 140 — de motivis credibilitatis ib. — de revelatione a nobis postulata? 154.
Twesten, negat veritatem relativam miraculis inesse posse 53 — falsa notio miraculi 59 — prophetiæ 86.
Ullmann, falsa notio revelationis 20.
Urraburu, de veritate theologica miraculorum cognoscenda 67.
Valsecchi, elenchus motivorum credibilitatis 48.
Vasquez, de mysteriis 18.
Vives Lud., elenchus motivorum credibilitatis 47 — quæ de miraculis Christi docuerit 56.
Voltaire, contra miracula 57 — S. Augustino falsam notionem miraculi ascribit 80.
Volz, falsa notio prophetiæ 86.
Ward, monographia de miraculis 56.
van **Weddingen**, probationem revelationis non esse unicum finem miraculi 52 — solas actiones miraculosas esse motivum primarium revelationis 54 — monographia de miraculis 56 — de difficultate Hume 64 — de criterio physico-morali in miraculo 67, 71 — de difficultatibus contra vim probativam e ratione 75 — e scriptura 81 — ex S. Augustino 82 — de Spiritismo 100.
Wegscheider, falsa notio revelationis christianæ 6 — miraculi 58 — hanc S. Augustino ascribit 80 — contra prophetiæ possibilitatem 87.
Weiss A., motivum credibilitatis ex effectibus revelationis 124.
Weiss B., falsa notio miraculi 58.
Weisse, ex obscuritate prophetiarum falsa concludit 90.
de **Wette**, falsa notio revelationis 20 — miraculi 58.
Weyrich, de civilisatione 127.
Werner, recenset falsas notiones revelationis 4 — proponit evolutionem historicam doctrinæ de miraculis 56.
Wieser, de Spiritismo 100.
Wilmers, de revelationis notione 2 — possibilitate 9 — necessitate 34, 39 — de motivis credibilitatis 44 — de munere motivorum probabilium in formando iudicio credibilitatis 46 — elenchus motivorum credibilitatis 48 — probationem revelationis non esse unicum finem miraculi 52 — actiones miraculosas esse unicum argumentum primarium revelationis 54 — de miraculis 56 — de miraculis in intellectu 83 — de miraculis moralibus 102 — de quibusdam motibus in mentem immissis 112 — motivum credibilitatis ex effectibus revelationis 124 — de partibus pacis internæ in formando iudicio credibilitatis 125 — de obligatione inquirendi in revelationem eamque credendi 157.
Wirceburgenses, de revelationis possibilitate 9 — elenchus motivorum credibilitatis 48.
Woolston, liber contra miracula 56 — falsa eorum notio 58.
Wundt. Proponitur eius falsa explicatio prophetiæ 86 — de hypnotismo 97.
Zaccherini, existentiam mysteriorum positive a priori demonstrari non posse 18.
Zahn, de visionibus etc. 84 — de donis mysticis sensu stricto 110.
Zeller, de revelatione apud Neoplatonicos 9, 12.
Zigliara, de revelationis possibilitate 9 — de miraculis 56.
Zimmer, falsa miraculi notio 59.
Zoeckler, recenset falsas revelationis notiones 5 — de Spiritismo 101.
Zoellner, falsa miraculi explicatio 58 — spatium quatuor dimensionum 92 — de Spiritismo 100.
von **Zorzi**, falsa notio miraculi 58.

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

AUCTORE

HERMANNO VAN LAAK S. I.

TRACTATUS III.
DE REVELATIONE CHRISTIANA

FASCICULUS I.

AD USUM PRIVATUM
AUDITORUM UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PRATI
EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1911

INTRODUCTIO

§ 1. Cur in demonstrando facto revelationis initium faciamus a probanda revelatione christiana.

1. *Connexio materiae.* — In tractatu de religionis revelatione in abstracto sumpta demonstravimus tum revelationis possibilitatem, tum certas vias quibus revelatio, si datur, demonstrari possit. Iam quaerendum est, num revelatio facta sit.

Probanda est revelatio tum christiana, tum primitiva, mosaica, postmosaica. — Nam non agimus de revelatione privata, sed de ea, quae omnibus hominibus credenda imposita sit. Iamvero talis non est nisi revelatio christiana, atque certo quodam sensu ea ante Christum data, quae dicitur primitiva, mosaica, postmosaica usque ad Christum. Ex ea enim quaedam inde ab initio omnibus hominibus proposita erant credenda, quaedam ab initio quidem uni populo proposita fuisse videntur, at saltem per Christum ea tum approbata tum omnibus credenda imposita sunt. Unde utraque revelatio, tum ante Christum tum per Christum data, a nobis tractanda est. — Quaeritur iam, quae prior proponenda sit.

2. *Rationes cur initium tractationis fieri posset a revelatione ante Christum data.* — *Internae* hae sunt: *a)* Revelatio ea non tantum ratione temporis erat ante christianam, sed eam multis modis praeparabat. Ergo evolutionem oeconomiae divinae in revelatione danda melius capimus, si ab ea initium sumimus. *b)* Ex eadem ratione doctrina Christi et apostolorum mille modis cum revelatione antea data cohaeret. Iamvero, si ipsam revelationem quae probanda est, melius intelligimus, etiam motiva credibilitatis facilius et perfectius demonstrantur. — Cf. v. g. criteria interna.

Porro hic videtur esse modus procedendi maioris partis *auctorum*, qui theologiam fundamentalem pro scholis excoluerunt.[1] E quorum numero quidam auctores haud parvi nominis sunt, uti Wirceburgenses,[2] Thom. Zigliara[3] Guil. Wilmers,[4] Ign. Otiger,[5] Gust. Lahousse.[6]

3. *Rationes, cur initium sumamus a demonstranda revelatione christiana.* — Rationes *internae* hae sunt.

a) Ex una parte id quod est demonstrandum, nempe Christum fuisse legatum divinum vel etiam Messiam — imo si putas etiam hoc in theologia fundamentali demonstrandum esse, Filium Dei naturalem — independenter a demonstrata veritate revelationis ante Christum datae probari *potest*. Etenim independenter ab ea demonstratione capi potest et sensus dictorum Christi, quibus sibi eiusmodi dignitates ascribit, et vis demonstrativa motivorum credibilitatis. Id quod etiam de vaticiniis Messianicis valere videbimus. Dixi: independenter a demonstratione veritatis revelationis ante Christum. Id quod non excludit, ad id ut doctrina Christi melius intelligatur, recurrendum esse ad Vetus Testamentum ut ad fontem quendam literarium et historicum, unde Christi mens plenius intelligatur; constat enim Iesum illius verbis et doctrinis plene inhaesisse.

b) Quodsi autem hic modus possibilis est, etiam *eligendus* esse videtur. Nam *α) simplicior* est, cum minora demonstranda supponat. — *β) Facilior* est. Etenim facta, quibus revelatio Novi Testamenti probatur, in plena luce historiae versantur; ea autem, quibus revelatio Veteris Testamenti probatur, innituntur praecipue genuinitati et veracitati Pentateuchi et caeterorum librorum praecipue historicorum Veteris Testamenti, quae etsi vere, tamen non tam facili modo probatur quam librorum Novi Testamenti. Idque eo magis considerandum videtur, quia haud paci praecipue hodie multo plures, atque uti putant, multo graviores difficultates movent contra Vetus quam contra Novum Te-

(1) Ita affirmare videtur Al. von Schmid, Apologetik als spekulative Grundlage der Theologie, Freiburg 1900 p. 102. — (2) (1766-71); Ign. Neubauer, Tractatus de religione, diss. 5ª de religione iudaica, 6ª de religione christiana. — (3) Propaedeutica, Romae ⁴ 1884. — (4) De religione revelata ll. 5, Ratisbonae 1897; l. 2 De religionis christianae per religionem revelatam praeviam praeparatione; l. 3 de revel. christ. — (5) Theol. fund. I, Friburgi 1897; c. 1 de existentia revelationis primitivae; c. 2 de existentia revelationis Mosaicae; c. 3 de existentia revelationis christianae. — (6) De vera religione, Lovanii 1897; Disp. 3 de relig. Mos., 4 de relig. christ.

stamentum. — γ) Ita via, qua in scholis proceditur magis cum via quae in vita tenetur convenit. Etenim ii libri, qui directe ad eum finem practicum scripti sunt, ut iudicium credibilitatis firment vel primo gignant, a Christo incipere solent. Simili modo qui ethnicis praedicant, a Christo, non a Mose incipere videntur. — δ) Methodum scientificam quod attinet, via quae prius revelationem ante Christum considerat, utique apte a minus perfecto ad magis perfectum ascendit; via vero, quae a demonstranda revelatione christiana incipit, etiam ipsa apte ex hac ut causa eius finali revelationem ante Christum profundius intelligere potest.

Accedit *auctoritas auctorum plurimorum* qui recentius in diversis terris hanc methodum etiam pro institutione in scholis theologicis praeferre incipiunt atque data opera ut magis convenientem defendunt. Cf. v. g. inter Italos Ioh. Perrone,(1) Sanctus Schiffini (2); inter Hispanos Ioh. Muncunill (3); inter Gallos Ad. Tanquerey (4); inter Germanos Ch. Pesch.(5)

§ 2. Scopus tractatus de revelatione christiana.

4. *Scopus theologiae fundamentalis universae est:* demonstrare revelationem *publicam* eiusque custodiam infallibilem.(6) Iamvero revelatio publica praecipue per Christum, apostolis eam complentibus, impertita est. Unde *impertitio revelationis per Christum eiusque impositio omnibus hominibus facta*, est id quod tractatu de religione christiana probandum suscipimus.

Medium vero revelationis infallibiliter custodiendae est societas ecclesiastica certae cuiusdam constitutionis. Quae tractatio de ecclesia ut infallibili revelationis christianae magistra tractatum de revelatione christiana excipit. Unde in tractatu de revelatione christiana simul demonstrandum est, in Christo eam *auctoritatem* fuisse, *qua* eiusmodi *societatem aeternam fundaret, fundataeque donum infallibilitatis conferret*, omnesque homines obligaret ut eam ingrederentur.

(1) Praelect. theol. I [34] De vera religione, Taurini 1900; c. 4 p. 69 sqq. — (2) De vera religione, Senis 1908; n. 12-3 p. 19-21. — (3) Tractatus de vera religione, Barcinone 1909; Disp. 2 de religionis christianae veritate; disp. 3 c. 1 de vera religione ante Christum. — (4) De vera religione [13] 1909 n. 251 p. 142. — (5) I [4] n. 67 p. 31. — (6) Cf. van Laak, Theol. fund. I n. 11 p. 8-9; n. 48 p. 30.

Unde *ea necessario demonstranda sunt, quae ad hanc duplicem demonstrationem necessario requiruntur, ea vero utiliter, quae ad eam utilia sunt.*

§ 3. Ulterius inquiritur, quae dignitates Christi ob scopum huius tractatus demonstrandae videantur.

Enumerantur atque definiuntur diversae dignitates, de quibus agitur.

5. De triplici dignitate Christi demonstranda in tractatu de relevatione christiana haud raro agitur: de dignitate prophetae, Messiae, Dei idque filii Dei. Priorem omnes demonstrant sive explicite sive implicite; saltem generatim etiam secundam; tertiam recentissime alii omittunt,(1) alii retinent.(2) Ex iis, qui eam retinent, quidam tantum demonstrant rationem veri Dei non vero rationem filii Dei; alii etiam determinationem filii Dei addunt.

Prophetam eum dicimus, qui revelationes divinas hominibus defert. — Propheta aut tantum in quibusdam e suis doctrinis revelationem divinam cum hominibus communicat, aut in omnibus. Cum de demonstranda ratione prophetae in Christo sermo est, id probare intendimus, eum in omnibus suis doctrinis veritatem revelatam detulisse.

Messiae (uncti) nomen est eius hominis, qui in hac oeconomia ex Dei ordinatione caeteris hominibus in ordine ad vitam aeternam providet. Nomen est ergo muneris. Cuius primum munus est, ut homines a peccato redimat redemptosque continuo sanctificet. Secundum, ut eos per praecepta in aeternam vitam dirigat. Quem ad finem regit hominum intellectum, revelationes divinas iis credendas imponens, regit caeteras actiones alia praecepta adiungens. Quem ad finem omnes homines in unum regnum spirituale colligere constituit eosque ita collectos sanctificare, fide aliisque praeceptis regere. Tandem omnium iudex est, qui eorum sortes in ultimo iudicio distribuet.

Deus-homo est is, cuius natura humana cum persona divina in unitatem personae coniuncta est; *Deus-homo, qui est filius Dei naturalis*, is est, cuius natura humana non cum persona Patris vel

(1) Cf. v. g. Hurter, Comp. I[12] 1909 n. 28, 35; id., Zeitsch. f. Kath. Theol. 8, 1884, p. 586. — Pesch I n. 143 nota 2. — Schiffini, De vera religione n. 14 p. 21; n. 21-3 p. 38-42; n. 33 p. 74. — Muncunill o. c. n. 314 p. 213-4. — (2) Cf. v. g. Ottiger th. 22 p. 640-748 ; Wilmers th. 90-1; Thomas M. Zigliara, Propaedeutica c. 15 p. 277. sq.; Ottiger p. 17 demonstrare nititur, ita esse agendum.

Spiritus Sancti coniuncta est, sed cum persona Filii i. e. cum secunda persona SS.ae Trinitatis, quae naturam divinam per generationem a Deo Patre accipit.

Quamvis hi conceptus prophetae, Messiae, filii Dei diversi sint, tamen in concreto hae dignitates in uno Christo coniunctae inveniuntur. Etenim idem homo, qui est filius Dei, munus Messiae a Deo Patre complendum accepit; munus vero Messiae in hac oeconomia etiam munus prophetae includit. — Rationem significandi quod attinet, cum de eodem homine Iesu et dignitas Messiae et dignitas filii Dei a prophetis praedicta sit, aliquando nomen Messiae ita adhibetur, ut etiam dignitatem filii Dei comprehendat.

Principia ad hanc quaestionem methodologicam solvendam.

6. In eiusmodi quaestione methodologica solvenda ratio habenda est ipsius obiecti formalis singulorum tractatuum atque internae connexionis eorum ut sit logicae conveniens; ratio corporis universi doctrinae, quod in theologia proponitur, ne quid desit, ne quid bis tradatur; ratio belli, quod falsi nominis scientia contra veritates christianas gerit. Quas singulas rationes breviter consideremus.

Quid statuendum sit ratione obiecti formalis tractatus nostri eiusque nexus cum tractatu apologetico de ecclesia.

Necessarium non videtur utrumque dignitatem probare.

7. *Consideratur obiectum formale tractatus nostri.* — Necessario requiritur, ut saltem dignitas prophetica in Christo demonstretur. Etenim omnis eius doctrina ut fide tenenda suscipi debet. — At etiam sufficit, ut haec dignitas omissis duabus caeteris dignitatibus, probetur. Etenim obiectum formale fidei, auctoritas Dei revelantis, non est in se perfectius applicatum, sive ille homo qui nobis revelationem divinam refert, etiam alia munera habet, sive non; sive illius natura humana in unitatem personae cum Deo coniuncta est, sive non.

Consideratur nexus inter tractactum de revelatione christiana et tractatum apologeticum de ecclesia, ut est magistra veritatis revelatae. — Etiam si hic nexus consideratur, necessarium non esse videtur probare rationem prophetae in omnibus doctrinis allatis. Nam videtur sufficere, si hac ratione probari potest, a Iesu legitime profectam esse et institutionem iuridicam eamque immutabilem ecclesiae per auctoritatem divinam, et coniunctionem doni infallibilitatis cum hac ipsa ec-

clesia. Iamvero si probatum est, eum fuisse prophetam in omnibus suis doctrinis, haec omnia legitime demonstrari posse videntur. Nam ipse edixit, se ad haec facienda potestatem a Deo accepisse.[1] Ergo his verbis standum est, quin necesse sit, ulterius in titulum intimum huius potestatis inquirere. — Neque eiusmodi potestas in abstracto considerata, videtur cum necessitate requirere ut is, qui ea instructus est, naturam divinam possideat. Etenim si Deus « potuit creare hominem iustum vel angelum eumque gratia instructum vadem constituere pro genere humano, ut satisfaceret quantum posset, et gratias mereretur, quae sufficerent ad homines salvandos »,[2] quanto magis homine puro ut instrumento ad tales effectus quos diximus producendos uti potuit? Unde non videtur admittendum, quod habet Ottiger, qui putat, non demonstrata divinitate Christi « quam plurima argumenta valde utilia atque etiam necessaria pro demonstranda vera Christi ecclesia omnino excidere, » praecipue si ex Mt. 28, 20 non assumatur ipse Christus » omnipotens, omniscius ubique praesens. »[3] A fortiori ut haec potestas, quam diximus, de aliquo probetur, non est stricte necessarium ut antea probetur, omnia munera Messiae ei convenire, v. g. hominum sortes in ultimo iudicio distribuere.

Utile tamen est utramque dignitatem considerare.

8. *Pro tractatu de relevatione christiana.* — Nam 1) demonstrata dignitate Messiae titulus probatur, cur tam sublimis dignitas prophetica huic homini concessa sit; demonstrata vero divinitate multo facilius quam ante probatur, omnia verba Christi auctoritate divina fulciri, simulque interna ratio convenientiae patefit, cur Iesus prae caeteris omnibus ut instrumentum divinum primarium Dei in procuranda salute animarum electus sit. — 2) Motiva credibilitatis pro revelatione per Christum impertita melius capiuntur. Etenim ea magna ex parte hauriuntur ex iis quae Christus egit atque dixit. Ex iis enim elucet mira eius potentia, sapientia, sanctitas etc. Iamvero quae cui agenda atque dicenda sunt, ea quam maxime determinantur munere, quod ei gerendum est, dignitate quam sibi ascribit. Unde sapientia Christi et virtus quam maxime in munere gerendo resplendebant. Cum quo cohaeret, quod multae difficultates contra quae-

(1) Cf. Mt. 28, 20. — (2) Pesch, Prael. dogm. IV[3] n. 361 p. 205. — (3) Theol. fund. I p. 17.

dam motiva credibilitatis melius solvuntur, si Iesu agendi ratio ex diversis eius muneribus atque eius ineffabili dignitate explicatur.

b) Pro tractatu apologetico de ecclesia. Cur prae caeteris Iesus instituerit rationem qua veritas revelata infallibiliter perseveraret, cur ipse societatem cum certa constitutione fundaverit, melius capitur si eius universalis titulus Messiae ostenditur, vi cuius ad eum universa cura de salute hominum sub Deo pertinet. — 2) Porro si demonstratur, ipsum vere Deum esse, saltem melius capitur — sunt qui putent tantum ita capi posse — cur constitutio ecclesiae vere divina sit. Saltem in eadem veritate profundior ratio habetur, cur ei debeatur ecclesiae institutio, perennis existentia, successus, dotes omnes inter quas infallibilitas.

Quid statuendum videatur ratione integri curriculi theologici.

9. In curriculo theologico tradendo sicut nihil omittendum est, quod maioris momenti sit, ita nihil repetendum. Iamvero Christum se dixisse Messiam in dogmaticis tractatibus hodie tantum leviter attingi solet; videtur supponi eam veritatem ampliori ratione esse expositam in theologia fundamentali. Contrarium obtinet quantum ad dignitatem Dei et Filii Dei; eam contineri in Christi verbis sive explicitis sive implicitis, eam ab antiquitate christiana agnitam fuisse, late in theologia dogmatica demonstratur.

Ergo exponenda videtur ratio Messiae. Quoad rationem Dei et Filii Dei vero haec dicenda esse videntur. Solida tractatio huius rei brevis esse vix potest; eam bis proponere temporis ratio non permittit; perfunctorie autem rem tanti momenti tractare decere non videtur. Unde ratio vero Dei in Christo aut nullo modo aut saltem nonnisi remissive exponenda videtur. Hanc ultimam rationem agendi eligemus.

Adiungunt quidam hanc rationem. Ea methodus per se praeferenda est, quae pauciora et faciliora demonstrata supponit. Iamvero tractatio integra de revelatione christiana et de ecclesia ut magistra veritatis infallibili fieri potest, quin requiratur probatio, Iesum fuisse verum Deum.

Quid statuendum sit ratione adversariorum recentiorum.

10. Hodie multi negant Iesum sibi dignitatem Messianicam ascripsisse. Rationes sunt praecipue hae: Prima, quod si hanc dignitatem sibi ascripsisset, certa facta in vita Christi vel alia dicta eius

genuina iam capi non possint. Secunda, quod secundum eiusmodi dicta vel facta, quae sola genuina putant, fontes vitae Christi reconstruunt.

Etiam plures infitiantur, Iesum se Deum et Filium Dei dixisse. Qui anteactis temporibus divinitatem Christi negabant, solebant dicta Christi, quae in evangelio legimus, admittere, alium autem sensum, a confessione divinitatis diversum, iis substituere. Rationes vero eorum sitae erant in specialibus difficultatibus, quae ratio humana in mysterio sive Trinitatis sive Incarnationis invenit. Rationes vero recentiorum generaliores esse solent. E quibus praecipuae sunt, quod impossibilem habent ordinem omnem supernaturalem, atque in specie omne mysterium; quod deinde fontes historicos ad talia dogmata aprioristica adaptant; quod denique e placitis falsae evolutionis dogmatum atque indebitae comparationis religionum positive fidem in divinitatem Christi naturaliter explicare student.

Eiusmodi difficultates quales diximus, quoad confessionem dignitatis Messianicae dogmatici considerare non solent. Unde in nostro tractatu considerandae sunt. — Si et in quantum difficultates eiusmodi etiam contra confessionem divinitatis, in dogmate non attenderentur, alio in loco v. g. in Introductione in Scripturam vel in Theologia fundamentali id agendum esset.

Conclusio.

11. *Data opera* demonstrabimus, Iesum se dixisse *prophetam atque Messiam*. Ratio huius modi procedendi e dictis patet.

Quoad *assertionem Iesu, se esse Deum et Filium Dei naturalem*, ita procedemus: *a)* Eum hanc dignitatem sibi ascripsisse non demonstrabimus data opera, sed *remissive tantum*, i. e. remittentes vel brevissime referentes argumenta, quae alii in alio tractatu afferunt. — *b)* In decursu demonstrationis nullum motivum credibilitatis afferemus, quod ut valeat necessario supponeret, demonstratum esse Iesum se dixisse Deum. — *c)* Nihilominus aliquando in argumentis etiam caeteroquin validis afferendis atque in quibusdam difficultatibus solvendis quaedam addemus, quae supponunt Iesum sibi dignitatem divinam ascripsisse.

Ita procedendo ex una parte iis rationem gerimus, qui putant divinitatem Christi in hoc tractatu non esse demonstrandam, cum de facto argumentatio nostra ab ea assertione non dependeat; ex alia

parte iis nullum praeiudicium creamus, qui eam potius tractatam vellent, quin tamen rem aliorum data opera nobis arripiamus.

Tota autem haec quaestio vix afficit partem tractatus secundam, quae tractat motiva credibilitatis pro testimonio, quod Iesus de se ipso reddidit, sed tantum priorem, qua quaeritur, quale testimonium de se reddiderit. Etenim motiva credibilitatis eadem esse solent, sive applicantur ad testimonium Christi de se ipso ut doctore divino, sive ut Messia, sive ut Filio Dei naturali.

§ 4. Quam inter diversas methodos demonstrationis eligamus.(1)

12. *Methodus e revelatione divina iam agnita.* — Deus verbis suis edixit, Iesum esse doctorem divinitus missum. Id elocutus est per prophetas ante Christum, per Ioannem Baptistam, Christo praesente, per scriptores inspiratos post Christum. Patet his verbis divinis dignitatem Christi in se efficacissime probari. At hanc viam inire non possumus, cum nondum demonstraverimus, aliquam revelationem divinam esse factam, sed revelationem a Christo impertitam ut primam demonstrandam suscipiamus.

Methodus e testificatione divina iam agnita. — Ecclesia catholica per omnia retro saecula confessa est atque confitetur, se esse magistram veritatis. Hoc eius testimonium, quod de se ipsa reddit, Deus miraculis sive moralibus sive physicis verum esse testatur. Iamvero ecclesia hoc ut rem sane principalem docet, Iesum fuisse doctorem divinitus missum. Iterum ergo habes argumentationem in se efficacissimam. — At neque haec a nobis adhiberi potest, cum veritatem testimonii ecclesiae de se ipsa ut magistra veritatis nondum demonstraverimus.

13. *Methodus e testimonio Christi de se ipso et demonstratione motivorum credibilitatis pro eodem.* - Prius probamus factum historicum, Iesum professum esse, omnia verba sua esse revelationes divinitus datas. Deinde demonstramus, veritatem huius testimonii diversis motivis credibilitatis probari.

Rationes autem, cur praeprimis illud testimonium, quod Iesus de se ipso reddidit, consideremus, hae sunt: Iesus ipse quam maxime hoc testimonium inculcavit; hoc testimonium ipse splendidis motivis

(1) Cf. de simili quaestione methodologica quoad tractatum apologeticum de ecclesia van Laak, Theol. fund. IV n. 40-1 p. 37-8.

credibilitatis ut verum probavit; hoc Deus maximis miraculis circa Christum factis verum declaravit. In testimonio Iesu de se ipso quasi omnis cardo quaestionis de religione revelata vertitur, cum Iesus illud ipsum demonstraverit verum, non alterius generis testimonium quod de ipso dedit. Generatim in hoc testimonio Iesu de se ipso etiam quoad maiorem partem adversariorum adhuc summa rei religiosae sita est; id quod quam maxime eo manifestatur, quod totis viribus in id intendere solent, ut demonstrent, Iesum de facto se non esse confessum talem, qualem fontes historici eum se confessum esse edicunt.

At non omittemus *etiam methodos alias, quas diximus indicare.* Ita is qui tales sane cum maxima utilitate eligere voluerit, materiam quam etiam pro his methodis in diversis locis dabimus, facile in argumentationes strictas efformare poterit.

§ 5. Quae facta historica demonstrata assumamus, quae ipsi demonstremus.

14. Ea facta historica, quae in historia, praecipue ecclesiastica, cum Patrologia, atque in Introductione in Libros N. T. demonstrari solent, ea non demonstrabimus ipsi, sed ut demonstrata ex illis scientiis assumimus. Sunt enim scientiae auxiliares theologiae. Ita demonstrantur in historia ecclesiastica v. g. existentia Christi et Christianismi iis temporibus, quibus ascribi solent; in Patrologia genuinitas certorum scriptorum Patrum atque finis eorundem; in Introdutione in N. T., libros iis temporibus, imo iis auctoribus esse attribuendos quibus attribui solent; quis sit finis eorum; speciatim vero evangelia, Actus Apostolorum, historica in epistolis esse fide humana digna.

At haud raro argumentatio nostra requirit, ut facta quaedam historica sive uberius sive magis singula prosequendo demonstrentur, quam in istis scientiis fieri potest, prout in cursu ordinario scholae destinato traduntur. Porro moris est recentiorum auctorum contra ipsam existentiam factorum, e quibus argumentatio nostrarum thesium procedit, multas difficultates historicas movere, quae et sat speciales sunt et cum ideis pseudophilosophicis et pseudotheologicis multum cohaerent, quaeque in istis scientiis auxiliaribus vix considerari possunt. Quae cum accidunt, ea, quae ibi tradita sunt, complenda a nobis sunt. Atque generatim confinia inter ea historica quae supponi

possunt atque ea quae tractari debent non possunt facile determinari. Multum a circumstantiis externis dependet.[1]

(1) « De fontibus religionis christianae ortum testantibus » multa breviter comprehendit Wilmers p. 305-32. De fontibus sacris p. 306-10; de christianis a Scriptura distinctis prop. 78-80 p. 310-9; de iudaicis prop. 79 p. 319-28; de gentilibus prop. 80 p. 328-32. — Brevissime: Albers, Enchiridion historiae ecclesiasticae I § 1 p. 31-6. — Quae fontes iudaici veteriores de Christo finxerint v. praeterea H. Laible, Iesus Christus im Talmud, Berlin 1891, 77 p. 108. — H. L. Strack, Iesus, Die Häretiker u. die Christen nach den ältesten iüdischen Angaben, Leipzig 1910 pp. 1-40, 1*-88*. — Quoad fontes ethnicos adde de rebus Abgar: Bardenhewer, Patrologie [3] 1911 p. 87-9; id. Geschichte der altkirchl. Literatur I p. 453-7. — De actibus Pilati Patrologie p. 78; Geschichte II p. 409-11. — Quoad testimonium Flavii Iosephi Berendts, Slav. Zeugnisse vom Christentum p. 8 sq., in T. u. U. 2, 14, 4 (1906). — In genere: Seitz, Christus-Zeugnisse. — Contra Drews et Iensen, qui recentissime ipsam existentiam Christi iterum negare ausi sunt, haud pauci etiam ex acatholicis insurrexerunt. Cf. elenchum talium scriptorum Bibl. Zeitsch. 1910, fasc. 4 p. 415-7. — L. Cf. Fillion, La lutte pour l'existence du Christ, in Rev. du Clergé Français 1910 t. 64 p. 420-48.

LIBER I.

Quale testimonium Iesus Christus de se ipso reddiderit.

Sectio I. Iesus professus est, omnem suam doctrinam auctoritate divina fulciri.[1]

15. *Explicatio terminorum.* — *Omnem Christi doctrinam* consideramus. — Ex ipso quidem conceptu prophetae non repugnat, quominus quis tantum in parte doctrinae nuntianda legatum divinum agat, atque consequenter tantum pro hac parte se legatum Dei profiteatur. De facto autem in Christo contrarium obtinet. Affirmamus proinde, nullam esse distinctionem ponendam in ratione auctoritatis inter doctrinas quae evidenter religiosae sunt et tales, quae quibusdam fortasse religiosae non videntur, inter doctrinas religiosas fundamentales et non fundamentales, maioris vel minoris momenti.

Cum, una phrasi excepta (Lc. 2, 49), nulla verba Christi ante eius vitam publicam servata sint, *de sola vita eius publica* agimus. — Quae complectitur omne tempus, quod effluxit, postquam a Nazareth ad Iordanum profectus est ut a Ioanne baptizaretur. — Asserimus porro, Christum *statim ab initio vitae publicae* omni suae doctrinae divinam auctoritatem ascripsisse, non vero ab initio sive in omnibus sive saltem in quibusdam doctrinis tantum humanam auctoritatem sibi attribuisse.

16. *Auctoritate divina fulciri* doctrinas suas Christus edixit. I. e. Iesus affirmavit Deum humana sua, Iesu Christi, natura ut instrumento uti, per quod ipse hominibus loquatur idque in omnibus quae edicat; proinde quaecumque a se homine proferantur, fide divina credi et posse et debere.

(1) De quaestione hac in genere cf.: E libris de theol. fund. Pesch I th. 8. — Wilmers, th. 86 I 87 II. — Dogmatici ubi de munere prophetico Christi agunt, v. g. Stentrup, De Verbo incarnato, Sotereologia, Innsbruck 1886 p. 1271-5. — Scheeben, Handbuch der Kathol. Dogmatik, Freiburg 1882 III p. 385-7. — Pesch[2] IV th. 44 p. 273-7. — Porro ubi de obiecto formali fidei tractant, v. g. Wilmers, De fide prop. 1 n. 10 p. 10-4.

Non dicimus, ipsum Iesum Christum ea quae caeteris credenda proponebat sive ex parte sive ex integro a Deo didicisse mediante locutione divina auctoritativa, i. e. ea locutione, pro qua assumenda Deus interponit auctoritatem suam, propter quam res dictae credantur. Etenim, ut scite observat Suarez, (1) posset « primus fidei praedicator doceri a Deo per scientiam infusam vel beatam, et tunc non esset necessarium proprium obiectum fidei, quatenus tale est, alicui proponi a Deo immediate, sed solum ut obiectum scientiae vel visionis ». Atque de facto, uti in tractatu dogmatico de Verbo incarnato probatur, « hoc modo Christus Dominus immediate aliis fidem proposuit, quamvis illi nulla sit facta propositio fidei; quia fidem non habuit, sed visionem et scientiam ».

17. *Adversarii.* — Ex una parte *Rationalistae omnes et Modernistae* possibilitatem revelationis negant (Cf. Decret. « Lamentabili » Prop. 20). Unde id quoque negant, Christum mirabilem scientiam habuisse atque nos veram revelationem divinam docuisse. Ex alia parte tamen verba Christi id prae se ferre videntur, eum sibi revelationem ascripsisse. Sequitur eos, si sibi constare volunt, unum ex duobus facere debere. Aut concedent Christum sibi revelationem sensu stricto ascripsisse; quod si faciunt concedere debent, eum aut stultissimum imo insanum fuisse, aut portentum malitiae. Quam consequentiam rite sequi aliqua thesi sequenti probabimus. — Aut affirmabunt, ipsum Christum eam revelationem, quam sibi ascripsit, intellexisse revelationem non sensu stricto sed tantum sensu lato talem. Qui ita sentiunt, revelationem sensu lato talem tot fere diversis modis concipiunt, quot habentur modi activitatis divinae naturalis diversi ab ea actione praeternaturali, quam revelationem stricte talem nominamus. (2) Qui huic sententiae adhaerent, eam non solent suadere discussione exegetica textuum, quibus Christus scientiam divinam miraculosam sibi attribuere videtur, sed potius sine ulteriore probatione suas ideas rationalisticas in mentem Christi transferunt, ac si evidens esset, eum iis imbutum fuisse. Quam rationem procedendi Rationalista Kalthoff lepide describit, quam descriptionem approbat alius acatholicus Albert Schweitzer, (3) qui tot auctorum Liberalium vitas Iesu Christi excerpsit: « Iesus pro theologia protestantica factus est vas, in quo omnis theologus id deponit quod in suis propriis ideis continetur ». — Saepe tamen non auderem dicere,

(1) De fide, disp. 4 sect. 1 n. 5; ed. Paris. tom. 12 p. 113. — (2) van Laak, Theol. fund. II n. 8-10 p. 4-6 « De falsis conceptibus revelationis ». — (3) Von Reimarus zu Wrede, Tübingen 1906 p. 313.

utrum adversarii secundam hanc rationem procedendi sequantur an priorem, aut forte ex utraque aliquid assumant. Sunt qui dicant, modum quo Deus in Spiritum Christi egerit, non posse a nobis resciri. (1)

18. Quosdam ex iis adversariis proponemus, qui hanc secundam rationem agendi sequuntur. Omissis veterioribus, uti Schleiermacher, (2) Wegscheider, (3) Paulus, (4) Schenkl, (5) Keim, (6) quosdam recentiores afferimus.

Edouard Rabaud (7) affirmat: « La révélation est une communion intime et personnelle entre Dieu et l'homme, communion qui fait voir et sentir le premier au second.... Par dessus tout, avant tout, c'est Christ lui-même.... On a donc été naturellement amené à dénaturer l'idée de la révélation chrétienne. Faite dans la personne de Jésus-Christ et se concentrant en elle, on l'a comprise au contraire comme une communication surnaturelle de vérités religieuses et de préceptes moraux ».

Edmond Stapfer (8) damnat errorem eorum qui putent mentem Iesu fuisse eam ut nobis afferret « des doctrines à croire qui doivent être pour nous une autorité extérieure, un Canon ». P. 337-40 concedit quidem Iesum sibi ascripsisse aliquam auctoritatem, at non talem, quae sit in docendo, sed tantum talem, quae sit in adiuvando: talem, cui non respondeat assensus mentis in aliquam veritatem, sed fiducia, independens ab iis quae ipse Christus de se cogitaverit ».

H. I. Holtzmann (9) prius eandem falsam notionem fidei proponit. Deinde haec de persona Christi tradit: « Persona Iesu tantum eatenus in hac fide partes agit, quatenus modus quo ipse agit (amor quo peccatores salvat), pignus est similis modi agendi, quo ipse Deus utitur. Iis quae diximus conscientiam propheticam Christi delineavimus. Prophetae haec est essentia atque ratio: partes habere quam maxime personales in eo ut conscientia de Deo et purgetur et perfectior semper reddatur, creatricem exercere activitatem in religionis centro ».

Adolf Harnack (10) fidem in Christum necessariam hac ratione describit: Fideli, respiciendo « eum (Christum), hanc historicam personam, certum est, Deum gubernare coelum et terram, atque eundem Deum qui iudex

(1) Cf. Schwarze, Neue Grundlagen der Lehre von der christl Gewissheit, Göttingen 1902 p. 61. — (2) Über seine Glaubenslehre an Lüke, § 13. — (3) Institutiones theologicae christianae dogmaticae [8] Lipsiae 1844 § 1-12, 119. — (4) Exegetisches Handbuch I p. 274. — (5) Das Charakterbild Iesu c. 4. — (6) Geschichte Iesu I p. 523. — (7) Histoire de la doctrine de l'inspiration des Saintes Écritures dans les pays de langue francaise de la réforme à nos jours, p. 281-5. — (8) Iésus-Christ pendant son ministère [2] Paris 1897 p. 336. — (9) Lehrbuch der Neutestamentlichen Theologie, Freiburg 1897 I p. 236-7. — (10) Lehrbuch der Dogmengeschichte I [4], Tübingen 1909 p. 70.

est, etiam patrem esse et redemptorem.... « Attamen » hunc nexum inter evangelium suum atque personam suam Christus verbis suis nequaquam ut rem praecipuam declaravit ». (1) Similiter in alio opusculo vulgatissimo docuerat (2): « Evangelium solummodo in tantum est doctrina, in quantum existentiam Dei Patris docet ».

Salomon Reinach: « Jésus n'enseigne aucun dogme ». (3)

Auguste Sabatier in genere affirmat, Protestantes liberales universos nullum articulum pro revelato habere (4). Atque ipse (5) multis premit, experientiam Iesu esse eam, quae in omni homine debeat — utique naturaliter — repeti posse. V. g.: « Eius pietas filialis ante omnia pietas erat humana; revelatio paterni cordis Dei in eo fit in corde humano; atque ex hac causa haec revelatio et haec relatio pietatis usque ad infinitum repeti potest in omni conscientia humana ad salutem mundi ». (6)

Loisy (7) postquam praemisit hanc definitionem revelationis: « ce qu'on appelle révélation n'a pu être que la conscience acquise par l'homme de son rapport avec Dieu » ita hanc notionem ad relationem inter Christum et Deum applicat: « Qu'est-ce que la révélation chrétienne, dans son principe et son point de départ, sinon la perception, dans l'âme du Christ, du rapport qui unissait à Dieu le Christ lui-même, et de celui qui relie tous les hommes à leur Père céleste? »

19. Ii Rationalistae, qui concedunt, *Iesum* se Filium Dei, Messiam, doctorem divinitus missum professum esse, generatim quoque affirmant, eum nonnisi *lenta evolutione ad hanc altam conscientiam pervenisse.* Quorum ultima ratio haec esse solet: Revelatio impossibilis est, ergo facta non est, ergo etiam persuasio de ea naturaliter orta est. Iamvero generatim aliae ideae falsae, speciatim si in fixas quae dicuntur excreverint, sensim sine sensu formantur. Ergo idem de hac Christi firmissima persuasione assumendum est.

Quam theoriam disertis verbis praecipue ad evolutionem conscientiae Christi de se ut Messia et Filio Dei applicare videntur. Aliquando autem verba generalia adhibent. Ita v. g. Renan, loquens de conscientia, quam Christus de intima sua relatione ad Patrem habuerit, haec ait: (8) « Jésus n'arriva pas sans doute du premier coup à cette haute affirmation de lui-même ». Multi volunt, *hanc evolutionem ex parte saltem intra tempus vitae publicae locum habuisse.* — Plura proponemus, quando de evolutione conscientiae Messianicae Christi agemus.

(1) Ib. p. 69. — (2) Wesen des Christentums[2] p. 12. — (3) Orpheus, Paris 1909 ch. 8 n. 24 p. 330. — (4) Esquisse d'une philosophie de la religion 1897 p. 311 et 327. — (5) Ib. partie 2 c. 2 et 3, versio germ. 1898 p. 134-204. — (6) P. 150. — (7) Autour d'un petit livre, Paris 1903 p. 190-7. — Cf. quoque p. 132 lin. 4 ab infra — 133 lin. 3 ab infra. — (8) Vie de Iésus[18] p. 80.

20. Sunt qui recentius in Christi dictis *ea distinguunt, quae cum auctoritate (divina?) imposuit, et ea, quae sua auctoritate fulcire noluit*, atque in quibus se ideis Iudaeorum accomodavit. Prioris generis veritates fuisse eas, quas vi muneris Messianici nuntiare debuerit; secundi generis veritates caeteris omnibus constitui. Qua ratione quosdam errores in rebus, quas vix religiosas esse putant, explicare volunt, uti ea, quae de Vetere Testamento protulerit, quae tamen cum sana critica non stent. Veteriores auctores Rationalistae in rebus plurimis accomodationem ex parte Christi statuunt.(1) Etiam hi adversarii non inquirunt directe num Christus alia hac, alia illa auctoritate affirmaverit, sed pro erroribus Christi ex aliis capitibus immerito suppositis in hac theoria explicationem quaerunt, quae eius auctoritatem non plene pessumdet.(2)

21. *Modus tractationis. Divisio sectionis.* — Uti ex dictis patet, assertio ratione sui, etiam abstrahendo ab omnibus adversariis, in tractatu nostro plane fundamentalis est. Praeterea aliquod e propugnaculis Modernistarum directe impetit.(3) Unde capitur, cur diligenter tractanda sit.

Argumentationi principali, quae *e verbis ipsius Christi* petitur, adiungimus eam, quae *e persuasione aetatis antenicaenae hauritur*. Utile enim erit vidisse, ea tempora quae ipsi Christo viciniora erant, ne umbram quidem Modernismi vel tenuiter opacasse, Modernismi inquam, qui continuo de historica sua conceptione Christianismi contra « dogmaticos » gloriatur.

Propositio I. Ex verbis Christi constat, Iesum inde ab initio vitae publicae confessum esse, omnem suam doctrinam auctoritate divina fulciri.

Pars I. **Iesus doctrinae suae generatim sumptae indolem propheticam ascripsit.**

Iesus id confitetur formaliter explicite.

22. 1) *Iesus se dixit prophetam*, idque ita ut *ipsam hanc vocem adhiberet*. Postquam enim in synagoga Nazarethana ad se applica-

(1) Cf. Heinr. Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss II, Würzburg 1857 p. 285-6. — (2) Cf. v. g. Lux Mundi, A series of Studies in the Religion of the Incarnation, edited by Charles Gore, [1] 1889 [2] 1904 p. 264-5. — W. Sanday, Inspiration [5] 1903 p. 416-7. — (3) Cf. n. 17-8 p. 15-7.

verat prophetiam Isaiae « Spiritus Domini super me etc. », rationem cur tamen a civibus suis non recipiatur, hanc reddit,[1] quod « nemo propheta acceptus est in patria sua ». Ideo sibi iter in Ierusalem instituendum esse affirmat, ut ea in urbe moriatur, quia « non capit prophetam perire extra Ierusalem ».[2]

Hac ratione etiam intellexerant Palaestinenses doctrinam quam Christus de sua dignitate proponebat. Exclamant:[3] « propheta magnus surrexit in nobis ». Petrus testatur, homines habere Iesum « unum ex prophetis ».[4] Cum Iesus die Palmarum solemniter in civitatem sanctam ingrederetur, « populi dicebant: Hic est Iesus Propheta a Nazareth Galilaeae ».[5] Discipuli in Emaus euntes confitentur:[6] « Qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone ». Iamvero ex Introductione in S. Scripturam constat, Iudaeos rationem prophetae ita intellexisse, ut quis nomine Dei loqueretur, non vero principaliter ita, ut futura praediceret.[7]

2) Christus praeterea disertissimis verbis *explicat,* se talem *rationem prophetae* sibi ascribere, ob quam generatim sermo suus fide divina credendus sit, non vero tantum ea, quae vaticinatus est. Nam *a)* approbat testimonium Ioannis Baptistae;[8] dicit enim: « Ioannes testimonium perhibuit veritati ». Iamvero Ioannes Baptista de Christo confessus fuerat:[9] « Qui accepit eius testimonium, signavit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur ». Quae verba Ioannis Baptistae de verbis Christi generatim sumptis, non de aliqua eorum parte tantum valent. — *b)* Idem ipse Christus immediate docet:[10] « Et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum: non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum; sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor ». Vides, generatim de doctrina Christi sermonem esse.[11]

(1) Lc. 4, 18-24. — (2) Ib. 13, 33. — (3) Ib. 7, 16. — (4) Mt. 16, 14. — (5) Mt. 21, 11. — (6) Lc. 24, 19. — (7) De notione prophetae apud Iudaeos cf. Cornely, Comp.[6] n. 460-3 p. 373-6; id. Introd. II n. 242-4 p. 267-74. — van Laak, De Inspir. I n. 53-60 p. 30-3. — (8) Io. 5, 33. — (9) Ib. 3, 33. — (10) Io 12, 47-50. — (11) Toletus, Com. in Io. ed. Lugd. 1589 ad. v. p. 727-34.

3) Imo Christus se *summum prophetarum* declarat. Nam suam dignitatem atque auctoritatem in praedicando praefert dignitati et auctoritati Ionae prophetae. « Vivi Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae. Et ecce plus quam Iona hic ».[1] Imo suam doctrinam prae ea extollit, quam generatim prophetae proposuerunt:[2] « Amen quippe dico vobis, quia multi prophetae et iusti cupierunt videre, quae videtis et non viderunt; et audire, quae auditis, et non audierunt. »

Perfectionem scientiae sibi communicatae prae omni alia effert:[3] « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare ». Eam e visione in coelis habita ortum habere declarat.[4] Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus, testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis coelestia credetis? Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo ».

Iesus id confitetur formaliter implicite.

23. Etenim *Iesus se dixit Messiam. Atqui in notione Messiae e mente loquentis continebatur ratio prophetae.* Ergo Christus se exhibuit prophetam.

Ad ma. Cf. sectionem sequentem. — *Ad min.* Christus hanc vocem Messiae eo sensu adhibuit, quo ipsi Iudaei eo uti solebant, nisi constat eum in hac ipsa parte aequalium mentes correxisse. Iamvero Christus eas in hac re minime correxit.

1) Iudaei omnes *ad Messiam applicabant Deuteron.* 18, 18: « Prophetam suscitabo iis de medio fratrum suorum, similem tui: et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi. Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam ».[5] Sive cum quibusdam auctoribus tenes, haec verba de solo Messia valere, sive cum aliis, ea de caeteris quoque prophetis dicta esse, pro nostro argumento perinde est.[6]

(1) Mt. 12, 41. — (2) Ib. 13, 17. — (3) Mt 11, 27. — (4) Io. 3, 11-3. — (5) Cf. Io. 1, 20-1; 7, 40; Act. 3, 22; 7, 37. — (5) De sententiis doctorum catholicorum quoad Deuter. 18, 18 v. dissert. v. Hummelauer, Com. in Deut. 1901 p. 373-77. — Solum Messiam significatum esse defendit recentius v. g. Wil-

2) *Etiam scripta religiosa apocrypha Iudaeorum ideam de Messia doctore divino proponunt.* V. g. in Psalmis sic dictis Salomonicis,[1] qui 63-48 a. Ch. compositi sunt, sermo est[2] « de effecta a Spiritu sapientia uncti Dei », atque[3] Messias vocatur « doctus a Deo ».

3) *Eadem erat persuasio populi Samaritani tempore Christi.*[4] In ipsa muliere quadam Samaritana vivida erat persuasio de Messiae munere prophetico.

4) Haec idea tam alte animis infixa erat, *ut etiam post aetatem Christi* deleri non potuerit. V. g. Pseudomessiae simul cum integro munere Messianico explicite etiam propheticam dignitatem sibi attribuebant. Hoc Flavius Iosephus narrat de Theuda quodam,[5] de Aegyptio quodam,[6] de aliis pluribus.[7] Samaritani saltem posteriores propheticam dignitatem Messiae prae caeteris eius muneribus extulerunt.[8]

PARS II. **Iesus statim ab initio vitae publicae se prophetam dixit.**

24. Nam verba Christi, quae ex ultima coena retulimus, *generalia* sunt. Ergo totam eius vitam publicam amplectuntur.

Speciatim iam in prima vocatione discipulorum, ante primam praedicationem in Iudaea, admisit confessionem Nathanael:[9] « tu es Filius Dei, tu es rex Israel (Messias) » Iam in prima commoratione in Ierusalem admisit confessionem Nicodemi:[10] « Scimus quia a Deo venisti magister ». Iam initio praedicationis verba citata ad concives Nazarethanos profert. Iam in ipso initio vitae publicae Christi verba Baptistae pronuntiata sunt, quibus Iesum doctorem divinitus missum celebrat.

PARS III. **Iesus professus est, omnes suas doctrinas, quas inde ab initio vitae publicae proposuit, auctoritate divina fulciri.**

25. Versus Io. c. 12 [11] quas antea consideravimus hac ratione quasi scholastica reddi possunt: V. 47-48 edicunt: Omnis sermo meus

mers n. 241-2; caeteros quoque prophetas comprehendi tenent v. g. Reinke, Cornely, Hummelauer. — (1) De Psalmis Salomonicis v. Schürer, Geschichte des Iüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christi[3] II p. 496-556. Ed. v. Gebhardt 1905 Leipzig. — Versio Germ. Kautzsch, Die Apokryphen des Alten Testamentes II p. 134-48. — (2) Ps. 18, 7. — (3) Ps. 17, 32. — (4) Io. 4, 26. — (5) Antiq. XX, 5, 1. — (6) Bel. iud. II 13, 5. - (7) V. g. Antiq. XX, 8, 6. — (8) Quoad notionem Messiae inter Samaritanos v. Schürer o. c. II p. 522. — Adalb. Merx, Der Messias od. Ta' eb der Samaritaner, Giessen 1909. — (9) Io. 1, 49. — (10) Io. 3, 2. — (11) 47-50.

incredulos iudicabit. V. 49-50: Rationes hae sunt: Iudicat vos Pater ob verba sua quae spernitis. Probo vos verba Patris, spernere. Pater mihi mandatum dedit, quid loquar, quid non loquar. Iamvero obediens sum. Ergo quaecunque loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor (vel etiam: ergo quae nunc loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor; id quod in idem redit).[1] Iamvero haec argumentandi ratio non constaret, si Christus vel unum verbum proferret, quod non esset Patris.

Toletus ad v. 49 hoc habet: « Attende haec verba Christum proferre, tamquam hominem, et propterea dicit, se nihil locutum esse, nisi quod Pater ei mandavit. A seipso loquitur, qui propria auctoritate loquitur, et non alterius: at Christus quae loquebatur auctoritate Patris, et divina loquebatur ». Addit in nota: Christus « de iis etiam omnibus loquebatur, quae prius docuerat, et de tota sua praedicatione, ideo verbo praeterito usus est. Non, inquit, a me ipso sum locutus ». — Ad v. 50: « Ex praedicta sententia infert, haec etiam quae modo loquitur esse verba Patris: Si enim generaliter a se ipso non est loquutus, sed quid dicat, et quid loquatur, de Patris habet mandato: haec etiam quae nunc ultimo dicit, nempe se lucem esse, et sermonem suum illos in novissimo die iudicaturum, et caetera quae affirmavit sunt etiam de eodem Patris mandato, hic est huius ultimae sententiae sensus ».

Verba mox citata,[2] quae Christus *in ultima coena* protulit, omnem doctrinam comprehendunt, quam usque ad id tempus docuit: « Et sermonem, quem audistis non est meus, sed eius qui misit me Patris ».

Confirmatur haec veritas eo quod Christus ex una parte nunquam modum indicat, quo iuvante ea, quae in doctrina sua auctoritatis divinae sint, ab iis distingui possint, quae auctoritate tantum humana proferantur. Ex alia parte semper generali modo ad fidem divinam doctrinae suae habendam hortatur.

Evangelistae cum referunt ea verba Christi, quae usque nunc protulimus, sane fide digni sunt.

Demonstratum enim est in Introdutione in S. Scripturam, eos in substantialibus narrationis neque potuisse falli neque voluisse fallere. Iamvero num Christus omnibus verbis suis auctoritatem divinam ascripserit necne, certe ad substantialia narrationis pertinet. Nam sine dubio ad substantialia narrationis pertinet id, quod partem essentialem finis primarii evangelistarum constituit. Atqui finis principalis evangelistarum in eo est, ut dignitatem personae Christi, eius officia

(1) Cf. Toletus ad. l. ed. Lugd. 1589 I p. 730-4. — (2) Io. 14, 24.

et munera exponant; dignitas vero prophetae partem essentialem earum dignitatum constituit, quae in Christo effulgebant.

26. *Ob.* — Cum adversarii negationem theseos non soleant fundare in scientifica quadam discussione textuum vel factorum sed in generalibus principiis aprioristicis falsis, res particulares afferendae non videntur.

Potius afferamus aliquam difficultatem quorumdam auctorum catholicorum contra modum, quo e Io. 3, 31-6 argumentati sumus. Aiunt nempe: Versus Io. 3, 31-6 non sunt verba Ioannis Baptistae, sed Ioannis evangelistae. Ergo non possumus ex iis argumentari ut ex verbis, quae Christus approbaverit, sed tantum ut e verbis, quae mentem apostoli manifestent.

Rationes autem antecedentis hae sunt: *a)* Ii versus non pertinent ad rem de qua loquebatur Baptista; *b)* incisum: ‚ testimonium eius nemo accipit ' tunc non poterat dici de Christo, quippe in quem multi tunc crediderint[1]; *c)* v. 33-4 minus docerent de Christo, quam Baptista antea docuerat; *d)* v. 35-6 « sunt de illo rerum genere, quas Christus ipse omnium primus aperte nos docuit ».[2]

R. N. assertum, cum rationes non videantur efficaces. Ad *a)* Verba eundem scopum sequuntur, quem integer sermo Baptistae, nempe extollere dignitatem Iesu. — Ad *b)* Forte intelligitur « nemo e vobis, discipulis meis ».[3] Porro auctores fere consentiunt, vocem « nemo » hoc loco eodem modo esse hyperbolice sumendam atque v. 26 vocem « omnes », eaque significari relativam paucitatem credentium; id quod eo facilius admittendum sit, cum v. 33 supponatur, quosdam fidem vere suscepisse. — *c)* Verba haec munus Christi exhibent, quod utique inferius est quam ipsa persona Christi. Caeterum hic occurrunt sublimia verba: « non enim ad mensuram dat Deus spiritum ». — Ad *d)* Non videtur a priori quasi determinandum esse, num quid prius a Baptista quam a Christo aperte docendum fuerit. Porro v. doctrinam Baptistae 1, 15 de divinitate Christi, 1, 29 de munere redemptoris.[4]

Propositio II. Iesum Christum professum esse, omnem doctrinam suam auctoritate divina fulciri, probatur testimonio aetatis antenicaenae.

27. *Arg.* — Auctores antenicaeni diversis modis sententiam suam produnt, Christum sibi rationem prophetae sensu stricto ascripsisse.

(1) Cf. Io. 3, 26. — (2) Patrizi, Com. in Io., Romae 1857 p. 41-2 has rationes affert. Eandem sententiam habet Belser, Das. Ev. des hl. Iohannes, Freiburg 1905 p. 120-2 praecipue secundae rationi innixus. Idem docet Calmes, L'évangile selon S. Iean 1904 p. 197. — (3) Knabenbauer, in Io. [2] p. 167. — (4) Cf. Toletus ad l. praecipue de contextu sententiarum; in genere Knabenbauer l. c. p. 167-9; e Protestantibus Zahn, Io. 1908 p. 219-26.

Atqui in hoc testimonio reddendo fide digni erant. Ergo Christus sibi hanc dignitatem attribuit.

Ad ma. — Auctores antenicaeni pro fine scriptorum suorum proxime non illud inculcare solent, Iesum professum esse, omnem suam doctrinam auctoritate divina fulciri, sed illud, eum obiective doctorem divinitus missum fuisse. Iamvero — ita alicui videri posset — haec ultima assertio priorem non necessario supponit. Etenim v. g. num forte solus Pater caelestis dignitatem legati sui data opera elocutus est? — At quidquid de possibilitate mere absoluta tibi videbitur, e circumstantiis historicis scimus, eos auctores pro fonte primario cognitionum suarum de Christo habuisse evangelia. In his autem, uti vidimus, ipse Christus eam dignitatem instanter sibi ascribit. Porro praecipue cum vaticinia Messianica explicant, premunt, Iesum se Messiam dixisse. — Tandem solent in Christo rationem perfecti magistri auctoritative loquentis describere. Haec vero connaturaliter sibi vult, ut docendo ad suam auctoritatem explicite vel implicite provocet.

Ad min. — Hi testes verum dicere poterant. Agitur enim de puncto facili captu et obvio et principali inter doctrinas Christi: porro aevo Christi et apostolorum vicini erant. — Fallere non volebant. Erant enim viri probi, imo magna ex parte sanctitate eminebant. Ergo in re quam maxime essentiali religionis omnes in errorem inducere nolebant.

Tempus Apostolicum.

28. *S. Stephanus*[1] ad Iesum applicat vaticinium Deuteron. 18, 15: « Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tamquam me: ipsum audite ». — *S. Petrus*[2] idem facit, etiam clarius inculcando: « ipsum audietis iuxta omnia quaecumque locutus fuerit ». Porro ut demonstret qua fide omnia verba Christi digna sint, Christianis in memoriam revocat,[3] se audisse « hanc vocem de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto, » « delapsam a magnifica gloria »: « « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite. » » — *S. Paulus*[4] coram Agrippa haec tria de Christo praedicta esse effert: « si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lumen annuntiaturus est populo et gentibus ». Agi de veritatibus

(1) Act. 7, 37. — (2) Ib. 3, 22-3. — (3) 2 Petr. 1, 16-8. — (4) Act. 26, 23.

nomine Dei a Christo annuntiatis inculcat eo quod docet, [1] fide in verba Christi « in captivitatem redigi omnem intellectum in obsequium (obedientiam) Christi », [2] atque ep. ad Hebr. ita exorditur: « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis *locutus est nobis in Filio* ».

Tempus Patrum.

29. *Generales quaedam observationes.* Summa capita testimoniorum haec sunt:

a) Cum apologetae innumeris locis sapientiam hebraicam (barbaram) prae graeca efferunt, semper *doctrinam hanc hebraicam laudant ut propheticam* atque Christum in hac serie prophetarum ut caput eorum includunt. Id quod e contextu sive remotiori sive proximo patet.

b) Apologetae *Christum* prae omnibus magistris divinitus missis *ut Λόγον celebrant*, a quo omnis erroris umbra removenda sit, per quem et in quo Deus omnes sapientiae suae thesauros humano generi contulerit.

c) Sectae iudaisticae, praecipue Elkesaitae, [3] plurima illi quidem falsa de Christo proponebant, tamen retinebant, eum esse verum *prophetam*, in quem omnes credere deberent.

d) Sectae quoque gnosticae, [4] quamvis nimias partes rationi ascriberent, nihilominus et generatim *ad revelationem divinam recurrebant* et in ea communicanda Christo locum plus minus praecipuum tribuere solebant.

e) Cum haeretici tum catholici ut plurimum in eo conveniebant, tantum de sensu verborum Christi dissensionem esse posse, omnem autem quaestionem eo ipso decisam esse, quod constet quid ipse dixerit.

(1) 2 Cor. 10, 4-5. — (2) Cf. Cornely, Com. in 2 Cor., Paris 1890 p. 262-3. — (3) De Elkesaitis cf. Hergenröther-Kirsch, Kirchengeschichte I l. 1 pars 3 c. 7 p. 139-44. — Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Literatur I p. 347-63. — (4) De Gnosticis, Hergenröther l. c. p. 144-83 praecipue p. 148; Bardenhewer l. c. p. 315-46. — Porro Walter Bauer, Das Leben Iesu im Zeitalter der neutestamentlichen Apokryphen, Tübingen 1909 p. 368-77 Iesus als Lehrer.

Specialia quaedam e singulis auctoribus.(1)

30. *E Patribus apostolicis.* — Clemens Rom. ep. ad Corinth. (1ª)(2) conditionem Corinthiorum ante exortam dissensionem ita describit: « Christi viatico contenti eique animum adtendentes verba ipsius diligenter ac cum amore complexi eratis, et passiones eius vobis prae oculis obversabantur. » Quae Christi doctoris sit dignitas, insinuat his verbis c. 36, 2 p. 145-6: « per hunc voluit dominus nos immortalem cognitionem gustare, qui maiestatis dei splendor exsistens, tanto maior est angelis, quanto excellentius nomen sortitus est ».

S. Ignatio ad Magnesios(3) Christiani sunt « discipuli Iesu Christi, solius doctoris nostri », cuius rationem propheticam ita extollit ut dicat: « quem etiam prophetae, cum essent spiritu discipuli eius, ut doctorem exspectabant ».

31. *Ex apologetis.* — S. Iustinus. Ei Christus est ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος. V. g. Apol. (1)(4) Christus ab eo vocatur: « Magister noster et latentium oraculorum interpres ». Huius magistri doctrinas omnes nobis esse amplectendas premit(5): « Quaecumque Verbum eligi non debere docuerit, ea vir sanae mentis non eliget... Confirmamur in omnibus quae ille docuit ». Has doctrinas divinitus revelatas esse ita docet Dialogo cum Tryphone(6): Postquam citavit textum: Omnia mihi tradita sunt a Patre, et: Nemo novit Patrem nisi Filius; neque Filium nisi Pater, et cui Filius revelaverit, ita pergit: « Nobis igitur revelavit omnia quaecumque etiam ex Scripturis per eius gratiam intelleximus, eum agnoscentes primigenitum Dei esse... ».

Clemens Alex. In « Protrepticus »(7) hunc sibi finem proponit, ut ethnicorum Bacchantium » loco veritatem, cum sapientia late splendente, in sanctum Dei montem sanctumque prophetarum chorum e coelo deducamus ». Haec veritas est « Verbum Christus.... novum Canticum » Orpheicum, « quod homines ex lapidibus, homines ex feris formavit.(8) » Quo cantico veritas revelata continetur. Quare conqueritur(9), quod « homines quidam miseri ac infelices per corvum ac graculum clarissimam edere vocem, per hominem vero nil prorsus loqui Deum putant ». In « Stromata »

(1) Quaedam cf. Petavius, De incarn. l. 2 c. 10 n. 4-14; ed. Venet. 1745 p. 92-5. — Ampliora de singulis Patribus van Laak, Iesus Christus professus est, omnem suam doctrinam auctoritate divina fulciri (Monogr. lith.), p. 19-33. — Falsa cum veris permixta Harnack, Dogmengeschichte I ⁴ 1909 l. 2 c. 4 n. 2: Das Christentum als Philosophie und als Offenbarung p. 462-525. — Item Loofs, Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte ⁴ 1906 § 18 p. 114-29; Das Christentum als geoffenbarte Philosophie. Die griechischen Apologeten. — (2) C. 2, 1; ed. Funk ² I p. 101. — (3) C. 9, 1-2; ib. p. 239. — (4) C. 32; G 6, 378; Otto I ³ 96. — (5) Ib. c. 12; G 6, 346; O I 38. — (6) C. 100; G 6, 710; O I 356. — (7) C. 1; G 8, 54; ed. Stählin C B 12 (1905) p. 4. — (8) Ib. col. 62; St. 12, 7. — (9) C. 10; G 8, 219; St. 12, 74.

contra Gnosticos eandem veritatem saepe premit. Christus ei « solus est magister » (1) et « verus de Patre magister », cui « vere quidem credere oportet » (2); « qui docet hominem scientiam, ut ait Propheta, est Dominus, per os hominis Dominus operans. Ideo carnem quoque accepit » (3). Hanc veram revelationem ad omnem doctrinam extendit, quae ecclesiastica traditione continetur: « Principium.... doctrinae habemus Dominum, qui et per prophetas et per evangelium et per beatos apostolos multifariam multisque modis a principio ad finem deducit cognitionem ».

Scripta Pseudo-Clementina. In libris 10 Recognitionum (4) haec continuo premuntur: *a)* viam, qua ad veritatem religiosam homines pervenire possint, non esse eam, ut in intrinsecam propositionum veritatem inquirant, sed ut credant prophetae, quem hac dignitate praeditum esse probatum sit. (5) *b)* Prophetam verum, qui sensu prorsus unico sit talis, esse Christum. Quare per omnes 10 libros innumeris vicibus hoc titulo salutatur. *c)* Christum hac ratione esse prophetam, ut prorsus repugnet, eum quae inter se pugnent, unquam tradidisse. (6) Id quod supponit, eum in omnibus doctrinis proponendis prophetam egisse.

Epistola ad Diognetum rationem religionis christianae ita describit (7): « Non enim terrenum, ut dixi (8) inventum hoc iis traditum est, neque mortalem cogitationem tam accurate custodiendam sibi censent, neque humanorum mysteriorum oeconomia iis commissa est. Sed ipse vero omnium regnator et omnium conditor et invisibilis Deus, ipse e coelis veritatem et verbum sanctum et incomprehensibile inter homines locavit et cordibus eorum infixit.... » (9)

Arnobius in « Adversus nationes ll. 7 » hanc Christianorum quasi definitionem exhibet: (10) « Nihil sumus aliud Christiani, nisi magistro Christo summi regis ac principis (Dei) veneratores ». Ea autem ratione nos hic magister docet, ut « eius nomini maiestatique substerni » debeamus, (11) ut sit « Dei principis iussione loquens sub hominis forma ». (12)

Lactantius in « Divinarum institutionum ll. 7 » praecipue l. 4°, qui inscribitur « de vera sapientia et religione », multa de hac re tractat. C. 14° e ratione magisterii prophetici et aliquam rationem incarnationis repetit et multa fata vitae Christi illustrat. C. 24° de sanctitate Christi agens considerat (13), « an doctor e coelo missus (Christus) possit esse non perfectus ». Notissimus est etiam locus, in quo sermo est de processione Verbi incarnandi atque incarnationis fine eo, qui in prophetica doctrina proponenda consistit: (14) « Magna inter hunc Dei filium

(1) L. 4 c. 25; G 8, 1371; St. C B 15 (1906) p. 320. — (2) L. 5 c. 1; G 9, 10; St. 15, 326. — (3) L. 7 c. 11; G 9, 486; St. C B 17 (1909) p. 44. — (4) G 1, 1207-474. — (5) Ita v. g. l. 1 c. 25; G 1, 122. — (6) Cf. v. g. l. 2 c. 28; G 1, 1262. — (7) C. 7 n. 1. 2; ed. Funk ² p. 403. — (8) C. 5 p. 176. — (9) Cf. c. 8, 10 (11, 1-3). — (10) L. 1 c. 27; L 5, 749; ed. Reifferscheid 1875 C V 4 p. 17. — (11) L. 2 c. 34; L 5, 863; R. 75. — (12) L. 2 c. 60; L 5, 906; R 96. — (13) L 6, 520; ed. Brandt C V 19 (1900) p. 371. — (14) L. 4 c. 8; L 6, 467; B. 19, 296-7.

caeterosque angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt, quia non ad doctrinam tradendam, sed ad ministerium creabantur. Ille vero, cum sit et ipse spiritus, tamen cum voce ac sono ex Dei ore processit, sicut verbum, ea scilicet ratione, quia voce eius ad populum fuerat usurus: i. e. quod ille magister futurus esset doctrinae Dei et coelestis arcani ad hominem proferendi: quod ipsum primo locutus est, ut per eum ad nos loqueretur, et ille vocem Dei ac voluntatem nobis revelaret ».

Eusebius Pamphili. In « Praeparatio evangel. » (1) docet, haec duo Deum de Christo praecipue praedixisse: rationem salvatoris, rationem doctoris. In « Demonstrat. evang. » vero l. 1 (2) rationem doctoris ut praedictam primo loco ponit. Praeterea de Iesu doctrina haec tradit: (3) « Cum ergo ampliori, quam quae hominem deceat auctoritate leges invenerit, diviniore etiam quam quae a Moyse praestari potuerit virtute, in toto orbe servandas sacrosanctas suas leges per suos evangelistas descripsit ». In Hist. eccl. (4) Christum nominat « summum prophetam Patris », multis probat, (5) essentiam Christianismi esse in eo, quod etiam Patribus ante Christum concessum fuerit, ut scilicet Christo credatur atque per hanc fidem iustificatio obtineatur. Ideo Christum Patribus quoque visibilem apparuisse.

Archaeologia christiana. V. g. in catacumbis Romanis Christus exhibetur ut doctor divinus sub symbolo Orphei (imagines 5), pastoris grege circumdati (21); sub figura propria vero sive solus, cum dexteram docendo elevat vel ad scrinium dirigit, in quo volumina reponuntur (3), sive apostolis (et evangelistis?) circumdatus, cum simili ratione figuram docentis exprimit (11). (6)

32. *Ob.* — Ii ipsi, qui falsam evolutionem religionis christianae statuunt, non solent negare, Christianis Graeco-Romanis persuasionem de Christo doctore divinitus misso firmissime inhaesisse. At originem haud rectam huic persuasioni attribuunt. Ita e sententia Loofs (7) apologetae antenicaeni « fundamentum posuerunt, ut Christianismus in doctrinam revelatam perversus sit ». Secundum Harnack transitu Christianismi a Iudaeis ad terras cultura Graeco-Romanae factum est, ut « ideae Messiae successerint ideae doctoris divini atque Dei in carne manifestati ». (8)

(1) L. 8 c. 1; G 21, 587. — (2) C. 1; G 22. 15. — (3) L. 9; G 22, 691. — (4) L. 1 c. 3; G 20, 71. — (5) C. 4 col. 75-9. — (6) De archaeologia cf. Kraus, Realencyclopädie der christl. Altertümer 1880 v. g. I art. Apostel 67-68; II art. I.-Ch. 9 n. 13, 10; n. 25, 11; n. 31. — C. M. Kaufmann, Handbuch der Christl. Archäologie 1905 ad v. « traditio legis » in ind. — De Christo ut doctore in catacumbis Romanis v. Wilpert, Die Malereien der Katakomben Roms I et II 1903 c. 1 p. 229 (Textband). — Quae de

R. N. utrumque assertum. Etenim *a)* Probatur e fontibus, qui tempus apologetarum atque transitum religionis christianae ad Graeco-Romanos antevertunt, tum apostolos, tum auctores qui ante tempus apologetarum scribebant, Iesu rationem summi prophetae ascripsisse. — *b)* Etsi in fontibus ante tempus apologetarum non contineretur, Christum sibi dignitatem propheticam attribuisse, id cum certitudine ab ipsis apologetis discere possemus. Evidens est enim, eos in re tam gravi et obvia auctoritate humana omnino pollere. — *c)* Uti n. 23, 28 p. 20-1, 24-5 probavimus, etiam primae aetatis tum praedicatoribus tum fidelibus notum erat, notionem Messiae ut partem sui continere notionem doctoris divini. Ergo idea doctoris ideae Messiae succedere non poterat.

« traditione legis » in arte christiana orientali habeantur, v. A. Baumstark, Eine syrische « traditio legis » u. ihre Parallelen, in Oriens Christianus III 1, 1903, p. 173-200. — (7) Leitfaden p. 129. — (8) Dogmengeschichte I [4] § 3 ante partem primam p. 58 nota.

Sectio II. Iesus inde ab initio vitae publicae professus est, se esse Messiam.

33. *Expl. term.* — Messias (unctus) is est divinitus missus doctor, liberator a peccatis atque rex, quem ut novi ordinis institutorem a prophetis promissum Iudaei exspectabant. (1) — Dicimus, Iesum professum esse, se actu *esse* eum regem, non vero eum tantum dixisse, se in futuro tempore hanc dignitatem adepturum esse. Est vero certe rex, qui auctoritatem et subditos habet, etsi nondum omnes actus exercet, qui ad munus eius pertinent. Potest enim esse, ut quidam actus e natura sua vel e legibus prudentiae nonnisi diversis temporibus exerceri possint.

Divisio. — Assertum probamus primo loco e titulis Messianicis, quae Iesus ad se applicavit, deinde e muneribus Messianicis, quae sibi ascripsit. Inter titulos primo loco eos tractamus, quorum significatio Messianica vix unquam difficultatibus obnoxia erat, uti v. g. est ipsum nomen Messiae, filii David; secundo loco eum titulum, de quo ultimis decenniis tot quaestiones ortae sunt, scilicet titulum Filii hominis. Postquam ita eos diversos modos consideravimus, quibus Iesus dignitatem Messianicam sibi ascripsit, eiusmodi generaliores difficultates proponemus, quarum plenior solutio fere exigebat, ut antea diversi ii modi cogniti essent; quasdam autem difficultates alias, praecipue contra significationem Messianicam tituli Filii hominis iam antea suis locis solvendas suscipimus.

34. *Adversarii atque methodus eorum. Lineae quasi principales ducuntur.* — *Adversarii* in duas maiores classes dividuntur. Una statuit, Iesum se tantummodo doctorem dixisse, nullam dignitatem autem Messianicam neque praesentem neque futuram sibi ascripsisse; alia affirmat, eum illam quidem dignitatem Messianicam praesentem sibi non attribuisse, attamen se habuisse ut eum, qui aliquando in suo adventu eschatologico dignitatem Messianicam adepturus sit.

Sunt qui admittant quidem, Iesum sibi aliquando dignitatem Messianicam sive praesentem sive saltem futuram attribuisse, negent vero, eum hoc iam ab initio vitae publicae fecisse. E quibus illi, qui af-

(1) Cf. n. 5 p. 6; porro tractatio de vaticinis messianicis.

firmationem dignitatis praesentis concedunt, generatim statuunt, terminum a quo manifestationis conscientiae Messianicae esse confessionem Messianitatis Christi a Petro Caesareae Philippi factam. Qui vero volunt, verbis Christi tantum de dignitate eschatologica agi, eius manifestationem saepe ad ultimos dies vitae Christi restringunt.

Ideae huiusmodi falsae fere a fine saeculi 18i theologiam protestanticam perturbant; ad finem saeculi 19i etiam ad modernistas e catholicis transierunt. Damnata est in Decreto « Lamentabili » prop. 35 : « Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis Messianicae» ; item prop. 28 : « Iesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur, ut doceret, se esse Messiam, neque eius miracula eo spectaba it ut id demonstraret ». Quae propositio 28 ipsis verbis invenitur in Loisy. (1) Quod attinet 35am, affirmat, criticum suspicari posse, « ideam vocationis Messianicae quasi naturaliter ad perfectionem adduxisse (couronné) hunc laborem interiorem », quo Iesus ad conscientiam suam pervenerit. (2)

Methodus communior adversariorum haec est : (3) E fontibus tantum attendenda sunt ipsa evangelia, seclusis Actibus et epistulis. Ex evangeliis vero evangelium Io., utpote quod in hac re fidem non mereatur, eliminandum est. Inter tria evangelia synoptica evangelium Mc. tempore primum est. Sequitur, Mt. et Lc., si plura narrant quam ille, aut nulla fide digna esse aut saltem non constituere fontem securum. Iamvero Mc. multa facta et dicta Christi exhibet, quae componi non possunt cum conscientia Messianica Christi aut saltem cum eius manifestatione per Christum facta. Ergo aut illa facta aut hanc manifestationem a Christo removere debebimus. Iamvero electio difficilis esse non potest : removenda est conscientia Messianica eiusque manifestatio. Nam illa alia dicta et facta Christum magis naturalem, quasi humanum exhibent, id quod est signum maioris antiquitatis traditionis historicae; porro conscientia Messianica, utpote quaedam res psychologica, facile fructus interpretationis falsae esse potest ; tandem positive ostendere possumus, qua de causa Christo confessio Messianicae digni-

(1) Autour d'un petit livre, Paris 1903 p. 83 ad finem. Cf. L'évangile et l'église[3] 1904 p. 20. — (2) L'év. et l'ég. p. 90. — In genere doctrinam Loisy quoad Christi affirmationem et conscientiam de sua dignitate Messianica cf. L'év. et l'ég. p. 86-94; 99; 108. — Autour.... p. 83-5. — (3) Cf. Schweitzer, Von Reimarus zu Wrede p. 5-11 ; p. 329-95. — Wrede, Das Messiasgeheimnis p. 227-8; in genere p. 214-29.

tatis contra fas attributa fuerit. Nempe in causa erat pietas aetatis apostolicae (vel subapostolicae), in qua Christus iam coeperat regnare atque ita ut Messias agnoscebatur. (1)

Hae fere lineae principales sunt; inter quas tamen plurimae aliae lineae minoris momenti huc illuc in directiones etiam oppositas feruntur.

35. *Singula quaedam afferuntur.*

Christum *neque praesentem neque futuram dignitatem Messianicam* unquam sibi attribuisse iam docuit v. g. Reinhard (1753-1812), (2) Bruno Bauer praecipue in operibus ante 1850 scriptis. (3) Post quod tempus numerus asseclarum huius sententiae crevit. Habes inter Anglos v. g. Iames Martineau; (4) inter Americanos N. Schmidt; (5) inter Gallos Havet; (6) inter Hollandos Loman (7), inter Germanos v. g. de Lagarde, (8) Volkmar. (9) Proprio opere hanc doctrinam acceptam reddere studet W. Wrede, etsi eam non plane asserat. (10)

Iesum sibi rationem *Messiae tantum futuri, eschatologici* ascripsisse, plurimi hodie propugnant. E quibus v. g. Ioh. Weiss opusculo, quo multos in suam sententiam traxisse videtur, (11) Harnack, (12) Loisy, (13) Schweitzer. (14) Rationes duas ut principales proponere solent: Christus non est locutus de reditu suo ad iudicandum orbem terrarum, sed de adventu suo; Iesus nonnisi per resurretionem Messias factus est, unde ante eam non se poterat Messiam dicere. W. Brandt (15) putat, consilium divinum, ut Ierosolymis Messias a Deo constitueretur Iesu probabile quidem visum esse, non vero certum.

Ex adversariis hucusque descriptis v. g. Wrede hanc theoricam proponit: Initium fidei apostolorum et primae communitatis Christianorum in dignitatem Messianicam Christi repetendum est e fide in resurrectio-

(1) Loisy, Autour... p. 84. — (2) Apud Schweitzer p. 32-3. — (3) Ib. p. 143; 149-50. — (4) The Seat of Authority in Religion[1] 1890[5] 1905 p. 363-4, 388-90. — Cf. O. Pfleiderer, Die Entwicklung der protestantischen Theologie in Deutschland seit Kant und in Grossbritannien seit 1825, Freiburg 1891 p. 439-40, ubi eius rationes afferuntur. — (5) Art. Son of Man § 46 in Encycl. bibl. col. 4739. — (6) Le Christianisme et ses origines IV 1884 p. 15 sq. — (7) Gids 1888 II p. 118. — (8) Deutsche Schriften p. 69, 291. — (9) Iesus Nazarenus, Zürich 1882 p. 153 sq. Exp. Schweitzer p. 349-50. — (10) Das Messiasgeheimniss in den Evangelien, Göttingen 1901 pp. 290. Cf. assertum v. g. p. 218-9; 221-2; 229. — (11) Die Predigt vom Reiche Gottes, Göttingen[1] 1892, [2] 1900 p. 158-9; exp. Schweitzer p. 235-8. — (12) Dogmengeschichte I[4] p. 75 nota 2 e p. 74: « Messias designatus »; p. 73-4. — (13) L'év. et l'égl. p. 87-9; 108. — (14) P. 347-95. — (15) Die evangelische Geschichte und der Ursprunge des Christentums..., Leipzig 1893 p. 473-8; exp. Schweitzer p. 256-8.

nem Christi. Putarunt enim, eum resurrectione sua dignitatem Messianicam primo adeptum esse. Connaturaliter sequebatur desiderium, ut haec dignitas etiam in Christo vivente inveniretur. At de facto Iesus nunquam hanc dignitatem Messianicam sibi ascripserat. Unde conscientia christiana Iesum eiusque agendi atque loquendi rationem sibi ita efformavit atque exhibuit: Iesus ex una parte egit et locutus est, imo etiam a quibusdam agnitus est, ac si esset Messias; ex alia parte totis viribus in id incubuit, ut suam dignitatem Messianicam celaret. Cum Christiani priorem rationem factorum et verborum Iesu efformarent, necessitati temporis serviebant; cum illum usum Christi in celandam suam dignitatem fingerent, saltem aliquatenus historiam sequebantur, quae scilicet verba Messianica in Christo plane ignorat. Aliquando tamen, uti in sermonibus eschatologicis, sensa conscientiae Messianicae in eius ore ponunt. (1)

Schweitzer hoc statuit: Aetate Christi dominabantur ideae eschatologicae. Quae etiam Iesum totum possidebant. Exspectavit, mundi universi ultimas aerumnas simul cum sua parusia locum habituras esse in eo ipso itinere ad quod discipulos suos Mt. c. 10 mittit. Cum haec non evenirent, sed e contra discipuli sani et salvi redirent, intellexit, sibi ante parusiam suam pro omnibus aliis moriendum esse, at ita, ut ipse ignotus maneret in ea ipsa functione Messianica, qua regnum eschatologicum adducere deberet, scilicet in ratione Messianica mortis suae. Ex quo tempore id unum egit, ut necaretur cito idque ita, ut eius dignitas Messianica ignoraretur. Alii nunquam putarunt, eum esse Messiam, nisi quod Petrus illud mysterium caeteris apostolis prodidit, Iudas vero synedrio. Coram iudice utique ipse Christus illud confessus est, atque, ut voluit, mortis condemnatus est. (2)

Ex iis, qui admittunt, Iesum *dignitatem praesentem* sibi attribuisse, quidam putant, eum ad cognitionem et manifestationem suae dignitatis non pervenisse nisi postquam aliquod tempus, sive longius sive brevius, vitae eius publicae effluxerit. V. g. Colani (3) post successum, quem sua praedicatione habuerit. Generatim tamen statuunt, Christum conscientiam suae dignitatis Messianicae acquisivisse sive in baptismo sive iam ante baptismum, ita tamen ut naturalem longiorem evolutionem huius conscientiae iam anteriore tempore admittere soleant.

Secundum quosdam Christus sibi ascripsit rationem *Messiae politici*. Quidam putant, Iesum hanc ideam nunquam deposuisse. V. g. Reimarus (4) docet: Cum Iesus vidisset, se regnum politicum adipisci non posse, atque ob hoc ipsum desiderium regni terreni mortis damnatus esset, eum desperabundum mortem oppetiisse. Quae sententia utique antiquata

(1) O. c. p. 218-9. — (2) O. c. p. 347-95. — (3) I-Ch. et les croyances messianiques de son temps, Strassburg 1864; exp. Schweitzer p. 222. — (4) Fragmente des Wolfenbüttelschen Ungenannten. Von dem Zweke Iesu u. seiner Jünger, 1 Teil § 29-33; edidit Lessing, Braunschweig 1778; ed. 5 Berlin, Reimer, 1895 p. 50-9; exp. Schweitzer p. 16-22.

est. — Alii censent, Iesum initio putasse, dignitatem Messianicam esse mere politicam, eumque nonnisi ulteriore evolutione accedente ad sublimiorem ideam de ratione Messiae pervenisse. — Quibusdam videtur, Christum hoc elementum terrenum praecipue in tentatione in deserto vel etiam per aliquod subsequens tempus eliminasse. Ita v. g. Colani, (1) Edmond Stapfer, (2) Wernle, (3) Ch. Herm. Weisse, (4) alii. (5)

Ad quam mira quidam pervenerint, accipe ex his: *Reinhard* (6) putat, tam verum esse, Iesum se considerasse ut merum magistrum unius populi Israelitici, ut ideo iuvenis moreretur, ne amici eius putarent, eum dignitatem Messianicam politicam sibi attribuere velle.

36. *Modus tractationis.* — Cum assertio in se magni momenti sit, cumque a plurimis impugnetur, accurate exponenda esse videtur.

Ex eo quod Iesus statim ab initio vitae publicae se Messiam confessus est, non sequitur, aut eum ipsum hanc doctrinam statim coram omni genere auditorum, omnique in occasione proposuisse aut eum praecepisse vel permisisse ut quicumque vellent eam praedicarent vel edicerent. Poterat certas leges prudentiae in hac re sequi. Quaedam de tali prudenti oeconomia evangelia indicant. Quodsi forte eam integram perspicere non poterimus, tamen hac partiali ignoratione alicuius circumstantiae in praedicatione Christi, certa nostra scientia, aliunde probata, de facto Iesum sibi eam dignitatem ascripsisse, sane destrui nequit. Plura in difficultatibus solvendis.

Genuinitas atque auctoritas textuum, e quibus probatio petitur omnino certa est.

Externa criteria quod attinet a) nullum dubium movetur ex parte codicum, versionum eos praecedentium, aliorum criteriorum externorum. *b)* Probatum est, evangelia in substantialibus esse fide digna. Iamvero num Iesus asseruerit necne, se esse Messiam, res quaedam primaria erat pro populo Israelitico atque ea societate, cui custodia evangeliorum commissa erat.

Speciatim primarius finis evangelii secundum Mt. in eo est ut probetur, Iesum fuisse Messiam. (7) Io. suum evangelium ideo scripsit, « ut credatis, quia Iesus est Christus (ὁ Χριστός), filius Dei ». (8) Lc. id praecipue sibi proposuisse videtur, ut ostendat, Iesum esse promis-

(1) O. c.; exp. Schweitzer p. 221-4. — (2) I-Ch. avant son ministère, Paris 1896 p. 162-3, 176. — (3) Die Anfänge unserer Religion, Leipzig[1] 1901 p. 26-34, [2] 1904 ; exp. Schweitzer p. 250-1. — (4) 1801-66; exp. Schweitzer p. 133. — (5) Quidam v. g. Lepin p. 176. — (6) Exp. Schwitzer p. 27 — (7) Cornely, Comp. [6] n. 596-7 p. 477-9. — (8) Ib. n. 640 p. 520-1.

sum « salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum... lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis suae Israel ». [1] — Mc. quaedam premit, quae uti aliunde scimus Messiae propria sunt, victoriam dico de diabolo, praedicationem evangelii, potentiam in miraculis patrandis, rationem Filii Dei. [2]

Interna criteria quod spectat, tot tamque illustria Christi verba, facta et fata quae evangelistae narrant, ita cum eius assertionibus sive explicitis sive implicitis de sua dignitate Messianica cohaerent, ut, si evangeliorum narratio de Christi assertione se esse Messiam, genuina atque fide digna existimari non posset, generatim quasi integrae narrationi evangelicae fides esset deneganda. Facta et fata Christi; nam, ut quaedam afferamus, v. g. persuasio de sua dignitate Messianica causa est, cur Christus praedicationem suscipiat, miracula patret, in Ierusalem solemniter ingrediatur, mortis damnetur. Sermones Christi; nam plane magna ex parte sunt parabolae de regno Dei et eius rege praesenti; vaticinia de suis, Messiae, perpessionibus, gloria atque parusia; disputationes et demonstrationes de sua dignitate; assertiones quibus proprietates et munera Messianica diversa sibi ascribit. Cfr. expositionem in thesi.

Propositio 3. Iesus inde ab initio vitae publicae nomen Messiae ad se applicavit; diversos quoque alios titulos Messianicos admisit.

Pars I. **Iesus nomen Messiae ad se applicavit.**

37. In primo itinere, quo e Iudaea in Galilaeam perrexit, cum mulier Samaritana dixisset: « Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus); quum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia: dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum ». [3]

Sub initium tertii anni vitae pubblicae Domini, cum Simon Petrus confessus esset: « Tu es Christus (Messias) filius Dei vivi », respondens « Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est ». [4]

Aliquo tempore post duodecim discipulis ait: [5] « Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam ».

(1) Ib. n. 618 p. 498-9. Cf. Lc. 2, 30-2. — (2) Ib. n. 607 p. 488-9. — (3) Io. 4, 25-6. — (4) Mt. 16, 16 = Mc. 8, 29. = Lc. 9, 20. — (5) Mt. 9, 40.

In festo encaeniorum « ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudaei et dicebant ei : [1] Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam (= παῤῥησίᾳ = aperte, sine ambagibus). Respondit eis Iesus : Loquor vobis, et non creditis ; opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me ». Textus graecus non habet « loquor » sed : « εἶπον », dixi vobis, i. e. « iam clare dixi vobis me esse Christum, at vos non creditis... ; [2] ita locutus est, ut essent, qui dicerent : hic est Christus [3]... ; proin dicendo εἶπον ὑμῖν... explicite iterum affirmat, se esse Christum et ulterius provocat ad testimonium operum ». [4]

Immediate ante resuscitationem Lazari recipit confessionem fidei Marthae : [5] « ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti ».

Post ultimam coenam in oratione ad Patrem hoc edicit : [6] « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum ».

Cum, ad mortem petitus, a summo Pontifice interrogaretur : « Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei », affirmando respondet : « Tu dixisti », [7] « Ego sum ». [8]

Post resurrectionem suam, loquens de iis quae scripta sint de se, [9] « aperuit illis (apostolis) sensum, ut intelligerent scripturas. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die ».

Difficultates contra quosdam textus.

Ob. 1. — Impossibile est, Iesum inde ab initio clare *in Samaria* suam dignitatem nuntiasse, minus clare in Iudaea ! — R. Si quis putat, Iesum inde ab initio hac diversa ratione docendi usum esse, his rationibus eam explicare potest : *a)* Iudaeis per Ioannem dignitas Christi clarissime revelata erat, Samaritanis non ita. — *b)* Apud Iudaeos saepius atque diu commorabatur atque diversa pro diversis temporibus proponenda eligere poterat, inter Samaritanos neque saepe commorabatur neque diu. — *c)* Non sine aliqua probabilitate additur hoc : Cum Samaritani in Messia magis rationem doctoris quam regis considerasse videantur, [10] non ita timendum

(1) Io, 10, 24-6. — (2) Cf. quoque Io. 5, 32 sq. ; 7, 38. — (3) Io. 7, 41 ; 8, 12 etc. — (4) Knabenbauer [2] ad. l. p. 351 ; eandem explicationem habet Toletus ad l., ed. Lugd. p. 620-2 : « dixi iam vobis » ; Belser p. 327 « iam sat determinate se dixisse » ; Zahn, Io, 1908 p. 458 « se iam dixisse ». — (5) Io. 11, 27. — (6) Io. 17, 3. — (7) Mt. 26, 63-4 = Mc. 14, 62 = Lc. 22, 66-9. — (8) Mc. 14, 62. — (9) Lc. 24, — (10) Cf. n. 23, 4 p. 21.

fuisse videtur, ne doctrina de Christi Messianica dignitate etiam explicite et clarissime proposita, ad fines politicos abuterentur. — *d)* Ex effectu conspicitur, Samaritanos istos melius dispositos fuisse ad hanc veritatem credendam quam duces populi Israelitici.

Ob. 2. — *In confessione coram summo Pontifice* illud « *tu dixisti* » non significat « tu recte dixisti », sed tantum factum historicum affirmationis Pontificis agnoscit. Ac revera, is modus loquendi neque apud Iudaeos neque apud Graecos in usu cotidiano est pro exprimenda affirmatione. — R. N. as. Ad rationem additam: modus loquendi communis utique non videtur fuisse, aliquando tamen et a Domino et ab aliis hoc sensu adhibebatur, idque evidenter hoc loco. — Quoad hunc locum *a)* Cf. Mc. « ego sum ». *b)* Ita intellexit Pontifex: « Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? » — Quoad alios locos Christi: ita ad Iudam loquitur, (1) ita ad Pilatum. (2) — Quoad literaturam iudaicam v. exemplum apud Dalman; (3) quoad literaturam classicam v. g. Xenoph. Memor. III 10, 15.

Pars II. **Iesus inde ab initio vitae publicae quosdam titulos Messianicos admisit.**

De titulis « filius David », « rex Israel ».

38. Sicuti erant multi uncti in Israel, ita etiam multi filii David, multique reges Israel. At haec nomina tempore Christi adhibebantur ut *termini technici*, quibus ille unus, quem exspectabant, Messias, significaretur. Id de expressione « filius David » v. breviter Knabenbauer. (4) Iamvero Iesus his nominibus a quibusdam appellatur, hancque appellationem eo approbat, quod iis ea, quae fide in hanc eius dignitatem petunt, concedit, vel confessionem eorum laudat. Ergo.

Iesus ab initio vitae publicae laudat confessionem Nathanaelis dicentis: « Rabbi tu es Filius Dei, tu es rex Israel ». Dicit enim ei: « Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; maius hic videbis ». (5)

In Kapharnaum ante tertium pascha, (6) « transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo caeci clamantes et dicentes: miserere nostri, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum caeci, et dicit eis Iesus: creditis, quia haec possum facere vobis? Dicunt ei: utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: secundum fidem vestram fiat vobis ».

(1) Mt. 26, 25. — (2) Mt. 27, 11 = Mc. 15, 2 = Lc. 23, 3 = Io 18, 37 (?) — (3) Worte Iesu p. 253-4. — (4) In Mt. 9, 27 p. 374-5. — Schürer[4] II p. 615. — Dalman, Worte Iesu p. 260-2. — V. g. Ps. Salom. 17, 23. — (5) Io. 1, 47-50. — (6) Mt. 9, 27-9.

Mulier Chananaea « a finibus illis (Syriae) egressa, clamavit: miserere mei, Domine, fili David ». Respondet ei, se debere imprimis Israelitis beneficia Messianica impendere. Humiliter hoc agnoscenti, cum magno autem desiderio petitioni insistenti respondet: « o mulier magna est fides tua, fiat tibi sicuti vis ». Et liberata est filia eius a daemonio.(1)

Cum ultimum iter ad sanctam civitatem institueret, duo caeci prope Iericho (2) « clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri, fili David ». Quos Iesus ad se vocavit vocatosque sanavit.

Solemniter in urbem sanctam ingredienti acclamant turbae: « Hosanna filio David »; (3) « benedictus *ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ* »; (4) « benedictum quod venit regnum patris nostri David ». (5) Pueri quoque clamabant in templo dicentes: « Hosanna filio David! ». Cum de turbis indignarentur pharisaei atque a Iesu peterent ut iuberet silere discipulos, Dominus respondit: « Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt ». (6) Qui modus loquendi summam necessitatem rei e definita voluntate Dei significat. (7) Cum vero principes sacerdotum et scribae, puerorum voces non ferentes, dicerent ei: « audis quid isti dicunt? Iesus dixit eis: utique, nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? »

Difficultates contra quosdam textus.

Ob. 1. — *Nathanael* nihil affirmat, non fidem suam confitetur, sed mirabundus interrogat: « tu es rex Israel? » Etenim cognitio rerum absentium atque absconditarum, quam in Iesu expertus erat, id quidem probare poterat, eum esse prophetam, non vero eum esse Messiam. Nam huiusmodi genus miraculorum prophetis quoque convenit. Ita Spitta. (8) — R. Nathanael audivit a Philippo de Iesu ut vero Messia, (9) id quod connaturaliter includit, eum etiam audivisse, Iesum sibi dignitatem Messianicam ascribere. Unde factum miraculosum, de quo agitur, in concreto veritatem relativam ad probandam hanc assertionem Christi induit.

(1) Mt. 15, 22-8 = Mc. 7, 24-30 qui appellationem omittit. — (2) Mt. 20, 30-1 = Mc. 10, 47-8 = Lc. 18, 38-9. — (3) Mt. 21, 9. — (4) Io. 32, 33. — (5) Mc. 11, 10. — (6) Lc. 19, 40. — (7) Knabenbauer in l. p. 537. — (8) Das Iohannes-Evangelium als Quelle der Geschichte Iesu, Göttingen 1910 p. 58-9. — (9) Io. 1, 45.

Ob. 2. — Iesus, cum Psalmum 110 data opera explicat, (1) negat se esse *Filium David*. Etenim ita argumentatur: Filius non est Patre superior. Iamvero teste ipso David, qui in Spiritu locutus est, Messias est Dominus David. Ergo non est eius filius. Ita plurimi. (2) E quibus v. g. Strauss, (3) Colani, (4) Holtzmann, (5) recentissime adhuc Harnack. (6) Saltem Iesus censet, quaestionem de origine Davidica « pro quaestione de essentia Messiae non esse summi momenti ». Ita Dalman. (7) — R. N. as. Ad prob.: Ratio argumentandi Iesu haec est: Ex una parte constat, vobis quoque id concedentibus, Messiam esse filium David. Ex alia parte constat ex Psalmo 110, Messiam esse Dominum David. Ergo ratio Messiae in filio David non est eiusmodi, ut regnum terrenum patris David suscipiat sed altioris omnino rationis est, qualis eius naturae superiori respondet. (8) Unde confundit pharisaeos, qui Messiam terrenum exspectabant.

De titulo Messiae: « qui venturus est ».

39. « Ioannes (Baptista) autem, cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es qui venturus es? an alium exspectamus? Et respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me ». (9) — E quo textu sic arguimus: « qui venturus est » intelligitur Messias; atque Iesus provocando ad opera sua declarat se esse « eum qui venturus est ». Ergo.

Ad ma.(10) — *a)* Nihil magis naturale, quam ut is vocetur *ὁ ἐρχόμενος*, quem unum ut magnum restauratorem secundum vaticinia Messianica sperabant esse venturum. — *b)* Convenit, quod integrum tempus Messianicum apud Rabbinos aliquando vocatur saeculum venturum; quod etiam a S. Paulo illud vocatur *ὁ αἰὼν ὁ μέλλων*, et Christus Pontifex « futurorum », i. e. Messianicorum bonorum. — *c)* Congruit modus loquendi Iudaeorum. Cf. (11) « hic est vere *ὁ προφήτης*, qui venturus est

(1) Mt. 22, 41-6. — (2) Cf. quosdam apud B. Weiss, Mt. [7] adl. p. 386 nota; plurimos apud Holtzmann, Neutest. Theol. I. p. 244. nota. — (3) Exp. Schweitzer p. 196. — (4) Ib. p. 222. — (5) O. c. p. 244 argumentationem proponit. — (6) Dogmengeschichte I [4] p. 75; item Altchristl. Literaturgeschichte II 1 p. 418. — (7) Worte Iesu p. 262. — (8) Maldonat ad l. ed. Mog. p. 162, qui iam illam falsam sententiam refutat. Plura Knabenbauer ad l. p. 277. — (9) Mt. 11, 2-6 = Lc. 7, 18-23. — (10) Cf. Knabenbauer in l. p. 435. — (11) Io. 6, 14.

in mundum ». — *d)* Similis est ratio loquendi Ioannis Baptistae de Christo : *ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος.* (1) — *e)* Videtur esse derivatus terminus e Gen. 48, 10 « donec veniat qui mittendus est », Ez. 21, 27 « donec veniret, cuius est iudicium », e similibus Scripturae locis. — *f)* Responsio Domini est de eo, de quo erat interrogatio ; iamvero evidenter respondet de Messia. Ergo.

Ad min. — Verba Domini cum e maiore parte desumpta sint ex Isaia 35, 3-6 et 61, 1 sq. ad eos locos remittunt. Iamvero in iis describitur effectus regni Messianici, qui sit in miraculis, et in praedicatione pauperibus facta. Ergo provocando ad miracula sua et ad praedicationem suam ut ad impletionem earum prophetiarum, se ut eum designat, in quo regnum Messianicum advenerit.

Confirmare videtur hanc explicationem, quod Mt., qui vix non semper Dominum vocat « Iesus », hic, uti 1, 18, utitur nomine « Christus » : « Ioannes autem cum audisset in vinculis opera *Christi*... » Videtur innuere velle, iis operibus rationem Messiae probari.

Difficultas contra textum.

Ob. — E scena inter Christum et discipulos Ioannis illud unum patet, secundum mentem Domini « eum qui debet efficaciter praeparare regnum, esse eundem, qui debeat venire cum hoc regno ». Ita Loisy. (2) Dicere vult, contineri his verbis, Iesum tantum postea futurum esse Messiam

R. Sensus quaestionis Ioannis non est : Esne tu is, qui tuo adventu ad iudicandum constituetur Messias, sed : esne tu Messias ab omnibus retro saeculis exspectatus? Futurum in expressione « qui venturus est » non currit a tempore tunc praesente, quasi is, qui venturus est, non iam adsit, sed a tempore antequam Christus in mundum venit et in specie a tempore, quod activitatem Ioannis Baptistae praecessit. Cf. expositio data. — Quam aliena sit explicatio Loisy a mente Baptistae, etiam ex eo patet, quod Ioannes inter exercitia activitatis Messianicae ponit baptismum conferendum a Messia in Spiritu sancto et igne. (3) Qui non confertur in ultimo iudicio. (4)

(1) Io. 1, 27. — (2) L'év. et l'ég. [2] p. 87-88 ; textus p. 88. — (3) Mt. 3, 11-2. — (4) Quaedam quoad responsum cf. quoque Lepin o. c. p. 145-7.

Propositio 4. Iesus ab initio vitae publicae et sibi attribuit nomen « Filius hominis », et eo se ut Messiam designavit.[1]

40. *Expl. theseos.* — Patet, si prima et secunda assertio theseos stat, sequi id, quod in hac sectione probandum suscepimus, scilicet Iesum se Messiam dixisse idque ab initio vitae publicae.

Ut thesis nostra vera ostenderetur, sufficeret, si probaremus Iesum saltem semel idque initio se vocasse Filium hominis, eumque saltem ea vice hunc terminum adhibuisse in significatione Messiae. At visum est totum modum loquendi Christi, etsi summatim tantum, exhibere. Ita et tot adversariis huius theseos aptius respondebimus, et melius perspiciemus, quae sit abundantia testimoniorum, quibus probetur, Iesum se exhibuisse ut Filium hominis atque proinde Messiam.

41. *Linguistica de termino « Filius hominis » = ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.* — Consentiunt fere docti in his: Terminus ab indole linguae graecae alienus est, explicari vero debet ut versio termini e dialecto galilaeo-aramaica, qua Iesus usus est. Qui terminus erat bar naša. In qua expressione prior vox bar quoad sensum determinata est, altera naša quoad sensum indeterminata. Etenim uti lingua hebraica ita aramaica determinationem termini compositi ita exprimit, ut articulum non apponat parti eius priori determinatae, sed parti eius secundae indeterminatae, priorem vero partem in statu constructo adhibeat. Unde bar naša significat vi formae: « determinatus ille filius alicuius hominis ». « Filius » autem non tantum originem ab alio, verum etiam aliam connexionem, « homo » etiam homines vel naturam humanam significare potest.

(1) E. literatura permagna cf. v. g. *de re linguistica* Zenner, Zeitsch. f. Kath. Th. 16, 1892 p. 567-73. — Gustav Dalman, Die Worte Iesu I, Leipzig 1898 p. 191-218. — *Generatim de termino* Krawutzky, Tüb. Quart. 51, 1861 p. 600-57. — Schanz, Mt., Freiburg 1879 p. 257-8. — Trenkle, Der Menschensohn, Freiburg 1888. — Meignan, Les prophètes d' Israel et le Messie depuis Daniel jusqu'à Jean Baptiste, Paris 1894 p. 62-78. — Knabenbauer, Mt.[2] I ad 8, 20 p. 335-6. — Fillion, La Sainte Bible, ad Mt. 8, 20 VII 1901 p. 62. — Crampon, La Sainte Bible, VI Vocabulaire ad v. Fils d'homme. — Fonck, Parabeln[2], Innsbruck 1904 p. 138-9. — Bartmann, Das Himmelreich und sein König, Paderborn 1904 p. 85-107. — Lepin, Jésus Messie et Fils de Dieu,[3] Paris 1907 p. 110-6. — Pesch, Prael. dogm. IV[3] n. 29 nota p. 25. — Fried. Bard, Der Sohn des Menschen, Wismar 1908. — Paul Feine, Theol. d. N. T., Leipzig 1910 p. 48-69. — Praecipue consulendus est Fritz Tillmann, Der Menschensohn, Freiburg 1907 pp. 181 (Bibl. Stud. XII 1 et 2).

Qui terminus aramaicus hac ratione in linguam graecam versus est: secundum sensum et ex indole linguae graecae factum est, ut vox *υἱός* articulum acciperet; at ex aramaismo factum est, ut secundus quoque articulus *τοῦ* [1] retineretur. Ita e duobus illis articulis in expressione *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* prior secundum indolem linguae graecae recte determinationem vocis bar exprimit, secundus ex aramaismo retentus signum ille quidem est modi, quo aramaica expressio determinationem huius vocis bar secundum indolem suam exhibebat, non vero signum est, illum terminum *ἄνθρωπος* debere cogitari uti determinatum.

Usus termini in evangeliis. — Mt. hoc nomine utitur tricies semel (vel bis), Mc. tredecies, Lc. vicies quinques vel sexies, Io. duodecies. *Semper solus Iesus eum terminum adhibet,* tantum semel [2] plebs, quae tamen verba Christi in eo loco refert. Semper porro Iesus de Filio hominis in tertia persona loquitur.

Maior pars locorum, in quibus titulus apud Synopticos recurrit, ponenda est post confessionem Petri Caesareae factam. Excipiuntur hi soli loci: Mc. 2, 10 = Lc. 5, 24 = Mt. 9, 7, quo edicitur, Filium hominis habere in terra potestatem dimittendi peccata; Lc. 6, 5 = Mt. 12, 8 = Mc. 2, 28, quo docetur, Dominum esse Filium hominis etiam sabbati; Lc. 6, 22, beatos esse, quorum « nomen eiectum fuerit propter Filium hominis »; Lc. 7, 34 = Mt. 11, 19, Filium hominis non esse similem Baptistae, cuius vita externa austera erat, sed eum venisse « manducantem et bibentem ». Qui loci quatuor diversas occasiones utendi hoc titulo ob oculos ponunt.

42. *Adversarii theseos. Duplex eorum classis.* — Diximus [3] multos affirmare, Iesum se nunquam Messiam dixisse, plures eum tantum post certam epocham vitae suae publicae hanc suam dignitatem docuisse. Unde patet, multos censere, Iesum nunquam titulum Filii hominis sensu Messianico ad se applicasse, plures eum id non fecisse nisi progrediente tempore. Quod generatim statuunt incipere a confessione Petri facta Caesareae Philippi.

Qui ad priorem classem pertinent, diverso modo procedunt. Generatim admittunt, Iesum illis locis quos diximus, terminum Filii hominis ad se applicasse, negant vero, eius significationem in iis

(1) Alia exempla Zenner l. c.: Ecclesiastes 3, 18, 19, 21 in Graec. recept. coll. cum Graec. Venet. — (2) Io. 12, 34. — (3) n. 34-5 p. 30-4.

locis esse messianicam. Quoad caeteros locos omnes quidam pauciores concedunt Iesum terminum adhibuisse, infitiantur autem, eum hoc termino se ipsum nominasse; affirmant vero, eum significasse personificationem regni Messianici. Maior autem pars negat, Iesum termino Filii hominis usum esse; statuit vero, eam expressionem nonnisi per influxum conscientiae christianae, impellente praecipue apocalyptica literatura, in evangelia irrepsisse.

Qui in secunda classe numerantur, diverso modo explicant factum illud literarium, titulum Filii hominis ante scenam Caesareae Philippi quater ut a Iesu adhibitum in evangeliis referri. Quidam negant, Dominum tunc temporis illo termino usum esse; quidam concedunt, eum hac expressione usum esse, negant, eum sensum Messianicum cum ea coniunxisse; quidam putant, eum pro se ipso quidem sensum Messianicum cum ea coniunxisse, ideo autem hoc nomen auditoribus plane aenigmaticum adhibuisse, ut interim suam dignitatem Messianicam coram iis absconderet. — Quaedam particularia in sequenti thesi addemus.

PARS I. **Iesus inde ab initio vitae publicae sibi soli nomen « Filius hominis » attribuit.**

Iesus saepe hunc titulum ad se applicavit.

43. Evangelistae sane modum loquendi Christi scire poterant. Iamvero aliquando evangelista unus facit Iesum in eadem occasione, de eademque re agentem utentem prima persona, alius termino « Filius hominis ».[1] Porro Iesus Christus in eodem proximo contextu de eadem persona agens, aliquando primam personam, aliquando terminum « Filius hominis » adhibet. V. g.:[2] « Quem dicunt homines (alii, non vos), esse Filium hominis?... Vos autem (apostoli) quem me esse dicitis? »

2) Certe Iesus de sua propria passione vaticinia edidit, v. g.:[3] « Exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum et occidi et tertia die resurgere ». Iamvero aliis locis eadem de Filio hominis asserit: [4] « Filius hominis tradendus est in manus hominum et occident eum et tertia die resurget ».

(1) V. g. Mt. 16, 13. = Lc. 9, 18. — (2) Mt. 16, 13. — (3) Mt. 16, 21-3. — (4) V. g. Mt. 17, 21-2.

3) Uti ab omnibus agnitum est, Iesus de sua ipsius parusia loquitur. Iamvero in dimidia fere parte locorum omnium qui expressionem Filii hominis habent, de parusia Filii hominis agit. V. g. apostoli interrogant:[1] «...Quod signum adventus tui et consummationis saeculi? » Respondet Iesus describendo adventum « Filii hominis ».

4) Iesus frequenter nunc sibi, nunc Filio hominis multas alias functiones Messianicas tribuit. De qua re in decursu sectionis huius plura exempla recurrent. V. g.:[2] « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis ».

Iesus iam ab initio vitae publicae hunc titulum ad se applicavit.

44. Post verba ad Nathanael dicta: « Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis; maius his videbis », ita prosequitur Iesus:[3] « Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis. « Connexio idearum haec est: Credis, quia vidisti hoc signum meae mirabilis scientiae; etiam perfectior fiet tua de me sententia, quando maiora divinitatis signa circa me patrari videbis ». Quae explicatio communis est auctorum, quamvis et rationem perfectioris cognitionis et rationem signi istius non uno modo explicent.[4]

Ad Nicodemum haec ait Dominus:[5] « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam ». Iamvero paulo ante mortem suam turbae dicit:[6] « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum ». « Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus ».[7]

Ipsi adversarii concedere solent, in iis occasionibus, quibus ante confessionem Petri apud Synopticos hac expressione usus esse legitur. Iesum eam ad se ipsum applicasse. Potius de eius significatione quaestionem movent. De qua mox agemus.

(1) Mt. 24, 3. — (2) Mt. 20, 28. — (3) Io. 1, 51. — (4) Cf. praecipue Maldon. ad l. ed. Mog. p. 303-5. — Tolet. ad l. ed. Lugd. p. 123-5. — Knabenbauer p. 122-4. — (5) Io. 3, 14. — (6) Io. 12, 32. — Cf. quoque 8, 28. — (7) Io. 12, 33.

PARS II. **Termino « Filius hominis » Iesus inde ab initio vitae publicae, idque continuo, se ut Messiam significavit.**

Iesus in genere, idque iam ab initio, termino hoc se ipsum Messiam designavit.

45. Hominem qua dignitate Messianica praeditum significant verba illa Danielis: « Ecce in nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et dedit ei (antiquus dierum) potestatem... et omnes populi ei servient... potestas eius potestas aeterna... » Iamvero Iesus expressione Filius hominis, qua prae caeteris nominibus Messianicis ad se designandum usus est, ad eum locum remittit. Ego illa expressio sensum Messianicum habet.

Ad ma. — Maiorem hac thesi non probamus, sed e tractatione de vaticiniis Messianicis ut probatam sumimus. — *Ad min.:*

46. 1) Ita statuit auctoritas exegetarum recentium catholicorum. [1] Cf. v. g. commentaria conscripta a Knabenbauer, Schanz, Fillion, Crampon; monographiae compositae a Bartmann, Tillmann; opera alterius generis edita a Fonck, Meignan, Lepin, etc. Consentiunt plurimi acatholici. Ita v. g. Holtzmann [2] ait, hanc explicationem esse « sine dubio id quod magis commune et agnitum et certum est inter ea omnia, quaetam differenti ratione statuuntur de « Filio hominis » apud Protestantes recentiores.

2) Intercedit maxima similitudo inter verba apud Dan. et verba Christi, inter rem apud Dan. et rem a Christo significatam. Id quod elucet, si cum verbis Danielis comparas verba Christi Mt. 26, 24 de se ipso: « amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli. « Neque alius est locus similis Veteris Testamenti, ad quem Christus talibus verbis alludere potuerit.

3) In c. 37-71 libri Henoch [3] terminus « ille filius Dei » vel simillimus significat Messiam, ita ut terminologia istius libri aut vicinissima sit vero titulo aut iam in verum titulum concreverit. Ita c. 46, 48, 62, 63, 69, 70, 71 undecim locis dicitur: « ille filius

(1) Cf. n. 40 p. 41 nota 1. — (2) Lehrb. der Neutest. Theol. I p. 247 nota 1. — (3) Cf. Schürer III [4] p. 268-81. — Liber Henoch, si generatim sumitur, a. Ch. conscriptus est. Idem quoad c. 37-71 maior pars auctorum vel acatholicorum concedit. (Schürer p. 273). Schürer p. 280 affirmat, ea saltem nullum influxum christianum passa esse.

hominis », duobus : « ille filius viri, » bis : « filius hominis ».[1] Concedunt hanc rationem iam firmae significationis huius vocis etiam Schürer,[2] Bousset,[3] alii.

4) Intellexerunt alii tempore Christi hanc significationem. Etenim Dominus saepe praecipue coram apostolis vel legisperitis atque pharisaeis hoc termino usus esse legitur. Nunquam tamen interrogant, quid eo significetur. Eius significatio supponitur ut res nota.[4] — Deinde postquam Iesus de exaltatione « Filii hominis » locutus fuerat, turba ei respondet:[5] « Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum; et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? » Ob sensum obvium « Filium hominis » pro Messia sumunt, tantum applicatio ideae ingratae mortis ad Christum seu Filium hominis iis difficultatem facessit.[6] — Cum mortuo Domino Stephanus coram concilio et plebe in haec verba prorumperet:[7] « Ecce video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei, exclamantes... voce magna continuerunt aures suas et impetum fecerunt unanimiter in eum et lapidabant eum ». Intellexerunt subito, eum de Iesu ut Messia loqui. — Tandem Hegesippus videtur fuisse Palaestinensis patria. Iamvero in sua relatione de morte Iacobi — sive credibilem eam sumis sive non, pro hac quaestione de terminologia Iudaeis e mente Hegesippi nota nihil refert, — haec habet:[8] Pharisaei petunt a Iacobo ut sibi dicat, quis sit Iesus. Respondet: « Quid me interrogatis de Filio hominis? et ipse sedet in coelo, ad dexteram virtutis magnae et veniet super nubibus caeli ». Totus populus subito intelligit vim Messianicam verborum atque acclamat: « Hosanna Filio David ».

47. 5) Ad rationes externas *interna* ratio accedit. Etenim contextus locorum, in quibus terminus « Filius hominis » occurrit, nunquam opponitur significationi Messianicae, quam statuimus, imo fere semper vel forte semper eam commendare videtur.[9]

Ratio Messiae proxime munus exhibet. Iamvero fere in omnibus

(1) Locos v. collectos Kautzsch, Die Aprocryphen und Pseudepigraphen des Alten Testamentes II 1900 p. 262 nota p. — (2) Geschichte des jüd. Volkes II[4] 1907 p. 614 nota 13. — (3) Die Religion des Judentums im neutestamentlichen Zeitalter[2] p. 305 nota 1. — (4) Tillmann o. c. p. 166-7. — (5) Io. 12, 34. — (6) Cf. Knabenbauer ad l. p. 401. — (7) Act. 7, 55-7. — (8) Hist. Eccl. l. 2 c. 23 n. 12-13; ed. Schwartz-Mommsen C B 9[1] p. 168-70. (9) Cf. Tillmann p. 107-47.

textibus, in quibus « Filius hominis » invenitur, sermo est de muneribus Messianicis. — De munere regio agitur in omnibus illis textibus — iam soli ut diximus, fere dimidiam partem constituunt —, in quibus Iesus exhibetur ut iudex orbis terrarum praecipue in sua parusia, quosque ad Danielem speciali modo remittere in confesso esse solet; porro in textu «Dominus est Filius hominis etiam Sabbati ».[1] — Munus redemptoris exhibetur illis textibus, quibus Filius hominis dicitur redimere et ministrare,[2] salvare,[3] peccata condonare,[4] dare panem illum, qui permaneat in vitam aeternam.[5] Cui classi adiungendus videtur is textus, in quo edicitur, Filium hominis non sequi externam vitae austeritatem, sed eum venisse « edentem et bibentem »,[6] i. e. eum vitae externae communiorem formam sequi. Hanc enim ideo secutus est, ut facilius cum omnibus conversari atque ita facilius omnes salvare posset. — De via, qua Messias ad gloriam suam pervenire debeat, agunt praedictiones de perpessionibus et resurrectione, aut de solis perpessionibus vel morte « Filii hominis ».

Quidam textus non munus Messiae, sed coelestem conditionem naturamve denotant.[7] Id quod optime cohaeret cum scena apud Danielem, quippe in quo loco Messiae describatur ut is qui venit in nubibus coeli. Id quod Scriptura de Deo praedicare solet.

Rimanere videntur tantum duo textus : Mt. 16, 13 ; 12, 32. Priorem quidam simpliciter ita vertunt: Quem dicunt homines esse me, qui me soleo dicere Filium hominis. Alii, cum praedictio Domini de suis perpessionibus immediate sequatur, etiam ad hunc locum eam explicationem applicant, quam de hoc termino in caeteris eiusmodi vaticiniis Iesu proponunt. — De Mt. 12, 32 postea sermo erit.

6) Rationes, quae Christum movebant, ut hoc nomen prae aliis ad suam dignitatem manifestandam eligeret, ab ipso Iesu nobis expositae non sunt. Videntur autem hae vel similes fuisse: Ea expressione Iesus primo excitavit fidem in prophetias, atque ita simul cum confessione dignitatis suae etiam argumentum pro ea indicavit. Ea universalitatem regni Messianici Particularismo atque Nationalismo plurimorum Iudaeorum opposuit. Ea propriam suam sublimem potentiam atque dignitatem non obstante humilitate praesentis suae conditionis asseruit, atque ita scandalum ab ea removit, continuo im-

(1) Mc. 2, 28. — (2) Mt. 20, 28. — (3) Mt. 18, 11. — (4) Mt. 9, 6. — (5) Io. 6, 27. — (6) Mt. 11, 19. — (7) Io. 3, 13; 6, 54. 63.

plicite monens, statum suum humilem non esse nisi praeparationem ad gloriam. Ea simul divinitatem suam atque humanitatem asseruit. Nam, uti exegetae explicare solent, utraque in illa visione Danielis insinuatur.(1) Etenim ille qui ibi apparet, ex una parte est « quasi Filius hominis », qua expressione non negatur natura humana, sed adsignificatur, eum non esse tantum hominem. Ex alia parte ille « Filius hominis » venit cum nubibus coeli » qua ratione Scriptura, uti diximus, adventum Dei designare solet.

Propositio 5. Contra factum, Iesum terminum « Filius hominis » in sensu Messianico ad se applicasse, immerito afferuntur quaedam e lingua aramaica; evolutio lenta termini in Messianicum, quae aetati primaevae ecclesiae ascribitur; contextus quorundam locorum in evangelio, in quibus ille terminus occurrit.

48. Non respicimus eas difficultates, quae facta quaedam singularia manifesta negant vel evidenti apriorismo inhaerent. Priore ratione v. g. Brandt (2) affirmat, ne certum quidem esse, illam pericopen e libro Daniel, quam Iesus in eligendo nomine « Filius hominis » ante oculos habuisse dicitur, tempore Christi iam exstitisse. H. L. Oort (3) vero ideo negat, hunc terminum in praedictionibus sic dictis Iesu de sua morte et resurrectione occurrere, quia hi loci considerandi sint ut vaticinia post eventum Christo afficta; ideo infitiatur, eum in sermonibus de parusia esse genuinum, quia Christus non sit dicendus visionarius.

Difficultates praecipue e tribus capitibus hauriuntur: e lingua aramaica; ex eo quod teste literatura primaeva Christianorum significatio Messianica huic termino nonnisi post Christum adiecta sit; e contextu quorundam locorum, in quibus terminus Filius hominis invenitur. Quae difficultates in unam completam theoriam de ortu sensus Messianici huius termini false asserto componi possunt atque reapse fere componi solent.

Pars I. Difficultates e lingua aramaica.

Summa difficultatis exhibetur atque responsum generale datur.

49. *Ob.* — In universa literatura aramaica a Iudaeis conscripta terminus « Filius hominis » nunquam invenitur ut titulus Messiae. Eae

(1) Cf. v. g. Knabenbauer, Com. in Dan., Paris. 1891 ad l. p. 196. — (2) Die ev. Geschichte u. der Ursprung des Christentums etc., Leipzig 1893 p. 566. — (3) De uitdrukking *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* in het nieuwe Testament, Leyden 1893.

vero significationes, quas de facto habebat, omnino aliae sunt. Ergo ille terminus *non poterat* a Christo adhiberi ad eum finem, ut eo suam dignitatem Messianicam significaret.

Responsum generale hoc sit, totam procedendi rationem e diversis capitibus contra sanam scientificam methodum peccare.[1] Etenim:

1) Contra spiritum vivae linguae est, ex eo quod aliquis terminus in aliqua parte literaturae certa quadam significatione non usurpatur, concludere velle, eum omnino non occurrere posse in literatura. Facto demonstrato standum est. Quoties aliqua vox in aliquem terminum technicum cum nova significatione evehitur, praecipue ab homine quodam, qui etiam doctrinae quandam evolutionem causat!

2) Habentur analogiae elevationis alicuius similis expressionis communioris in terminum technicum in literatura rabinica tum in frequentissimis abbreviationibus terminorum aliorum ad Messiam spectantium, tum in eo quod nomina, quae proxime aliquod attributum Messiae significant, in aliquod eius nomen proprium mutantur. Exemplum abbreviationis est, quod v. g. « agnus » est loco « agnus Dei »;[2] exemplum mutationis alterius generis, quod Messias vocatur v. g. Ta' eb, i. e. rediens.

3) « Filius hominis » iam erat titulus aut expressio simillima titulo.[3]

4) Quod vero hic titulus in literatura Iudaeorum aramaice conscripta extra Scripturam non occurrit, hoc primo saltem certum non est. Nam modus loquendi libri Henoch formationem tituli multis iam in se habere videtur. Deinde, etsi non occurreret, tamen non sequeretur, eum in universa literatura defuisse. Nam *a)* haec conclusio supponeret, nullam aliam literaturam, praecipue apocalypticam extitisse praeter eam, quae nobis servata est. Quae suppositio gratuita est. *b)* Etsi titulus notus fuisse supponitur, tamen eius omissio in literatura extra Scripturam usque ad finem secundi saeculi nobis servata, aptam explicationem habet. Etenim tantum eiusmodi scripta nobis servata sunt, quae Iudaei composuerunt. Iamvero non est improbabile, eos ex aversione a Christo eum titulum de Messia non iam adhibuisse, quem ipse quasi ut proprium sibi attri-

(1) Tillmann o. c. p. 67-73. — (2) Plura Gunkel, Zeitschr. f. wiss. Theol. 42, 1899 p. 582–90. — Similia Bousset, o. c. c. 13 p. 305 nota 1. — (3) Cf. n. 46, 3 p. 45-6.

buerat. Ex tali ratione v. g. Iudaei Graeci Messiam non iam dicebant χριστόν sed εἰλημμένον. — *c)* Vestigia etsi non usus, intellectionis tamen huius termini inter Iudaeos post Christum antea vidimus.[1]

Singulae quaedam difficultates[2].

50. *Ob.* 1) — Apud Aramaeos a) « Filius hominis » est ordinaria expressio pro « homo »; « homo » est familiaris circumlocutio pro « *ego* », adhibendo scilicet tertiam personam pro prima. Ita Beza,[3] et alii post eum; hodie adhuc A. Meyer.[4] — R. Apud Aramaeos a) Filius hominis est valde rara atque poetica expressio pro notione « homo ».[5] b) Nullum exemplum habetur quod adhibuerunt enaš vel bar enaš loco « ego ».[6] Tantum alios terminos invenimus, etsi similes, praecipue geber.

Ob. 2) — Bar naša unica vox est, quae in aramaico exhibet notionem « homo » in genere; imo in Talmud Hierosolymitano ea vox significat pronomen indefinitum « aliquis ». Iamvero impossibile est, eiusmodi terminum quam maxime communem atque indeterminatum, a Iesu adhibitum esse ut titulum suae sublimissimae dignitatis. Cf. Lietzmann;[7] summam rei quod attinet etiam Wellhausen.[8] Id Lietzmann invenisse ut rem magni momenti haud pauci celebrarunt. — R. a) In responso ad priorem difficultatem vidimus, falsum esse primum incisum maioris. — b) Etsi ita esset, ex hac ratione proxime linguam respiciente non esset difficultas, quominus eiusmodi terminus aliquando emphatice exhiberetur atque sub certis circumstantiis etiam in terminum technicum eveheretur. Id quod diversi docti quoad hunc nostrum terminum data opera concedunt.[9] Porro analogiam quandam habes in eo, quod v. g. Germani terminum « man » continuo ratione quam maxime indeterminata uti pronomen indefinitum adhibent, haud raro tamen eo emphatice utuntur pro eo qui animum virilem habet.[10]

Pars II. **Difficultas e parte literaturae primaevae christianae.**

51. Silent terminum « Filius hominis » epistulae Paulinae, quamvis multa de parusia Christi contineant; silent Didache, Hermas; silet Novum Testamentum integrum, excepto eo uno loco Act. 7, 56, in quo Stephanus loquens introducitur. In Apoc. 1, 13 et 14, 14 non

(1) Cf. n. 46, 4 p. 46. — (2) Cf. Tillmann p. 28-60. — (3) Annot. ad Mt. 8, 20 (1594, 55 b.). — (4) Iesu Muttersprache, Tübingen 1896 p. 95-101. Terminum aut significare « homo » aut « ego ». Hanc explicationem adhibet ad Mt. 8, 20 et Mt. 11, 19; illam ad Mc. 2, 28; Mt. 12, 32; Mc. 2, 10. — (5) Dalman, Worte Iesu p. 192-3. Quem in linguae aramaicae cognitione fere primum habent. — (6) Id. ib. p. 204-5. — (7) o. c. p. 40, 95. — (8) Das Evangelium Marci, Berlin 1903 p. 66-9. Desunt haec in ed. 2ª 1909. (9) Cf. v. g. Bousset, Die Religion des Iudentums² p. 305. — (10) Tillmann p. 67 nota 1.

occurrit titulus « Filius hominis », sed tantum sermo est de aliquo, qui est « similis Filio hominis ». Incipit usus huius termini cum Gnosticis; praecipue Marcion in suo evangelio eum frequentissime in sensu Messianico habet.[1] Marcion vero dependet ab aliquo textu evangelico Asiatico, qui v. g. Ponti in usu fuerit. Iamvero si ipse Iesus hunc terminum sensu Messianico toties adhibuisset, hoc quasi perfectum silentium in literatura primaeva christiana capi non posset. Habemus ergo fontem, e quo hic terminus eiusque significatio Messianica scaturivit: speculationem theologicam Gnosticorum. Ita summa theoriae Lietzmann.[2] Similia proposuerant Brandt,[3] Volkmar,[4] alii.

R. N. as. Ad rationes additur: 1) *Silentium* quod attinet: *a)* Neque totam literaturam primorum temporum neque formam integram praedicationis apostolorum novimus. Ergo materia considerata minor est, quam pro valido argumento e silentio necessaria est. — *b)* Circumstantias historicas primi temporis tam perfecte non novimus, ut facile dicere possimus, num haec vel illa expressio ei congrua fuerit. Ergo non facile determinare poterimus, num hanc expressionem in ea literatura invenire debuerimus. Ergo alia conditio pro valido argumento e silentio deest. — *c)* Forte ratio silentii illius, quod de facto invenitur haec erat: Inter Palaestinenses libri Daniel et Henoch vulgatissimi erant; illis forma linguistica termini facile sensum totum aperiebat. Inter Graecos utrumque deerat. Cum quo forte cohaeret, quod Iustinus hunc titulum explicite tantum adhibet in dialogo cum *Iudaeo* Tryphone,[5] non vero in Apologia. — *d)* At tandem num silentium ita perfectum est? Considerandi tamen sunt loci ep. Barnabae[6] et Ignatii,[7] in quibus sunt qui saltem vestigium tituli videant. Porro explicatio usus in ore Stephani et Iacobi desideratur.[8]

2) Marcion suum evangelium composuit atque ita etiam terminum « Filius hominis » hausit non ex protoevangelio quodam Asiatico, quod gnosticismo infectum fuisset, sed e nostris evangeliis. Id quod evidenter demonstravit Zahn.[9] — Porro ipsa forma graeca huius

(1) Locos collectos v. Zahn, Geschichte des Neutest. Kanons II 2, Erlangen 1892 p. 455-529. — (2) O. c. — (3) O. c. p. 563-8. — (4) Die Evangelien, Leipzig 1869 p. 197 sq.; Iesus Nazarenus, Zürich 1882 p. 153 sq. — (5) C. 76, c. 100; G 6, 652, 709; Otto II p. 262, 340. — (6) 12, 10; ed. Funk I.[2] p. 77. — (7) Ephes. 20, 2,; ed. Funk I [2] p. 230. — (8) Cf. n. 46, 4 p. 46. — (9) O. c. I 2, Erlangen 1888 p. 585-718; II 2 ib. 1892 p. 409-529.

termini, quae tantopere ab indole linguae graecae aliena est, eum inter Graecos ortum suum non habere probat. Id quod haud pauci et catholici[1] et acatholici[2] concedunt.[3]

Pars III. Difficultates e parte contextus locorum quorundam in quibus terminus « Filius hominis » occurrit.

52. *Summa difficultatis.* — *a)* Sunt quidam loci in evangeliis, in quibus ipse contextus in quo terminus Filius Dei occurrit, postulat ut significet vel simpliciter tertiam personam vel hominem generatim sumptum, vel etiam hominem aliquem, qui se caeteris parem habet, « nil humani a se alienum putat ».[4] — *b)* Et quales hi loci sunt? Sunt ii, quos Iesus pronuntiavit ante scenam Caesareae Philippi. Loci, qui postea pronuntiati sunt, utique sensum Messianicum habent. (Forte tamen aliquis locus transponendus est). — *c)* Qui status rerum considerandus est in luce quarundam veritatum, quae aliunde certae sunt. Tales sunt. v. g. simpliciora priora esse iis, quae magis complexa sunt, naturalia praeternaturalibus; significationem Messianicam termini impossibilem esse; literaturam christianam primaevam eum ignorare, etc. Qua luce illuminati, in eo statu rerum detegemus pretiosum vestigium, ipsum Iesum significationem Messianicam cum termino « Filius hominis » non coniunxisse, sed eam nonnisi a generatione posteriore christiana ei affixam fuisse. — Haec est cogitatio principalis F. Chr. Baur,[5] Lietzmann,[6] aliorum. In singulis quibusdam statuendis differunt.

R. 1) A nullo ex istis locis alius sensus quam Messianicus postulatur. Imo omnes repellunt sensus illos humiles quos adversarii statuere volunt. At etsi quidam loci per se solos considerati sensum a Messianico diversum non plene respuerent sed cum aliqua probabilitate admitterent, tamen potius pro Messianico standum esset. Si enim sine necessitate duos sensus diversos in locis cum termino « Filius hominis » admittimus, sermo Iesu aliquantum difficilior fit. Porro sensus Messianicus plenior est atque proinde cum doctrina Domini, qua continuo hanc suam dignitatem premit, conformior.

(1) Cf. V. g. Tillmann o. c. p. 67. — (2) V. g. Bousset, Die Religion des Judentums[2] p. 308 nota 2 e p. 307. — (3) Alia quaedam cf. Tillmann o. c. p. 169-76. — (4) F. Chr. Baur. — (5) Zeitsch. f. wiss. Theol. 1860 p. 274-92. — (6) Lietzmann, o. c.

2) Tantum ideo affirmari potest locos de quibus agitur esse priores illis, qui certe solam Messianicam significationem admittunt, quia contra omnem rationem evangelium Ioannis, quasi nulla fide dignum esset, a consideratione excluditur. In eo enim Dominus statim ab initio terminum « Filius hominis » ea ratione adhibet, quae secundum ipsos adversarios perfecte cum ea significatione congruit, quae ei in evangeliis synopticis post scenam Caesareensem attribuitur.(1)

3) Cum aliunde probatum sit, Iesum terminum « Filium hominis » saltem post factum Caesareense in sensu Messianico adhibuisse, si in his paucis locis alius sensus inveniretur, ad summum id sequeretur, Dominum hoc termino non semper in eodem sensu usum esse. Conclusio autem adversariorum non sequitur, nisi sensus ille diversus termini, si in his locis adesset, consideratur in luce eiusmodi sive principiorum aprioristicorum sive factorum, quae ut falsa ex philosophia nota sunt vel tractatione nostra antecedente de hoc termino ut falsa iam refutata sunt.

53. *Obiectiones speciales contra significationem Messianicam termini « Filius hominis » in locis Synopticorum ante factum Caesareense.*

Tantum quasdam explicationes adversariorum afferemus. Videntur autem esse eae, quae fere communius propositae sunt. — Observamus, non omnes, qui eiusmodi explicationem minus rectam afferunt, inde concludere ad interpolationem locorum posteriorum cum termino Filius hominis vel ad mutationem sensus a Christianis posterioribus factam.

Mt. 9, 6 = Mc. 2, 10 = Lc. 5, 24: Iesus ait: « Ut autem sciatis, quia *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, tunc ait paralytico: surge.... » Populus autem postquam vidit miraculum patratum in paralytico « glorificavit Deum, qui dedit potestatem talem *hominibus* ». Ergo « Filius hominis », et « homines » inter se aequiparantur. Ergo sensus verbi Christi est: « Ut sciatis quia potestatem habet in terra dimittendi peccata « omnis homo fide et caritate plenus », (2) aut « homo idealis, identicus cum humano genere in quantum eius perfectio consideratur », (3) aut (etiam) « aliquis homo », (4) aut « (ego, ergo aliquis) homo ». (5)

R. Explicationem ipsam quod attinet: Neque omnis homo sanctus, neque homo idealis qua talis habet potestatem dimittendi peccata, sed Messias, qui eam potestatem a Deo accepit, et ii cum quibus eam communicare voluerit. Dominum voluisse tantum dicere se, aliquem hominem, hanc potestatem habere, nimis ieiunum est. Rationem potestatis

(1) Cf. n. 44 p. 44. — (2) Ioh. Weiss, Die Predigt Iesu vom Reiche Gottes p. 206; p. 201-10 de omnibus locis huc spectantibus. — (3) A. Réville, Iésus de Nazareth II p. 193. Ita quoad sensum. — (4) A. Meyer, Iesu Muttersprache p. 95. — (5) Id. ib. p. 97.

dat in sua dignitate sublimi. — 2) Quoad rationem additam : Verba populi diversis modis explicantur. Quidam (1) putant, populum ignorasse verba, quae Iesus in domo coram pharisaeis et doctoribus locutus erat, atque tantum mirari potestatem miracula patrandi, quam exercitam esse ipso effectu viso perceperat. At sufficere videtur etiam haec explicatio: Certe populus nullo modo dicere voluit, omnem hominem bonum eiusmodi potestatem dimittendi peccata accepisse, sicuti nolebat exprimere omnem hominem bonum habere potestatem miracula patrandi. Recte pronuntiat ea occasione humanum genus honore speciali circumdatum esse, quia homo erat, qui eam duplicem potestatem acceperat. In qua dignitate haec potestas ultimam rationem habeat, non dicit; tantum causam proximam assignat, beneficam voluntatem divinam. Tamen eo ipso iam sat clare dicunt, ex sua sententia nihil in ipso homine mortali esse, cur hanc potestatem habere dici possit.

Mc. 2, 28 = Mt. 12, 8 = Lc. 6, 5 : « Et dicebat eis : Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter Sabbatum. Itaque *Dominus est Filius hominis, etiam Sabbati* ». Iamvero secundum incisum proponitur ut consequentia e primo; coniunctio enim inter duo illa incisa fit per « itaque ». Non esset autem haec consequentia, nisi filius hominis in primo inciso significaret omnem hominem. Ergo aut simpliciter omnis homo (2) sub « Filius hominis » intelligitur, aut saltem omnis homo idealis, (3) vel simile quid.

R. 1) Quoad ipsam rem : In loco parallelo Mt. Filius hominis, certe Messias ait : « templo maior est hic. » — Porro revera Dominum esse Sabbati non recte dicitur de omni homine, rectissime de Messia, cuius est leges divinas etiam de cultu dare atque abrogare. — 2) Quoad rationem additam. Praecipue duplex explicatio proponi potest. Prima haec est : Vox « itaque » uti aliquando, ita hoc loco non est illativa sed completiva pro « denique ». (4) Concedendum tamen est, in caeteris duodecim locis apud Mc. sensum vocis esse illativum. Alia explicatio haec est : Significatio Messianica termini « Filius hominis » etiam cum sensu illativo vocis « itaque » non uno modo recte componi potest. V. g. Iansenius, Knabenbauer hanc connexionem statuunt : « cum Filius hominis sit Dominus omnium hominum et Dominus omnium, quae ad eorum salutem ordinantur, debet etiam esse dominus sabbati ordinati propter hominis utilitatem ». (5) Beda, Maldonatus putant conclusionem e versibus 25 et 26 non e solo 27 deduci.

Mt. 8, 20 = Lc. 9, 58 Iesus dicit scribae, qui eum sequi vult : « Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* ». Filius hominis bestiis opponitur, ergo verti debet « homo (ut ego) » (6) vel ponitur loco « ego ». (7)

(1) Tillmann o. c. p. 125. — (2) Cf. Wellhausen, o. c. ² p. 20. — A. Meyer o. c. p. 93. Alii. — (3) Réville o. c. p. 194. — (4) a Lapide ad l.; Patrizi, Com. in Mc., Romae 1857 p. 23. — (5) Knabenbauer in Mc. p. 92. — (6) A. Meyer o. c. p. 96. — (7) Cf. Lietzmann o. c. p. 90.

R. Dominus ex una parte scribam attentum reddit ad paupertatem et aerumnas, quae in Christi sequela perferendae sint; ex alia parte videtur animum eius excitare velle ad talia ardua alacriter perferenda, cum ipse qui tam sublimi dignitate Messianica ornatus sit, ea ferre non dedignetur.

Mt. 11, 18-9 = Lc. 7, 33-9 : « Venit enim Ioannes, neque manducans neque bibens, et dicunt : Daemonium habet. *Venit Filius hominis manducans et bibens et dicunt :* Ecce homo vorax... ». Opponitur homini austero aliquis homo qui videatur ad oppositum inclinare, sufficit vertere « quidam ». (1) — R. In toto contextu inde a v. 7 opponuntur inter se clare praecursor Messiae et Messias. Uterque a Iudaeis reiicitur, etsi e motivis diversis, semper tamen fucatis.

Mt. 12, 32 = Mc. 3, 28-9 (Lc. 12, 10) : « Et *quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei;* qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro ». Iamvero apud Mc. (2) pharisaei a Domino dicuntur contra Spiritum Sanctum peccare, quia de Christo dicebant « Spiritum immundum habet », in quo scilicet daemonia eiceret. Ergo peccatum contra Messiam est ipsum peccatum contra Spiritum Sanctum. Ergo filius hominis de quo hic sermo est, nequit significare Messiam. (3)

R. 1) Non est rectae methodi e loco obscuro difficultates contra locos claros sumere. Iamvero « existit ex hoc loco maxima quaestio, ut Divus quidem Augustinus nullam in scriptura maiorem esse putet ». (4) Una pars quaestionis est, quale sit peccatum contra Spiritum Sanctum.

2) « Videmus, qua occasione hoc Christus dixerit, quia dicebant Pharisaei, eum in Beelzebub eicere daemonia, manifesta Spiritus Sancti opera daemoni attribuentes, hoc est ergo peccare in Spiritum Sanctum ». Ita Maldonatus. (5) Idem docet Suarez : « Censeo hoc peccatum proprie esse quando ex malitia et duritie cordis spiritui malo tribuuntur divina et supernaturalia opera....» (6) Unde peccatum in Spiritum Sanctum ab alio peccato non distinguitur secundum personam, contra quam convicia proferuntur, sed secundum modum quo convicia ergo Deum et res divinas proferuntur. Unde is non in Spiritum Sanctum sed in Filium hominis simpliciter verbum dicit, « qui humana deceptus specie aut offensus infirmitate de illo infra illius dignitatem sentit ac loquitur; ideoque veniam meretur: quia peccati excusationem aliquam habet; qui vero manifesta Spiritus Sancti opera daemoni tribuit, non meretur quia nullam potest peccato excusationem obtendere ». (7)

(1) A. Meyer l. c. p. 97. — Wellhausen, Skizzen u. Vorarbeiten, VI 1899 p. 205 sq. — (2) 3, 30. — (3) A. Meyer. o. c. p. 94. Cf. quoque Wellhausen o. c. p. 204. — (4) Maldon. ad l. ed. Mog. p. 359. — (5) Id. ib. p. 360. — (6) In 3 q. 86 disp. 8 s. 1 n. 18. — (7) Maldon. ad l. p. 360-1. — Ampliora Knabenbauer ad l. p. 500-10.

Propositio 6. Iesus inde ab initio vitae publicae multa, quae Messiae propria sunt, sibi ascripsit.[1]

54. Multa Messiae propria Iesus ipse sibi attribuit; quaedam Ioannes Baptista de eo pronuntiavit. At, quia Iesus omnem doctrinam Baptistae approbavit,[2] ea quoque sibi ipse ascripsisse censendus est, quae Baptista de eo edixit. — Materia huius argumenti magnam partem doctrinae dogmaticae de muneribus Christi complectitur. Hoc loco vero tantum pauca quaedam atque magis obvia proponi possunt. Praedictiones Prophetarum amplius explicantur, cum de vaticiniis Messianicis sermo est.

1) Solus Messias *maior est omnibus prophetis et regibus.* — Iamvero ut talem se Iesus exhibet:[3] « plus quam Ionas hic ». « Beati oculi qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis et audire quae vos auditis et non audierunt ».[4] « Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est ».[5]

2) Solus Messias est *rex novi regni Messianici aeterni et universalis*, in quo totum regimen, atque specialius ultimum iudicium, ad eum spectat. — Hanc dignitatem regiam Iesus diversis modis sibi attribuit. Promitti se tillud fundaturum esse[6] illudque revera fundat.[7] Leges de cultu a se dependere affirmat:[8] « Dominus est Filius hominis etiam sabbati ». Leges matrimoniales mutat.[9] Potestatem leges dandi, puniendi suo nomine exercendam aliis concedit.[10] Iudicabit orbem terrarum veniens « in nube cum potestate magna et maiestate ».[11]

3) *Solus Messias redimit mundum a peccato*,[12] atque dona spiritus effundet.[13] — Iamvero iam ab ipso Ioanne Baptista salutatur ut « agnus Dei (sacrificalis), qui tollit (aufert) peccatum mundi »,[14] atque ut is « qui baptizat in Spiritu Sancto et igne ».[15]

4) De solo Messia valent quae apud Isaiam c. 61, 1 sq. 35, 56 *de evangelizandis pauperibus, de plurimis atque maximis miraculis* praedicta sunt. Iamvero Iesus declarat:[16] « Quia hodie impleta est

(1) Cf. Wilmers prop. 87-8. p. 391-400. — Tractatus de vaticiniis Messianicis cum applicationibus eorum ad Iesum. — (2) Io. 5, 33-5. — (3) Mt. 12, 41. — (4) Lc. 10, 23-4. — (5) Io. 8, 56. — (6) Mt. 16, 18. — (7) Mt. 28, 19-20. — (8) Mc. 2, 28. — (9) Mt. 19, 7-9. — (10) Mt. 16, 18-9; 18, 17-8. — (11) Lc. 21, 27; Mt. 25, 31 sqq. — (12) Is. 53, 7; 1-12. — (13) Ioel 3, 28. — (14) Io. 1, 29. — (15) Io. 1, 33. — (16) Lc. 4, 21.

haec Scriptura in auribus vestris », atque coram discipulis Ioannis ad eadem provocat ut probet, « se esse eum qui venturus est ».[1]

5) *Exspectabatur Messiae praecursor.*[2] — Quem se esse Ioannes Baptista docuit. Simul tradidit Iesum esse eum ante quem missus sit.[3]

6) *Perpessiones et mors et gloria Messiae praedictae erant.*[4] — Iamvero Iesus asseruit in se has prophetias esse complendas.[5]

Ob. 1) — Si Iesus putasset se Messiam esse, non se submisisset legi Mosaicae. Messiae enim erat, legem Mosaicam abrogare — R. Messias utique legem Mosaicam abrogare debuit. At non demonstratur, eum initio sui magisterii vel ante mortem suam eam abrogare debuisse. Quamdiu vivebat, legi quam non abrogaverat, subiectus esse voluit, non ex necessitate, sed ex aliis rationibus. Quae quales fuerint alibi exponitur.

Ob. 2) — Si Iesus putasset, se esse Messiam, quantum poterat egisset ut regimen etiam politicum et acquireret et exerceret. Iamvero « cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit »; alii petenti: « dic fratri meo ut dividat mecum haereditatem » ait: « Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos? » Pilato declarat « regnum meum non est de hoc mundo ». Ergo. — R. Si in munere regio Messiae ea obligatio inclusa fuisset, ut regimen directum etiam in res temporales exerceret, c.; si tantum obligatio, ut res spirituales directe regeret, n. — Expl. Conveniunt theologi, in Iesu non fuisse titulum dynasticum ad regnum Davidis, cum Maria et Ioseph nullum talem titulum possiderent. Concedunt quoque, eum ut regem spiritualem totius orbis potestatem indirectam in omnes res temporales, etiam politicas, in toto orbe habere. Docent praeterea, Iesum renuntiasse saltem usui potestatis directae politicae atque in genere potestatis temporalis, idque pro omni sua vita. Saltem hoc e textibus citatis eruendum esse. Dissentiunt vero, cum quaeritur, num Iesus tale ius directum in actu primo habuerit. Negat v. g. Bellarminus;[6] affirmant v. g. Suarez,[7] de Lugo,[8] qui « ultimum fundamentum huius potestatis in unione hypostatica »,[9] inveniri affirmant.[10]

(1) Mt. 11, 4-6. — (2) Mal. 3, 1. — (3) Io. 3, 28-30. — (4) Is. c. 53. — (5) V. g. Lc. 18, 31. — (6) De Controv.; de Rom. Pontif. l. V. c. 4, ed. Ingolst. 1590 tom. I col. 1057-60. — (7) In qu. 22 art. 6, disp. 48 sect. 2; ed. Paris. tom. 18 p. 466-9. — (8) De Incarnat. Domin. disp. 30 sect. 1-2; ed. Lugd. 1653 p. 450-5 in F. — (9) Ib. sect. 1 n. 8 p. 451. — (10) Cf. de hac quaestione etiam Stentrup, Soteriologia th. 138; Pesch IV ^{3} n. 568-70 p. 309-10.

55. *Confirmatur assertum, Iesum ab initio se Messiam dixisse e confessione huius dignitatis e parte discipulorum et quorundam e populo.* — *Discipuli* primi Christi postquam cum eo per unum vel alium diem commorati erant hanc persuasionem exprimunt: « invenimus Messiam ».[1] — Petrus nomine omnium confitetur:[2] « et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei ». Idem solemniter interrogatus Caesareae Philippi enuntiat.[3]

E populo ipso quoque aliquando sive pauciores sive plures ad fidem in dignitatem Messianicam Christi pervenerunt. « De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic fecit? ».[4] — Die ante solemnem ingressum in urbem, duo caeci ita Christum salutant: « Fili David, miserere nobis ».[5] Ipso autem eo die plebs ei acclamat. « Benedictum quod venit regnum patris nostri David ».[6] Imo unus e latronibus, qui cum Domino crucifixi erant ab eo petit:[7] « Domine, miserere mei, cum veneris in regnum tuum ».

Quae omnia quomodo capiuntur si Iesus neque explicite neque saltem implicite suam dignitatem Messianicam docuit?

Confirmatur assertum, Iesum saltem aliquando se Messiam dixisse ex ipsa concessione plurimorum Protestantium vel liberalium. — Harnack:[8] « Tentamina semper iterum facta negandi, Iesum dignitatem Messianicam sibi ascripsisse [de « Messia designato » loquitur], irrita sunt ob facta certissima traditionis: ingressum in Ierusalem, dicta genuina Christi... ». Holtzmann:[9] « Sine Messianismo historia evangelica amittit quasi spinam dorsi quam maxime aptam quae resistat ». — Deissmann ait, negationem conscientiae Messianicae in Christo « tantum esse possibilem, si quis textibus vim inferret ».[10] — Bousset:[11] « Inter ea, quae in nostris evangeliis quam maxime secura sunt, id sane adnumerandum est, Iesum iam in vita sua mortali se coram discipulis suis atque coram summo Pontifice ut Messiam confessum esse, eumque qua talem solemniter in Ierusalem ingressum esse ».

(1) Io. 1, 41; 45; 49. — (2) Io. 6, 70. — (3) Mt. 16, 16. — (4) Io. 7, 31; 41. — (5) Mc. 10, 47-8. — (6) Mc. 11, 10. — (7) Lc. 23, 42. — (8) Dogmengeschichte [4] I p. 74 nota 2. — (9) Neutest. Theol. I p. 281. — (10) Evangelium u. Urchristentum im Lichte der krit. Forschung, München p. 107. (contra Wrede). — (11) Apud Schweitzer p. 242-3.

Propositio 7. Vanae sunt rationes, ob quas affirmatur, Iesum, dum in vita mortali degeret, nunquam professum esse, se iam esse Messiam, sed ad summum, se aliquando constituendum esse Messiam, sive per regnum suum eschatologicum, sive per resurrectionem suam.

Refutantur rationes, quibus ducti affirmant, Iesum professum esse, se tantum per regnum suum eschatologicum constituendum esse Messiam.

55. *Ob.* 1). — Munus Messiae e natura sua est eschatologicum. Atqui munus eschatologicum nemini inhaerere potest nisi aetate eschatologica. Ergo Christus, si rationem ipsam rerum secutus est, in ipsa vita mortali dignitatem Messianicam sibi ascribere non potuit. Ergo id non fecit. — Prob. ma.: Messias est fundator regni Messianici. Iamvero regnum Messianicum est mere eschatologicum. Ergo. — Ita hodie multi v. g. Ioh. Weiss,(1) Wrede,(2) Loisy,(3) Schweitzer.(4)

R. Dist. antec. Munus Messiae dicit iura et officia tantum ultimis temporibus exercenda, et potestatem ad ea tantum ultimis temporibus conferendam, n; dicit tum semper praesentem ambitum iurium et officiorum tum semper praesentem potestatem, qua haec iura exerceri possint, etsi actus ad hoc munus pertinentes ex natura rei exercendi sint partim in vita mortali Messiae, partim per decursum saeculorum, partim in ultimo iudicio, c. — Porro nego rationem additam. Etenim regnum Messianicum est regnum Dei sub Messia rege spirituali. Quod cum status diversos habeat, diversos quoque auctoritatis regiae actus postulat. Regis auctoritatem Iesus exercuit in terris, imponendo intellectui leges fidei, voluntati obligationem ingrediendi eam societatem iuridicam, quam ad religionem suam conservandam instituit; ferendo leges de cultu et regimine, quas in illa societate florere voluit; conferendo auctoritatem vicariam, qua societas ita iam fundata a Petro eiusque successoribus regeretur. Regis auctoritatem exercuit post ascensum in caelum eamque usque ad ul-

(1) O. c. quasi integrum; recapitulatio p. 175-8; exp. Schweitzer p. 236-8. — (2) Das Messiasgeheimnis p. 227-8 similem ideam in primaevis Christianis videtur supponere. — (3) L'év. et l'égl. [3] p. 87. — (4) P. 370. Cf. caeteram eius doctrinam de regno Messianico mere eschatologico.

timum iudicium exercebit tum per regimen, quod vicarius eius in terris nomine Christi exercet, tum per dispositiones providentiae, qua fata ecclesiae dirigit, hostes eius punit, tot bona continuo in eam influit. Regis auctoritatem exercebit in ultimo iudicio, cum bonos praemiis aeternis afficit, hostes ad aeternos cruciatus damnat.[1]

Ob. 2). — Christus, cum de ultimo iudicio loquitur, semper loquitur de *adventu* suo (ad iudicandum), nunquam de *reditu* suo. Iamvero si adventus ille non esset « prima et unica apparitio Messianica », si e contra Iesus iam antea, in vita mortali, functiones Messianicas exercuisset, sane ita locutus non esset. Nam hac ratione loquendi significat, se hic in terris nondum eamdem personam moralem sustinere, quam sustenturus sit postea, se nondum eumdem esse nunc, qui apparebit tunc, « son ministère terrestre n'étant pas encore envisagé comme un avénement messianique ». « Iesus iam adfuit, sed Messias nonnisi veniet ».[2] Ita v. g. Weiss,[3] Wrede,[4] Loisy.[5]

R. 1) Transeat ma. — N. min. *a)* Hac ratione loquendi proxime premitur novitas functionis, ad quam peragendam Dominus veniet, quin utique ipso modo loquendi directe exhibeatur, Iesum iam antea eadem auctoritate instructum fuisse, quam in ultimo dierum, iudicando orbem terrarum, exercebit. Ideo vero haec functio nova tantopere premitur, quia tanti est momenti. Est enim finis et consummatio totius operis Messiae, quod scilicet ad id tendit, ut redemptos secundum corpus et animam ad aeternum regnum perducat. — Quod autem ipsa expressione non edicitur, hac nova activitate Messianica continuari aliam, quae antea ab eo his in terris exercebatur, nemo mirabitur. Aut quis prudens unquam exspectat, uno termino dici omnia, quae obiective in aliquo eventu insunt? — *b)* In Vetere Testamento toties de diverso adventu Dei sermo est. « Venit » Deus ad redimendum vel iudicandum, eo quod ante iudicium ultimum populo beneficia praestat vel poenis illum afficit; « veniet » speciatim, quando toti humano generi in ultimo iudicio ultimas sortes distribuet. Ergone hac expressione scripturae significatur, Deum nonnisi in ultimo iudicio dignitatem regiam habere, eum antea ea caruisse? Uti loquitur Scriptura, ita loquitur Christus. — Porro in parabola de vinea dicitur: postquam diu

(1) Cf. Lepin o. c. p. 129-31. — van Laak, Theol. fund IV Prop. 5 I. — (2) Wrede l. c. p. 215. — (3) L. c. p. 158-9. — (4) L. c. p. 215. — (5) 5 L'év. et l'égl.[3] p. 89.

afuerit dominus vineae, « veniet et perdet colonos »[1]; in parabola talentorum habetur: « post multum temporis venit dominus servorum illorum et posuit rationem cum eis ».[2] Ergone e mente Iesu has parabolas proferentis, ille vineae et servorum dominus non erat dominus vineae et servorum, antequam perdidit colonos, antequam posuit rationem cum servis? Cur ergo Dominus simili modo etiam extra parabolas de se loqui non poterat? — *c)* Si dignitas Messianica est functio eschatologica, quomodo tamen Loisy statuit, Christum iam resurrectione sua factum esse Messiam? Estne idem resurrectio atque ultimum iudicium?[3]

2) Dixi: transeat maior. Etenim Dominus expressione aequivalente etiam de reditu suo locutus est. « Et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum ».[4]

Ob. 3). — Cum Christus coram Kaipha se Messiam pronuntiat, explicationis gratia subito addit: « et videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei et venientem in nubibus coeli ». Ergo hic adventus eschatologicus est signum characteristicum Messiae. Ergo Iesus antea non erat Messias. Ita Loisy.[5]

R. N. adesse consequentiam. Ut ea adesset, hic adventus deberet esse unicum signum characteristicum, ex quo ad Messianicam dignitatem ut praesentem concludi posset. Id quod auctor non demonstrat. Christus verba ista non adiungit, ut definitionem Messiae det, quemadmodum Loisy supponit, sed ut quaedam e proprietatibus Messiae iudicibus in memoriam revocet. Sunt autem eiusmodi, quibus patet eos esse inexcusabiles atque quibus terrorem iis incutit.[6]

Ob. 4). — Terminus « Filius hominis » iis locis, in quibus genuinus est, significat Messiam futurum, nempe eschatologicum, apocalypticum, transcendentalem. Iamvero hoc nomine prae caeteris se Iesus insignivit. Ergo. — Ita v. g. Ioh. Weiss,[7] Schweitzer.[8]

R. *a)* Etiamne caeteri tituli quos Iesus admisit, nonnisi futurum Messiam exhibent? — *b)* Omissis multis aliis, quae dici possunt, Iesus ait, Filium hominis esse flagellandum, crucifigendum etc. Ergone haec de Messia qua eschatologico valent? Discimus ergo, sensum verborum Domini non esse eum: « ego sum is homo quem Daniel

(1) Mc. 12, 9. — (2) Mt. 25, 19. — (3) Cf. de n. 3 etiam Lepin p. 331. In genere de hac diff. p. 128-31. — (4) Io. 14, 3. — (5) L'év. et l'égl. p. 88; Revue d'Histoire et de Littérature religieuses 1903 p. 296. — (6) Cf. Knabenbauer, Mt.[2] II 481. — (7) O. c. p. 159-60; exp. Schweitzer p. 237. — (8) O. c. p. 265.

in sua celeberrima visione describit, isque in eo statu glorioso, in quo eum describit, in quo scilicet, devictis omnibus inimicis, regnum gloriosum possidet, »[1] sed eum: « ego sum is, quem Daniel exhibet, quique aliquando eo statu glorioso fruetur ». Personae identitas significatur, non status. — Quodsi eiusmodi adversarii locos suae theoriae non convenientes non genuinos declarant, falsum aprioriſmum sequuntur.

Falsae sunt rationes, ob quas asserunt, Iesum professum esse, se nonnisi per resurrectionem suam constituendum esse Messiam.

56. Iesus nonnisi per resurrectionem factus est Messias.[2] Ergo ante resurrectionem non poterat se Messiam declarare. Ita adversarii.

Singulae quaedam obiectiones:

Ob. 1) — Textus iam per se convincens est hoc incisum e sermone Petri die Pentecostes: « Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus ». Etenim intelligendum est hoc incisum ita: « Christum fecit eum ipsa resurrectione ». — Ita Wrede,[3] Loisy.[4]

R. *a)* N. explicationem textus. Sensus est: e glorificatione, quae Iesu contigit, cognoscite, eum a Deo constitutum esse Messiam. Quando haec Messiae dignitas ei communicata sit, utrum a nativitate an postea, hoc textu non edicitur.[5] — *b)* Etsi quis putaret, subintelligendum esse, Deum « ipsa sesurrectione » Iesum Messiam constituisse, tamen obiecta sententia non sequeretur. Cum notum esset, Iesum veram dignitatem Messianicam iam antea sibi attribuisse, eiusmodi propositio intelligi poterat de collatione novi tituli ad regnandum. Qui novus titulus hoc in casu intelligi posset consistere in eo statu, qui regnantis dignitati conveniret, qui est status gloriosus, ante quem ei communicatum Deus noluerit Iesum modo ordinario actu iudicare atque regere.[6]

Ob. 2) — « Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri ».[7] Wrede[8] in hoc loco eundem sensum videt, atque in loco Petri quem declaravimus.

R. Loci huius sat difficilis hic « probabilior esse sensus vide-

(1) Cf. Knabenbauer ad Dan. 7, 14 p. 197. — (2) Ita plurimi. V. multas rationes pro hoc asserto congestas Wrede p. 214-35. — (3) O. c. p. 215. — (4) O. c. p. 89. Textus tamen non adducit. — (5) Cf. a Lapide ad l. Cf. Rom. 1, 4. — (6) Cf. Lepin. o. c. p. 131-6. — (7) Rom. 1, 4. — (8) O. c. p. 214-5.

tur...:[1] Filius Dei qui (sese exaniniens) factus est Filius David secundum humanam naturam, (a Patre exaltatus) declaratus (vel si mavis constitutus) est Filius Dei in virtute (i. e. Filius Dei potens, virtutem potestatemque exercens) secundum divinam suam naturam, idque per resurrectionem mortuorum omnium », [2] quae divinam Filii Dei glorificati virtutem ac potentiam clarius evidentiusque quam sola Christi resurrectio demonstrat. — Cf. quae diximus ad Ob. 1.

Similis difficultas ab eodem Wrede[3] petitur e Phil. 2, 6 sq. At « nomen » quod Deus Iesu propter eius obedientiam dedisse ibi dicitur, non est dignitas Messianica sed gloria externa, quae dignitati Filii Dei convenit.

Ob. 3) — Secundum Mc. 8, 30; 9, 9-10 Iesus vetat, suam dignitatem Messianicam ante resurrectionem suam manifestari. Qua ratione Mc. insinuat, eum nonnisi post resurrectionem Messiam factum esse. Mc. enim multa historica, ingeniose interpretando historiam, sive mutat sive fingit. Ita Volkmar,[4] Schweitzer.[5]

R. *a)* Secundum Mc. 8, 30 Iesus vetat apostolos dignitatem suam Messianicam manifestare, quin eo loco addat, pro quo tempore hoc praeceptum valere iubeat. Num forte ex eius mente etiam valebat pro solemni suo ingressu in urbem?[6] Secundum Mc. 9, 9-10 Iesus vetat apostolos ne cuiquam, « nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit », narrent ea quae viderant in monte, scilicet transfigurationem Domini. Id quod sane non est idem. — *b)* Marcum finxisse, in Introductione in Scripturam reiectum est. — *c)* Marcum fictionibus suis id insinuasse, quod asseritur, cohaeret cum caeteris rationibus, quibus falso probare intendunt, Iesum nonnisi per resurrectionem suam factum esse Messiam.

Propositio 8: Falsae sunt rationes, ob quas negant, Iesum aut unquam aut saltem iam ab initio vitae publicae se Messiam dixisse.

57. E multis obiectionibus tantum quasdam considerabimus, praecipue eas, quae frequentius proponi atque magis premi videntur.

Ob. 1) — Kalthoff habet:[7] « Nomen Christi per apocalypticam ita perfecte in sphaeram heroicam evectum erat, ut pro omni humano

(1) Cornely, Com. in Rom., Paris. 1896, ad. 1. p. 40. — (2) Ib. p. 43. — (3) O. c. p. 215. — (4) 1809-93; exp. Schweitzer p. 225. — (5) P. 331; praecipue p. 382-3. — (6) Cf. n. 38 p. 38. — (7) Cf. Schweitzer p. 313.

individuo impossibile factum fuerit ». — R. Bellus sane Apriorismus! Num forte illud probatum est, Iesum dum in vita mortali degeret, sibi statum gloriosum Messiae attribuisse? aut illud, repugnare, quominus homo ad officia Messianica atque olim ad gloriosum Messiae statum elevetur? aut illud, absurdum esse Messiam per humilitatem atque perpessiones ad gloriam suam debere pervenire?

Ob. 2) — Iudaei ideam falsam de Messia habebant, putantes eum partes liberatoris, regis politici acturum esse. Iamvero si Christus se dixisset Messiam, eam falsam ideam approbasset. Ergo nihil de Messianica sua dignitate edixit.(1)

R. Dist. ma.: idea quam multi Iudaei de Messia fovebant, nonnisi falsa elementa continebat, n.; vera eaque maximi momenti continebat, quibusdam tamen falsis permixta, c. — Ad min.: Si Christus hanc ideam non correxit, falsa elementa ex ea eliminando, c., si eam ita correxit, n. — *Expl.* Exspectabant, Messiam fore prophetam,(2) eum patraturum esse miracula,(3) eum fore regem.(4) Persuasum iis erat, eum fore iustum,(5) purum a peccato et sanctum,(6) per spiritum sanctum potentia, sapientia, iustitia ornatum.(7) In regno Messianico iustitiam fore eximiam,(8) eum ipsos ethnicos ad cultum veri Dei perducturum esse.(9) Quae, uti multa alia elementa ideae Messianicae, sane verissima sunt. Elementa vero falsa, quae multi aspergebant, Iesus per totam suam doctrinam, totamque vitae suae rationem eliminavit.

Ob. 3) — « Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni coelorum, illis autem non est datum ».(10) Imo Christus effert, ideo se parabolis docere,(11) « ut videntes videant, et non videant; et audientes audiant et non intelligant.... » Unde ita: Christus non docebat populum nisi in parabolis, quarum finis erat abscondere mysteria regni coelorum. Iamvero inter ea mysteria certe eius dignitas Messianica est referenda. Ergo Iesus eam dignitatem populum celavit.(12)

R. *a)* Tr. difficultas. Vere docuit Christus eam dignitatem, etsi quis putaret, eum eam generatim tantum proceribus et apostolis expli-

(1) Cf. Wrede p. 220. — (2) Io. 1, 14. — (3) Io. 7, 31. — (4) Io. 1, 49. — (5) Ps. Salom. 17, 35. — (6) Ib. 17, 41. 46. — (7) Ib. 17, 42. — (8) Ib. 17, 28-9, 36, 48, 49; 18, 9-10. — (9) Henoch 48, 4; Orac. Sybill. III 710-26. — (10) Mt. 13, 10-1. — (11) Mc. 4, 12; cf. Mt. 13, 13-5. — (12) Cf. Wrede o. c. p. 54-65. — Cf. quoque Schweitzer p. 331; 350-1.

cite credendam proposuisse. — *b)* Peto probationem minoris, scilicet inter mysteria regni coelorum esse annumerandam doctrinam Christi de sua dignitate Messianica. Mysteria hic apte dicuntur eae proprietates regni coelorum, quas Dominus parabolis c. 13 propositis docet, quaeque ob suam indolem spiritualem ab exspectatione plebis magis remotae erant. — *c)* Evangelista non docet, Iesum nunquam per totum sui magisterii tempus aliter quam in parabolis docuisse. Neque hic est sensus versus 34.

Et antea generatim aliter docuerat, et postea saepe aliter docuit. Antea eum aliter docere solitum esse, et eo insinuatur, quod tantum ea in occasione discipuli quaerunt, cur ita doceat, et ex ipsis sermonibus Christi nobis servatis patet. Postea vero in Ierusalem quot veritates, etiam sine parabolis, ipsi quoque populo proponit! V. tot sermones inde a c. 7. Ioannis, porro v. g. Mt. c. 23. Ideo populo in Galilaea *tunc temporis* in parabolis loquebatur, « quia videntes non vident et audientes non audiunt neque intelligunt ».[1] I. e. postquam iam diu illis praedicaverat multaque miracula coram iis fecerat, nihilominus et duces populi et populus ipse generatim incredulus manserat. De quo incredulitatis statu Dominus saepe conqueritur.[2] In cuius incredulitatis iustam poenam iam minore claritate doctrinam suam proponit. Quem finem Lc. et Mc. efferunt: « ut videntes non videant... ».

58. *Ob.* 4) — Iesus vetat, quominus dignitas sua Messianica annuntietur. Atqui hoc explicari nequit, si ipse eam confessus esse dicitur. Ergo eam sibi non ascripsit.

Prob. ma. a) « Tunc dicit illis *(apostolis)*: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei: Tu es Christus. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo ».[3]

b) Non sivit *daemones* eloqui dignitatem Messianicam. Daemon exclamavit dicens: « Quid nobis et tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei. Et comminatus est Iesus, dicens: Obmutesce, et exi de homine ».[4] « Et daemonia multa eiiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum ».[5] « Exibant autem

(1) Mt. 13, 13. — (2) De causa cur Dominus tunc in parabolis locutus fuerit cf. bene Fonck, Die Parabeln des Herrn,[2] Innsbruck 1904 II § 2 p. 24-35. — Knabenbauer ad Mc. 13, 10-7 p. 531-5. — Quaedam signa incredulitatis populi v. Mt. 12, 14; 12, 24; 11, 20-4. — At de ratione temporis in quibusdam non convenit inter doctos. — (3) Mc. 8, 29-30 = Lc. 9, 20-1 = Mt. 16, 16-20. — (4) Mc. 1, 23-5. — (5) Mc. 1, 34.

daemonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei; et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum ».[1] « Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, et clamabant dicentes: Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum».[2]

Ita quoad vetitum apostolis datum v. g. Bruno Bauer;[3] quoad apostolos et daemones praecipue Wrede,[4] porro Schweitzer,[5] Loisy.[6]

c) Adiungit Wrede[7] etiam illud, Dominum saepius vetuisse *miracula* sua propalari, miracula quae finem illum habebant, ut Messianicam dignitatem thaumaturgi probarent!

R. *a) Nego consequentiam.* Probavimus positive, Iesum rationem Messiae sibi ascripsisse. Quod quosdam impedivit, ne saltem quodam tempore hanc veritatem annuntiarent, neque immediate huic assertioni dignitatis suae per Christum factae opponitur neque cum evidentia indirecte arguit, eam non habuisse locum. *b)* Quamvis hoc ad obiectionem refutandam necessarium non esset, tamen rationes probabiles cur Iesus hoc modo egerit, assignari posse videntur.

Apostolos quod attinet, forte periculum erat, ne si ipsi hanc veritatem praedicarent, vel ad res politicas pertraherentur vel persecutiones, quibus sustinendis adhuc impares erant, sustinere cogerentur.[8]

Daemones forte ideo Christus cohibuit, ne pharisaeis, qui Iesum in Beelzebub daemonia eicere affirmabant, novam calumniandi ansam praeberet. Sunt qui addant, Iesum exemplo suo docere voluisse, ut omnem a diabolis capiendam utilitatem a nobis removeremus.[9]

Quod spectat ad vetitum aliquando huic vel illi impositum, ne quaedam miracula propalarentur, in tractatione de miraculis probabimus, Iesum plurima sua et splendidissima miracula patrasse, ut dignitatem suam Messianicam probaret; aliquando tamen e rationibus specialibus quosdam miracula quaedam interim celare voluisse. Quae duae assertiones inter se nullo modo opponuntur.

(1) Lc. 4, 41. — (2) Mc. 3, 11-2. — (3) Exp. Schweitzer p. 142, 149. — (4) O. c. longa expositio p. 33-65, quae est principalis in hac re. Probabilius habet, haec verba e mente evangelistae intelligi de dignitate Messianica praesenti. — (5) O. c. p. 331. — (6) O. c. p. 84-5 — (7) P. 33 sq. — (8) Alias rationes v. Knabenbauer ad Mt. 16, 20 p. 70; Maldonatus ad eundem l. ed. Mog. p. 473. — Patrizi, ad Mc. 8, 30, Com. in Mc., Romae p. 93. — (9) Diversas rationes profert Knabenbauer ad Mc. 1, 25 p. 54.

Ob. 5) — Si turbae Iesu in urbem ingredienti uti Filio David acclamassent, praeses Romanus rem eiusmodi politicam fieri passus non esset, Iudaei Iesum de ingressu coram eo accusassent. Atqui nihil fecit. Ergo omnia quae de Messia in eiusmodi acclamationibus habentur, inventa sunt. Cf. v. g. Dalman,[1] Wellhausen,[2] A. Schweitzer,[3] Brandt.[4]

R. 1) Certa est ex rationibus extrinsecis genuinitas et historicitas locorum, minus certum, quid in concreto Romani in re politica periculosum duxerint, vel num in omni casu omnem vigilantiam adhibuerint. Difficultas ergo *contra rectam historicam methodum* peccat.

2) *Rem ipsam* quod attinet: *a)* Etsi abstrahimus a notitia particularium circumstantiarum ad Iesum spectantium, quam de facto habemus, iam e statu generali rerum politicarum Palaestinensium quem novimus, *praeiudicium* forte adest, Romanos nihil politici in modo agendi Domini vidisse. Etenim Pilatus ex una parte facile pericula politica suspicabatur, ex alia parte vix dici potest rerum ad Iesum spectantium ignarus fuisse. Primum quod attinet, sufficit, praeter alia non plane dissimilia recordari, eum anno 35 p. Ch. Samaritanos in Tirathana ad montem Garizim armata manu aggressum esse in eosque dire saevisse, quia duce quodam pseudopropheta peregrinationem extraordinariam ad sacrarium in monte aedificatum instituebant.[5] Secundum quod spectat, haec habet Knabenbauer ad Mt. 27, 18: « sciebat enim (Pilatus) quod per invidiam tradidissent eum » principes sacerdotum et seniores populi:[6] « .... cum Iesus saepius in urbe et Iudaea versaretur et saepe magnis hominum turbis circumdaretur, vix cogitari potest, eius agendi docendique modum non esse iussu tribuni cohortis quae in urbe erat [procurator Caesareae commorari solebat] tacite observatum. Quare fieri potuit, ut Pilatus iam compertum haberet Iesum saepius in duces populi [atque pharisaeos] esse invectum, populo autem multa praestitisse beneficia ». Duces autem populi, praecipue quaedam factio pharisaeorum, solebant esse ii, a quibus pericula politica creabantur.[7] — Quae cum ita sint, videmur tutius agere, si Romanorum iudicio acquiescimus.

b) Res particulares de Iesu si respicimus, iam vidimus eum, dum Palaestinam peragraret, non tantum nihil egisse, quo partes politicas sibi

(1) Die Worte Iesu I p. 182. — (2) Remittunt ad: Israel. u. jüdische Geschichte [3] p. 381 nota 2. At aliter ed. 6 p. 379. — (3) Das Messianitäts - u. Leidensgeheimnis, 1901. — (4) O. c. p. 475; exp. Schweitzer p. 256. — (5) V. Schürer I [4] p. 488-92 praecipue p. 492. — (6) In l. Mt. p. 506. — (7) Schürer I [4] p. 486-7.

*

assumere videri posset, verum etiam talia data opera a se removisse.[1] Ipse vero ingressus solemnis in urbem alienus erat a regio splendore atque ab armis.[2] Habes ergo solum titulum Messiae vel Filii Davidis vel similem, e quo pericula politica orta esse suspicari posses. At omnino ex iis, quae diximus, Romanis patere poterat, talem titulum nihil politici portendere. Accedit haec specialis atque ut videtur fortissima ratio: Narrat Mt.:[3] « Et cum intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens: quis est hic ». Quae verba Maldonatus ita explicat: »[4] Maior pars et qui auctoritate primi erant, ut Scribae, Pharisaei et sacerdotes commoti sunt, quemadmodum dixit Evangelista, Magorum adventu universam Ierosolymam fuisse turbatam. Commota autem civitas, non gaudio, non admiratione, non metu, sed invidia, et maligna quadam indignatione (quod videret Christo tantum honoris tribui), uti ex verbis sequentibus intelligitur ». Etenim verborum « quis est hic » sensus est: « Quantus hic est, ut tantum honoris mereatur ». Idem insinuatur a Lc.[5] et Io.[6] Iamvero, ut iam diximus, pericula politica potius e proceribus, praecipue pharisaeis oriebantur quam e populo, qui ab illis regebatur.

59. *Ob.* 6) — Primo Caesareae Philippi Iesus se Messiam confessus est. — Nam *a)* Loci anteriores apud Mt. Mc. Lc. genuini non sunt. — *b)* Si ipsam scenam consideramus: Cur Iesus interrogavit, nisi tantum ad eum finem, ut primam confessionem dignitatis suae Messianicae eliceret? Porro de confessione uti de re quadam nova vehementer miratur. — *c)* Congruit quod inde ab eo tempore nomen Messianicum Filii hominis frequentissime adhibet. — Quae sententia quasi dogma factum est pro iis qui unice Marcum sequuntur; at etiam alios occupavit. Exemplo sint Bruno Bauer,[7] H. I. Holtzmann,[8] Colani,[9] Schweitzer.[10] Non omnes tamen easdem rationes dant.

R. N. as. Ad rationes additas: *a)* Ii loci immerito ut non genuini habentur. Porro sanae methodo contradicit, quod evangelium Io. non consideratur. — *b)* Rationes, cur tum temporis apostolos de fide eorum interrogaverit, Dominus nobis non manifestavit. Videntur tamen sine nimia difficultate e circumstantiis historicis erui posse. Etenim primo in eo erat Christus, ut turbarum in Galilaea instructionem

(1) Cf. n. 53 p. 57. — (2) Cf. Iansenius ad Mt. 20, 4, Tetrat. ed. Mechl. I 1825 p. 292. — (3) 21, 10. — (4) Ad 21, 10 ed. Mogunt. p. 126; item. Knabenbauer II p. 201-3. — (5) 19, 39. — (6) 12, 19. — (7) Exp. Schweitzer p. 149. — (8) Die Synoptiker[3] 1901 p. 9; exp. Schweitzer p. 202. — (9) Exp. Schweitzer p. 222. — (10) P. 150.

magis relinqueret, magisque apostolis suis immediatam suam curam impenderet, cum illae, crescente infidelitate, se verbo Dei magis indignas redderent. Turbarum exploratae infidelitati apte fidem apostolorum solemni quadam ratione opponere volebat. Secundam rationem contextus immediatus indicat: « Exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum... multa pati ». Etenim prudentis erat curare, ut huic seriei praedictionum de perpessionibus suis praemitteretur et ex parte discipulorum rata atque solemnis professio fidei in Iesu sublimem dignitatem, et ex parte Christi plane solemnis approbatio huius fidei. Incipit nova epocha in educatione discipulorum; clauditur prior solemni confessione fructus, quem usque nunc perceperant, quem nisi percepissent, Dominus illis verbum crucis apte manifestare non potuisset.[1] — *c)* Explicite supernaturalitas fidei Petri a Domino extollitur atque laudatur, non vero novitas. Quod si tamen novitatem quandam in ea confessione inveniendam esse putas, certe ea non potest esse in simplici confessione dignitatis Messianicae. Nam per certa facta aliunde probata excluditur, eam novam fuisse. Ergo recurrere debes ad novitatem quandam aut in modo confessionis dignitatis Messianicae aut in quadam explicita et magis perfecta confessione divinitatis Messiae et Iesu, qui coram astabat. — *d)* Iam inceperat ultimus annus magisterii Christi. Unde et animi discipulorum per praedictiones perpessionum Domini ad superandum scandalum crucis praeparandi erant, et populus Iudaicus infidelis parusia ob animos posita terrendus erat. Tandem quid magis naturale, quam ut Dominus eo tempore, quod immediate suum discessum e mundo antevertebat, uteretur ad revelationes de suo reditu cum apostolis communicandas?

Ob. 7) — Si Iesus se Messiam dixisset, idque tot miraculis probasset, populus integer ei credidisset. In specie: si populus die Palmarum ei ut Messiae adhaesisset, nequaquam eum feria sexta post morti tradidisset. Num forte interea e fluvio Lethe bibit?

R. Difficultatem generaliorem alio loco tractabimus, quando de valore motivorum credibilitatis sermo erit. Caput rei in eo est, quod fides libera est.

Quoad difficultatem specialem haec observo: *a)* Neque integer populus neque speciatim cives Hierosolymitani generatim die Palmarum ei acclamaverant; erat « rustica turba », quae ex parte e Galilaeis con-

(1) Tillmann, Der Menschensohn p. 35 nota 3.

sistebat, ex parte ex incolis Iudaeae. Cf. quae diximus ad dif. 5 n. 58 p. 67. — *b)* Fides, etiamsi erat firma, amitti potest. Iamvero in nostra re supervenerunt circumstantiae, quae eam tentare poterant. Fidem profitebantur turbae, quae tum discipulorum instar Dominum comitabantur, laudantes Deum « super omnibus virtutibus quas viderant », etiam eo ipso in itinere, uti in Iericho; praecipue vero ii, qui resuscitationem Lazari mox viderant visamque caeteris narraverant. Post paucos dies vero Iesus videbatur omni potentia miraculorum destitutus, cum neque rogatus ullum miraculum faceret. Quem regem salutaverant, videbant captivum, ipsis ethnicis traditum, a Deo ut videbatur derelictum. Valebat praeterea exemplum atque auctoritas procerum, synedrii, pharisaeorum, omnium eorum qui potentia atque animi cultura eminebant. Accedit, quod « Pontifices concitaverant turbam, ut (Pilatus) magis Barrabam dimitteret eis ».[1] Quibus artibus vel minis non pepercerint, forte ex eo concludi potest, quod iam antea omnem, qui Iesum Messiam profiteretur, ex synagoga expellendum esse decreverant. Quo decreto iam tunc temporis multi in fide sua profitenda impediebantur. — *c)* Fides turbarum iam antea forte valde imperfecta erat. Saltem quidam auctores[2] aliquod aliud exemplum fidei valde infirmae in turbis populi vident Io. c. 8 v. 30-54, in quibus versibus putant narrari eos ipsos, qui loquente Iesu fidem in eum conceperant, mox, inter eundem sermonem Christi, ad id progressos esse, ut eum interficere vellent.

60. Scholion I. — Post auctores veteriores, uti praecipue Neander,[3] recentissime e Protestantibus orthodoxis Theod. Zahn[4] censet, nomen « Filius hominis » non significare rationem Messiae, remittendo tacite ad Dan. 7, 13, sed eo significari hominem inter caeteros excellentiorem, *hominem idealem*. Inter rationes etiam has affert: Dan. 7, 13 non significari hominem aliquem singularem, sed populum; contextum locorum optime cum significatione hominis idealis congruere. V. g. in locis, in quibus sermo sit de Iesu gloria, « nobis in memoriam reduci partes sublimes, quae homini qua tali (ideali) in mundo conveniant ».[5] — At de priori ratione v. vaticinia Messianica. De secunda

(1) Mc. 15, 11. — (2) Cf. v. g. Knabenbauer ad l. p. 303, p. 306 in media pagina, cum Chrysost., p. 305 cum multis aliis. — Maldonat., in Io., ed. Mog. ad v. 33 p. 176, ad v. 37 p. 180. — (3) Das Leben Iesu Christi, Hamburg 1837. — (4) In. Mt. ² p. 346-57. — (5) Ib. p. 352.

hoc unum accipe: Non ideo quis Dominus Sabbati est, peccata condonare potest, iudex erit vivorum et mortuorum, quia homo idealis est.[1]

Erant qui significationem Messianicam termini retinendam putarent, pro eius origine vero ad *Gen. 3, 15* vel ad *Ps. 8, 5* vel ad *Ezechielem* recurrerent, in quo libro propheta ab angelo circa nonagies appellatur « Filius hominis ». Hanc ultimam explicationem inter catholicos Trenkle[2] pro maiore parte locorum sufficere putat. Saepe has explicandi rationes cum ea, quae e Dan. proficiscitur, coniungunt. Quae minus bene fieri v. Tillmann o. c.[3]

Scholion II. — *De explicatione termini « Filius hominis » apud veteriores exegetas.* — Elementa essentialia explicationis quam dedimus etiam apud veteres quosdam inveniuntur. Pro explicatione, cur Iesus se vocet Filium hominis, aliquo modo ad Dan. remittit v. g. S. Epiphanius,[4] Theodoretus,[5] clarissime Tertullianus.[6] — « Filium hominis » esse hebraismum pro « homo » iam adducunt Maldonatus,[7] Iansenius.[8]

Quodsi hi auctores ex hoc termino non solent demonstrare Christi dignitatem Messianicam, sed veritatem eius naturae humanae, non exhauriunt illi quidem totam vim huius termini, recte tamen ex eo id quod volunt inferunt. Nam « non potest quasi nomine proprio Filius hominis vocari, qui non est homo ».[9] — In quantum articulum *τοῦ* ante *ἀνθρώπου* ita explicare solent, quod eo Iesus significetur ut filius alicuius determinati hominis, uti v. g. Adami vel Beatae Virginis, et inter se in singulis explicandis dissentiunt et sine sufficienti fundamento hoc opinantur.[10]

(1) Ampliora v. Tillmann o. c. de theoria Zahn p. 32-8; de eius refutatione p. 80-2. — (2) Der Menschensohn, Freiburg 1888. — (3) P. 38-51. — (4) Haer. 57; G 41, 1008. — (5) Comm. in Dan. c. 7; G 81, 1426. — (6) Adv. Marc. l. 4 c. 10; L 2, 379. — (7) In Mt. 8, 20; ed. Mog. p. 256-7. — (8) Tetrateuchus, ed. Mechl. I 1825 p. 120. — (9) Pesch, Prael. IV [3] n. 28 p. 25 nota. — (10) Ampliora Tillmann o. c. p. 2-27 cum lit. quam p. 18 dat.

Sectio III. Iesus de praedicatione evangelii ad ethnicos extendenda non tantum durante ministerio suo cogitavit, verum etiam eam post resurrectionem suam fieri supposuit, imo mandavit.[1]

61. *Conn. mat.* — Cum tractatus noster de revelatione publica sit, demonstrandum est, subiectum ad quod Christus suam doctrinam revelatam direxit, fuisse societatem aliquam publicam vel totum genus humanum. Accedit quod haec quoque aperta veritas hodie a multis acatholicis negatur.

Sectionem proponimus priusquam de motivis credibilitatis agimus. Rationes hae sunt: *a)* Ita integrum testimonium Christi de sua legatione simul exhibetur, tum quoad ipsam dignitatem, quam sibi ascripsit, tum quoad illos, a quibus illam assumi praescripsit. *b)* Si iam notum est, Christum religionem suam omnibus gentibus imposuisse, ipsa motiva credibilitatis, quibus eam fulcivit, novum robur accipiunt. Id quod postea videbimus. — *Adnectimus hanc sectionem immediate ei, qua probatum est, Iesum se Messiam dixisse.* Nam *a)* haec nostra sectio e priore connaturaliter fluit, cum extensio praedicationis ad ethnicos sit pars muneris Messianici. *b)* Unde huius sectionis tum assertores tum adversarii eam hodie fere cum priore coniungere solent.

62. *Adversarii.* — Plurimi auctores acatholici in eo conveniunt, ut negent Christum mandatum de ethnicis ad suam religionem convertendis dedisse. — Hoc iam negandum putabat Reimarus.[2] Ita recentius Pfleiderer,[3] Harnack,[4] Alb. Schweitzer,[5] Loisy.[6] Solent tamen concedere, indolem doctrinae Christi ad convertendos etiam ethnicos perduxisse. Ita v. g. Harnack.[7]

(1) Multa de hac re scripta sunt, postquam Harnack 1902 thesim contrariam opere mox citando defendit. — Ex auctoribus catholicis v. v. g. Raich, in Katholik 1903 I p. 240-55. — Grandmaison, in Études 1903, t. 96 p. 459-71. — Praecipue vero Max Meinertz, Iesus und die Heidenmission, Münster 1908, XII 244 cum plurima lit. — E dogmaticis cf. Pesch th. 13; Suarez, De Legibus l. 9 c. 10. — Apologetae, ubi de vaticiniis Christi vel de Christo agunt. — (2) Von dem Zwecke Iesu und seiner Jünger. Fragmente des Wolfenbüttelschen Ungenannten § 20 ed. 5 Berlin 1895 p. 34. — (3) Die Entstehung des Christentums ², München 1907 p. 86. — (4) Die Mission und Ausbreitung des Christentums ² Leipzig 1906 p. 31-5. — (5) Von Reimarus zu Wrede, Tübingen 1906 p. 386. — (6) Autour d'un petit livre, Paris 1903 p. 132. — (7) o. c. p. 32.

Quidam ex adversariis concedunt, cogitationem de ethnicorum conversione a mente Iesu non fuisse alienam, imo eum putasse eos ex se ipsis olim se regno Dei aggregaturos esse.[1] Forte eum ipsum hoc factum etiam desiderasse, ad id hortatum esse.

Alii tamen ad id progrediuntur ut affirment, cogitationem de ethnicorum conversione ne subiisse quidem mentem Christi. Ita v. g. Schweitzer.[2]

Sunt qui dicant, Christum a particularismo iudaico sensim ad ideas magis universalisticas progressum esse. Quem progressum tamen non uno modo concipiunt. Ita praecipue v. g. Keim,[3] Merx,[4] Holtzmann.[5]

Usque ad aetatem Rationalismi et Catholici et Protestantes thesim nostram defendebant. Recte utrumque factum statuebant, Christum et e sapientibus rationibus activitatem suam personalem ad Iudaeos limitasse et apostolis suis mandatum dedisse, ut ipsi conversioni ethnicorum se darent. — Post tempus autem orti Rationalismi quidam acatholici putarunt, limitationem illam universalitati operis Christi contradicere. Unde eam negarunt v. g. Ammon,[6] ut videtur Daniel Schenkel,[7] Friedrich Spitta.[8]

Modus procedendi eorum adversariorum qui magis extrema sequuntur. — Ex una parte textus qui dicuntur particularistici atque ii qui dicuntur universalistici inter se evidenter opponuntur. Ergo utraque series textuum simul vera continere non potest. Ex alia parte ipsi Christo tam evidentes contradictiones ascribendae non sunt, imo aliqua eius sapientia humana celebranda est. Ergo utraque series textuum simul Christo ascribi nequit. Quae ergo series ab eo proficiscitur? Secundum quosdam ea quae universalistica est. Erat enim homo perfectus, in quem particularismi ignobilis modus cogitandi cadere non poterat. At secundum maiorem partem auctorum series

(1) Ita v. g. B. Weiss, Lehrbuch der biblischen Theologie des Neuen Test.[7], Stuttgart 1903 p. 97-8. — (2) O. c. inter p. 347-95. — (3) V. g. Geschichte Iesu von Nazara II, Zürich 1871 p. 402 sq. — (4) Die vier Kanonischen Evangelien nach ihrem ältesten bekannten Texte II 1 Berlin 1902 p. VII sq.; II 2 ib. 1905 p. 270 sq. — (5) Neutest. Theol. I p. 233-4. — (6) Iohannem evangelii auctorem ab editore huius libri fuisse diversum. Erlangen 1811. Exp. Schweitzer p. 116-7. — (7) Das Charakterbild Iesu c. 18, Wiesbaden 1864; vers. angl. 1869 p. 189-96; exp. Schweitzer p. 205. — (8) Iesus und die Heidenmission, Giessen 1909. Recapitulatio totius libri p. 109-16.

particularistica Christo attribuenda est. Nam particularismus imperfectior est universalismo. Ergo prior. Praeterea populus Israeliticus particularismum sequebatur. Iesus autem non subito ideas populi sui exuere poterat.

Restat, ut positive explicetur, quomodo series illa universalistica orta sit. Debetur piae inventioni evangelistarum vel aetatis primaevae Christianorum. Etenim eo tempore scripserunt, quo praedicatio Christianismi inter ethnicos iam laetissimum fructum ferebat. Iamvero pro conscientia christiana intolerabile erat, factum tam gloriosum non ad ipsum fundatorem religionis christianae reduci. Unde textus universalisticos introduxerunt. Caute tamen et moderate id fecerunt synoptici, non moderate, ob mysticismum suum, Ioannes. Unde illi facile ita purgari possunt, ut imaginem Christi particularistici fideliter referant; de Io. vero desperandum est, quare in tota hac quaestione audiendus non est.[1]

Vides hanc argumentandi rationem componi ex ideis falsis, quae partim generales sunt, partim ad solam hanc nostram materiam spectant. Generaliora sunt v. g. ea, quae dicuntur de evolutione necessaria omnis religionis a statu imperfectiore ad perfectiorem, de tanto defectu auctoritatis humanae evangeliorum. Quae refutare huius loci non est. Ad nostram materiam praecipue haec duo spectant: primum est, series illas duas textuum inter se opponi — id quod praecipuum est in tota ratione argumentandi adversariorum; secundum, populum israeliticum particularistica secutum esse. Priorem assertionem refutabimus eo, quod ad finem sectionis saltem eas sic dictas contradictiones quae maioris momenti esse videntur, proponemus atque solvemus; alteram per argumentum unum nostrum positivum indirecte reiciemus.

Divisio. — Prima thesi probamus, cogitationem de ethnicis convertendis non fuisse alienam a mente Christi; secunda, eum in sermonibus suis supposuisse, conversionem eorum postea locum habituram esse, illamque praedixisse; tertia, eum mandatum de hac re dedisse. Sequitur quarta thesi refutatio quarundam rationum adversariorum.

Propositio 9. Falsum est, cogitationem de ethnicis convertendis ante mentem Christi versatam non esse.

63. *Arg. 1.* — Duplex factum certum est atque a multis quoque adversariis theseos admittitur. Primum est.: Persuasio de vera re-

(1) Cfr. praecipue Harnack l. c.

ligione per ipsos Iudaeos in toto mundo propaganda praecipue temporibus Christi inter Iudaeos in Diaspora commorantes quam maxime vivida erat, multiplici navitate se prodebat, magnos ferebat fructus. At etiam inter Palaestinenses ea persuasio vigebat, isque fervor et notus erat et pro circumstantiis imitatores inveniebat. Porro in quibusdam provinciis Palaestinae pars haud parva incolarum ethnici erant.(1) Secundum factum: Iesus inter Iudaeos quam maxime eminebat sapientia; consideratione earum rerum, quibus omnes homines vi ipsius naturae communis ad Deum ut omnium creatorem et patrem, ad caeteros omnes homines uti ad fratres referuntur; cognitione destinationis religiosae populi sui; omni pietate. — E quo duplici facto ita arguimus: Ergone is, qui omnes sapientia, caritate omnes homines amplectente superasse dicitur, ne ea quidem mente volvit, quae vix ullum e concivibus vel aequalibus fugiebant?

Quod argumenti genus v. etiam apud acatholicos. V. g. Zahn:(2) « Christus inferior esset Pharisaeis quantum ad fervorem pro dominatione Dei, quantum ad ea quae consideratio eius complectebatur, quantum ad conscientiam de sublimitate vocationis propriae ».

Arg. 2. — Christus professus est se esse *Messiam.* Atqui in Vetere Testamento clare continebatur, per Messiam totum orbem ad cognitionem veri Dei, ad veram religionem convertendum esse, idque ita ut legibus Messiae subiceretur.(3)

Maior probata est sectione secunda. — Minor evolvitur in vaticiniis Messianicis. E multis accipe Is. 53, 3, 4: « feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus ». C. 49, 6: « Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel

(1) De relationibus Iudaeorum ad ethnicos tempore Christi cf. v. g. Edersheim, The Life und Times of Iesus the Messiah[2] I c. 1-8 p. 3-111. — Schürer III[4] § 31 p. 1-188 praecipue p. 162-72. — Weber, Jüdische Theologie,[2] Leipzig 1897 p. 382-7. — Bousset, Die Religion des Judentmus[2] pars 1 c. 1 p. 60-99. — Lagrange, Le Messianisme etc., quatrième p., c. 1 et 2 p. 267-88. — (2) Mt.[2] p. 715; Einleitung II[2] p. 313. — (3) Cf. Meinertz o. c. § 2, Der Universalismus des Alten Testamentes p. 17-30. — Bertholet, Die Stellung der Israeliten u. Iuden zu den Fremden, Freiburg 1896 p. 566-81. — Herm. Zschokke, Die Theologie der Propheten des Alten Testamentes, Freiburg 1877 § 65 p. 566-81.

convertendas; ecce dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terrae ».

Ob. 1) — Vaticinia Messianica continuo docent, imperia ethnica esse destruenda, ethnicos esse debellandos. Ergo non docetur, eos esse beandos lumine evangelii. — R. Utrumque praedicitur. Ex ipsa duplici hac serie textuum capitur, ea regna intelligi in tantum frangenda, in quantum iniuste populum Dei persequuntur vel veri Dei religioni sive ante sive post Christum opponuntur. Plura alio in loco.

Ob. 2) — Tempore Christi proselytae despiciebantur. V. g. Rabbi Chelbo dixit: « Proselytae tantopere nocent Israeli, quantopere lepra ».[1] Ergo conversio ethnicorum non ducebatur laudi. — R. Hic animus aliquo modo infecit Rabbinos non paucos post destructam Ierusalem. E quorum verbis ad persuasiones et mores aequalium Christi concludi nequit.

Propositio 10. Iesus in sermonibus ante mortem habitis supposuit atque edixit, evangelium gentibus praedicatum iri.

Arg. 1. — E verbis Christi in evangelio relatis.

64. *Apud synopticos.* — Cum Dominus apostolos ad praedicandum Palaestinensibus mittit, quaedam iis dicit, quae de illa missione valere non possunt, sed ad aliam quandam referenda sunt, quae ethnicos respicit.[2] « Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos. Et ad praesides et reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus ». Praesides et reges non intelligi eos ethnicos praepositos qui in Palaestina inveniebantur, iam ex eo innuitur, quod expressio generalis est, et ex eo certum est, quod premitur testimonium gentibus ferendum. Porro haec est sententia communis exegetarum.

« Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio ».[3]

« Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius ».[4] Quae gens saltem includit ethnicos,

(1) Iebamoth 47 a, b. — Alia huiusmodi v. Bousset, Die Religion des Judentums im neutestamentlichen Zeitalter [2] 1906 c. 1 p. 98 nota 2. — Aug. Wünsche, Neue Beiträge zur Erläuterung der Evangelien aus Talmud und Midrasch, Göttingen 1878 c. 23, 15 p. 285-8. — Praecipue Isr. Lévi, Les rabbins de l'époque talmudique étaient-ils favorables ou hostiles au prosélytisme, in Rev. des Études juives 51, 1906 p. 1-29. Qui iudicia rabbinorum inter se opposita colligit. — Lagrange o. c. p. 267-70. — (2) Mt. 10, 17-8. — (3) Mt. 24, 14. — (4) Mt. 21, 43. De explicatione textus cf. van Laak, Theol. fund. IV n. 48 p. 46-7.

cum regnum Dei auferendum dicatur a vinea, quae est totum Israel qua natio est. Quodsi ethnici fructus regni faciunt, supponitur sane, regnum Dei illis praedicatum fuisse.

« Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius ». (1) Agitur de muliere, quae effudit alabastrum unguenti super caput Iesu.

Apud Ioannem. — « Totum evangelium Ioannis dictis directe universalisticis penetratur ». Ita Harnack. (2) Et sane saepe sermo est de mundo, *κόσμῳ*, quem « sic Deus dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat »; (3) Iesus dat carnem suam pro mundi vita; (4) « lux est mundi »; (5) habet « alias oves, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient »; (6) « omnia traham ad meipsum »; (7) « sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum;... non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me..., ut credat mundus quia tu me misisti ». (8)

Ob. Apud Io. Iesus multo magis premit universalismum quam apud synopticos, praecipue apud Mc. Ergo Io. fide dignus non est. — R. 1) Auctoritas humana Io. externis testimoniis constat, quae certitudo non concutitur, etsi non possemus reddere rationem differentiae quae inter eum et synopticos invenitur. — 2) Non immerito tamen quasdam rationes huius differentiae mihi videntur posse assignari. Hauriuntur ex fine quem Io. in scribendo prosecutus est.

a) Finis universalis Io. est demonstrare Christi divinitatem. Quae demonstratio maxima ex parte hauritur e verbis ipsius Christi. Iamvero si Christus de sua divinitate multum agit, connaturaliter dominationem suam universalem in totum mundum, beneficia quae omnibus hominibus contulit, missionem suam universalem extollit. V. g. « dedit ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det ei vitam aeternam » (9) — *b)* Unus e finibus particularibus Io. est, ut quosdam haereticos refutet. (10) Inter quos inveniebantur Ebionitae. (11) Hi autem iudaizabant, (12) v. g. tradebant, legem Mosaicam adhuc valere. Unde Io. haud raro elegit ea Domini verba et facta, quae abolitionem huius legis respiciunt, uti v. g. in instructione Christi ad Samaritanam. Qua abolitione universalitas religionis a Iesu fundandae continetur. (13)

(1) Mt. 26, 13. — (2) Mission etc. [2] p. 36. — (3) Io. 3, 16. — (4) 6, 52. — (5) 9, 5. — (6) 10, 16. — (7) 12, 32. — (8) 17, 18-21. — (9) 17, 2. — (10) Iren. Adv. haer. l. 3 c. 11 n. 1-7; G. 7, 879-85. — (11) Ib. n. 7; G. 884. — (12) Id. l. 1 c. 26; G. 7, 686-7. — (13) De fine ev. Io. cf. Cornely, Comp. [6] n. 641 p. 521-2; id. Introd. III [2] n. 63-5 p. 238-97. — Knabenbauer, in Io. [2] 1906 p. 15-25.

Propositio 11. Iesus evangelium suum omnibus gentibus praedicari iussit idque ita, ut omnes omnium temporum homines omnem suam doctrinam qua revelatam et firma fide amplecti et opere complere deberent.

65. *Expl. term.* — Eam fidem intelligimus, quae implicite amplectatur omnia et singula quae Christus credenda imposuit, explicite saltem quaedam summa capita. Opere complenda dicimus ea praecepta, quae non tantum de veritatibus credendis agunt, verum etiam quasdam alias actiones faciendas praescribunt.

Arg. 1. — E confessione Christi.

Iesus ait:[1] « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient ». — Illud « oportet » praeceptum Patris significat.[2] Quod cum, Deo ita volente, per se ipsum explere non posset, nullum rationabile dubium est, quin apostolis illud exsequi mandaverit. — « Sanctifica eos (apostolos) in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum ut sint et ipsi sanctificati in veritate.... ut credat mundus, quia tu me misisti ».[3] Perfectum « misi » e sententia quorundam exegetarum est pro futuro;[4] secundum alios exprimit, apostolos a Domino ad munus apostolatus iam deputatos fuisse.[5] Utra opinio eligatur pro nostra re perinde est. — « Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.... ».[6] — « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur ».[7]

Arg. 2. — E testimonio aetatis primaevae christianae.

1) *E concessione* ipsius acerrimi *adversarii* huius theseos, Harnack, qui confitetur:[8] « Duodecim (apostolos) unanimi consensu unum

(1) Io. 10, 16. — (2) Tolet. ad l. ed. Lugd. p. 609. — (3) Io. 17, 18. 19. 21. — (4) Maldon. ad l. ed. Mog. p. 523. — (5) Tolet. ad l. ed. Lugd. p. 235 ut probabilius; Knabenbauer p. 540; Belser p. 456; Zahn p. 603. Cf. Io. 15, 16. 27. — (6) Mt. 28, 20. — (7) Mc. 16, 15-6. — (8) Dogmengeschichte I [4] p. 183 nota 3 e p. 180.

atque idem nuntiasse, *mundo* eos id nuntiasse, ad eum finem eos a Christo esse electos, communitates (christianas) testimonium duodecim apostolorum ut normam possidere,... theses sunt summi momenti, contentae vel in iis reliquiis literaturae ecclesiarum ethnico-christianarum, quas primas inter omnes novimus ».

2) *E testimoniis directis.* — *Mt.*[1] diserte ad Iesum applicat Is. 42, 1: « Ponam spiritum meum super eum et iudicium gentibus nuntiabit et in nomine eius gentes sperabunt». — *S. Paulus*[2] omnibus apostolis applicat, quod dictum est Messiae: « Sic enim praecepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae ». Quare ex eius mente omnibus apostolis id quoque applicandum est, quod de se ipso habet:[3] « Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens *(ἑκών)* hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus *(ἄκων)*, dispensatio mihi concredita est. » Quibus verbis clarissime de vero praecepto explicat eam missionem, de qua alias saepe loquitur, v. g.:[4] « Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te ». « Sed exurge et sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quae vidisti et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo et gentibus in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem quae est in me ».[5] Quare etiam confitetur:[6] « Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum », atque se missum esse affirmat « ad obedientiam fidei in omnibus gentibus » efficiendam (iuxta testum graecum).

Clemens Rom.:[7] « Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo. Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus sancti fiducia egressi sunt, adnuntiantes regni Dei adventum ».

(1) 12, 18-21. — (2) Act. 13, 47. — (3) 1 Cor. 9, 16-7. — (4) Act. 22, 21. — (5) Act. 26, 16-21. — (6) Rom. 1, 14. — (7) ad Cor. c. 42-43, 1.

Idem e scriptis apocryphis saeculi 2.i elucet. V. g. Praedicatio Petri haec habet: (1) « Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: non audivimus ». Acta Ioannis ad finem Ioannem ita ad Iesum orantem inducunt: (2) « Qui nos elegisti ad apostolatum inter ethnicos, qui nos misisti in mundum... ». *Pistis Sophia* (3) Iesum facit haec verba ad apostolos proferentem: « Laetamini et exultate, nam beati estis prae omnibus hominibus in terra, quia vos estis, qui salvabitis universum mundum ».

PROPOSITIO 12. Contra praeceptum Domini de convertendis ethnicis frustra ad quaedam verba eius atque facta provocatur.

66. *Ob.* 1) — Si Christus etiam ad id venisset ut vera religio gentibus quoque nuntiaretur, ipse hoc opus in se assumpsisset, praesertim cum ipse ad illud suscipiendum multo aptior fuerit quam apostoli. Iamvero ethnicis non praedicavit. Ergo de religione sua illis offerenda nequaquam sollicitus erat.

R. Dist. ma.: Illud opus in se assumere debuisset aut immediate aut mediate, c; necessario immediate, etiamsi optimae erant rationes, ob quas a praedicatione immediata abstineret, n. Contradist. min. *Expl.*

a) Etiam ethnici dici possunt conversi a Christo, si 1) apostolis doctrinam eum in finem explicavit, ut eam suo nomine atque e suo mandato tum Iudaeis tum ethnicis afferrent; si 2) eos optimis mediis instruxit, quibus hoc munus fructuose obirent. Iamvero primum hac propositione vidimus; alterum tum hic attigimus tum praecipue in doctrina de ecclesia evolvemus.

b) Rationes autem, quibus permotus Christus inter Palaestinae fines se continuerit, hae forte dici possunt: Dei et Christi specialis gloria, cum divina omnipotentia atque sapientia opus maximae difficultatis, gentium conversionem, per humiles Christi discipulos peregerit. — Christi dignitas; minus enim forte decebat, ipsam divinam atque sanctissimam Iesu personam iis commisceri, qui malos spiritus atque ipsa vitia sua divinis honoribus prosequebantur. Porro convenientius erat, eum, qui praecipue ad mysteria annuntianda venerat, in iis hominibus instruendis occupari, qui non prius ad ipsum Mo-

(1) Apud Clem. Alex., Strom. l. 6 c. 5 ad finem; G. 9, 263; ed. Stählin C B 15 p. 453. — (2) Act. apost. apocr. ed. Bonnet II 1 (1898) p. 211; vers. Edgar Hennecke, Neutest. Apokryphen, Tübingen 1904 p. 458. — (3) c. 8 n. 15; ed. Carl Schmidt C B 13 p. 97. — Cf. c. 7 n. 11.

notheismum erant erudiendi. — Ratio exempli diversarum virtutum. Etenim Iesus hoc agendi modo exercebat *α)* Obedientiam: « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel ». *β)* Humilitatem. Quamvis ob suae naturae humanae praeclara dona solis instar totum orbem ambire atque sapientiores quoque illuminare potuisset, de facto in orbis angulo paucos quosdam et rudes instituit. *γ)* Caritatem. Sicuti ipse res ita disposuit, ut apostoli etiam maiora miracula patrarent quam ea erant quae ipse fecerat, simili ratione externam gloriam fructuosissimae praedicationis apud ethnicos immediate suis concessit, mediate tantum in se ipsum refudit.

Ob. 2) — Messias promissus erat solis Iudaeis. Ergo impossibile est, eius mandata etiam gentes respicere. — R. Messias promissus est solis Iudaeis eo sensu, ut debeat apud eos prius praedicare quam apud caeteros atque iis primis bona Messianica offerre, c.; eo sensu, ut iis solis et mandata impositurus sit et bona Messianica per obedientiam illis praestitam allaturus, n. Caeterum Christus per fideles Iudaeos, scilicet apostolos suos, gentibus legem suam et fructus eius communicavit.

Ob. 3) — Christus negat, se de ethnicorum conversione sollicitum esse. Etenim mulieri Chananaeae respondet:[1] « Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel ». Ergo adiutorium ethnicis praestandum nunquam erat nisi exceptio; unde Mt. 28, 20 cum hoc versu componi nequit. Ita v. g. Reimarus,[2] Eduard von Hartmann,[3] Harnack.[4] — R. Iesus negat, se missum esse ut indirecte, per apostolos a se edoctos, ethnicis praedicaret. n.; negat se missum esse, ut directe, ipse proprio ore, eos instrueret, subdist.: ut id ordinarie et continuo faceret, c.; extraordinarie et interdum, n. — Rem ita intelligendam esse probatur iis, quae antea in thesi positiva tradidimus.

67. *Ob.* 4) — Christus supponit apostolos ethnicis praedicaturos non esse. Nam docet, in ultimo iudicio apostolos fore « iudicantes duodecim tribus Israel ».[5] Ergo satis clare indicat, tunc non fore alios quibus praedicaverint. Alias certe etiam illos iudicare deberent. Ita Harnack.[6] Simile quid innuunt Pfleiderer,[7] Bousset.[8]

(1) Mt. 15, 24. — (2) Vom Zwecke Iesu und seiner Jünger § 20, ed. citata p. 33 nota 4, p. 34. — (3) Das Christentum des Neuen Testamentes, ² Sachsa im Harz 1905 p. 103. — (4) Mission p. 33 cum nota 4. — (5) Mt. 19, 28. Cf. Lc. 22, 30. — (6) Mission p. 33. — (7) Urchristentum I ², Berlin 1902 p. 632. — (8) Die Religion des Iudentums ² p. 268-9.

R. Duplex habetur expositio textus: 1) Eo quod Christus effert, duodecim tribus Israel ab apostolis esse iudicandas, neque affirmat neque negat eorum iudicium etiam in alios homines fore extendendum. Id annuntiat, de quo apostoli, utpote Hebraei, proxime cogitant.[1] 2) A plurimis[2] additur, sub duodecim tribubus Israel omnes gentes comprehendi. Etenim exhibentur apostoli ut coniudices cum Christo, qui teste evangelio omnes gentes iudicabit. Porro e modo loquendi Novi Testamenti est, ut semen Abrahae designet omnes fideles. Denique populus electus in Vetere et Novo Testamento proponitur ut praecipua generis humani pars, cui gentes inserendae sint. Unde ea dignitas apostolorum, quod hanc nobiliorem generis humani partem iudicandam suscipiunt, aliqua ratione insinuat, etiam caeteros ab iis esse iudicandos.[3]

Ob. 5) — Mt. 10, 5-6 excluditur missio apostolorum ad ethnicos. Etenim Iesus iis dicit: « In viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel ». Quam difficultatem movent v. g. Reimarus,[4] Harnack.[5] — R. In his versibus est sermo de missione temporaria vivente Christo, c.; de omni missione, quae unquam apostolis imponenda erat, n. — Expl. *a)* Iesus certe postea apostolos misit ad ethnicos, hoc loco vero non dicit, se pro omni tempore ad solos Iudaeos eos mittere. Ergo nulla est oppositio inter utrumque mandatum. *b)* In hac ipsa oratione Christus significat eos aliquando etiam ad alios mittendos esse. V. g. v. 18.[6]

Ob. 6) — Mt. 10, 23 legitur: « Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis ». Sensus est: usque ad ultimum iudicium « non defuturas in Israel civitates, quae nondum evangelium audivissent, in quas possint apostoli, aliis civitatibus non recepti, confugere et in illis maiore cum fructu praedicare ».[7] Ergo secundum Christi mentem apostoli adhuc in convertenda ipsa Palaestina versabuntur, quando ipse ad ultimum iudicium venturus est. — Ita v. g. Harnack,[8] Schweitzer.[9]

(1) Ita Maldonatus ad. l. ed. Mog. p. 87 ut probabile; Meinertz o. c. p. 133 ut certum. — (2) Cf. Knabenbauer ad. l. p. 172-3. — (3) Ampliora de hac difficultate v. etiam Meinertz. p. 133-5. — (4) O. c. § 20 p. 34. — (5) Mission p. 33. — (6) Ampliora Meinertz o. c. p. 113-9. — (7) Ita Mald. ad. l. p. 312. — (8) Mission p. 33. — (9) O. c. p. 355.

R. *a)* Falsa methodus est sensu loci, qui ad obscuriores in toto Novo Testamento pertinet, sensum clarum aliorum textuum destruere velle. Quae falsa methodus quantopere invaluerit, etiam ex eo vide, quod Schweitzer hunc locum simul cum alio eschatologico habet ut « lapidarem » pro tota historia vitae Christi construenda ! Ratio autem praecipua difficultatis in hoc textu in eo est, quod et « Israel » et « venire » in Scriptura diversa significare potest. Quo sensu non sint sumendi hi termini, e locis clarioribus de convertendis ethnicis sane scimus ; quo sensu vero hic sumendi sint, inter doctos nondum constat. — *b)* Sat multi intelligunt « civitates Israel » solas civitates in Palaestina sitas, illud « veniet » vero interpretantur non de ultimo iudicio, sed vel de illo adventu, quo Iesus populum Israeliticum infidelem visitabit, eo quod destructione urbis sanctae poenam ei inferet, vel de resurrectione Christi, vel de tempore inde a resurrectione eius, vel de tempore a destructione urbis Ierusalem usque ad iudicium universale. — Alii censent hoc loco agi de adventu Christi ad iudicium universale ; civitates autem Israel significare civitates, in quibus Iudaei per totum mundum dispersi habitent ; apostolos autem, ad quos sermo dirigitur, esse duodecim in quantum corpus morale perpetuum formant, seu ipsos duodecim cum suis successoribus (cf. Mt. 28, 20). Quare hunc sensum statuunt : Iudaeorum natio integra non aggregabitur ad ecclesiam nisi sub tempus adventus mei, in quo ii ex Iudaeis qui infideles remanserant, postquam mundus ethnicus iam conversus erit, ecclesiae meae aggregabuntur. Idem hoc loco a Christo praedictum esse putant, quod Rom. 11, 25 a Paulo : « caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret ».[1]

Ob. 7) — Christus docet :[2] « Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato ». Iam vero haec verba supponunt, Christum ne cogitasse quidem de ea conditione rerum, in qua doctrina sua extra Palaestinam sparsa esset. Nam extra Palaestinam sabbatum non observabatur. — R. Neg. min. Loquitur Dominus de fuga eorum Iudaeo-Christianorum qui ante destructionem Ierusalem civitatem sanctam eiusve loca vicina habitabant. Qui eo tempore adhuc legalia observare pergebant.

(1) Cf. sententias apud Knabenbauer in Mt. p. 411-3. — Agi de sola Palaestina, recenter Meinertz p. 119-22. — (2) Mt. 24, 20.

CALIF. PRO

LIBER II.

De motivis credibilitatis, quibus testimonium Iesu Christi de sua dignitate probatur.

Sectio I. De argumento ex humana auctoritate Christi.

Propositio I. Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur auctoritate eius humana.

1. *Literatura.* — Cum auctores paucissima habere soleant, quibus ostendatur num et ubi sive elementa huius argumenti sive ipsum argumentum in literatura praecipue veterum contineatur, quaedum hic apponere iuvabit.

Tempore Patrum. — S. Iustinus, Dialog. c. Tryph. n. 7 G 491 A; Otto I[3] p. 31 quoad prophetas omnes, quorum primum habet Christum. — Clem. Alex., Paedag. 1, 11 G 8, 366 C; C B 12, 148. — Orig. c. Cels. 1, 43 G 11, 742; C B 2, 94; porro 1, 11 G 11, 675 C; C B 2, 63-4; cf. 3, 35. — Lactant., Inst. div. 1, 4 L 6, 127-9 quoad omnes prophetas. — Euseb. elementa argumenti exhibet v. g. Contra Hierocl. c. 32, c. 42 G 22, 842, 854; Demonstr. evang. 3, 6 G 22, 225-97; Praepar. evang. l. 14 et 15 G 21, 1180-1408. — Aug. De civ. Dei 19, 33, 4 L 41, 653. — Eznik, Contra sectas 4, 3. 7.

Medio aevo. — Petrus Vener., Contra sect. Sarac. L 189, 677 D-79 A. — (Pseudo-) Bonaventura, Stimulus divini amoris, pars 1 c. 6 ed. Moguntiae 1609 tom. 7 p. 198. — Savonarola, Triumph. cruc. l. 2 c. 13.

Temporibus recentioribus. — Lud. Vives, De verit. fid. christ. l. 2 c. 14 ed. Basil. p. 147-8. — Greg. a Valentia, Analysis fidei l. 1 c. 19. — Suarez, De fide disp. 4 s. 3. n. 5. — Lugo, De fide disp. 5 s. 4 n. 54. — Ottiger thesis 31.

A. a Bulsano, Inst. theol. dogm. fund. § 126, 2. — Kenrick, De rel. revel. n. 423 sq. — Hurter, Theol. gener., tract. 1 s. 2 art. 2 ab initio. — Mazzella n. 278, 6. — Pesch, Institt. prop. 9. — Tanquerey[13] n. 352-63 p. 199-206. — I. Müller, de vera relig. th. 37. — Casajoana, Disp. schol. dogm. I th. 24, 5. — Zaccherini, Prael. theol. spec. I n. 474 p. 374. Segneri, Quaresimale, predica 20. — Storchenau, Zugaben zu der Philosophie der Religion, t. 2 diss. 1. — Nicolas, Etud. philos. sur le Christ.me t. 2 pars 3a c. 2. — Bougaud, Le Christian. et les temps présents, t. 2 3ième partie, ch. 8 initio. — Devivier, Cours d'Apologétique[15] p. 225-30. — Hettinger, Apol. 17 und 18 Vortrag, ed. 8a tom. 2 p. 390-510; id. Lehrb. d. Fundamentaltheol. § 44 V 3 — Heinrich, Dogm. Theol. I

§ 49 II. — Roh. 21 Predigten, 8 Predigt. — Schanz[2] Apol. II § 25 n. 2 et 18. — Granderath, in Stimmen aus Maria Laach tom. 40 p. 44-6, tom. 43 p. 177. — Young, The Christ of History, London p. 41 sq. — C. A. Row, Christian Evidences, lect. 2 London. — W. Channing, Character of Christ, Boston 1875 p. 305-6. — Anton Seitz, Das Evangelium vom Gottessohn, Freiburg 1908 p. 174-80.

E scriptis adversariorum qui in Christo status pathologicos ponunt, praecipue commemorari possunt: Oscar Holtzmann, War Iesus Exstatiker?, Tübingen 1903 pp. 143. — Alb. Kalthoff, Das Christusproblem. Leipzig 1903 pp. 93. — Idem, Die Entstehung des Christentums, ib. 1904 pp. 155. — Emil Rasmussen, Iesus, Eine vergleichende psycho-pathol. Studie, Leipzig 1905 p. 167. — de Loosten, Iesus Christus vom Standpunkt des Psychiaters, Bamberg 1908 pp. 104, ubi multa alia lit.

Tales adversarios oppugnant e protestantibus v. g. H. Schäfer, Iesus in psychiatrischer Beleuchtung, Berlin 1910 pp. 178, qui tamen multa alia falsa docet. — Herm. Werner, Die psychische Gesundheit Iesu, Berlin 1908 pp. 64.

Multa a diversis partibus dicta inveniuntur in Schweitzer o. c.

Tractationem ampliorem theseos nostrae eodem ordine dispositam atque hic habetur, v. van Laak, Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur auctoritate eius humana, Romae 1905, lith. pp. 43.

2. *Status quaestionis. — Modus procedendi.* — 1) In tractatu de revelatione in genere propositione 28[a] vidimus, posse esse eiusmodi circumstantias e statu mentis atque morum et legati divini desumptas, quibus certum sit, eum veracitate et scientia debita instructum esse quoad ea affirmanda, quae caeteris ut fide divina credenda proponit. Hac thesi demonstramus, eas esse circumstantias desumptas e statu mentis et morum Christi, quibus constet, eum, cum se diceret legatum divinum in omni sua doctrina, Messiam, Filium Dei, debita et veracitate et scientia instructum fuisse. Est ergo haec thesis *applicatio propositionis 28[ae] e priore tractatu.* Unde pro explicatione terminorum ad thesim e tractatu priore remittendum est.

2) Ut applicatio theseos 28[ae] e tractatu de revelatione in genere haberetur, sufficeret probare, in mendacio, quod Christo in hoc testimonio reddendo ascriberetur, futuram fuisse oppositionem ad eam Christi probitatem quam aliunde novimus; in errore porro quem in hac re asserenda commisisset, oppositionem ad eam eius scientiam et sapientiam, quae aliunde nobis perspecta est. *De facto* vero plus demonstrare possumus, scilicet, *Christum, si in hoc testimonio reddendo mentitus fuisset, futurum fuisse malitiae portentum,*

si errasset, insanum. Quod si demonstramus, habetur applicatio theseos 28ae *eiusmodi, qua evidentior haberi non posse videtur.* Cum non vacet utrumque modum applicationis proponere hunc solum secundum modum evidentissimum eligimus.

3. Argumentum e natura rei haustum ita proponi potest: Si Christus in testimonio de se ipso reddendo deceptor aut deceptus fuisset, aut pessimus fuisset aut insanus. Atqui neque pessimus erat neque insanus. Ergo testimonium quod de se reddidit, verum est.

Probatur maioris pars prima: **Si Christus in hoc testimonio reddendo decepisset, fuisset sceleratissimus, idque et obiective et subiective.**

1) *Fuisset pessimus, si primo malitia consideratur obiective.* Etenim peccasset *a) contra Deum et semetipsum.*

4. *a) Superbia.* Quaecumque enim excelsa sunt atque sublimia de se ipso indebite ut fide divina credenda proposuisset: *Sanctitatem* perfectissimam: Io. 8, 29, « quae placita sunt ei (Patri meo) facio semper ». — *Munera excellentissima:* propheticum, uti thesi 1a sectionis primae probavimus. Quam suam cognitionem propheticam ita extollit, ut dicat Io. 14, 10: « ego sum via, veritas et vita », Mt. 11, 27 « et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare ». Munus *regium* Mt. 28, 18: « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo ... ». Quare leges fert Mt. 28, 20: « .... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis »; media omnia efficaciter praebet, quibus usque ad consummationem saeculorum observatio harum legum urgeatur Mt. 28, 20: « ego vobiscum sum »; in nubibus coeli veniens iudicium in omnes gentes exercebit, Mt. 25, 31-46; 26, 64. Denique munus *sanctificatoris* unici pro omnibus hominibus sibi ascribit; Io. 1, 29 approbat doctrinam Baptistae: « ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi »; Mc. 16, 16: « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui non crediderit condemnabitur ». — *Dignitatem plane singularem suae personae* ascribit. *Se* Io. 8, 52 *maiorem dicit Abrahamo,* Mt. 12, 41, 42 Salomone et Iona, Mt. 13, 17. 21, 37 sq. omnibus *prophetis. Praeexistentiam* atque aeternitatem sibi ascribit Io. 17, 5: « Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te »; « Antequam Abraham fieret, ego sum ». *Locum, in quo commoratus fuerit atque commoretur, esse coelum,* Io. 3, 13: « Et nemo ascendit in coelum, nisi

qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo ». Affirmat *se omnia videre atque operari quae operetur Pater*, Io. 5, 19: « Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium et omnia demonstrat ei, quae ipse facit... Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult vivificat ». Tandem *eandem naturalem perfectionem sibi attribuit, quam habet Pater:* « sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso ». Admittit confessionem Thomae dicentis sibi: « *ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου* ».

5. *b)* Peccasset *contra genus humanum eo quod maxima crudelitate* malis horrendis illud cumulasset.

Destruxisset, quantum ex eo erat, *dignitatem humanam*, iubendo ut omnes verba humana crederent qua divina, ritus ab impostore institutos venerarentur ut necessariis ad vitam aeternam, hominem adorarent ut deum.

Abstulisset sine ratione bona terrena, praecipiens ut propter fidem in suam dignitatem bona terrena profunderent et sanguinem. Quae mala futura esse non tantum coniectura aliqua suspicatus est, sed affirmavit, se certitudine prophetica praevidere, de facto plurimos ea subituros esse. Cf. v. g. Mt. 13, 12. Inobedientibus vero aliquando poenas terrenas minatus est. Ita vaticinatus est, civitatem sanctam propter incredulitatem suam destructum iri.

Tandem *quasi insidiatus esset hominum vitae aeternae.* Etenim si homines id omittunt, quod in re gravi faciendum esse quamvis erronee putant, graviter peccant atque proinde in aeternum damnantur. Iamvero ex una parte Christus omni ratione studuit hominibus persuadere, difficillima sibi etiam cum vitae iactura esse credenda atque difficillima opera e lege christiana esse complenda. Imo Dominus Mt. 19, 3-10 praeceptorum naturalium dispensationes a Moyse concessas abrogavit, itaque viam mandatorum in se difficiliorem reddidit atque antea erat. Ex alia parte e supposito optime sibi conscius erat, se nullas novas vires (gratiam sanantem) ad facienda bona humano generi addere posse.

Iuverit ob quasdam difficultates recenter factas etiam illud addere, quantopere Iesus et contra reverentiam divinae revelationi debitam et contra salutem humani generis eo peccaturus fuisset quod *quantum in eo erat, impossibile reddidisset Deo quidem revelare, homini-*

bus vero credere. Omni enim specie motivorum credibilitatis, quibus potuit, revelationem falsam circumdedisset. Qua ratione quam ingens damnum ipsi religioni naturali, divino honori, saluti generis humani non inferri non posset, ex iis collige quae in tractatu de revelatione in genere de utilitate atque necessitate morali revelationis docuimus.

2) *Subiective Christus totam hanc malitiam contraxisset.*

Etenim *a)* In maiore parte eorum quae diximus ratio criminis *ne rudem quidem hominem effugere poterat.* — *b)* Quanto minus ea latere poterat eum, cuius *insignis in re ethica doctrina* ab ipsis Rationalistis extolli solet. — *c)* Iesus, utpote Iudaeus optime *in lege instructus*, non ignoravit crimen morte luendum esse, si quis etiam semel nomine Dei falsa annuntiaret, Deut. 18, 20: « Propheta qui arrogantia (depravatus) voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficiatur ». — *d)* Cresceret haec malitia plurimum eo, quod Christus ea omnia *adiuratus* affirmavit (Mt. 26, 62), quod ea omnia *morte sua quasi sigillavit,* quod plurimis *criteriis credibilitatis* ea omnibus persuadere nitebatur.

PROBATUR PARS SECUNDA MAIORIS: **Si Christus in hoc testimonio reddendo deceptus fuisset, insanus fuisse dicendus esset.**

7. Is certe insania laborat qui de se affirmat: 1) Res maximi momenti quae nulla ratione probari possunt, vel evidenter falsae sunt. — 2) Quae tamen facillime et clarissime experientia externa vel interna ut falsae cognosci deberent. — 3) Idque e rationibus evidenter nullius valoris. — 4) Attamen cum maxima mentis adhaesione. (1)

Iamvero Christus 1) dixit *res quae nullo modo probari possent*, v. g. ea, quae protulit de sua dignitate, de necessitate panis coelestis,

(1) De notione et signis insaniae cf. e philosophis Tilmann Pesch, Institutiones psychologicae, Herder 1897 Pars I l. 2 p. 388. — Gutberlet, Die Psychologie [3], Münster 1896 p. 98-101. — E lit. medic. cf. v. g. breviter Encyclopaedia medica italiana 1878 : mentali malattie. — Omnia e parte philosophiae atque scientiae medicae praeclare comprehendit atque plurima lit. fulcit Julius Bessmer S. I., Störungen im Seelenleben, [2] Freiburg 1907 pp. 227. — Idem. ib. Die Grundlagen der Seelenstörungen 1906 pp. 192. In quibus libris multa etiam de insania in ideis religiosis habet. In priore libro p. 157-9 v. quaedam de oppositione inter statum mentis Christi atque eiusmodi status morbosos.

de poena certa urbis Ierusalem, de morte sua futura; *vel ea quae quam maxime ex suppositione adversariorum essent absurda,* v. g. se audire omnia a Deo, videre omnia opera quae agat Deus, imo se ipsum agere omnia quae agat Deus, se fuisse ante Abraham, esse in coelo.

2) Res de se affirmavit *quae facillime et clarissime ut experientiae internae contraria deberent esse cognitae.* Etenim sibi ascripsit facta psychologica, quae nonnisi a mente sui conscia procedere possunt, v. g. se audire omnia a Deo, videre omnia quae agat Deus atque omnino ideo se omnia agere quae agat Deus; porro *facta quae conscientiam minime fugere poterant*, v. g. se exstitisse ante Abraham, habuisse gloriam apud Patrem iam ante mundi constitutionem.

3) Haec omnia Iesus e *rationibus evidenter nullis* conclusisset. Nam *a)* a priori nihil horum deducere poterat, cum agatur de factis. — *b)* Nulla testimonia externa homini sanae mentis persuadere possunt, nulla facta vel speculationes ad id eum inducere possunt, ut affirmet se certissime interne audire, videre, agere quae neque audit neque videt neque agit. — *c)* Speciatim impossibile est taliâ, vel dignitates prophetae, regis messianici, filii Dei ex sentimentis amoris Dei deducere.

4) Haec *omnia maxima cum certitudine*, ut ob auctoritatem divinam credenda *proposuit.*

Probatur minor: **Christus neque sceleratissimus neque insanus fuit.**

1) Probatur utrumque per modum unius.

8. *a) Deus* usus est Christo ut *causa praecipua instrumentali*, per quam orbem terrarum participem reddidit maioris et *sapientiae et honestatis* quae unquam in terris visa est. Atqui repugnat amori, quo Deus rationem et sanctitatem amplectitur, ut hos effectus produxerit mediante homine inter omnes nequissimo et insano. (1)

b) Ii ipsi *adversarii* revelationis per Christum impertitae qui saltem aliqua ratione fontibus historicis innituntur atque saltem aliquem sensum recti retinuerunt, *Christi et sanctitatem et sapientiam admirari solent,* id quod in thesibus de admirabili Christi sapientia

(1) Cf. tract. de revelatione in genere prop. 30ª. Eius applicatio ad Christum postea data opera evolvetur. Cf. interim v. g. Orig. c. Cels. l. 2 n. 29 G 11, 850 A; C B 2, 157; porro l. 8 n. 43 G 11, 1579 C, C B 3, 257-8. — Euseb., Praep. evang. l. 5 c. 1 G 21, 514 A; Demonstr. evang. l. 3 c. 3 integrum, G 22, 187-91.

et sanctitate ampliori modo videbimus. Qua in re evidentiae, quae e fontibus historicis elucet, vel saltem sensui humani generis cedunt. Ii vero, qui Christo et enthusiasmum insaniae similem et simul maximam sapientiam tribuunt, implicite negant quod explicite statuunt.

2) PROBATUR MINOR PER PARTES. — *a)* CHRISTUS NON ERAT MALITIAE PORTENTUM.[1]

9. *a)* Postea data opera, independenter ab hac thesi probabimus Christum *admirabili sanctitate* insignem fuisse. Ergo saltem non erat scelestissimus.

β) Facile conceditur, Christi vitam *perfectissimae sanctitatis, ergo saltem probitatis externam speciem* prae se tulisse. Si ergo, non obstante hac specie maximae virtutis, tamen malitiae portentum fuisse statuitur, innumera et maxima documenta amoris erga deum et homines, misericordiae, patientiae, orationis, obedientiae, zeli animarum etc. quae in Christo miramur, *ex simulatione ortum habere* dicenda essent. Iamvero hoc *impossibile est* Etenim

I. Iesus continuo et sine ulla exceptione tantum eiusmodi actus posuit, qui probitatis saltem speciem habebant, eosque difficillimos et per longa tempora. Iamvero nisi virtute vera praeditus fuisset, *ne species quidem talis virtutis diu produci potuit*, sed secundum leges morales actibus contrariis turpiter interrumpi debuit.

II. *Nullum aderat motivum*, quod Christum ad simulationem impulit. Non *divitiae*, quas contempsit; non *voluptates* carnis, e quibus ne licitas quidem admisit sed virginitate servata sprevit; non *gloria humana*, quae ex eo proveniret, quod dignitates suae sublimes agnoscerentur. Nam Iesus ab omni inordinato gloriae studio alienus erat. V. g. regimen terrenum repudiavit (Io. 6, 15). Ipsam Messianicam atque divinam suam dignitatem non passim praedicari permittebat.[2] Famam sanctitatis non captavit, sed falsa multorum aequalium de sanctitate iudicia[3] sprevit. V. g. non sequebatur procerum iudicia quoad observantiam traditionum quarundam humanarum, non vitae

(1) Cf. etiam breviter quasdam rationes in Lepin, Iésus Messie et Fils de Dieu[4] 1910 p. 152-3. — (2) Cf. theses, quibus probatum est, Iesum sibi ascripsisse dignitatem Messiae atque Filii Dei naturalis. E Patribus v. g. Arnob., Adv. Gentes l. 2 c. 1 L 5, 812-4 A. — (3) De ideis falsis multorum Iudaeorum quoad veram pietatem cf. quaedam in Schürer, Geschichte des iüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christi II[3] p. 464-91. — Bousset, Die Religion des Iudentums[2] 1906. Qui tamen in iudiciis suis falsa veris intermiscent.

rationem austeram, quam recte observabat Baptista, quam etiam a Christo observandam esse multi putabant. Miracula saepe abscondebat etc.

b) Christus non erat insanus.

10. *α)* Postea data opera probabimus Christi *maximam sapientiam*, quae manifestatur tum in singulis veritatibus speculativis vel practicis quas praedicavit, tum in earum connexione, tum in modo eas proferendi. Iamvero maxima sapientia non stat cum insania.

β) Postea probabimus Christi *mirabilem sanctitatem*. Mox probavimus eius *probitatem*. Iamvero neque mirabilis sanctitas neque vitae probitas sine *virtute prudentiae* habetur. Prudentiae vero virtus in insano non invenitur.(1)

γ) Ex defectu signorum insaniae. Talia signa non adfuisse et ex ipso evangelio patet et ex iudicio aequalium cum amicorum tum inimicorum eruitur. Amici Christi neque fide summa neque impenso amore prosecuti essent hominem insanum; inimici eius non omne belli genus contra insanum movissent, sed Iesu insaniam manifestassent atque ita eum certissimo et universali despectui et visui exposuissent.

δ) E prudentia et animo pacato qui in Iesu conspicitur. V. g. et ipse legitimam auctoritatem synagogae atque Romanorum agnoscit et omnes ad eam agnoscendam hortatur; in doctrinis proponendis rationem habet audientium dispositionis, capacitatis, status; inter praecepta et consilia sapienter distinguit etc.(2)

Argumentum ex auctoritate apologetarum etiam huic modo demonstrandi dignitates Christi favet. Id quod v. g. vide ex iis auctoribus, quos in Lit. attulimus.

DIFFICULTATES.

Contra ipsam thesim.

11. *Ob. 1)* E verbis Christi. — Io. 5, 31 Christus ait: « *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum* ».

(1) Cf. de hoc argumento pulcherrime disserentem Lactant., De div. inst. l. 5 c 18 L 6, 607-8. — S. Chrys., In S. Babylam n. 3 ed. Montfaucon II 2 p. 646. — (2) Id quod confitetur v. g. etiam Harnack, Dogmengeschichte I [4] p. 77; idem, Wesen des Christentums [2] sermo 4 p. 42; sermo 2 p. 22-3. — Channing o. c. p. 306. — Edmond Stapfer, Iésus-Christ avant son ministère [4] Paris [s. d.] p. 207.

— R. Sensus est: meum testimonium ex vestra opinione non est fide dignum, quare *huic argumento nunc non insisto.* Hanc explicationem postulat Io. 8, 14: « Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, (primo) verum est testimonium meum, quia scio unde veni et quo vado », secundo facile, ut puto, conceditis, me non mentiri.[1]

Ob. 2) Ex effectu non secuto. — Argumentum ex auctoritate humana *movisset praecipue continuos Christi socios.* At Petrus eum negavit, Iudas eum prodidit.[2]

R. Petrus iudicium credibilitatis non amisit, cum Christum negavit. Quod Iudas non videtur credidisse, non magis efficaciae huius argumenti obest quam eius argumenti quod v. g. e miraculis Christi petitur, vel omnium argumentorum simul quae ante oculos proditoris versabantur.

Ob. 3) Ex paritate.[3] — *Ethnici* plurimi se dixerunt deos. Simon Magus se dixit « vim Dei magnam ».[4] — Plusquam 100 Pseudo-Messiae Iudaeorum[5] habentur. — *Mahomed,*[6] pseudo-prophetae inter Christianos, etc. sibi dignitatem propheticam ascribebant. — *Comte*[7] se habuit magnum orbis reformatorem. — Adhuc 1902 *Smyth Pigott*[8] Londini se declaravit Messiam. — *Mrs. Mary Baker*[9] quae mox defuncta est, sibi similem dignitatem ascripsit. Quibus omnibus plurimisque aliis de sua dignitate sublimi testantibus non credimus. Ergo a pari Christo de se ipso testanti non est credendum.

(1) Knabenbauer, Com. in ev. Io. ad utrumque locum. — Simili ratione Meyer, Das Ioh.-Ev. — (2) Tales difficultates iam affert Celsus; cf. Orig. c. Cels. l. 2 n. 11 col. 815 D. — Ibidem, porro n. 18 col. 834 C responsum Origenis habes. — (3) Quam vulgatissimam obiciendi rationem cf. etiam in Steinmann, Die geistige Offenbarung Gottes in der geschichtlichen Person Iesu, Göttingen 1903 p. 18-24. — (4) Act. ap. 18, 12. — (5) Granderath, in Stimmen aus Maria Laach 17, 1879 p. 42-64, 181-200, art.: Die Trümmer des israelitischen Volkes als Zeugen für den göttlichen Ursprung des Christentums p. 57-61. — (6) Cf. Hubert Grimme, Mohammed, 2 Teil, Münster 1895 pp. 180 p. 98-105: Stellung Mohammeds unter den Propheten. — Ampliora apud Otto Pautz, Muhammeds Lehre von der Offenbarung quellenmässig untersucht, Leipzig 1898 pp. 304, c. 1 Muhammeds Prophetenbewusstsein p. 12-68. — William Muir, The Life of Mohamed from original sources[3] London 1894 pp. 536, ch. 3 p. 38-54. — (7) Comte, Système de politique positive IV p. 502. — (8) Cf. Kölnische Volkszeitung 12 Sept. 1902 n. 813. — (9) Cf. v. g. librum quasi symbolicum huius sectae: Science and Health[1] 1875; Miscellaneous Writings[1] 1897, alios. Vere oppositam esse hanc « scientiam » universae indoli evangelicae praeter alios ostendit Protestans M. Haldeman, Christian Science in the Light of the Holy Scripture, New-York 1909.

R. *Nego paritatem.* — Ii quos enumeravimus edixerunt quidem huiusmodi res de se ipsis, at primo non omnes ipsam divinam naturam vel rationem revelatoris vere talis divinorum consiliorum sibi ascripsisse videntur. Secundo, eorum veracitas et scientia in hoc testimonio reddendo demonstrari nequit, imo multorum demonstrari potest aut ea malitia quae ne a tali quidem mendacio abhorret, aut stultitia aut malitia atque stultitia simul. Argumentum autem nostrum *non est ex nudo testimonio Christi* de se ipso, seu ex eo quod talia de se affirmavit, sed ex *auctoritate humana*, qua tale testimonium de se ipso credibile reddebatur. De singulis hominibus vel eorum classibus, quae in obiectione nominantur, plura aliis in occasionibus dicentur.

Contra argumenta.

12. *Ob. 4) Etsi Christus scienter falsa dixisset, tamen non fuisset pessimus.* Etenim recte v. g. iam olim Marcion, inde a fine saeculi 18[i] theologi plurimi Protestantes defendunt, licere *ad finem bonum* interim falsa proponere vel saltem permittere ut discipuli falsa sentiant. [1] Iamvero Christus intendebat finem optimum ut scilicet humanum genus, proxime populum suum, ad religionem intimae persuasionis de Deo patre perduceret. Quem nobilissimum finem assequi non potuit, nisi eo quod *se ideis religiosis Iudaeorum accomodavit* atque proinde se exhibuit prophetam atque Messiam, vel saltem permittebat sibi has dignitates ascribi.

R. a) Christus non tantum non impedivit quominus hae dignitates sibi ascriberentur, sed omni ope *id egit ut eae sibi attribuerentur.*

b) Saltem is, qui sine magno damno id potest, ex caritate *obligatur ne* errores Deo quam maxime iniuriosos et humano generi noxios omnino *permittat.* Iamvero Christus certe eiusmodi errores

(1) Quod hodiernis theologis vel praedicatoribus Protestantibus licitum esse defendere videntur quidam etiam recentiores, v. g. Krüger, Was heisst u. warum studiert man Dogmen-Geschichte p. 62-5. — De veterioribus Rationalistis cf. v. g. Heinr. Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss II p. 284-8. Porro Wegscheider, Institutiones Theologiae christianae dogmaticae[8] Lipsiae 1844 § 25 De accomodatione p. 119-22. — In K-L[2] I col. 154-5 et praecipue in R-E[3] I p. 129 eiusmodi Rationalistae citantur. — De theoria illa eiusque initiis in theologia Protestantium Germaniae per Semler factis v. Heinrich Hoffmann, Die Theologie Semlers, Leipzig 1905 pp. 128, p. 89-94.

de sua dignitate sine ullo suo damno impedire poterat. Imo qui ex officio constitutus est ut vera doceat, quae opposita sunt ne permittere quidem potest. Scivit autem Christus se esse datum in « lucem mundi ».

c) Stultum est fingere Christum quidem interim talia docuisse, eum vero postea ea corrigere voluisse. Etenim iussit apostolos eorumque successores, ea quae ipse docuerat *usque ad consummationem mundi credenda proponere.*

d) Ad eum finem, ut Iudaei sibi persuaderent, Deum esse bonum patrem eorum qui eum diligunt, *non erant ementiendae dignitates prophetae, Messiae, ipsius Filii Dei.* Sufficiebat inculcare quod prophetae docuerant.

e) Nullum medium magis ineptum est *ad religionem vel naturalem firmandam* quam eam revelatione falsa tueri atque promovere velle. Cfr. arg. Nullum medium magis ineptum est ad omnem verum cultum Dei destruendum quam creaturam Deum constituere.

f) Unde etiam multi Protestantes vel liberaliores gravitatem peccati in eiusmodi accomodatione agnoscunt.[1]

Ob. 5) Multi homines aliquas falsas et absurdas persuasiones habent, v. g. ideas Kantianas, pantheisticas. *Multi etiam maiora de se autumant atque sperant quam par est. Nemo tamen ideo eos insaniae accusat. Ergo a pari* neque Christi falsae sententiae aut exaggerata sui aestimatio, quam statuendam putamus, probant eum insanum fuisse.

R. N. paritatem. Quae in obiectione posita sunt, arguunt malum usum rationis, quin eius potentia ad invigilandum viribus cognoscendi inferioribus easque corrigendas turbata sit. In Christo vero ea statuenda essent quae arguunt talem potentiam turbatam esse. Cfr. arg.

Ob. 6) Christus erat homo malus. Quod probat *a) persuasio Iudaeorum tempore Christi,* qui dicebant eum a daemone possessum esse (Io 7, 20 ; 8, 48, 52, 10, 20), eumque foedus cum diabolo iniisse, Mc. 3, 22. — *b)* Idem demonstrat persuasio *plurimorum ethnicorum* tempore Eusebii, qui Christum habebant « praestigiatorem ac seducto-

(1) Cf. v. g. W. Baldensperger, Das Selbstbewusstsein Iesu im Lichte der messianischen Hoffungen seiner Zeit [2] p. 280. — B. Weiss, Leben Iesu [4] I p. 184 agens de accomodatione in miraculis patrandis.

rem »; [1] *Iudaeorum post Christum*, uti patet e Tholedoth Ieschu'a; [2] *aliquorum Christianorum*, inter quos quidam Gnostici. [3] — *c)* Accedunt peccata quae Iesus commisit, v..g. quod in nuptiis in Cana convivas ad ebrietatem excitavit, quod porcos Gerasenorum pessumdedit.

R. a) Iudaei quidam aequales Christi haec dicebant, c.; *ipsi ita sentiebant, p. prob.* Silent cum a Christo interrogantur: « Quis ex vobis arguet me de peccato ? » Si vero eiusmodi convicia e persuasione proferebant, haec persuasio nullo fundamento innitebatur. V. g. eum possessum esse ex eo colligunt, quod a Christo iuste reprehenduntur; eum foedus cum diabolo iniisse dicunt ob eiusmodi miracula, quorum origo divina haud difficile cognosci poterat.

b) Iudicia Iudaeorum subsequentium nullis factis historicis innituntur. Imo auctoritas Tholedoth Ieschu'a a doctis risu excipitur. [4] Perseverantia vero talium iudiciorum explicatur tum ex ignorantia tum ex perseverante odio et virtutum, quarum exemplar erat Christus, et effectuum bonorum, quos continuo in mundo producit. Similia quibusdam sanctis acciderunt. [5]

c) Etsi ista peccata vera essent, tamen primo *non* eam *malitiam arguerent*, quae in Christo statuenda esset, si in religione christiana humano generi imponenda deceptorem egisset. At de facto *ne umbram quidem peccati continent*, sed plena sunt sanctitatis. Id quod alio loco videbimus, v. g. cum de veritate theologica miraculorum Christi agemus.

Ob. 7) Christus insania laboravit. Hoc patet *a)* E *signis insaniae.* Maledexit enim ficui (Mt. 21, 18, 17; Mc. 11, 12-14) — *b)* E *iudicio aequalium*: Mc. 3, 21: « sui exierunt tenere eum, dicebant enim: quoniam in furorem versus est ». Io. 10, 20: « Dicebant autem multi ex

(1) Cf. Euseb., Demonstr. ev. l. 3 c. 2 G 22, 187 A. — Similia Celsus profert multis locis, quos v. collectos apud F. S. Muth, Der Kampf des Philosophen Celsus gegen das Christentum, Mainz 1899 pp. 229 p. 99-102. — (2) Iudicia sinistra Iudaeorum de Christo v. Heinr. Laible, Iesus Christus im Talmud, Leipzig 1900, p. 39 88. (hebr. et germ.). — Hermann L. Strack, Iesus, Die Häretiker und die Christen nach den ältesten jüdischen Angaben, Leipzig 1910, pp. 86* + 40, c. 4 de Iesu p. 18*-47*, item p. 1-21 loci hebraici. — (3) Cf. Orig. c. Cels. l. 6 n. 28 col. 1335. — (4) Cf. v. g. Ioh. Buxtorf, De Abbreviaturis Hebraicis 1708 p. 203. — (5) Cf. quae sapienter adnotat Bened. XIV, De servorum Dei beatificatione etc. l. 2 c. 41 n. 2 ed. Rom. 1749 tom. 2 p. 471; n. 5 p. 473; n. 6 p. 473; n. 7 p. 474. Exempla talia c. 41-2 p. 469-90.

ipsis: Daemonium habet et insanit; quid eum auditis ? » Idem fere est *iudicium recentiorum Rationalistarum*, qui verbis quidem Christi insaniam negant, re autem talem *Enthusiasmum morbosum* Christo ascribunt, quem ab insania vix distinguere potes. Renan o. c. p. 277 confitetur: « des actes, qui seraient maintenant considérées comme des traits d' illusion ou de folie, ont tenu une grande place dans la vie de Iésus ». Atque in genere doctrinam Renan ad assertionem insaniae Christi perducere, si sibi constet, v. Lepin o. c. p. 154-69. — *c)* Quidam etiam *causas talis status anormalis* assignant. Causae ex ipsa persona Christi oriundae erant v. g. animi inclinatio in res divinas, experientia qua sentiebat se amare Deum atque vicissim a Deo amari; causae externae dici possunt v. g. educatio in solitudine Nazarethana, lectio eorum quae Vetus Testamentum de Messia habet, narrationes parentum de « visionibus » ad Iesum pertinentibus, v. g. de apparitione archangeli Gabrielis ante Christi conceptionem praecipue vero effectus mirabiles, quos Iesus sua praedicatione in aequalium corporibus et animis praeter omnem exspectationem produci expertus est.[1] — *R.* Neg. assertum. Ad rationes additas:

a) Poenam arbori ut culpabili intulit, n.; *damnum arbori intulit in signum poenae populi Israelitici,* in quantum ficus in imaginem increduli populi Israelitici assumpta erat, c.[2] — Similes modi docendi, scilicet per symbola, in omnibus gentibus inveniuntur; praecipua ratione congruunt cum modo docendi caeterorum prophetarum, qui uti Ier. 13, 1-11,[3] Ezechiel 12, 1-20 non raro talibus symbolis utebantur; similia aliquando in vitis Sanctorum narrantur. Hoc ipsum

(1) Wegscheider insistit lectioni sacrae Scripturae; Paulus narrationibus parentum; Renan, Vie de Iésus ed. 18, 1883 c. 3-5, 7, 15, 17, 19 indoli Orientalium atque fere omnibus aliis dispositionibus; Pfleiderer, Religionsphilosophie[2] II p. 186 sq., 191 sq., ed. 3 1896 p. 254 sq. ad explicandam mentem Christi undequaque omnia congerit; O. Holtzmann, War Iesus Exstatiker, per totum, ut signa status istius pathologici affert visionem in baptismate, historiam tentationis, expectationem parusiae proxime imminentis. — (2) De qua explicatione cf. S. Aug., De moribus eccl. cath. et de moribus Manich. l. 2 c. 17 n. 57 L 32 col. 1368. Plura de « symbolica significatione » huius miraculi Fonck, Die Wunder des Herrn[2] Innsbruck 1907 p. 462-7. — Ottiger ad thesim c. — Knabenbauer ad l. — E Protestantibus B. Weiss ad l. — De simili agendi ratione S. Francisci Assisiensis deque simili explicatione huius facti cf. Bened. XIV o. c. l. 4 pars 1 c. 24 n. 14 ed. Rom. 1749 p. 382. — (3) Cf. Knabenbauer, Com. in Ierem. p. 183.

factum in ficu etiam ob speciales rationes loci et temporis dicto modo explicandum est. Apprime congruit et cum loco, qui est prope civitatem sanctam, et cum tempore, quod est ultima hebdomada vitae Christi, quando in eo erat, ut saepe poenam ob reiectum regnum Dei integro populo et minatus est et prophetice praenuntiavit.

b) Quoad iudicium aequalium. Mc. 3, 21 : Ἐξέστη Vulg. minus recte interpretatur « in furorem versus est ». Sensus est : *nimio fervore abreptus limites prudentiae excedit.*[1] Quod si tamen cuidam videtur, aliquos vere putasse Christum insanivisse, inde certe nihil contra thesim efficitur. Similia quibusdam Sanctis acciderunt.[2] Sanctorum caelestem sapientiam et extraordinariam virtutem non capiunt aliquando ii, qui ignorant, Deum non raro sanctos suos etiam extraordinariis viis ad sanctitatem ducere. — Quoad Io. 10, 20 cf. n. 103.

c) Quoad causas insaniae statutas : *α) Stultum est, contra factum sanae mentis alicuius hominis quod positive probatum est adducere occasiones, quibus insanus fieri potuit.* Quasi non saepissime iisdem in infortuniis hi sanam mentem retineant, illi morbum mentalem contrahant ! — *β)* Ex iis, quae in vita publica acta sunt, Christus eas persuasiones, de quibus agitur haurire non poterat. Etenim ex thesibus anterioribus constat, Iesum *ab initio vitae publicae dignitatem legati Dei, Messiae, Filii Dei cum absoluta certitudine sibi ascripsisse.* — *γ) Eadem insania* est, sive quis occasionibus quasi excitatus sive sine tali externo incitamento sibi ea quam maxime extraordinaria ascribit, quae evidenter contradicunt omni experientiae internae hominis, qui sana mente fruitur. — *δ) Impossibile* est, *ex experientia* amoris Dei, ex muneribus implendis concludere ad factum internae continuae revelationis sublimissimae rerum coelestium, ad intimam conscientiam de sua praeexsistentia, ad personalitatem suam divinam etc. — *ε)* In thesibus de mirabili Christi sapientia et sanctitate patebit, Christum in nulla actione vel levissimam excitationem minus probandam manifestasse.

(1) Cf. v. g. Cremer, Wörterbuch der neutestamentlichen Gräcität[9] 1902 p. 517-8. — Cornely, Com. in 2 Cor. p. 158 (ad v. 5, 18). — B. Weiss Mc. p. 54 nota. — De diversis aliis explicationibus huius loci cf. Knabenbauer ad l. p. 102-6. — Literaturam de controversia circa h. l. anno 1909 v. Bibl. Zeitsch. 1909 p. 425. — (2) Cf. quae acciderunt S^ae Paulae, apud Hieronym., epist. 108 ad Eustachium L 22, 895 ; quae S. Ioanni de Deo, apud Bened. XIV o. c. l. 3 c. 23 n. 18 ed Rom. 1749 tom. 3 p. 320.

Sectio II. Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur plurimis miraculis, quae ipse ante mortem suam patravit.

Expl. term. a) Sermo est de miraculis *quae Iesus ipse* ita *patravit*, ut influxus causalis humanitatis eius externe manifestaretur. Alia miracula potius circa eum a Deo facta esse dicimus, v. g. transfigurationem. Non vero negamus, aliunde constare posse, etiam in eiusmodi miraculis circa Christum patratis influxum causalem ipsius humanitatis Christi locum habuisse. — Dogmaticis reservanda est determinatio naturae influxus humanitatis Christi in miracula quae ipse patravit, v. g. num is tantum moralis fuerit an etiam physicus. Etenim ex una parte solutio harum quaestionum ad id necessaria non est, ut testimonium Iesu miraculis eius rite demonstretur; ex alia parte ipsi theologi in solutione eiusmodi quaestionum dissentiunt.

b) Tantum ea miracula tractamus, quae Christus *ante mortem* suam patravit. *Resurrectionem* Christi ob eius momentum *separatim demonstrabimus.* Qua demonstratione facta ea miracula quae Iesus post resurrectionem suam patravit aptius tractari videntur.

c) Intelligimus omnia miracula quae in evangelio de Christo narrantur, quin considerationem nostram ad certa genera eorum restringamus.

2) *Divisio* ea est, ut ex ordine singulis thesibus demonstremus, constare de miraculorum Christi *veritate historica, philosophica, theologica, relativa.* Deinde sententia sapientum de argumento e miraculis Christi proponitur.

3) Ante ipsam discussionem exhibemus *materiam, quae discutienda* est i. e. breviter enumeramus miracula, quae Christus patrasse ab evangelistis perhibetur; simul modum exhibemus, quem in iis patrandis tenuisse dicitur.

Quae miracula Iesus patravit?

Iesus saepe multos simul a diversis morbis sanavit vel a daemonibus liberavit, qui e certa quadam regione vel e certo quodam op-

pido ad eum confugiebant. Singula quaedam ab evangelistis de his miraculorum quasi collectionibus non exhibentur. Eiusmodi collectiones plurimorum miraculorum exhibentur 11 diversae:

Primo anno vitae publicae. — 1) *In Capharnaum* postquam socrum Petri sanaverat, « cum ..... sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos ». Lc. 4, 40. — 2) « Et *circuibat* Iesus *totam Galilaeam*, docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. Et abiit *opinio eius in totam Syriam*, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos et paralyticos, et curabat eos ». Mt. 4, 23-4. — 3) Postquam restituerat homini usum manus aridae, *ad mare Genesareth* « Iesus ..... sciens (pharisaeos mortem sibi machinari), recessit inde, et secuti sunt eum multi et curavit eos omnes ». Mt. 12, 15. — 4) *In Galilaea, ante sermonem montanum*, immediate post electionem apostolorum. « Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius et multitudo copiosa plebis *ab omni Iudaea et Ierusalem et maritima et Tyri et Sidonis*, qui venerant ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes ». Lc. 6, 17.

Secundo anno. — 5) *Quando accedebant ad eum legati Ioannis Baptistae.* « In ipsa autem hora multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis et caecis multis donavit visum ». Lc. 7, 21 (cf. Mt. 11, 4). — 6) *Antequam misit apostolos ad praedicandum Israelitis.* « Et circuibat Iesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni et curans omnem languorem et omnem infirmitatem ». Mt. 9, 35. — 7) *Apostolis, cum eos ad praedicandum Israelitis mittit, dedit potestatem* sanandi omnes aliaque miracula patrandi: « Infirmos curate, mortuos resuscitate, leprosos mundate, daemones eicite ». Mt. 10, 8. *Qua facultate usos esse apostolos* supponendum est et ex eo, quod mandatum acceperunt, et ex eo quod ex Lc. 10, 17 scitur, 72 discipulos facultate simili accepta vere usos esse. — 8) *Simili facultate Iesus instruit 72 discipulos.* « Et curate infirmos qui in illa (quacumque civitate, in quam intraveritis, Lc. 10, 8) sunt ». Lc. 10, 9 « Et ecce dedi vobis potestatem

calcandi serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici ». Discipulos eam facultatem sanandi et daemones expellendi adhibuisse patet ex Lc. 10, 17: « Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam daemonia subiciuntur nobis in nomine tuo ».

3° ANNO. — 9) *In terra Genesar post primam panum multiplicationem.* « Et cum eum cognovissent viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes. Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salvi facti sunt ». Mt. 14, 35. — 10) *Ante secundam panum multiplicationem, secus mare Galilaeae.* « Et accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles, et alios multos, et proiecerunt eos ante pedes eius, et curavit eos, ita ut turbae mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, caecos videntes, et magnificabant Deum Israel ». Mt. 15, 30. — 11) *In die palmarum* « et accesserunt ad eum caeci et claudi in templo et sanavit eos. » Mt. 21, 14.

ALIQUA RATIONE SIVE BREVIUS SIVE FUSIUS
AB EVANGELISTIS QUADRAGINTA SINGULA MIRACULA DESCRIBUNTUR

1) *In natura irrationali.* — *a) In inanimata: α) Ventum et fluctus subito sedavit.* Mt. 8, 23. *β) Super aquas ambulavit* atque Petrum idem facere iussit. Io. 6, 19; Mt. 14, 28-32. *γ) In potu et cibo:* 5-7 hectolitra aquae in vinum convertit, Io. 2, 1-12; bis panes pro millibus hominum multiplicavit, Io. 6, 1-15; Mt. 15, 29-39. — *b)* In *animata. α)* In *plantis*, verbo ficum arefecit Mc. 11, 12. *β) In animalibus*, facta est eius iussu mirabilis piscatio, Lc. 5, 42.

2) *In natura rationali.* — *a) Tres mortuos suscitavit;* filiam Iairi Mt. 9, 18; iuvenem in Naim Lc. 7, 11; Lazarum Io. c. 11. — *b) Homines a daemonibus liberavit.* Eos eiecit *α)* E duobus in terra Gerasenorum, Mt. 8, 28. *β)* Ex uno in synagoga Capharnaum, Mc. 1, 23. *γ)* Ex alio caeco et muto, Mt. 12, 22. *δ)* E muto Mt. 19, 12. *ε)* E puero lunatico, Mt. 17, 14. *ζ)* E filia mulieris Chanaeae. — *c) Aegrotos sanavit.*

Describuntur vero sanationes 18. Sanavit 1) *Caecos quinquies α)* Duos in quadam domo, Mt. 9, 29. *β)* Duos prope Iericho in via, Mt. 20, 29. *γ)* Unum Betsaidae extra vicum, Mc. 8, 22. *δ)* Caecum

natum in Ierusalem in via, Io. c. 9. *ε)* Daemoniacum caecum, qui iam inter daemoniacos nominatus est, Mt. 12, 22. — 2) *Surdos et mutos bis*, *α)* Unum in finibus Tyri. Mc. 7, 31. *β)* Tres qui iam inter obsessos enumerati sunt. — 3) Malcho *auriculam abscissam* restituit, Lc. 22, 51. — 4) *Manum aridam* vita donavit, Mt. 12, 10. — 5) *Haemorrhoissam* iam e 12 annis laborantem sanam fecit, Lc. 8, 43. — 6) *Leprosos* sanavit: *α)* quendam in quadam civitate, Lc. 5, 12. *β)* decem simul: Lc. 17, 11. — 7) *Paralyticum*, Lc. 5, 17. — 8) *Hydropicum*, Lc. 14, 1. — 9) A *febri* liberavit: *α)* Socrum Petri, Lc. 4, 38. *β)* Filium reguli graviter decumbentem, Mt. 8, 14. — 10) Liberavit a *diuturnis morbis, qui non determinantur accurate*: *α)* Mulierem e 18 annis infirmam et inclinatam, L. 13, 11. *β)* Hominem e 38 annis infirmitate detentum, L. 5, 1. — 11) Servum centurionis *moribundum*, Lc. 7, 1.

Qua ratione ea miracula patravit?

1) Quod *locum*. — Sanavit generatim praesentes. Ex absentibus quos sanavit recensentur servus centurionis, Lc. 7, 1; filius reguli, Mt. 8, 14; filia mulieris Chananaeae, Mt. 15, 21.

2) Quoad *tempus*. — Omnes *moraliter saltem loquendo subito* sanavit. Hoc e modo loquendi in singulis miraculis descriptis patet. Unum per gradus quosdam, at etiam hunc celerrime, v. g. uno vel alio momento temporis interiecto, a caecitate liberavit, Mc. 8, 24-25. Si vero collectiones miraculorum considerantur, quas proposuimus, idem et e modo loquendi et e circumstantiis eruitur.

3) *Modum* quod attinet. — *a) Generatim* Christus adhibet *aliquam caerimoniam externam*, quae et celerrime peragitur, et semper fere in sola manuum impositione consistit. — *b)* Generatim miraculum patrat *publice*, vel saltem coram quibusdam testibus. — *c) Nullam omnino praeparationem* praemittit, *nulla re externa utitur*. Excipe casus paucos. Ita luto linivit oculos caeci atque iussit eum abluere illud in natatoria Siloe; saliva usus est in sanatione surdi et muti, Mc. 7, 33, caeci in Bethsaida. — *d)* Etiam *aliis facultatem miracula patrandi communicavit*. Iussit vero apostolos infirmos sanandos oleo ungere.

ARTICULUS 1. **Constat de veritate historica miraculorum Christi.**

§ 1. **Argumentum ex auctoritate humana evangelistarum generatim sumpta.**

PROPOSITIO 2. Auctoritas humana evangelistarum generatim sumpta ad narrationes de miraculis Christi applicatur.

13. ARGUMENNTUM. — Evangelistae narrant, haec miracula facta esse. Atqui in hac narratione veracitate et scientia debita praediti erant.

Ad min. — Ex Introd. in S. Script. constat, evangelia fide digna esse in substantialibus narrationum. Iamvero miracula sine dubio ad substantialia evangeliorum pertinent. Etenim et magnam omnino partem integrorum librorum efficiunt et ut res maximi momenti, ut motiva credibilitatis eaque principalia, ab auctoribus proponuntur.

CONFIRMATIO E TESTIMONIIS EVANGELIO EXTRINSECIS, quae in genere exhibent Christum miracula patrasse.

I. EX AMICIS CHRISTI — Petrus testis ipse oculatus coram plurimis testibus cum e visu tum ex auditu, die Pentecostes Christum nominat « virum approbatum a Deo prodigiis et signis, ut ipsi scitis ». Act. 2, 22.

Paulus in epistolis quarum genuinitatem ipsi Rationalistae agnoscere solent, saepe sermonem facit de miraculis quae a Christianis vel in Christianis facta sint, praecipue ab iis, qui evangelium nuntiabant (1 Cor. 12, 6-10, 28; 2 Cor. 12, 12; Gal. 3, 5-7; Hebr. 2, 4). Ea quae ipse patravit, ad Christi potestatem reducit: « quae per me effecit Christus ». Rom. 15, 17-19.

De pluribus apostolis narrantur miracula in Act. ap., eaque facta in nomine Christi. Quae Pauli atque caeterorum apostolorum miracula confirmant narrationem evangeliorum, Christum apostolis hanc potestatem contulisse. Si autem Christus hanc potestatem ad fidem annuntiandam aliis tradidit, pronum est concludere, eum ipsum eodem medio usum esse.

S. Quadratus in apologia, quam anno fere 125 Hadriano porrexit, haec habet: « Servatoris autem nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent; ii scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex

morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint ». Patet hoc testimonium, cum nova afferat, ab evangeliis non pendere.(1)

Papias, scripsit c. 130. Erat autem episcopus Hieropolitanus, « Ioannis (apostoli) auditor, Policarpi autem contubernalis, vetus homo » i. e. vetustae antiquitatis christianae (Iren. adv. haer. l. 5 c. 33 n. 4 G 7, 1214). Diligenter in traditiones antiquissimas orales de vita et factis et doctrina Christi inquisivit. Videtur admittendum, ex eius opere desumptum esse quod Philippus Sidetes (c. 430) refert: « Eos qui a Christo e mortuis resuscitati sunt (Papias supradictus retulit) usque ad Hadrianum vixisse ».(2)

S. Irenaeus in epist. ad Florinum narrat, se audivisse, quomodo *S. Polycarpus* disserens commemorabat « familiarem consuetudinem, quae illi cum Ioanne (evangelista) ac reliquis qui Dominum viderant, intercessit, ut narrabat, et qualiter dicta eorum commemorabat; quaeque de Domino ex ipsis audiverat, de miraculis illius etiam ac de doctrina, quae ab iis, qui verbum vitae ipsi conspexerant, acceperat Polycarpus, qualiter referebat, cuncta Scripturis consona ».(3)

II. Ex inimicis Christi — *Flavius Iosephus*, Antiq. l. 18 c. 3 n. 3 nominandus videtur. Cui Iesus erat « mirabilium operum effector ».(4)

(1) De S. Quadrato et hoc unico fragmento, quod ex eius Apologia habemus cf. Bardenhewer, Gesch. I p. 168-71. — De anno in quo apologia scripta est cf. Harnack, Gesch. der altchristl. Lit. Die Chronologie 1 p. 269-71. — (2) Cf. Bardenhewer, Gesch. I p. 544, ubi alia lit. — Cf. textum apud de Boor, Texte u. Untersuchungen V 2, 1888 p. 165 sq. — De anno in quo Papias scripsit cf. Zahn, Forschungen zur Geschichte des N. T. Kanon VI 172. — (3) De auctoritate historica huius testimonii cf. F. S. Gutjahr, Die Glaubwürdigkeit des Irenäischen Zeugnisses über die Abfassung des vierten Kanonischen Evangeliums, Graz 1904 pp. 198 p. 148-66. — (4) Quod testimonium v. Kirch, Enchiridion n. 5 p. 4-5. — Inde a saeculo 17° quidam affirmarunt, eum locum integrum postea additum esse; quidam putant saltem incisa « vir sapiens... Si tamen virum eum appellare fas est... Hic erat Christus » interpolata esse. Scripta quaedam de hoc loco sive ab impugnantibus sive a defendentibus composita v. Schürer I[3] p. 544-5. Omnem interpolationem reiectam v. Wilmers n. 313, 3 p. 324-8; Kneller, Flavius Iosephus über Christus, in: Stimmen etc. 53, 1897 p. 1-19, 161-74.

Generatim *Iudaei posteriores* orthodoxi veritatem historicam et philosophicam miraculorum Christi admittebant, negabant theologicam.[1]

Ethnici uti Celsus, Hierocles, Porphyrius, Iamblichus, Iulianus apostata, non omnem veritatem historicam et philosophicam miraculis Christi abiudicare audebant.[2]

Recentissimi increduli, repudiatis quibusdam extremis sententiis, iam realitatem sanationum quadam ratione admittendam esse putant.[3]

Adversarii eorumque difficultates.

14. *Ob. 1)* eaque fundamentalis haec est: *miracula fieri (vel saltem cognosci) nequeunt.* Ergo facta ea, quae commode sine miraculosa actione explicari nequeunt, a priori neganda sunt; deinde hac negatione ut legitima supposita, theoriae inveniendae sunt, secundum quas explicari possit, quomodo, veritate historica miraculorum non supposita, tamen narrationes de iis tam certae, multae, determinatae, tantae in omnem vitam religiosam efficaciae formari potuerint. — *R.* Hanc expositionem esse falsissimam, patet ex iis, quae in tractu de revelatione in genere prop. 12-9 docuimus.

Hanc esse rationem principalem, imo fere unicam, cur veritas historica miraculorum Christi negetur mirum forte videbitur. *Dubitari tamen de re nequit.* Patet enim ea ex ipsis systematibus adversariorum, ex confessione ipsorum non raro diserte prolata, ex iudicio multorum catholicorum, qui iis systematibus diiudicandis operam dederunt.

Hoc constat e systematibus adversariorum. — V. g. *Strauss* data opera agens « De criteriis rerum non historicarum in narrationibus evangelicis » ut primum criterium negativum hoc statuit: « Relationem aliquam non esse historicam, factum aliquod narratum non potuisse ita fieri, imprimis ex eo agnoscendum erit, quod hoc factum componi nequit cum legibus, quae nobis notae sunt atque alias ubique valorem habent. Ad has vero leges imprimis pertinet, quod et secundum rectos conceptus philosophicos et secundum omnem experientiam fide dignam causalitas prima nunquam actibus quibusdam singulis catenam causarum conditionatarum

(1) Cf. interim Wilmers n. 312 p. 320-1; Fonck o. c. p. 61-2. — Strack o. c. p. 8*-10* (29*) 33* 45*). — Plura cum de veritate theologica miraculorum agetur. — (2) Cf. interim Wilmers n. 330 p. 345. — (3) Plura cum de veritate philosophica miraculorum Christi sermo erit. Cf. interim Fonck o. c. n. 40-9 p. 77-101.

interrumpit... ». Quam impossibilitatem miraculi argumento pseudophilosophico stabilire nititur. — *Harnack* ea quae in miraculis Christi quae dicuntur, ab historico assumi possint in diversas classes distinguit. V. g. « sanationes inexpectatas » « non leviter pro illusione habendas esse ». Cur non? Poterat « vis psychica Iesu », naturalis ea utique, eas patrare. At « neque credimus neque unquam credemus, terram cursu suo interrupto unquam stetisse immotam, asinam esse locutam, tempestatem in mari uno verbo esse sedatam ». Cur non? Ipse rationem non data opera affert, sed ipsis factis quae enumerat atque oppositione classium factorum quas statuit, eam supponit.

Hoc eruitur e quibusdam disertis confessionibus adversariorum. — V. g. *Renan*, Vie de Iésus, Praefatio ad ed. 18 p. VI: « Ce n'est pas, parce qu'il m'a été préalablement démontré que les évangelistes ne méritent pas une créance absolue que je rejette les miracles qu'ils racontent. C'est parce qu'ils racontent les miracles que je dis: Les Évangiles sont des légendes; ils peuvent contenir de l'histoire, mais certainement tout n'y est pas historique ».

Idem edicunt multi docti catholici, qui systematibus incredulorum iudicandis operam dederunt. — Ita v. g. Werner,[1] van Weddingen,[2] Böse,[3] Lahousse,[4] Pesch,[5] Fonck.[6]

15. *Ob. 2)* Saeculis anteactis infinities repetita est obiectio: *historici ethnici aequales nihil de miraculis Christi referunt.* Ergo non constat de veritate historica eorum.

R. 1) Dist.: Adsunt in hac re conditiones, sub quibus solis argumentum e silentio valet, n.; et non adsunt, c. — *Expl.*

a) Ipsa Christi atque Christianismi exsistentia, quae historice certissima est, a primo auctore ethnico anno 109-110, idque sat ieiune, refertur. Est autem is auctor Plinius iunior ep. X 96 (97) seq. Iamvero si rationes aderant, cur vix ipsam Christi exsistentiam commemoraverint, unde demonstrabis, eos certa quaedam huius hominis facta debuisse referre? Suppono hoc responso eiusmodi scripta ut epistolas datas inter Christum et Abgar,[7] litteras Pilati ad Tiberium[8] non iam ut genuina haberi.

b) Rationes silentii hae fere sunt: *a)* Scriptores eius aetatis nonnisi tenues, paucas, saepe stultissimas notitias de rebus religiosis Iu-

(1) Geschichte der Apologetik V ed. nova, Regensburg 1889 p. 153. — (2) De miraculo, Lovanii 1869 p. 82-4. — (3) Die Glaubwürdigkeit unserer Evangelien, Freiburg 1895 p. 7-8. — (4) De vera religione, Brugis 1897, n. 158. — (5) Instit. I [4] n. 75. — (6) Die Wunder des Herrn I [2], Innsbruck 1907 v. g. n. 32 p. 63 de Deistis anglis. — (7) Cf. Bardenhewer, Geschichte... II p. 453-9. — (8) Id. ib. p. 410-1.

daeorum Palaestinensium habent. Inquirendis atque describendis rebus religiosis « despectissimae partis servientium » non se dederunt. (1) *β)* Mira diabolica vel species talium iis temporibus frequentissima erant, neque multa attentione digna habebantur ; differentia inter ea atque miracula Christi non necessario extra fines Palaestinae subito omnibus manifesta erat. *γ)* Christus uti in omni agendi ratione, ita in operibus miraculosis ea omnia evitavit, quae ad rem politicam facere posse videbantur. Talia vero auctores isti praecipue referebant.

16. *Ob. 3) Eiusmodi argumenta, quae necessaria esse Rationalistis videntur*, ut de veritate historica miraculorum constet, in miraculis Christi *non habentur.* (2)

R. (3) *A. Generale* 1) *Immerito statuitur necessitas eorum argumentorum*, quae mox e sententia Rationalistarum requiri dicemus. — 2) *Tamen*, providentia divina ita ordinante, etiam multa ex iis quae ad veram certitudinem gignendam necessaria non essent, in miraculis Christi *inveniuntur.*

B. Singula quae a quibusdam requiruntur videamus :

a) Plurimi per decursum saeculorum sine debita critica multa miraculosa facta admittebant ! — At in miraculis Christi admittendis *debita critica suas partes explevit.*

b) Homines plurimi, prudentissimi deberent esse testes miraculorum ! — At in miraculis Christi habes ex una parte integrum populum, cultos, duces eius, ex alia parte facta ad quae diiudicanda ea prudentia quae in talibus hominibus inest, omnino sufficit.

c) Requiruntur formae iuridicae ! — At in miraculis Christi habes saepe evidentiam naturalem omni iuridica certitudine maiorem v. g. cum agitur de facto, 5 millia hominum saturatos esse iis panibus, qui subito, nullo homine afferente, loco 5 panum aderant. — Habes *aliquid formis iuridicis simile*, scilicet examen severum a membris synedrii institutum de facto caecitatis illius, qui dicebatur caece natus ; iudicium totius synedrii, « hominem istum multa signa facere ».

d) Requirunt agnitionem factorum per auctoritatem publicam ! — At auctoritas publica mendax quid qua talis adderet certitudinis ?

(1) Cf. Schürer, Geschichte III [3] p. 102-13 ; 398-420. — (2) Cf. Auctor libelli : Questions sur l'Encyclopédie, apud van Weddingen, De miraculo p. 373-4. — Voltaire, Dict. phil. ad v. Miracle. — Renan, Vie de Iésus [18] Introduction p. XCV-XCVI, qui praecipue necessitati commissionis scientificae insistit. — (3) Cf. plura cum lit. van Laak, De mir. I p. 100-16.

Mentita autem est evidenter: « hic homo commovet populum ». In quantum autem aliquid certitudini addit, vide e n. e. Etenim

e) Ii qui testantur, nullum debent habere e testimonio suo commodum! — Et revera *proceres Iudaeorum confitentur veritatem historicam miraculorum Christi*, quamvis nihil illis sit magis invisum, nihil quo magis Christi auctoritas commendetur.

f) Debet esse remotum periculum magiae! — At *remota* est *magia artificialis* in istis centenis miraculis illisque publicis omnis generis. Exclusa est *magia diabolica* eius generis, quae *in illusione sensuum* consistit, quia agitur de certitudine diuturna integri populi de plurimis factis. Locum non habet magia diabolica eius speciei, quae *in mutationibus realibus* consistit. Nam cum de religione christiana promovenda agatur, spiritus malus in miraculis Christi partes non habet. Plura de hac re dicemus in sequentibus partibus huius tractationis de miraculis Christi.

g) Facta illa debent esse per prophetas praedicta! — Et habemus *Christum provocantem* pro miraculis suis *ad Isaiam* (Mt. 11, 5), habemus populum integrum qui ita prophetas intellexit (Io. 6, 14, 30-31).

h) Facta debent esse ita publica ut eclipsis solis. — Miracula Christi plurima de facto in suo ordine quam *maxime publica sunt.* Habes sanatos ante domum Petri, ubi tota civitas erat congregata, habes aegrotos sanatos in templo, habes panes multiplicatos coram millibus hominum, etc.

i) Necessaria est commissio scientifica, quae verax sit, aptius iudicet, conditiones miraculi variet, illud repeti iubeat! — At multo plus habes in miraculis Christi agnoscendis. *Veracitas amicorum Christi atque ipsius Christi in hac re* certe non minus firma est quam veracitas commissionis hodiernae scientificae. Facultas vero iudicandi de tot et tam obviis factis, uti in miraculis Christi habentur, certe non est minor quam doctorum, cum de rebus difficilioribus iudicant. Cogita v. g. evidentiam omnimodam de facto multiplicationis panum. Conditiones in quibus Christus miracula patravit quam maxime variae erant. Porro non ipse conditiones elegit, sub quibus ea patravit, sed quibusvis sub conditionibus, dummodo fides petentium adesset, ea patrare solebat. Denique habes eadem miraculorum genera, ipsas mortuorum suscitationes, sive pluries sive saepissime repetitas.

§ 2. **Argumentum quo ea singula elementa evolvuntur, quae ad valorem historicum narrationum de miraculis Christi statuendum requiruntur.**

Innuimus ea, quae in Introductione ad S. Scripturam tractari solent. Caetera latius exponimus.

Propositio 3. Narrationes de miraculis interpolatae non sunt sed ab ipsis evangelistis profectae.

17. Argumenta externa. — Nullum indicium defectus genuinitatis habetur ex codicibus quos inde a saeculo quarto habemus, nullum, pro tempore anteriore, e versionibus, e diatessaron Tatiani, e citationibus Patrum. Imo plurima ex istis miraculis iam ipso saeculo 2° a Patribus, praecipue a S. Irenaeo,(1) citantur. — Etiam haeretici, contra quos Irenaeus scripsit, miracula Christi et generatim concesserunt et ex circumstantis quibusdam minimis eorum suas falsas doctrinas confirmare nisi sunt.(2) Praeterea considerentur imagines multae catacumbarurum v. g. Romanarum. Nam his imaginibus praecipue haec duo in Christo ante oculos nostros poni solent: ratio boni pastoris, ratio thaumaturgi. Referuntur autem miracula ex evangeliis nostris, non ex aliis. Plura e saeculo 2° sunt, v. g. historia haemorrhoissae, multiplicationis panum.(3) — Accedit confirmatio ex evangeliis apocryphis. Nam ea ex una parte miracula plurima Christo attribuunt,(4) ex alia parte vix ullum miraculum vitae publicae Christi affingunt,(5) sed aut, idque praecipue, vitae eius anteriori aut vitae eius post resurrectionem. Quae ratio electionis optime ex eo explicatur, quod auctores horum scriptorum ex una parte omnium persuasioni de Christi plurimis operibus miraculosis servire volebant, ex alia parte sperare non poterant Christianos passuros esse, ut et determinatissima illa imago Christi thau-

(1) Cf. van Laak, De mirac. Christi (Lithogr.) II p. 245-7, ubi diversa miracula Christi cum circumstantiis vel minutis e scriptis Irenaei citantur. (2) Ita v. g. e numero duodecimo qui in narratione haemorrhoissa occurrit, cf. van Laak ib. — (3) Cf. Ios. Wilpert, Die Malereien der Katakomben Roms, Freiburg 1903, Textband p. 213-24; 264-6; 284-308; 310-21; 322-3. — (4) Cf. v. g. Walter Bauer, Das Leben Iesu im Zeitalter der neutestamentlichen Apokryphen, Tübingen 1909 pp. 568 pars 1 c. 3 et 4. — (5) Id. ib. pars II c. 5 p. 363 unam vel aliam exceptionem habet.

maturgi in vita publica ex genuinis evangeliis splendescens et ante omnium mentes continuo versans, novis lineis quasi adulteretur.[1]

Argumenta interna. — 1) *Ea est connexio inter has narrationes et caeteras evangelii partes* ut si illae genuinae non habentur, omnes reiciendae videantur. Magna omnino pars evangeliorum in enarrandis miraculis a Christo factis versatur. Qui textus plurimi per totum evangelium sparsi inveniuntur. Ita arcte vero cohaerent cum Iesu et doctrina et vitae cursu, ut neque illam neque hunc demptis miraculis assequi possis.[2]

a) Miracula saepissime, imo quasi generatim vel *materiam doctrinae* Christi praebent vel connaturalem *occasionem* pro ea exhibent. Cfr. v. g. multiplicatio panum, sermo eucharisticus Io 6, disceptationes multae cum pharisaeis de sanationibus die Sabbati patratis. — *In ipsa miraculorum patratione Iesus doctrinas* gravissimas *inculcat* v. g. necessitatem fidei. — In ipso sermone montano *doctrinam de usu miraculorum* a se concedendo proponit, Mt. 7, 22-23: « Multi dicent mihi in die illa: Domine, Domine, nonne.... in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos... ». — Cum de veritate relativa miraculorum Christi agendum erit, textus plures afferemus, quibus inter media alia orationum argumenta miracula sua ut motiva credibilitatis affert. — Denique Iesus ex ipsis miraculis suis doctrinas sublimes demonstrat. V. g. Io. 5, 17: « Pater meus usque modo (etiam die Sabbati) operatur et ego operor ». Sermo est de operatione in miraculis patrandis atque de argumento quod inde pro sua unitate cum Patre desumit.

b) Cursus vitae Christi inseparabili nexu cum miraculis coniunctus est.

Hoc valet quoad diversa, *quae Christus egit.* V. g. audito nuntio de Lazari morbo, remanet in Peraea, ut eius morte permissa occasio sit eum resuscitandi.

Hoc valet quoad diversa, *quae alii circa Christum egerunt.* Iudaei eum regem declarare volunt ob multiplicationem panum. Pharisaei

(1) Quod argumentum etiam proponitur a Protestante G. Naumann, Die Wertschätzung der Wunders im Neuen Testament, Leipzig 1903 pp. 85 p. 71-2 nota. — (2) Ita iudicat v. g. Salmeron, Com. in ev. tom. 6 p. 6 b. — E Protestantibus Luthardt, Apologet. Vorträge I[14] 1897 p. 255. — Cf. quoad hanc partem argumenti v. g. Hettinger, Apologie[8] II sermo 15 p. 302. — Sanday, in Hastings, A Dictionary of the Bible v II p. 625-7.

eum odio habent maxime quia etiam sabbatis miracula patrat. Synedrium mortem eius decernit, « quia hic homo multa signa facit » atque ideo timent ne populus ei adhaereat. Solemni pompa salutatur a turba die Palmarum, quia audierant eum Lazarum resuscitasse. Herodes eo viso gaudet, quia etiam ipse aliquod e multis miraculis Christi videre cupit. In cruce ludibrio habetur a summis sacerdotibus ob mira misericordiae opera : « alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere ».

Hoc valet quoad *mores atque virtutes Christi*. Prudentiam suam ostendit eo quod miracula secundum sapientiae normas nunc patrat, nunc non patrat, nunc manifestat, nunc silentio celat. Misericordiam suam praecipue innumeris suis miraculis ostendit. Libertatem suam in patiendo miraculo circa milites manifestat. Despectum rerum terrenarum exhibet eo, quod ex una parte se manifestat ut eum qui omnia miracula patrare possit, ex alia parte in suum commodum ea non patrat.

2) *Auctor coaevus et testis sive immediatus sive qui ab immediatis accepit* proditur uti in caeteris partibus evangeliis, ita, imo praecipue, in narrationibus de miraculis cognitione circumstantiarum quam maxime minutarum ad id tempus pertinentiumv. Cf. v. g.[1] modum quo Iudaei sabbatum observabant, census templo offerebant, etc.

Propositio 4. **Narrationes de miraculis e mente auctorum earum pertinent ad genus literarium stricte historicum.**

18. Genus literarium stricte historicum opponitur omnibus formis vel generibus literariis non stricte historicis. Est vero in eo, ut auctor intendat facta narrare, non vero intendat tantum ideas religiosas exhibere sub forma factorum, quae facta ideo tantum invenit, ut tales ideas repraesentent, quaeque non vult ut historica facta considerari, sed tantum ut involucra ficta idearum respici.

Quoad Synopticos. — *Argumentum generale.* — Facilius ipsi Rationalistae, etsi non omnes,[2] admiserunt, genus literarium Mt., Mc., Lc., esse stricte historicum. Id quod et natura librorum istorum et tota traditio historica clamat. Iamvero magna pars eorum in miraculis narrandis

(1) Cf. v. g. Pawlicki, der Ursprung des Christentums, Mainz 1885 pp. 254 p. 120, 128-44 (etiam ital. polon.). — (2) Contra genus literarium etiam Synopticorum agit v. g. Bruno Bauer operibus 1840-51 ; Volkmar 1882 praecipue contra Mc. Cf. expositio Schweitzer o. c. p. 138-53; 224-6.

versatur. Nullum vero in ipsis libris vel in traditione indicium habetur, aliam esse indolem historicam narrationum de miraculis, aliam narrationum, quae caeteras res referunt. Imo primo, in ipso evangelio illa miracula plurimis modis connectuntur cum factis Domini caeterorumque qui in evangelio agentes describuntur, id quod in ultima thesi breviter exposuimus. Secundo, in traditione semper eadem ratio factorum ascribitur miraculis narratis atque caeterae materiae. Unde v. g. saeculo secundo S. Iustinus atque S. Irenaeus eodem modo argumentantur e factis miraculosis atque e caeteris factis Christi. [1] Atque Tatianus, qui primus harmoniam quatuor evangeliorum composuit, eodem in loco habet omnia facta Christi, sive miraculosa sunt sive non.

20. *Argumentum speciale.* — Finis principalis ev. *Mt.* [2] est, Christi doctrinis, factis, fatis demonstrare *a)* eum esse Messiam a prophetis promissum ; *b)* iure tamen regnum Dei a Iudaeis ob culpabilem eorum incredulitatem ad ethnicos esse transferendum. Quod inter alia ita facit: Inde a c. 8-17 inclusive, excepto c. 10 c. 13 quod in parabolis enarrandis occupatur, facta narrat quae sermonibus minoribus Domini quasi explicantur. Haec vero facta fere omnia miracula sunt. Fines vero ob quos ea miracula narra te mente ipsius Mt. hi sunt: *α)* quoad finem primum: Sanatione miraculosa aegrotorum demonstrat, in Christo esse impletum illud prophetae: « Ipse infirmitates nostras accepit et aegritudines portavit » (8, 17). Humilitate, quam Christus in miraculis patrandis manifestavit, monstrat, opere completum esse vaticinium de modestia Christi, 12, 17-21. Prophetiam de Messia thaumaturgo valere de Iesu Nazareno ostendit 11, 4-6. *β)* Quoad finem secundo loco nominatum: Docet causam reprobationis Iudaeorum esse abusum gratiarum Dei, hunc autem plurimum apparere ex eo quod miracula Christi spreverunt, 11, 20-24; ex eo quod ipsa illa divina miracula diabolo attribuebant 9, 34; 12, 24-40.

Accedunt alii fines a Mt. intenti. Circumstantiis miraculorum Christus manifestat, se non despexisse legem Mosaicam, sed eius observationem commendare 8, 4; at eam ita temperatam, uti Deus legislator eam intenderat 12, 10-13. Qua ratione Mt. calumniam praecipuam Iudaeorum contra Iesum refellit. Effert 8, 10; 15, 28 saepe in petendis miraculis maiorem fuisse fidem eorum, qui ex Israel non erant, quam Israelitarum. Qua ratione Mt. lectores suae aetatis praeparat ne mi-

(1) Cf. van Laak, De mir. Christi II p. 242-4 ; 245-59. — (2) De fine ev. Mt. cf. Cornely, Comp.[6] n. 595-7; Introd. III[2] n. 18-9 p. 52-64.

rentur, quod vident etiam post Christi mortem ethnicos prae Israelitis ob fidem suam regnum Messianicum ingredi. A c. 14-17 saepe premit, fidem apostolorum miraculis firmari.

Iamvero sane dementis est allegoriis, fictionibus demonstrare impletas esse prophetias, quae facta ut obiecta habebant; fictionibus, probare culpam immanem populi mensuram suam implevisse; fictionibus Christum a calumniis defendere; fictionibus incrementum fidei apostolorum explicare. Atqui haec insania ab auctore evangelii Mt., opere plane eximii, longissime abest. Ergo Mt. facta narrare intendit.

21. Evangelium *Mc.*, consentientibus fere auctoribus catholicis, specialissima ratione evangelium miraculorum est.(1) Omittit longiores sermones. Fere in solis miraculis narrandis versatur, et quamvis brevissimum sit evangeliorum, tamen plura eaque accuratius descripta miracula habet atque ipse Mt. Praecipue inter miracula inculcat expulsiones daemonum. Cuius rei ratio haec est: Finis Mc. est ut praecipue Romanis iuxta praedicationem Petri ostendat, Iesum esse Filium Dei, Dominum omnium rerum, ipsorum quoque daemonum, quos Ethnici deos colebant. Num forte Mc. at Petrus, cuius catecheses illi scripto excepit, ut unicum quasi motivum credibilitatis fictiones proponere intendebant?

22. *Lc.* a c. 4, 31 — c. 18 multa miracula proponit. Ad quem finem?(2) Primo generalis finis conscribendi evangelii ei erat, ut motiva credibilitatis offerret. Qui finis manifestatur relatis verbis admirationis vel fidei e parte plebis atque discipulorum qui miraculorum testes erant. — Deinde fines speciales Mt. et Mc., quas in unum coniungens etiam miracula ita disponere videtur, ut exhibitis miraculis, quae Iesus tum in Iudaeis tum in ethnicis patravit, probet, eum se monstrasse misericordiosissimum salvatorem et Iudaeorum et ethnicorum.

Videtur enim in genere Lucae propositum fuisse, ut hanc rationem salvatoris universalis totius generis humani efferret.

23. Quoad evangelium Io. — Genus literarium evangelii Ioannis, si fieri potest, etiam evidentius patet. Nulla autem ratio habetur, ut ab hac indole narrationes eius de miracnlis excipiantur, imo earum indoles historica propriis argumentis fulcitur. Utrumque ostendo.

(1) De fine ev. Mc. cf. v. g. Cornely, Comp. [6] n. 606-7 p. 487-9; Introd. III [2] n. 28-9 p. 100-10. — (2) De fine ev. Lc. Cornely Comp. n. 616-18 p. 496-9; Introd. III [2] n. 38-40 p. 134-49.

1) *Genus literarum evangelii. Io. universim sumpti. — a) Ipse auctor* genus literarium historicum evangelii sui diversis modis effert. (1) *Verbis* illud premit. Nam certum est, versus 1-3 epistulae primae Ioannis sive directe sive indirecte evangelium quartum respicere. (2) Iamvero ita se habent: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis, quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum ». — Praeterea in evangelio 1, 14 haec ait « Et verbum caro factum est et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis ». Quae gloria secundum ipsum evangelium praecipue factis Christi manifestatur. — Tandem 21, 24-5 legitur: « Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scimus quia verum est testimonium eius. Sunt autem alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros ». Qui versus sive directe sive indirecte apostoli mentem exhibent. Directe si eos ab eo scriptos tenes; indirecte si eos ab apostoli amicis adiunctos esse putas. Auctor praeterea hanc indolem evangeli manifestat *fine* quem in eo scribendo intendit. Qui finis in ratione *doctrinae* est is, ut praecipue contra haereticos probet, hominem Iesum, vero corpore praeditum, semper per totam vitam, etiam in ipsa passione, fuisse Messiam atque proprium Dei filium, utque hoc demonstret serie *testimoniorum:* testimonio Christi, sermones de sua dignitate proferentis; testimonio Ioannis Baptistae eadem enarrantis; testimonio Patris, quod factis miraculosis continetur; testimonio Apostolorum v. g. rationem corporeitatis Christi testantium. Iamvero testimonia de homine et ab omnibus apprehenduntur ut ad genus historicum pertinentia et ex natura sua ut talia apprehendi debent.

(1) De rationibus his, quae internae dici solent, cf. Knabenbauer in Stimmen etc. tom. 67, 1904, art. Der geschichtliche Charakter des vierten Evangeliums p. 361-71. — M. Lepin, La valeur historique du quatrième évangile 2 volumina, Paris 1910, pp. 645, 413. — Idem, L'origine du quatrième évangile [3] 1910 pp. 508 c. 1 p. 3-16; c. 6 § 2 p. 341-88. — (2) Directe ea respicere evangelium tenet v. g. Cornely Comp.[6] n. 758 p. 620, Introd. III [2] n. 228 p. 663-4 — Indirecte vero ea ad illud referri, in quantum de tota praedicatione apostoli sive orali sive scripta ab eo pronuntiata sint, putat v. g. Theod. Zahn, Geschichte des Neutestamentlichen Kanons.

Accedit alius, magis secundarius finis Ioannis. Qui est is, ut seriem factorum, quae synoptici retulerunt aliquo modo compleat atque declaret. Iamvero nemo sanae mentis historiam fictionibus complet atque declarat.

Tandem attendendus est *modus narrandi* eiusmodi Ioannis, qui etiam magis ordinem chronologicum, determinatissimas loci atque temporis circumstantias refert, atque synoptici id faciunt.

b) Traditio, qua vix splendidior haberi potest, hanc indolem evangelii inde ab ipso scriptionis tempore testatur. Nullum de hac indole neque ab haereticis antiquissimis neque a catholicis motum est dubium.

Haeretici inde a primis temporibus in dictis Domini omnino a Io. relatis, ut vere a Christo profectis, haeresim suam fundaverunt. Ita in 2, 4: « nondum venit hora mea » Basilides; in 10, 8: « omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones » Valentinus;[1] in 14, 16, 26 i. e. in verbis Domini de Paracleto, quem missurus sit, Montanistae in Asia.

Historica esse quae refert Io. supponebatur a Quartodecimanis eorumque adversariis.[2] Eadem plane ratione factis Christi a Io. relatis atque iis, quae Synoptici exhibent, utuntur ad Domini vitam historice exhibendam Iustinus[3] in Apologiis et in Dialogo cum Tryphone, Irenaeus in libris adv. haereses. Qui in hac re summae auctoritatis sunt.

Evangelii harmoniam eadem ratione ex omnibus quatuor evangeliis composuit ipso 2° saeculo Tatianus.

2) *In specie narrationes de miraculis apud Io. generis literari historici sunt.* — Primo certe non minor est connexio inter miracula atque caeteram materiam evangelii in Io. quam in synopticis; nulla quoque differentia in modo quo habita sunt, in traditione apparet. Ergo non minus genus literarium evangelii Ioannis universim sumptum etiam ad ea extenditur, quam genus literarium Synopticorum eorum narrationes de miraculis complectitur.

Imo genus literarium historicum ipsarum narrationum de miraculis tum ex evangelio Io. tum e Traditione specialibus rationibus confirmatur. Etenim

a) Ipse Io. data opera edicit, se miracula ad hunc finem enarrasse, ut omnes credant. Ita 20, 30-1: « Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus

(1) Cf. Iren. adv. haer. 3, 11 G 7, 884. — (2) Cf. Zahn, Geschichte d. N. K. I p. 184-92; praecipue p. 192. — (3) Cf. Zahn, Geschichte I p. 516-33.

est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine eius ».[1] — Quodsi Io. in prologo 1, 14 ait: « Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre », i. e. talem gloriam « qualem decebat habere unigenitum et germanum Filium Dei », omnia complectitur, quibus virtus divinitatis eluxit, inter quae miracula. Id quod et ex natura rei et ex auctoritate exegetarum et ex diversis locis evangelii patet.[2] Hoc ultimum quod attinet, c. 2 v. 11 Io. postquam narravit miraculosam mutationem aquae in vinum ita pergit: « hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius ». Simili modo ipse Iesus, ante resuscitationem Lazari miraculum illud Marthae praenuntians ait: « Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? » Io. 11, 40. — Porro Io. miracula vehementer premit. V. g. duas, sanationem caece nati et resuscitationem Lazari singulis longis capitibus, 9 et 11, describit, in quibus multa refert quae ad veritatem historicam atque philosophicam earum demonstrandam apprime faciunt. Porro plura et magis explicita verba Iesu de veritate theologica et relativa miraculorum suorum habet quam caeteri evangelistae. Id quod postea videbimus.

b) E plurimis quae *in traditione* indolem historicam miraculorum Christi apud Io. demonstrant,[3] quaedam specialia ex uno Irenaeo afferamus.[4] Hic sanctus doctor in libris adversus haereses e circumstantiis miraculorum Christi ut e factis historicis argumenta pro plurimis dogmatibus summi momenti sive stabilivit sive confirmavit. E multis pauca.

Miraculosam cibationem hominum plurimorum, miraculosam largitionem vini non ita factam esse, ut Deus panes vinumve de nihilo crearet, sed ita ut triticum e terra ortum et aquam terrae transmutaret. E quo S. Irenaeus contra Gnosticos confirmat, eundem esse Deum qui initio coelum et terram creavit (eamque continuo sustentat et suam elementis evolutionem confert), eundem, qui in Christo operatus sit.[5] — Ex eo quod Lazarus cum aliis a Domino resuscitatis in eodem corpore quod gesserat ab eo resuscitatus est, confirmat, etiam nos in nostro hoc corpore, quo nunc induti sumus, resurrecturos esse.[6] — Dominus in sanatione caece nati limum terrae adhibuit. Qua re eum in memoriam

(1) Quae verba directe de omnibus miraculis valere, non tantum de iis, quae Iesus post resurrectionem patravit, v. Knabenbauer in l. Io[2] p. 587. Caeterum ob paritatem rei saltem indirecte de omnibus valerent. — (2) Cf. Tolet. in l. Com. in Io. ed. Lugd. 1649 p. 60.. — (3) Cf. plura van Laak, De mirac. Christi II. — (4) Id. ib. de Irenaeo p. 245-55. — (5) L. 3 c. 11 n. 5 G 7, 885. — (6) L. 5 c. 13 n. 1 G 7, 1156-7.

nobis revocare voluisse « antiquam plasmationem quaemadmodum facta est », nobisque manifestasse manum Dei « per quam e limo plasmatus est homo ». (1) — Eadem ratione porro v. g. Tatianus in sua harmonia quae Diatessaron dicitur, etiam narrationes de miraculis, quae apud Io. recurrunt, rebus historicis Synopticorum interserit.

Difficultates.

23. *Ob. 1)* Admitti potest theoria, evangelistas vel testes, quos adducunt, *voluisse tantum res naturales narrare.* (2) Quod nos putamus, eos miracula narrare velle, secundum eos adversarios provenit praecipue e causis duabus :

Una ratio est *error noster magnus*, ' *miraculum* , *erroris in rebus linguisticis*. V. g. e graeco non necessario verti debet Christum ambulasse « supra mare », sed lingua patitur versionem « ad mare ». (3)

Secunda ratio est *modus loquendi Orientalium, praecipue eorum qui pietate excellunt.* Proprium enim est Orientatibus res religiosas, quae animum commovent, exaggeratis figuris exhibere. V. g. evangelistae voluerunt dicere, coelum serenum resplenduisse in facie Christi orantis. Hanc simplicem ideam ita exprimunt. « Descendit columba de coelo et requievit super eum etc. » — Porro pietas eos impulit, ut factorum causas creatas intermedias naturales silerent, solum Deum ut causam eorum nominarent. V. g. textus evangelii tantum docet, providente Deo factum esse, ut cum ab initio tantum quinque panes adfuerint, postea tamen omnes comederint atque saturati fuerint. Rem ita evenisse, ut Christus quinque panes multiplicaret, hoc in narratione ne innuitur quidem. Patet nos causas naturales quas evangelistae subintelligunt adiungere non tantum posse, verum etiam debere. Quae in concreto eae fuerint, e circumstantiis pendet atque rationabili coniectura determinandum est. V. g. multiplicatio panum ita facta esse videtur : Christus suos panes et pisces inter alios divisit, quo benignitatis exemplo caeteri multi, qui sufficientes cibos secum attulerant, inducti sunt, ut etiam ipsi egentibus e suis panibus et piscibus communicarent.

(1) L. 5 c. 15 n. 2-4 G 7, 1165 A-6 D. — (2) Cf. expositio et refutatio amplior van Laak, De mir. Ch. I p. 39-44. — Fonck [2] p. 69-71 expositio. — Item Schweitzer, Von Reimarus zu Wrede, Tübingen 1900 p. 48-56. — v. Schmid p. 265-6. — (3) Cf. Paulus, Kommentar... II p. 229-30. Cf. quae mox dicemus.

Caput eorum, qui priorem rationem excoluerunt, est Heinrich Eberhard Gottlob *Paulus* (1) (1761-1851). Quem in similibus artibus secuti sunt v. g. Gfrörer, Schenkel. — Postquam Strauss (2) eam explicationem acerbae crisi subiecerat, ipsi Rationalistae eam generatim reiciunt. Quod tamen non impedit, quominus quidam Protestantes etiam ex iis, qui extrema sequi nolunt, si aliam viam non vident, qua praecipue miracula Christi in natura inanimata effugiant, ad rem ipsam a Paulus propositam recurrant, scilicet ad explicationes mere naturales similes illis quas Paulus amavit. Ita videtur agere v. g. Bernard Weiss. (3) Imo etiam ad artes philologicas aliquando iterum e parte recurritur v. g. ab Hase. (4)

Rationem secundam, haustam e modo expressionum pietati Hebraeorum conformi, in genere quoad res miraculosas in bibliis contentas proposuit *Moses Ben Maimon.* (5) — Quem in hac re uti in multis aliis secutus est saeculo 17 *Baruch Spinoza.* (6) Qui statuit, narrationes de miraculis deberi ut diximus aut modo narrandi Orientalium aut pietat ienthusiasticae narrantium, aut tandem, si hae causae ad eas explicandas non sufficiant, evangelistarum mendaciis. — Saeculo 19 haud pauci horum antecessorum vestigia presserunt. Inter quos praecipue *Paulus.* (7)

R. — Quoad rationem linguisticam. — a) Ipsi Rationalistae talem theoriam *tantum ad unum vel aliud miraculum applicare* audent. — *b)* Hoc ipsum cum faciunt, contra regulam primariam hermeneuticae peccant, quae statuit, sensum locutionis, qui secundum solam grammaticam vel vocabularium satis determinari non possit, saepissime *ad unam determinatam significationem reduci sive caeteris vocibus quae in contextu inveniuntur sive e circumstantiis loquentis vel agentis*

(1) Cf. Philologisch-kritischer u. histor. Kommentar über d. N. T., 4 vol. Lübeck 1800-4; Exegetisches Handbuch über die drei ersten Evangelien, Heidelberg 1830-7; Das Leben Iesu als Grundlage einer reinen Geschichte des Urchristentums etc., 2 vol. Heidelberg 1828. — Definitionem ciusmodi miraculi philologici quod dicunt cf. Kommentar II p. 301. — Exemplum de multiplicatione panum ib. p. 264-99. Fonck [2] p. 368-9. — (2) Das Leben Iesu kritisch bearbeitet [4] 2 vol., Tübingen 1840. Cf. II p. 1-238 de miraculis; p. 171-3 v. g. de ambulatione Christi super aquas; p. 181-4 de statere in ore piscis. — (3) Leben Iesu [4], 2 vol., Stuttgart 1902. Cf. v. g. II 197 de ambulatione super aquas; p. 185 de multiplicatione panum. — (4) Geschichte Iesu, Leipzig 1876 p. 574 sq. — (5) Tractatus Moreh Nebuchim, compositus c. 1190 l. 2 c. 48. De indole huius tractatus et rebus in eo contentis cf. Moses Ben Maimon, Sein Leben, seine Werke u. sein Einfluss, p. 1-63. B. I., Leipzig 1908, herausg. v. J. Guttmann. — (6) Tractatus theologico-politicus, Hamburgi 1670 c. 6 de miraculis. — (7) V. g. quoad miracula quae in baptismo Christi acciderunt, v. Kommentar I p. 233.

vel audientis. V. g. in narratione de Iesu supra mare ambulante sensus « ad mare » eo excluditur, quod apostoli ob modum, quo Iesum ambulantem vident, magno terrore afficiuntur, quod ob hunc modum visum prorumpunt in verba « Vere tu es Filius Dei », quod Petrus ob eum modum visum cupit vere supra aquas ambulare, etc.[1]

Quoad rationem desumptam e modo loquendi Orientalium. — *Explosa est iamdiu sententia, Orientales omnia* quae se commoveant *ita exaggerate exprimere.* — Evangelia quod attinet, illud considera, tot facta quam maxime commoventia tamen quam maxime sobrie narrari v. g. Christum in templo sapientiam suam monstrasse, in horto captum esse etc. Porro nisi quis affirmaverit, Orientales in rebus huius vitae narrandis iam intelligi non posse, hanc theoriam ad maiorem partem miraculorum Christi applicare non audebit. — *Pietas* autem *nequaquam impedivit* evangelistas caeterosque eorum temporum Hebraeos, *quominus inter facta naturalia et praeternaturalia distinguerent*, quaedam quidem ut naturalia referrent, quaedam vero, sive implicite sive explicite, ut praeter ordinarium naturae cursum patrata describerent. *Explicite* id faciunt iis verbis, quibus factum evidenter miraculosum referunt. V. g. Io 12, 13: « Quando Lazarum vocavit e monumento et resuscitavit eum a mortuis ». Mt. 8, 17-13 « ... non recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos sustulistis ? « Accedunt verba ea, quibus evangelistae atque Hebraei secundum usum gentis suae res extra ordinem naturae positas significabant.[2] *Implicite* idem edicunt. Nam in aliis narrationibus continuo causas naturales ostendunt, v. g. cum describunt, quomodo apostoli spicas vellentes famem depulerint ; si vero « miracula » seu « signa » narrant, continuo causas naturales omittunt. Praeterea describunt effectum in suis ipsorum animis, qui produci non potuisset, nisi ea opera miraculosa habuissent. Qui effectus est iudicium credibilitatis de Christo propheta Messia, Filio Dei.

24. *Ob.* 2) *Theoria generis literarii non historici.* — Haec theoria *praecipue ad evangelium S. Ioannis applicatur.* Rationes principales hae sunt :

a) Inveniuntur *contradictiones* evidentes tum inter evangelium Ioannis atque Synopticos tum in ipso evangelio Ioannis.

(1) Cf. v. g. Ottiger I p. 763-5. — Weiss [9], Mt. ad 14, 22-30 p. 275-6. — Fonck p. 316-7. — Strauss l. c. — (2) Cf. van Laak, De revel. in abstracto n. 104, 7 p. 79.

b) Evidens est *Symbolismus miraculorum Christi.* Hic autem miraculis a Io. narratis proprius est.

c) Impossibile est, traditionem historicam tam vehementer perverti, ut quis auctor ad finem saeculi primi miracula tam grandia atque impossibilia ut facta historica referre voluerit. Debemus ergo aliam intentionem in eo supponere.

Primis Christianismi temporibus quidam haeretici, qui omnem connexionem Christi cum materia ab eo removere volebant, hanc explicationem proponebant. — Medio aevo quidam Iudaei miracula V. T. ita explicabant. — Saeculo 18 dux in hac theoria vindicanda erat Anglus *Thomas Woolston.* (1) — Neque saeculo 20° desunt, qui eiusmodi theoriam ad diversa miracula etiam Synopticorum applicant. V. v. g. Carl Weizsäcker, (2) Schmiedel. (3)

Praecipue vero atque a plurimis haec theoria *ad miracula quae Io. narravit*, applicata est. Inter Germanos hoc factum est v. g. a Ritschl, Kaftan, H. J. Holtzmann, O. Holtzmann. Inter Hollandos nominandi sunt v. g. Hoekstra, Loman. Inter Gallos v. g. Albert Réville. (4) E Modernistis inter Gallos sibi nomen fecit Alfred Loisy. Inter Anglos ita sentiunt v. g. Taylor, Sanday. — Haud raro tamen auctores huiusmodi non totam narrationem de miraculo, sed tantum eam partem, quae iis magis mira videtur, hac ratione ortam esse statuunt. Ita v. g. Sanday. (5)

Quaedam exempla: O. Holtzmann (6) tradit, ambulationem Iesu super aquas allegorice interpretandam esse. — *B. Weiss* (7) putat ambulationem Petri super aquas esse « allegoriam adhuc sat claram historiae negationis » Petri. « Quod autem evangelista sedationem subitaneam tempestatis Iesu attribuat, hoc ideo factum esse, quia » inconscio modo imago Christi, qui (nunc) ad divinam potentiam atque gloriam elevatus est, » substituta est ei imagini quam ipse ab initio de hoc facto habuit. — *K. Furrer* edicit (8) evangelistam miraculis narratis velle « nos introducere in mundum miraculosum experientiae religiosae ».

Loisy (9) inter plurima haec tradit: Non bene agunt ii, qui « essaient de tracer dans le quatrième Évangile la part de la doctrine, celle de la

(1) A Discourse on the miracles of our Saviour, London 1727-9; Defence of the Discourses, ib. 1729-30. — (2) Das apostolische Zeitalter [3] 1902 p. 394-9. — (3) In: Cheyne and Black, Encyclop. Bibl. col. 2520-2. — (4) Iésus de Nazareth [2] I, Paris 1906 p. 311-8. — (5) The Criticism of the Fourth Gospel, Oxford 1905, p. 169-84. — (6) Leben Iesu, Tübingen 1901 p. 225. — (7) Leben Iesu [4] II p. 200, 34. — (8) Das Leben Iesu Christi, Leipzig 1905 p. 137. — (9) De eius doctrina cf. Le quatrième Évangile, Paris 1903 pp. 960. — Cf. integrum c. 4 Introductionis « Le caractère du quatrième Évangile » p. 76-97, praecipue p. 77, 80, 86, 87, 88. — Exempla applicationis theoriae v. g. p. 644 Ainsi l'interrogation éternelle; 650 Le miracle-bienheureux; 919 Thomas-senti 920; 921 Les signes-Christ.

tradition historique et celle du symbolisme. Il ne s'agit pas, en effet, de trois éléments juxtaposés : le principe symbolique et la théologie de l'incarnation dominent tout le reste; la tradition fournit à l'auteur des données qu'il utilise comme symboles, en modifiant plus ou moins, et parfois très considérablement, leur forme ; il y voit avant tout des images significatives, quelques distinctions que nous soyons tentés d'y introduire au point de vue de l'histoire, qui n'est pas le sien : et d'autre part, toutes les vérités doctrinales se présentent sous formes d'allégorie, en sorte que l'Évangile tout entier, au lieu d'apparaître comme une oeuvre composite où se mêleraient des matériaux de nature différente, est à prendre, comme le Christ, pour une révélation sensible de la vérité divine. » (1) « Pour lui (S. Jean) le réel et l'imaginaire se confondent dans l'unité du symbole. » (2) « L'évangéliste lui-même souligne l'allégorie et nous en met la clef en main, quand il fait dire à Jésus : ' Je suis la résurrection et la vie. ' Que faudrait-il de plus pour la rendre sensible, et comment aller plus loin sans détruire toute apparence d'histoire ».

R.(3) — *a) Nulla contradictio in rebus ad miracula spectantibus* ostensa est. Singulae quaedam huiusmodi contradictiones in Introd. ad S. Scr. exponuntur atque refutantur. Porro etsi in quibusdam rebus minoribus erratum esset, ex tali errore nulla ratione sequeretur genus literarium evangelii Ioannis esse indolis non historicae, sed id unum sequeretur, in genere literario indolis historicae a Io. sive mendacia sive errores inculpabiles commissos esse.

a) Aliud est factum perpetrare eique significationem veritatis religiosae indere, aliud veritatem quandam religiosam fabula inventa illustrare. Priore quidem ratione Iesus saepius processit idque Io. de eo refert ; secundum vero Io. nunquam fecit. Porro miracula eiusmodi quorum significatio symbolica sive ab ipso Christo effertur sive ex ipso evangelio immediate patet, etiam apud Synopticos inveniuntur. Cf. piscatio miraculosa illustrata verbo Christi : « Ex hoc iam homines eris capiens ». Lc. 5, 10. Item maledictio ficus. — Quod vero in Io. plures tales explicationes Domini de symbolismo miraculorum eius inveniuntur, hoc ex eo provenit quod materia praedicationis Christi apud Io. in multis diversa est a materia praedicationis apud Synopticos. Nam apud Io. Dominus generatim disertius et sublimius mysteria explicat v. g. Trinitatem, et diversa ratione e miraculis suis pro doctrinis dogmaticis, v. g. pro sua divinitate arguit. Eidem fini inservit,

(1) O. c. p. 77-8. — (2) P. 80. — (3) Cf. van Laak, De mir. Christi I p. 35-9; 44-7.

quod Iesus v. g. occasione miraculi quo caece nato visum restituit, premit se esse « lucem mundi » : quod occasione resurrectionis Lazari proclamat, se esse « resurrectionem et vitam ».

c) Perverti non debebat traditio, quam fundabat factorum veritas. Nisi forte a priori statuis possibilia esse miracula quaedam, quae tibi minora videntur, impossibilia aliqua apud Ioannem narrata, quae tibi maiora videntur.

Unde patet, quam recte Commissio Biblica 29 Maii 1907 decreverit, dici non posse « facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc, ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia ». Idque negari debere, non obstante « indole peculiari eiusdem Evangelii, et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini ».[1] Indubium quoque est, falsam esse propositionem 16 et 17, damnatam Decreto « Lamentabili » 1907 : « Narrationes Ioannis non sunt proprie historia sed mystica Evangelii contemplatio... » « Quartum evangelium miracula exaggeravit non tantum ut extraordinaria magis appareant, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati ».[2]

Propositio 5. Evangelistae in miraculis Christi referendis mentiti non sunt.

25. 1) Ipsi evangelistae considerantur.[3] — 1) *Talia mendacia repugnant veracitati eorum aliunde cognitae.* Scripserunt evangelia Mt., Io., Mc. secundum ea quae narrabat Petrus, Lc. Iamvero et evangelistas et Petrum homines fuisse piissimos constat ex antiquissima et non interrupta traditione historica ecclesiae catholicae, cum qua ipsa scripta apocrypha de actis Apostolorum congruunt. — Quam traditionem confirmant ea, quae providentia Dei per eos pro religione christiana effecit: confirmat ipsa indoles pietatem spirans eorum, quae hi viri scripserunt, sive evangelia sola consideras sive epistolas Petri atque Ioannis et Apocalypsim addis; confirmant gratiae gratis datae quae saltem Mt. Io, Petro larga mensura concessae erant.

(1) Textus officialis in Revue Bibl. 1907 p. 322. — (2) Haec verba inveniuntur apud Loisy, Le quatrième évangile p. 88. — (3) Cf. expositionem Euseb., Demonstr. evang. l. 3 c. 5 G 22, 203-7. — Id., Theophania c. 21-43, versio germ. e syr. a Gressmann facta p. 231*-50*. C B 11 ² 1904. Cf. argumentationis summa capita et locos praecipuos van Laak, De mir. Christi p. 292-303.

2) Etsi a cognita horum scriptorum virtute abstrahimus, certum est, eos *nullis motivis ad mentiendum fuisse impulsos.* Patet in iis divitias, voluptates, honores mundanos in ratione motivorum esse exclusos. De eo solo motivo agi potest atque ab adversariis sermo infertur, quod consisteret in studio gloriae Christi atque religionis christianae propagandae. Nempe dicuntur ideo contra veritatem asseruisse miracula, quia ea conferrent ad gloriam sive Christi sive suam, quippe qui talis magistri discipuli fuerint vel etiam ipsi miraculis claruerint.

At si contra veritatem *gloriam Christi* promovere voluissent, ea miracula ei affinxissent, quae eum ethnicis aut Iudaeis acceptum reddidissent. Iamvero ipsis miraculis plurima aspergunt, quae sanctitatem ethnicis invisam spirant, uti e toto evangelio patet; vel quae ideis Iudaeorum contraria sunt, qualia sunt v. g. sanationes die Sabbati factae, defectus signorum « de coelo ». Porro si studium vanae gloriae sive Christi sive suae eos movisset, miracula latius descripsissent, non vero ut praecipue Mt., ex parte Mc. Lc. faciunt, generatim tantum breviter de iis locuti essent. Praeterea etiam plura accurate descripsissent non vero tam pauca, uti v. g. Ioannes facit.[1] Denique miracula magis clamitosa, ad Christi utilitatem materialem relata narrassent, qualia in apocryphis inveniuntur.

Suam ipsorum gloriam inordinate non quaerebant. Nam ne unum quidem miraculum diserte describunt, quod ipsi, facultate a Christo accepta, patrassent. Referunt vero, se non potuisse puerum lunaticum sanare idque ex defectu spiritus fidei; se a Christo reprehensos fuisse, quando ignem de coelo evocare volebant ad oppidum Samaritanorum perdendum; se admonitos esse, ne de his donis gratis datis gauderent. Generatim evangelistae multi sunt in enarrandis iis, quae imperfectiones sive intellectus sive voluntatis suae arguunt.

3) Etsi evangelistae habuissent motiva, quae ex se efficaciter ad talia mendacia impellere potuissent, tamen non poterat in apostolis esse spes, ut sua mendacia crederentur, *imo iis certum erat, se tali mendacio finem ob quem scribebant plane destructuros esse.* Iamvero ii auctores prudentiores erant, quam qui ita procederent. Quod hac ratione breviter ostenditur.

Vidimus, finem praecipuum evangelistarum in scribendo fuisse, ut

(1) Quae etiam Protestantes aliquando premunt, v. g. Naumann, Wertschätzung p. 70.

scriptis suis motiva credibilitatis in Christum praeberent. Iamvero si miracula mendaciter confinxissent, lectoribus suis persuasissent, revelationem christianam plane esse inanem idque ipsos evangelistas non latebat. Si enim miracula ista ficta fuissent, lectores illud sive subito atque evidentissime sive saltem morali cum facilitate et sat cito detexissent.

Subito atque evidentissime id detexissent lectores Matthaei in Palaestina. Etenim Mt. scripsit Palaestinensibus (sive) fere duodecim (sive ad summum fere triginta) annis post mortem Christi. Vivebat ergo eo tempore maior pars hominum eorum, in quibus vel pro quibus Christus secundum Matthaei relationem miracula sua plurima patraverat, quae porro generatim ab eo exhibentur cum loco, ubi facta sint. Cogita mirabilem cibationem circa 10000 hominum, sanationes plurimorum, quas Iesus omnibus in locis perfecit, quae in Galilaea peragrabat. Io. scripsit ecclesiis Asiae minoris, ubi, uti e proemio Papiae ad libros suos quinque expositionum oraculorum Dominicorum scimus, et alii apostoli et discipuli eorum de vita Domini multa docuerant.[1] Mc. Romanis, Lc. caeteris ethnicis generatim sumptis evangelium suum destinavit. Erat autem id temporis multum commercium inter Ierusalem atque communitates Iudaicas in Diaspora. Ii vero qui apostolos audiebant praecipue inter Iudaeos atque Proselytas recensebantur. Quare huiusmodi mendaciis non solum Mt. apud Palaestinenses, Io. apud Asiatas, verum etiam Mc. et Lc. apud ethnicos finem operum suorum evidenti atque celerrimae ruinae exposuissent.

Eiusmodi vero stultitia longe aberat a mente Mt., Io., Petri, Mc., Lc. Ut taceam iudicia posterorum, efficacia evangelistarum atque apostolorum in exsequendo opere difficillimo conversionis gentium, ipsa scripta sapientiam auctorum ostendunt. Certe evangelium Mt. Io. etiam ab acatholicis, qui iudicium non corruperunt, excellentioribus libris in universa literatura adnumerantur.

4) *Impossibile erat, eiusmodi mendacia fingere.* — Etenim non desunt ex ipsis rationalistis, qui concedant, sublimiorem esse imaginem Christi ab evangelistis exhibitam, quam quae mendaciosae inventioni deberi possit. Iamvero imago Christi essentialiter operibus eius miraculosis quasi in omnibus eius lineis determinatur. Impossibilitas talia mendacia fingendi ob paritatem rationis allatae statuenda est

(1) Euseb., Hist. eccl. l. 3 c. 39 G 20, 296-7 ed. Schwartz C B 9[1] p. 286.

sive de mendacio plurium ex condicto agitur sive de iis mendaciis, quae singuli proprio Marte finxissent.[1]

5) Addi potest ea ratio probabilissima, *evangelistas, si mentiti fuissent, evitaturos fuisse apparentes illas contradictiones,* quae in narrationibus de Christi miraculis inveniuntur. Tales sunt v. g. si ipsum finem miraculorum spectas, quod ex una parte referuntur ut motiva credibilitatis pro Iudaeis, ex alia vero parte exhibentur verba Christi, quibus ea propalare videtur. Si circumstantias consideras, quod v. g. Mt. refert, duos caecos a Domino prope Iericho esse sanatos. Mc. Lc. uni soli hoc beneficium collatum esse testari quibusdam videntur etc. Quae diversitates, supposita obiectiva factorum veritate, optime explicantur diversitate finis narrantis, accurata discussione expressionum etc., mendaciis autem suppositis commodam explicationem non habent. Etiam rectitudo rerum plurimarum ad geographiam, historiam culturam omnimodam incolarum Palaestinae pertinentium, quae in describendis miraculis tanguntur, difficile ab iis proficisci potest, qui facta ipso invenerunt.[2]

26. *B)* Qui crediderunt narrationes evangelistarum de miraculis Christi simul cum caeteris, quae in evangelio continentur, ii erant homines privati, eae Christianorum communitates, ii superiores ecclesiastici saeculi primi ad finem vergentis et saeculi secundi, qui nisi has narrationes maximi momenti veras esse perspexissent, eas nunquam fide divina suscepissent, idque eo tempore, quo inquisitione e testibus ex visu vel auditu vera audire poterant. Unde vides etiam eos adversarios candidam evangelistarum mentem debere admittere, qui, etsi falso, putant, non Mt. Mc. Lc. Io. esse scriptores evangeliorum sed alios quosdam ea saeculo primo (vel mea pace initio saeculi secundi) composuisse.[3]

Quod de evangelistis proposuimus, mutatis mutandis etiam ad eos scriptores applicanda sunt, qui independenter ab evangeliis miracula Christi retulerunt, uti sunt Quadratus, Papias, Polycarpus.

(1) De quibus plura cum veritate theologica miraculorum et de mirabili sanctitate Christi sermo erit. — (2) Id. quod illustratur tot anachronismis in evangeliis apocryphis. Cf. Pawlicki, Der Ursprung des Christentums p. 141-2. — Porro plurimis erroribus, quos committit v. g. Philostratus in vita « thaumaturgi » Apollonii Tyanensis. — (3) Cf. de hac argumentandi ratione v. g. Hettinger, Apologie[8] II p. 233-42. — von Nostiz-Rieneck, Histor.-Polit. Blätter 1903. tom. 132, p. 38-9.

Difficultas.

27. *Obicitur theoria qua statuitur, apostolos falsitatis sibi conscios narrationes de miraculis conscripsisse.* (1) Elementa eius fere ita exhiberi possunt : Ex una parte miracula fieri nequeunt. Ex alia parte naturali evolutione usque ad illud tempus, quo evangelia scripta sunt, istae narrationes de miraculis oriri non poterant. Unde nihil remanet, nisi ut dicatur, evangelistas ea invenisse. Ratio peccati in talibus factis inveniendis secundum quosdam auctores evangelistas latuit, secundum quosdam minime. Motivum talis inventionis statuunt fuisse in quadam tendentia. Quae erat ut, cum regnum temporale Messianicum contra apostolorum spem a Christo erectum non esset, Christi eiusmodi sermones et facta fingerent, quibus spiritualis hominum redemptor fuisse atque esse videatur. Vel generatim omnia excelsa Christo attribuebant, quippe quem maxime amarent. — Hodie ii ipsi adversarii qui mendacia eiusmodi admittunt, fictionem generalem statuere non iam audere solent; eam restringunt ad miracula ea, quae sanationibus non continentur.

Haec theoria iam antiquissima est. Eam ad resurrectionem Christi iam applicuerunt Synedristae. (2) — Saeculo 4 eam proposuit Hierocles. (3) — Sequebantur saeculo 17 et 18 Deistae in Anglia, uti Toland, Tindal, Woolston, Morgan. Quorum vestigia premebant saeculo 18 inter Gallos Encyclopaedistae, uti *Voltaire*, (4) Diderot, saeculo 19 *Renan*. Inter Germanos primus eam clare tradidit *Reimarus*. (5) — Excoluit eam multis *F. Chr. Baur* (6) 1772-1860. Qui erat dux novae scholae Tubingensis. Integra evangelia atque Actus apostolorum conficta esse ad componendas lites inter Petrinismum atque Paulinismum. Idem ergo de narrationibus miraculorum statuit. Nihilominus eos qui eiusmodi narrationes composuerunt, non esse dicendos impostores. Nam eiusmodi mutationes « tendentiosas » aliter iudicari nostris temporibus, quae critica historica imbuta sint, aliter istis temporibus, quae ea caruerint.

R. — Falsum est suppositum, miracula fieri non posse. Falsum est, apostolos vel alios de quibus agitur ignorare potuisse rationem pec-

(1) Cf. expositio et refutatio amplior van Laak, De mir. Christi I : p. 75-86. — Fonck [2] p. 73-5. — (2) Cf. Mt. 28, 13. — (3) Cf. Euseb. contra Hieroclem. c. 2 G 22, 800 B. — (4) Cf. Paul Sackmann, Voltaires Geistesart u. Gedankenwelt, Stuttgart 1910 pp. 383 p. 242 ; 252-5. Quod opus breviter ideas Voltaire ex omnibus eius operibus colligit. — (5) Fragmente des Wolfenbüttelschen Ungenannten, 1 Teil § 48 Berlin, Reimer p. 100-1. — (6) Praecipue in operibus: Kritische Untersuchungen über die Kanonischen Evangelien, 1847 ; Paulus, [2] Leipzig 1845-67 ; Das Christentüm and die christl. Kirche der ersten drei Iahrhunderte, Tübingen 1853.

cati in talibus factis ad eiusmodi finem inveniendis; eos talia mendacia committere voluisse; Christianos passuros fuisse, ut talia mendacia sibi imponerentur. Omitto falsa plurima supposita in theoria Bauer de tempore ortus evangeliorum, de oppositione inter Petrinismum et Paulinismum etc. Maior omnino pars ex ipsis doctis acatholicis eiusmodi doctrinas reicit.(1)

Propositio 6. Evangelistae in factis quae referunt ne inculpabiliter quidem errarunt.

28. Assertum ita probamus, ut quasi per gradus quosdam ad scopum tendemus.

A. Exclusa est ea depravatio traditionis historicae, qua saepe defectus memoriae, aliqua quasi inconscia operatio phantasiae, error intellectus facta historica aliqua ratione mutat. Etenim

1) Narrant Mt. et Io. qui testes e visu sunt, Mc. qui a teste e visu, Petro, res audivit, Lc. qui sedulo rem investigavit. Facta vero tam extraordinaria erant, eorum momentum pro apostolorum atque totius humani generis conditione ita iis perspectum erat, ea tam facilia erant intellectu, ut non potuerint non recte animadverti atque retineri. Cf. v. g. multiplicationem panum, resurrectionem Lazari. Nisi forte sensus, phantasiam, memoriam, intellectum plane perturbatum assumere vis. Id quod et numero et indoli horum scriptorum repugnat.

2) Accedit quod in praedicationibus suis inde ab initio ipsa Christi miracula proponere solebant, itaque ea menti firmissime imprimebant.

Quem praedicandi modum apostolorum docti e diversis rationibus recte inferunt. Ita Ioannes teste Papia narravit de Petro;(2) ita apostolorum eorumque discipulorum institutionem describit testis ex auditu Polycarpus, referens quae « de Domino ex ipsis audiverat, de miraculis illius etiam ac de doctrina, quae ab iis, qui Verbum vitae ipsis conspexerant, acceperat ».(3) Ita Irenaeus, alii de Paulo sentire videntur.(4)

Hoc non obscure indicatur verbis Domini ipsius, quibus praedicatio

(1) Cf. Harnack, Altchristl. Literaturgesch. II 1, 1897, p. VII-X. — (2) Cf. Cornely Intr. III ² n. 25 p. 87, 101. — (3) Testimonium apud S. Irenaeum, Fragmentum epistulae ad Florinum G 7, 1227 B. — (4) Cf. Iren. adv. haer. l. 3 c. 1 c. 14 G 845, 914.

apostolica determinatur (cf. v. g. Io. 15, 27; Lc. 24, 44-8). Idem e verbis Lc. 1, 4 se eruere posse plerique censent.

Eandem rationem catecheseos supponere videtur instructio de facto resurrectionis Domini eiusque apparitionibus quae tantopere ab apostolis praedicantibus inculcabatur.

Tandem ipsa natura rerum idem postulare videtur. Miracula enim erant medium praecipuum, quo Iesus verba sua probavit; opera e quibus maxime virtutes eius elucebant; quae maxime cum ipsis doctrinis connexa erant.

29. B. Exclusa est illusio vel hallucinatio apostolorum in iis factis apprehendendis. Etenim si apostoli hallucinati sunt, integer populus Israeliticus per istos annos in istis omnibus factis hallucinatus est. Nam eadem erat persuasio omnium apostolorum, amicorum, inimicorum Christi de his factis. Id quod forte a nemine negatur et ex historia evangelii, ex aliis auctoribus certum est. Iamvero *illusio totius populi Israelitici per annos* exclusa est.

Nam eiusmodi status integri populi esset morbus psychologicus universalis. Iamvero talis existere nequit. Nam aut naturalem causam haberet aut praeternaturalem.

At si e causis naturalibus eiusmodi perversio oriri posset, *a)* natura humana non iam esset ad veritatem disposita, *b)* omnis omnino certitudo historica de rebus praeteritis vel praesentibus periret. Qualem suppositionem omnes historici rident.

Neque *causae praeternaturales* talem effectum produxerunt. Etenim *a)* ad *hominum* arguere licet contra adversarios miraculorum Christi, eos talem influxum praeternaturalem admittendo, iam miraculum admittere. — *b) Quoad rem ipsam α)* Potentia physica angelorum plurimorum utique etiam tanta est, ut hominum plurimorum sensus hallucinationibus atque illusionibus perturbare possint. At repugnat quominus *providentia divina* permittat, eos viribus suis physicis uti ad eiusmodi effectum producendum, quo omnis certitudo historica tolleretur. *β) Spiritus bonus* naturam humanam ad statum tam indignum non adducit. *Spiritus malus* prudenter praevidere poterat, tali illusione, quae nunquam detegeretur, se in aevum persuasionem de miraculis Christi atque proinde de ipsa Christi missione firmare seque ita in fructibus optimis eius fidei praecipuo modo cooperari. Id quod quam maxime abhorret.

C. Exclusum est, tantum apparenter adfuisse eam ipsam mutationem quae adfuisse dicitur.

Exclusum est, adfuisse tantum terminum a quo vel ad quem apparentem. Id est aegroti illi qui dicuntur sanati, antea vere aegroti erant, non apparenter; postea vere sani erant, non apparenter; panes qui dicuntur multiplicati, vere antea deerant, postea, nullo homine afferente, vere aderant, etc.

Etenim mutatio tantum apparens aut causis naturalibus aut causis praeternaturalibus deberetur. Iamvero omnes causae talis falsae apparentiae exclusae sunt.

1) *Talis mutatio apparens non debetur causis naturalibus.* Hae essent aut ex parte voluntatis seu fraus, aut ex parte facultatum cognoscitivarum.

a) Excluditur fraus.

30. *a)* Ex parte solius *thaumaturgi* non aderat fraus. Haec enim repugnat *personae* Christi, cum ob eius *sapientiam* tum ob eius *sanctitatem.* — Ac primo quidem sane nemo sapiens se exponit magno periculo, ut fraudes suae in re maximi momenti detegantur. Iamvero si Christus miracula finxisset, tale periculum et obiective imminebat et subiective ob evidentiam rei a Christo ignorari non poterat. Etenim ii qui optime conscii sibi erant, se v. g. a Christo non esse sanatos, ex suppositione a thaumaturgo ad id perduci debebant, ut contra veritatem proclamarent se ab eo sanatos esse. Ad hoc perducendi erant non pauci, sed plane innumeri; non semel vel quodam die, sed per annos; non homines nulli contrario influxui expositi, sed homines e plebe, quae facile ab inimicis Christi excitabatur. Ad hoc inducendi erant nullo praemio oblato pro tali mendacio, quo se proceribus quam maxime invisos reddebant. Haec omnia tandem perficere debebat thaumaturgus, quamvis experientia sciret, pharisaeos omni suae agendi rationi continuo invigilare atque undique rationes conquirere, ut vim infringerent, quam miracula in plebem et fere in se ipsos exserebant. At vel stultissimus quisque perspectum habet haec fieri non posse.

Praeterea obstat *probitas* Christi. Nam obiective magnum crimen est miracula sub iis circumstantiis simulare, in quibus Christus ea simulasse dicitur. Obest enim valde humilitati, ementita miraculorum patratione supra omnes se elevare atque gloriam Deo eiusve angelis propriam sibi attribuere. Obest amori, quo Dei atque revelatae religionis honorem prosequi debemus. Nam qui abutitur medio inter omnia ad probandam revelationem efficacissimo, is maximo periculo exponit

religionis revelationem atque honorem Dei, qui ab ea quam maxime dependet. Iamvero, uti videbimus, Christus omnia sua miracula retulit ad divinam suam legationem stabiliendam eaque ut eius argumentum principale consideravit. Si ergo in miraculis patrandis simulasset, hoc maximum crimen commisisset. — Porro hanc criminis rationem subiective Christus contraxisset. Nam eius sapientiam minime fugere poterat. Cf. quae in thesi de humana auctoritate Christi diximus.

Repugnat haec fraus in Christo ob *testimonia aequalium*. Etenim ut omittamus testimonia amicorum Christi, certe *inimici Christi talem fraudem tum detexissent* vel saltem suspicati essent, *tum detectum manifestassent*. — Eam detexissent pharisaei atque scribae. Nam primo, de talibus fraudibus, ut per se possibilibus non cogitare non poterant. Etenim eiusmodi fraudes eo tempore inter ethnicos in regno Romanorum plane res cotidianae atque vulgo cognitae erant.(1) Iamvero inter Iudaeos et ethnicos multum erat commercium.(2) Porro Iudaei etiam Palaestinenses tales fraudes ethnicorum in ipsis sacris libris descriptas legerunt, scilicet in libro Daniel.(3) Secundo, incredibili diligentia plurimi inimici Christi ea quae ad eum pertinebant, explorare solebant. Tales autem continuae fraudes a plurimis per annos omni in loco commissae incognitae remanere non poterant.

Quibus non obstantibus pharisaei atque scribae ne sermonem quidem inferre ausi sunt de talibus fraudibus, sed ad eam explicationem confugerunt, quae sensuum experientiae subiici non poterat, scilicet miracula Christi diabolo ascripserunt.

Si vero sive cum certitudine fraudes detexissent, sive eas tantum suspicati essent, certo certius hoc manifestassent. Nullo enim aptiore modo Christum omnium risui atque despectui exponere ac proinde eius auctoritatem convellere potuissent.

Accedit argumentum e proditore Iesu haustum. Etenim simul cum caeteris apostolis *Iudas* quoque a Christo sic dictam potestatem patrandi miracula et acceperat et exercuerat. Qui si a magistro suo didicisset homines decipere, Dei auctoritatem subvertere, nequa-

(1) Cf. exempla apud Döllinger, Heidentum u. Indentum p. 644-8. — Lit. amplior apud Schürer. Geschichte... III ^{3} p. 300-4. — Unum exemplum fusius enarratum in Cumont, Alexandre d'Abonoteichos, Bruxelles 1887 pp. 89. — (2) Cf. Schürer III § 31 I p. 1. — (3) Cf. Cornely, Introductio II n. 293 p. 509-13.

quam, poenitentia ob Christum traditum ductus, retulisset[1] « triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi tradens sanguinem iustum (insontem, criminis expertem) ».[2]

31. *β) Excluditur fraus ex parte eorum in quibus vel in quorum gratiam miracula patrabantur.* In multis subiectis physice impossibilis erat, ut in undis maris. In caeteris moraliter impossibilis erat. Etenim

I. *Non habebantur motiva quibus ad fraudes committendas impelli potuissent. — Non temporalia.* Non pecuniae vel voluptates. Talia enim neque Christus neque eius apostoli offerebant. Non privata vana gloria, qua de miraculis uti de re quam maxime extraordinaria in se facta vane superbirent. Sanabantur enim plurimi, saepe omnes qui accedebant; unde deerat illa ratio extraordinarii, quae hodie v. g. mulieres hystericas tantopere ad nescio quae patienda movet. Porro illa aliqualis vana gloria plebem minus movisset quam damna, quae ex parte procerum subire debuissent. Non vana gloria nationis seu gentis, qua hominem quem suum Messiam credebant, miraculorum gloria circumdare voluissent. Etenim fides quam habebant, praecipue ex miraculis orta est. Unde non potest statui ut causa horum miraculorum.

Verum ad tales fraudes committendas non tantum non attrahebant bona temporalia, sed ab iis *absterrebant damna temporalia.* Nam primo ipsa simulatio incommoda gravissima in se habebat. An forte leve erat, per annos simulare se caecos, per 18 annos paralyticum, per longa tempora leprosos ab omni commercio humano alienos atque cum leprosis continuo versantes? An nullius negotii erat filiae Iairi, iuveni in Naim, Lazaro agere mortuum atque eo modo apertum periculum incurrere, ut thaumaturgo forte recto tempore non adveniente, mors simulata in veram transiret eamque in ipso sepulchro lentam atque dolorissimam? Deinde si detegebantur fraudes, mala haud parva imminebant: irrisio omnium, cum miracula generatim publice patrarentur; fama publica peccati inter Iudaeos horrendi; poena ob hoc crimen a ducibus populi Christo infensissimis certo infligenda. Ex Io. 9, 22 enim notum est, v. g. multos iam ideo non adhaesisse Christo, ne e synagoga excluderentur.

(1) Mt. 27, 3, 4. — (2) « Iustum » hoc loco significare insontem, i. e. criminis expertem v. v. g. Knabenbauer, Weiss ad l. Cf. de ideis Iudaeorum Deut. 18, 20.

Neque movebat illud motivum spirituale quod adversarii premere videntur, ut scilicet *gloriam Christi,* quippe quem prophetam crederent, pro viribus servarent, augerent, propagarent. Etenim tale studium iam supponit fidem in Christum e miraculis partam. Porro eiusmodi contortum motivum innumeros homines rationabiles e plebe ad res sat difficiles in se suscipiendas movere non solet. Denique amici Christi atque generatim plebs eum ut prophetam habebant. Ergo credebant eius verbis, quibus affirmabat se « in virtute Dei » miracula patrare. Ergo eorum animum non poterat subire cogitatio, ut falsis miraculis ei gloriam thaumaturgi procurarent. — E contra *absterrebant motiva spiritualia :* horror peccati contra honorem Dei, quod, ut ex historia patet, Israelitae speciali odio prosequebantur; timor ne eum, quem habere solebant prophetam atque gloriosum suae gentis thaumaturgum tandem aliquando post saeculorum intervalla iterum populo Dei concessum, periculo irrisionis atque calumniae exponerent; magna pietas amicorum Christi, quae quam maxime a tali peccato aliena erat. Cogita apostolos, Lazari familiam.

II. *Etsi adfuissent motiva, tamen Israelitas non efficaciter movere potuissent.* — Etenim non poterat iis non esse persuasum, fore ut fraudes detegerentur atque ita bona, quae ipsi ex iis per se sperare poterant, nulla ratione attingerent. Etenim miracula a Christo facta sunt non pauca, sed innumera; non unius, sed diversissimi generis; non in uno subiecto fictionibus assueto, sed in subiectis innumeris; non uno tempore, quo forte certae quaedam circumstantiae fraudibus favissent, sed per tres continuos annos; non uno in loco fraudibus committendis apto, sed in diversissimis locis per omnem Palaestinam iisque eius generis, quae omnium inquisitioni patebant; non clam vel coram paucis testibus, sed aut coram plurimis, uti fieri solebat, aut saltem coram iis, qui apte testari poterant, v. g. in resuscitatione filiae Iairi coram parentibus puellae et tribus apostolis; non coram solis amicis, qui forte, amore Christi capti, debitam inquisitionis diligentiam omisisse aliquibus forte viderentur, sed generatim ipsis inimicis praesentibus; non coram plebe tantum inculta, sed coram Pharisaeis et Sadducaeis, cultissimis e populo, coram ipso Christo quem non solum sapientissimum habere solebant, verum etiam ea cognitione praeditum, ut res ad eos qui secum agerent pertinentes, saepe e revelatione divina sciret. Cf. v. g. Lc. 7, 39: « Hic si esset propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier, quae tangit

eum, quia peccatrix est ». Recogita exempla similia e Vetere Testamento.

32. *γ) Excluditur fraus,* quae oriretur e *conspiratione inter thaumaturgum atque caeteros.* — Haec enim conspiratio I) *moraliter repugnat.* Tanta enim debebat esse difficultas eiusmodi fictionis quasi universalis atque per annos continuatae ut ne conspiratione quidem inter unum thaumaturgum et tot subiecta essentialiter minui potuerit. — II) Ea conspiratio augeret malitiam Christi, quam repugnare ostendimus. Nam adderet simplici fraudi in re tanti momenti formalem cooperationem ad innumera peccata eorum, qui miracula finxisse dicuntur. — III) Haec conspiratio saepe etiam physice impossibilis erat. An forte Christus, quando operarius in Nazareth versabatur, conspiravit cum haemorrhoissa nescio quo loco degente, ut per 12 annos, cum alia quadam muliere, ut per 18 annos, cum caece nato ut ab incunabulis se aegrotos fingerent? An ipse Christus antequam natus erat, cum eo homine, qui per 38 annos in infirmitate detinebatur, dolos confinxit?

b) Excluditur defectus ex parte facultatum cognoscitivarum. — *α)* Subiecta in quibus miracula fiebant saepe erant res cognitionis expertes. — *β)* Eos homines vero, de quibus hic nobis sermo est, eiusmodi defectus non occuparunt. Sunt utique aliquando, qui ob morbum quendam psychologicum inter se confundant morbum verum cum phantasia de morbo; imo haec ipsa phantasia aliquando similes apparentias externas producit atque ipse morbus verus. Attamen integer quasi populus non tenetur tali morbo psychologico, ut quasi omnes aegroti qui in eo inveniuntur, diversissima sua morbi genera non patiantur sed tantum se pati putent. Porro nequaquam in omnibus subiectis omnibusque morborum generibus phantasia morbi easdem apparentias producit atque ipse morbus.

2) *Talis mutatio apparens non debetur causae praeternaturali,* scilicet influxui praeternaturali spirituum creatorum, quo v. g. apparentiam morbi in sano vel apparentiam sanitatis in aegroto produxissent. Rationes eaedem sunt, quas attulimus antea, cum de illusione universali sermo esset.

Difficultates.

33. *Ob. 1) Obiectio principalis* petitur e theoria mythorum. Quae iungenda est cum ea, quae magis ordinariam multiplicem connaturalem depravationem traditionis historicae statuit.[1]

(1) Cf. van Laak, De mir. Christi I p. 48-75 expositio et refutatio amplior.

Definitio mythi. — Mythus est narratio immediate vel mediate de Iesu agens, quae et in quantum non potest considerari ut expressio alicuius facti sed ut foetus idearum eorum asseclarum Christi, qui iam in societatem religiosam post Christum coaluerant.(1)

Notio depravationis traditionis historicae ordinariae. — Ea intelligitur omnis alius modus, quo sive oretenus sive in literatura scripta traditio historica teste experientia saepe pervertitur quin mentiendi studium in causa sit. Plurimi sane in se possibiles sunt.(2) Reducuntur ad defectus sive attentionis sive intellectionis sive memoriae sive aptitudinis in re, quae accepta fuerit, enarranda.

Quae duae causae depravationis traditionis de factis Christi in se tantum naturalibus ita inter se habere dicuntur. Tendentia ad efformandos mythos usa est caeteris ordinariis depravationibus traditionis historicae uti quibusdam quasi instrumentis. Vel ea tendentia se habebat tum ut causa quaedam vehementer impellens ut multae magis ordinariae depravationes formarentur, tum ut quasi forma quaedam atque anima, quae Esse proprium religiosum, christianum, talium depravationum determinaret. Unde fit, ut qui theoriam mythorum tenent, etiam ad illas alias depravationes ordinarias connaturales recurrant. — Potest autem fieri, ut quidam quasdam ex his causis ordinariis depravationis assumant, quin theoriam mythorum teneant.

Assertionem generalem, in miraculis Christi mythos haberi, iam invenis apud Iudaeum illum quem Celsus loquentem facit.(3) — Saeculo 12 Moses Ben Maimon, atque saeculo 14 eius commentator Ioseph Caspi talia de miraculis Veteris Testamenti protulerunt. — In genere miracula quibus religio revelata fundata est, eo modo explicarunt quidam e Deistis Anglis atque saeculo 18 inter Germanos v. g. Kant.

At systema integrum quod horum mythorum causas omnes ostenderet atque ex iis miracula Christi fere singula determinata ratione explicaret, propositum est a David Friedrich *Strauss* (1808-74).(4)

Quem plurimi secuti sunt, quamvis hi in paucioribus hi in pluribus.(5) Inter Germanos v. g. Keim, H. J. Holtzmann, O. Holtzmann; inter Gallos Réville, aliquando Renan; Anglis v. g. Schmiedel similia proponit. Imo

(1) Strauss, Leben Iesu [4] I p. 97. — Soltau o. c. p. 24. — (2) Cf. Bernheim, Lehrbuch der hist. Methode und der Geschichtsphilosophie [4] v. g. p. 343-58; « Irrtum »; p. 429-86 « Innere Kritik ». — (3) Orig. c. Cels. l. 2 n. 55 G 11, 883; C B 2, 179. — (4) Continetur praecipue in his duobus operibus: Das Leben Iesu Kritisch bearbeitet, 2 vol. [1] Tübingen 1835; [4] 1840. — Das Leben Iesu für das deutsche Volk bearbeitet ib. 1864. — (5) Literatura pro Strauss vel contra eum cf. Schweitzer p. 410-3.

haec *sententia communior* esse videtur inter acatholicos liberaliores, si illa miracula respicis, quae non in sanationibus versantur. Unde sunt, qui proclamaverint, inde a temporibus Strauss miracula iam e vita Christi exsulare, quin spes sit, fore ut ea unquam in eam remeare possint. Insistunt autem multi, ut diximus, plurimum in illis quasi ordinariis depravationibus, quas iam nominavimus.

Accuratior descriptio theoriae mythorum, prout a Strauss exposita est. — Principium est: Miracula fieri nequeunt.[1] Unde, cum narrationes de miraculis Christi adsint, necesse est videre, qua via contra veritatem obiectivam tales narrationes formari potuerint. Sane mendacia ab evangelistis aliena erant. At quo tempore evangelistae scribebant, mythi de Christi miraculis a populo christiano iam formati atque crediti erant. Eiusmodi mythos evangelistae bona fide scripto consignarunt. Qui mythi valde connaturaliter formabantur. Est autem series causarum, quibus narrationes hae originem suam debent, haec:

Causae efficientes hae sunt. *Generalis* est desiderium, ut de magnis hominibus multa et sublimia sciantur. Unde commune est, magnos homines post mortem mythis circumdari. Ergo idem de Christo valebat. — Porro erant *speciales* causae, quae impellebant, ut mythi miraculis referti de Christo formarentur. Quae erant *fides in eum ut Messiam* eumque resuscitatum, porro *persuasio, Messiae* opera omnia sublimia prophetarum *attribuenda esse*, ergo etiam *miracula*.[2] Fortissima causa efficiens ut tales mythi crederentur, erat enthusiasmus primorum temporum christianorum simul cum indole eius aetatis, quae omni sensu critico orbata erat.

Praeterea causae exemplares, secundum quas hi mythi formarentur, praesto erant. Erant autem duae: *miracula V. T.*, cum quibus miracula Christi mira similitudine conveniunt, deinde spiritus doctrinae et exempli Christi, secundum quem ea quae in narrationibus V. T. cum spiritu N. T. non congruebant, apte modificabantur.

Quae mythorum formatio secundum veteriores auctores tempus quasi 100 annorum requirebat. Unde statuebant, evangelia scripta non esse nisi c. a 130. Recentiores vero putant se etiam celeriorem mythorum formationem admittere posse.

Refutatur theoria mythorum. — *I. Generale* responsum hoc est: Vidimus, qua ratione ortae sint narrationes de miraculis Christi, sci-

(1) Strauss, Leben Iesu p. 80-1. — (2) Strauss p. 91-4.

licet ex obiectiva veritate et studio eam manifestandi. Ergo omnis theoria huic origini opposita falsa est.

II. Singulae partes theoriae breviter sic refutantur: Quoad causas efficientes. Fx *facto generali*, de magnis hominibus mythos formari, nihil erui potest, unde has determinatas narrationes falsas iudices. Nisi forte statuis, omnia quae de magnis hominibus narrantur, vi huius principii falsa esse. Caeterum si mythos de Christo quaeris, habes eos eosque plurimos et saepe ineptos in evangeliis apocryphis, quae ab ecclesia reiecta sunt.

Speciales vero illae causae efficientes, quas adversarii pro explicandis mythis de miraculis Christi afferunt, immerito statuuntur. Nam fides in Christum Messiam eumque resuscitatum, historia teste, praecipue e miraculis quae facta putabantur, exorta est. Porro persuasio, a Messia miracula patrari debere, si ea facta non erant homines aetatis Christi vel aevi apostolici ad id perduxisset ut fidem concipere non possent, vel eam quam forte iam conceperant, amitterent. Nempe sive experientia sive aliqua inquisitione iis constabat, essentialem quamdam qualitatem dignitatis Messianicae, scilicet rationem thaumaturgi, in Christo defuisse.

Praeterea credulitas illa neque Iudaeorum erat neque Christianorum. Non Iudaeorum; alias miracula omnia Christi, nulla inquisitione facta, amplexi essent. Non Christianorum; alias non sola evangelia, reiectis apocryphis, retinuissent. Caeterum ut principalis ratio cur credulitatem eius temporis nimiam dicant, ab adversariis ea adducitur, quod homines istius temporis imbuti erant praeiudicio miracula fieri posse!

Ea duplex *causa exemplaris* quae adducitur, causalitatem non exseruit. Nam primo inter miracula V. et N. T. maior est dissimilitudo quam similitudo. *Finis* proximus miraculorum V. T. praecipue erat in eo ut poenae infligerentur inimicis Dei eiusque populi, miraculorum vero N. T. in eo ut beneficiis afficerentur singuli homines. *Genus* miraculorum quod attinet, miracula V. T. plurima erant in coelo et nubibus et aere, N. T. miracula vero fere in solis rebus aliis perficiuntur. *Modus* patrandi miracula in V. T. magis erat in rebus etiam externis adhibendis, quam in miraculis N. T. *Circumstantiae* denique quam maxime diversae sunt. Cf. v. g. inter se miraculum conversionis Nili in sanguinem in V. T., et miraculum conversionis aquae in vinum in N. T. Et tamen haec duo miracula ut maxime inter se similia a Strauss proponuntur. — Quoad secundam causam exemplarem hoc

accipe. Verum illud quidem est, miracula N. T. in se imaginem referre spiritus N. T. At falsum est, Christianos aevi apostolici et subapostolici, praecipue tales quales adversarii eos exhibent, inconscia mente potuisse opus tantae sapientiae perficere quale esset in inveniendis miraculis Christi, in quantum tot circumstantiis miram sapientiam et sanctitatem spirantibus quasi circumdantur. Imo regulae prudentiae tam determinatae, quales in miraculis Christi elucent, ex ista generali doctrina evangelica et generali exemplo sanctitatis Christi quod supponitur, deduci non poterant.

Porro falsum est, evangelia scripta esse 100 annis post mortem Christi. Synoptici saltem 30 fere annis post Christi mortem integra sua evangelia scripserunt. Io. 70 fere annis post evangelium suum edidit. Imo rectius statuitur, Mt. iam 12 fere annis p. Ch. evangelium suum scripsisse. Generatim ipsi Rationalistae in determinanda aetate qua evangelia scripta sint, magis quam antea ea statuunt, quae catholicorum sententiis conformia sunt.[1]

Quaedam singula de magis ordinaria depravatione traditionis historicae circa miracula Christi. — Eiusmodi depravatio multiplex, aiunt adversarii, *in aliis materiis* communis est. Ergo ab hac materia non exsulat. Imo vita Christi tot res in se habebat, quas fontes ordinarii errorum historicorum speciali quadam facilitate in ordinem mundi miraculosi quasi elevare poterant, imo debebant.

V. g. mox habebat locum *condensatio metaphorarum* vel parabolarum in facta historica. V. g. Christus dixerat: « Ego sum panis vitae », « Ficus infructuosa i. e. populus israeliticus excidetur ». Qui sermones Domini connaturaliter in factum miraculosum multiplicationis panum, arefactionis ficus concrevit. — Mox inter se *confundebantur* haec duo: *adiutorium Dei inexspectatum, adiutorium divinum miraculosum.* V. g. Christus adhortatus erat turbas ad fiduciam, fore ut Deus sibi, qui ob pietatem, scilicet ob verbum Dei audiendum, fame laborabant, naturaliter provideret. Id quod Deus revera fecit. Postea sensim huic modo subveniendi naturali substitutus est modus praeternaturalis.[2]

R. — Stultum est, a priori velle demonstrare necessitatem errorum vel accumulare probabilitates, quando e specialibus qualitatibus scribentium atque legentium positive probatum est, eos esse exclusos. Cf. arg.

(1) Cf. v. g. Harnack, Geschichte der altchristl. Lit., Chronologie 1 p. VIII. — Bruders o. c. p. 316-7 elenchum aetatum habet quae a diversis statuuntur. — (2) Plurima exempla v. Fonck o. c. p. 59-101, porro ad singula miracula.

34. *Ob. 2)* Etiam *fraudes* Christo diversisque eius adiutoribus attribuendae sunt.

Karl Friedrich Bahrdt (1) haec de miraculis Christi statuit: Homines ex ordine « arcano » Essenorum iam puerum Iesum circumdabant. Eum ad id perduxerunt, ut sub eorum ductu sibi proponeret plebem a tyrannico iugo sacerdotum atque superstitionis liberare. Ad hoc autem necessarium erat, ut se Messiam atque thaumaturgum fingeret. Remorsus conscientiae contra tale crimen exemplo similis criminis in antecessore Mose paulatim vicit. Quaedam ' miracula ', scilicet quasdam sanationes, perfecit partim duobus mediis secretis a Persa quodam acceptis, uno quo oculos alio quo nervos sanaret, partim scientia medici Lucae adiutus. Caetera miracula diversis hominibus ordinis istius « arcani » iuvantibus quasi in scenam producta sunt. Duodecim apostoli, uti caeteri Iudaei, utique homines boni at his fraudibus detegendis impares erant. (2)

Karl Heinrich *Venturini* eandem ideam magis evolvit. (3) « Legatus Dei morali necessitate adstrictus erat ut miracula pro Iudaeis ad finem ethicum patraret, praecipue ut effectu privaret sic dicta miracula eorum, qui plebem circumveniebant, atque ut ita regnum Satanae eo citius destrueret ». — Venturini elucubratio, quatuor volumina complectens, adhuc fere omni anno iterum editur atque exemplar factum est, quod aliae « fabulae romanenses » de vita Christi fere imitantur. (4)

Ernest *Renan* (5) in suam levissimam fabulam romanensem de vita Iesu miracula Christi hac ratione inducit: Iesus initio in Galilea praedicatione sua plebem sibi adstrinxerat. At Hierosolymam profectus, illam urbem, caput Palaestinae, commovere non poterat. Quod infortunium in causa erat, ut fidem suam iudaicam plane amitteret. Rebellioni ergo se dat. Totus mundus commoveri debet, ut ipse triumphum agat. Videt se aut debere missam facere hanc suam « vocationem », aut thaumaturgum fieri. (6) Eligit personam thaumaturgi atque ab amicis adiutus per 18 menses hanc personam sustinet. At in dies difficilius fit eam sustinere, (7) unde ipse mori desiderat cum adhuc gloria sua circumdatur. Id quod revera obtinet. Ita Iesus erat « victima suae propriae sublimitatis ». — Haec, si omnia simul sumuntur, videtur esse mens Renan. Ita ipse

(1) Praecipue in opere: Ausführung des Planes u. Zwecks Iesu, 11 vol., Berlin 1784-92. — (2) Cf. expos. apud Schweitzer p. 38-43. — (3) Natürliche Geschichte des grossen Propheten von Nazareth [1] 1800-2, Kopenhagen. Cf. expos. Schweitzer p. 43-7. — (4) Ita refert Schweitzer p. 47. — (5) La vie de Iésus, Paris 1863 pp. 462. Cf. Schweitzer p. 182-7. Literatura pro Renan et contra eum collecta v. ib. p. 414-8. Praeterea B. Labanca, Gesù Cristo nella letteratura contemporanea straniera e italiana, Torino 1903 c. 2: La ' vita di Gesù , di Ernesto Renan in Italia p. 25-60. — (6) Vie de Iésus [18] p. 267. Praecipue totum c. 16 p. 265-81. — (7) Cf. v. g. p. 375.

Schweitzer eam exhibet. Singulae phrases Renan utique saepe aliquid indedeterminati habent. Mox Iesus dicitur esse sine idea miraculi, mox miracula ascribere orationi; (1) mox exhibetur ut agens, (2) mox ut quasi tantum patiens; (3) mox describitur ut bonae fidei, (4) mox permittitur, esse historicos eiusmodi actus qui dici debeant « sentant la jonglerie ». (5)

Eduard von Hartmann (6) statuit, initio quidem Iesum eiusmodi doctrinam proposuisse, in qua eius propria persona nullas partes habebat. At paulatim eum gloriam atque opera miraculosa adamasse. Tandem ad « anormalem gradum aestimationis sui ipsius » pervenit. Cum tamen nihil efficeret, moriens confiteri debebat, se a Deo derelictum fuisse.

R. — In his similibusque fabulis ea quae ad miracula spectant, supra refutata habes. Caetera historice falsissima aut in aliis thesibus refutantur, aut eiusmodi sunt ut refutationem ne mereri quidem videantur.

Ob. 3) Aliquando *illusiones collectivae* habentur. Cur ergo non potest statui, apostolos atque populum, miraculorum testes, eiusmodi status passos esse?

Haec sententia generatim quidem non tam ad miracula illa applicabatur, quae ab ipso Christo ante eius mortem facta sunt, quam ad ea, quae circa eum facta sunt atque ad apparitiones eius post mortem. At aliquando etiam de eiusmodi miraculis statuebatur, qualia hoc loco tractamus.

Ita medicus P. A. Desjardin (sub pseudonymo Paul de Régla) hanc sententiam proposuit: (7) *Sicut magnetizator in magnetizatis* efficere potest gustum eius rei, quam ipse sibi vivide repraesentat, ita Christus effecit, ut convivae illi in Cana Galilaeae arbitrarentur, se optimum vinum bibere. — Alius quidam medicus Kieser, (8) iam antea eadem ratione explicaverat, cur etiam quinque illa millia hominum se saturatos senserint, quin de facto saturati fuerint.

Accedere videtur ad similes hallucinationes etiam pro aliis miraculis v. g. Albert Réville. (9) Ita secundum eum « ....la Marche sur les eaux et la Transfiguration ressemblent beaucoup à des visions symboliques dues à l'enthousiasme d'esprits ardents, peu cultivés, poètes pourtant à leur manière ».

(1) P. 267. — (2) P. 279. — (3) P. 275-6, 279. — (4) P. 267. — (5) Cf. p. 269, 278 « charlatanesques ». — (6) Das Christentum des Neuen Testaments, Sachsa im Harz 1905 pp. 311. — (7) Iésus de Nazareth, vers. germ. 1894. — (8) Cf. Fonck p. 371. — (9) Iésus de Nazareth [2] II 1906 p. 69.

R. — Idem est, pro lubitu statuere nunc hos nunc illos, usque ad millia hominum, hallucinatos fuisse, atque eiusmodi generalem statum anormalem statuere, quem in thesi reiecimus.

Quae in specie dicenda esse videntur relate ad hypnotizationem, amplius exponemus, quando de sanationibus Christi sermo erit. De illusionibus collectivis vero plura dicemus, quando apparitiones Christi tractabimus.

CALIF. PRO

CAPUT 2. **Constat de veritate philosophica miraculorum Christi.**

PROPOSITIO 7. Veritas philosophica miraculorum Christi probatur ex auctoritate humana.

ARG. 1. — *Ex auctoritate ipsius Christi.*

35. Christus professus est, se opera sua miraculosa non perfecisse viribus naturalibus. Atqui in hoc testimonio reddendo veracitate et scientia praeditus est.

Ad ma. — 1) In parte de veritate relativa miraculorum Christi probabimus, Christum ad ea ut ad signa divinae suae legationis provocasse. Id vero implicite continet confessionem, ea naturaliter facta non esse.

2) Christus clare scivit, miraculum esse opus praeter ordinarium naturae cursum, praeter leges physicas.

Hoc ex eo patet, quod omnis populus uti in V. T. ita tempore Christi hanc persuasionem habebat.[1] Hoc etiam ex disertis verbis Christi sequitur. Certe miraculi conceptum exhibet cum dicit Mt. 21, 20: « Si monti huic dixeritis: Tolle et iace te in mare, fiet »; cum approbat conceptum centurionis qui affirmat, vires naturae ita obedire Christo ut milites centurioni, atque ideo a Christo petit « tantum dic verbo et sanabitur puer meus »; cum clamat: « Lazare, veni foris ». Hunc conceptum supponunt verba quae evangelistae a diabolo profecta esse referunt, v. g. Mt. 4, 3: « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant ».

Hunc conceptum in animo Christi fuisse etiam liberales quidam Protestantes theologi contra aliquos alios defendunt.[2]

Iamvero Christus saepe et disertis verbis seipsum thaumaturgum designavit et praeterea se ut eum exhibuit, qui aliis potestatem miracula patrandi conferret. Cf. v. g. Mc. 16, 17, 18: « Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum

(1) Cf. quae retulimus De revelat. in genere n. 104 Ob. 1-6 p. 78-9. — (2) Cf. v. g. E. Ménégoz, La notion biblique du miracle, Paris 1894. Qui scriptor scholae fideisticae inter Protestantes Gallos post citata verba Mt. 21, 21 haec ait: « Clarius exprimi non potuit, miraculum esse oppositum ordini naturae ». — Cf. quoque Sabatier, Esquisse... l. 1 ch. 3 p. 70-1.

quid biberint non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt ». Io. 10, 37, 38: « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est et ego in Patre ».

Ad min. — 1) *Veracitatem* quod attinet, propositione 6 n. 30 p. 45-6 demonstravimus, Christum *crimina* commissurum fuisse, si opera miraculosa mendaciter sibi ascripsisset. Praeterea *ab omni sapientia alienus* fuisset. Cum enim plurima et diversissima miracula patraret, periculo maximo se exposuisset, ut fraudes suae nudarentur. Nisi admittere vis *a)* solum Christum naturali scientia vires naturae physicas et psychicas plurimas, diversissimas, efficacissimas amplexum esse atque in actum perfectissimum perduxisse; *b)* praeterea omnes has vires viriumque applicationes quae coaevis ignotae erant et nobis ignotae sunt, ei soli naturaliter cognitas fuisse. Talis autem sententia et in se absurda est et speciatim eorum placitis repugnat, qui statuunt, omnem progressum nonnisi constanti cuidam atque per gradus certos ascendenti evolutioni esse ascribendum.

2) Christus *scire debebat* num ipse viribus naturalibus talia opera perficeret.

a) Sub eius conscientiam cadebat, *num ea ageret.* Etenim a libertate Christi procedebant. Nam ea opera miraculosa, quae Christus perfecit, non erant actiones inconsciae vel automaticae, sed erant opera virtutum: v. g. misericordiae v. g. Mt. 14, 14 « Et exiens vidit turbam multam et misertus est eis et curavit languidos eorum »: exauditionis precum, quae ex fide et fiducia in Deum profectae erant, id quod fere in omnibus miraculis premitur; amoris revelationis divinae, cum ad eam probandam saepe a Christo referantur; humilitatis, cum ea aliquando in abscondito patraret, etc. Simul iis usus est ut signis ex instituto seu symbolis aliarum veritatum. V. g. piscationem miraculosam constituit signum mirabilis successus operationis Petri in convertendo mundo.

b) Christus sciebat, *num ea naturaliter patraret.* Etenim si naturalibus viribus libere utendo ea perfecisset, debuisset illas dirigere atque applicare per modum medici et experimentatoris. Iamvero talis applicatio est opus artis, quod conscientiam non fugit.

Arg. 2. *Ex auctoritate plurimorum hominum aliorum.*

36. Innumeri sunt homines, qui, admissa historica veritate miraculorum Christi, etiam *philosophicam eorum veritatem confitentur*. Quod cum faciunt, debita veracitate et scientia instructi sunt.

Ad ma. — *a)* Ex aequalibus amici Christi ea opera ascribebant Deo, inimici diabolo (sive forte quaedam aliquando Deo, negata tamen relatione eorum miraculorum ad probandam doctrinam Christi), viribus naturalibus vero nemo ea attribuebat.

b) Posterioribus temporibus idem mansit iudicium amicorum Christi, seu Christianorum. Ex inimicis vero Christi nemo invenitur, qui veritatem historicam omnium miraculorum Christi agnoscat et tamen ea omnia viribus naturae ascribat. Aut ad magiam diabolicam recurrebant aut ad vires praeternaturales v. g. cuiusdam nominis Dei quod Iesum secum portasse dicebant.

Ad min. — Horum testium constat 1) *Veracitas*. In hac re mentiti non sunt inimici Christi; etenim haec concessio bellum eorum contra valorem argumenti e miraculis Christi difficilius reddebat. Non amici Christi. Etenim in aliqua propositione posteriore probabimus, ipsam religionem christianam etiam ex auctoritate humana asseclarum eius probari posse. Iamvero veracitas eorum, quae generatim in profitendo iudicio credibilitatis religionis christianae universim sumptae invenitur, in illud quoque iudicium transfunditur, quo veritatem philosophicam principalis cuiusdam motivi credibilitatis afrmabant.

2) Neque iis deerat *scientia debita*. Exclusae sunt causae erroris: Inordinatus influxus *voluntatis*, cum agatur de motivo aliquo praecipuo credibilitatis pro religione christiana tam difficili pro intellectu, tum gravi pro voluntate. *Intellectus* hebetudo vel negligens inquisitio, cum haec miracula per multa saecula ab hominibus etiam cultissimis omni ex parte disquisitioni subiecta sint, praecipue inde a saeculo 18°. Intellectus ideae confusae vel praeiudicia, cum ii amici Christi qui ita inquisiverunt, rectis principiis de valore probativo miraculorum imbuti essent.

Suo modo *ii ipsi, qui veritatem philosophicam miraculorum Christi negant*, ei non suffragari non possunt. Etenim ii soli eam negant, quos non debite inquisivisse aliunde demonstrari potest. Ex parte *voluntatis* impediuntur horrore officiorum, quae revelatio christiana

imponit; ex parte intellectus plus quam dici potest a debita inquisitione avertuntur principio falsissimo, miracula fieri non posse. Id quod antea demonstravimus. Hoc principio posito, omnia principia scientiae historiae negligentes, veritatem historicam eiusmodi miraculorum negant, quorum philosophica, si historica antea admissa esset, a nemine sanae mentis in dubium vocari posset. Pro rationibus vero, e quibus caetera miracula Christi negant, nonnisi eas species difficultatum afferunt, quae omni homini rectis philosophiae principiis imbuto evidenter nullae apparent. Id quod in afferendis difficultatibus in sequenti thesi videbimus. Quare pronum est ita concludere: Id quod omnium saeculorum adversarii, etsi in caeteris rebus doctissimi sunt, vel multis studiis adhibitis nonnisi eiusmodi rationibus aggredi possunt, quae evidenter falsae sunt, id sane optime fundatum sit necesse est. — Omitto quosdam, qui veritatem philosophicam miraculorum Christi negant, forte ne veraciter quidem loqui. Sunt enim inter eos, qui in ipso Domino accommodationem doctrinae ad fines qui utiles videntur, admittant. Quod in Domino non reprehendunt, forte etiam sibi ipsis permittunt.

DIFFICULTATES.

I. *Christus non sibi ascripsit miracula.* (1)

37. *Ob. 1) Christus non habebat conceptum miraculi.* (2) Nam *α)* ideas easdem habuit atque *aequales*. Hi autem idea miraculi destituti erant. *β)* « Pro Iesu *cotidiana atque extraordinaria erant eiusdem momenti* ». *γ)* Diserte « *loco legis gravitatis supponit actionem liberam amoris Dei* ». Legimus enim Mt. 10, 29; « Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro ».

R. — Quoad *α)*. Certe uti in ipsa thesi probavimus ipse Christus ideam miraculi habebat. Si ergo aequales eam non habebant, eam a Christo discere poterant. Caeterum in tractatu de revelatione revelata in genere probavimus, Iudaeos tempore Christi conceptu miraculi non caruisse.

Quoad *β)*. Iesus iudicavit, ab eodem infinito paterno amore Dei procedere gubernationem ordinariam, a quo miraculosa quaedam sa-

(1) Plura exposita et refutata v. van Laak, De mirac. Christi I p. 217-34. — (2) Cf. tales obiectiones v. g. Wilh. Soltau, Hat Iesus Wunder gethan? ? Strassburg 1903. — Brevius idem innuit Renan ch. 16 p. 267.

natio procedit, c.; iudicavit opera naturnlia et praeternaturalia non alio atque alio modo a Dei providentia atque amore procedere, non alio et alio modo ad revelationem divinam probandam se habere, n.

Quoad *γ)*. Mt. 10, 29 « sermo est de providentia generali, qua Deus omnibus providet creaturis secundum ordinem et cursum causarum naturalium a se institutarum, quibus indesinanter cooperatur », non vero sermo est de actione divina particulari, quae loco legis physicae extraordinarie effectum producat. Providentiae generalis finis est ipse homo: « Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos ». Mt. 10, 31.

38. *Ob. 2) Christus aperte negavit se miracula patrare.* Quae negatio continetur *a) Factis.* Etenim quantum fieri poterat renuit opera ista salutem corporum conferentia perficere. Iamvero prae amore quo fratres suos complectebatur, sane *omnes omnino sanasset*, si ea potestate miraculosa praeditus fuisset. — *b)* Sed clarissime haec Christi negatio ipsis eius *verbis* exprimitur. Ea vero haec negationem continent partim *implicite* partim explicite. *α)* Implicite Iesus ascribit opera sua *adventui regni Dei* in cordibus hominum[1]; vel ea attribuit *virtuti divinae*, ergo non sibi ipsi. *β) Explicite:* Mc. 8, 11 legimus: « Non dabitur generationi isti signum ». Mt. 12.39 vero (Lc. 11,29, 30): « Signum non dabitur ei, *nisi signum Ionae prophetae* ». Quod signum Ionae prophetae est ipsa praedicatio poenitentiae, cui Christus similiter atque Ionas insistebat.[2] Imo cum miraculum ab eo petitur, respondet Mt. 4, 7 « Non tentabis Dominum Deum tuum ».[3]

R. — *Responsum generale* illud est, Christum miracula sua principaliter ad eum finem patrasse ut iis legationem suam divinam demonstraret; divinas perfectiones manifestaret, inter quas sapientia atque suavis dispositio eminet; diversas suas virtutes morales exhiberet. Non vero ea unice vel principaliter ad eum finem direxit, ut omnibus omnino indigentibus opera misericordiae exhiberet. Unde ipsas quoque sanationes, uti omnia miracula sua ita disposuit, ut rationem haberet eorum finium, quos eum principaliter intendisse diximus.

Specialia responsa ad difficultates istas, quae certe profunditate non eminent, breviter haec sint:

(1) Cf. Soltau l. c. p. 47-53; 91. V. p. 48 sqq. 10 argumenta. — (2) Cf. hanc saepissime repetitam difficultatem Holtzmann, Lehrbuch d. Neutest. Th. 1897 I p. 279. — Sabatier, Esquisse d'une phil. de la religion, Paris 1894 p. 72-3. — Soltau o. c. p. 51. — (3) Soltau ib.

a) Quod attinet ad negationem quae *factis* contineri dicitur: Falsum est, Christum quantum potuit miraculosas sanationes refugisse. Saepissime eas publice cum magnae misericordiae signis in plurimis simul patravit. Imo *ad eas petendas exhortatus est,* v. g. Mt. 20, 32: « Et stetit Iesus et vocavit eos (petentes sanationem) et ait: Quid vultis ut faciam vobis? » Ad eam benignitatem se demittit, ut sponte sanationem offerat, Io 5, 6: « Hunc, cum vidisset Iesus iacentem, et cognovisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? ». Item proprio Marte auriculam Malchi abscissam apponit. Tandem a nemine rogatus facultatem miracula patrandi discipulis atque apostolis confert. Rationes cur Iesus aliquando sanationes refugerit videbimus, cum de veritate relativa miraculorum Christi agemus.

b) Quod spectat ad negationem, quae *verbis* contineri dicitur: Ac primo quidem si doctrinam Christi *implicitam* consideramus. Christus utique saepius premit, cum *regno Dei* miracula fore coniuncta, v. g. Mt. 10, 7, 8: « Euntes autem praedicate dicentes: Quia appropinquavit regnum caelorum. Infirmos curate, mortuos suscitate,... daemones eicite ». At illa miracula *nequaquam proposuit ut effectus physicos naturales ideae subiectivae regni Dei*, quae in animis fidelium suscepta sit, sed ut effectus quos ipse rex regni Messianici, quem a regno Dei separare summum nefas est, summa cum libertate praeter ordinem naturae patraret.

Cum vero Iesus haec opera *virtuti divinae* attribuit, nequaquam causalitatem suam ab iis removet. Certe non eam *causalitatem suam*, quae ex eo provenit, quod uti Filius Dei naturalis *vi divinae suae naturae eandem physice voluntatem habet atque Pater*. V. g. Io. 5, 19 hanc rationem legimus, cur Iesus miraculum sanationis eius describat, qui iam a 38 annis infirmitate detinebatur: « Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter faci ». *Causalitatem vero eius humanam* eamque per modum petitionis interpositam clarissime vides in resuscitatione Lazari, unde simul aliorum miraculorum patratio lucem accipit. Io. 11, 41-43 Iesus ait: « Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras ». Generatim causalitatem suam continuo premit. Ex exemplis innumeris

sume v. g. Lc. 18, 41; nam caeco ait: « Quid tibi vis faciam? » Cf. v. g. Io. 2, 20.

Quoad *verba explicita*, quibus Iesus miracula omnia a se removisse dicitur: *Signum Ionae*[1] non est praedicatio poenitentiae sed resurrectio Christi. Id quod probabimus, cum de resurrectione Christi agendum erit. Resurrectio autem miraculum maximum est, idque, ut postea videbimus, Iesus vero quodam sensu sibi ut causae efficienti ascribit. Ergo cum sibi hoc maximum miraculum attribuit, certe thaumaturgum se exhibet. Quod autem Mt. 12, 39 et Lc. 11, 29-30 Christus dicit, se nullum aliud signum ei generationi daturum esse, id non potest in hac re evidentissima opponi multis clarissimis affirmationibus, quibus se thaumaturgum exhibet. Quis autem sensus huius versus sit diversi diverse explicant. — Explicatio probabilior haec est: Et in Mc. et in Mt. et in Lc. pharisaei signum « de coelo » quaerunt.[2] Id quod ex disertis verbis apud Mc. e Lc. patet. Pro Mt. vero id ex eo concluditur, quod harmonia evangeliorum docemur Lc. et Mt. eo loco idem factum narrare. Iudaei vero intelligebant *signum de coelo eiusmodi signum, quod in sole etc. videretur*. Cf. Act. 2, 19-20. Iesus ergo negavit se tale signum daturum esse. — De aliis vero signis, quae neque sint signa de coelo neque resurrectio, in hoc textu locutus non est. — Cur vero Christus unicum signum resurrectionis suae eo loco nominandum putaverit, non uno modo ab auctoribus explicatur. Forte resurrectionem suam ut praeclarissimum omnium suorum miraculorum, ut eorum omnium exemplar et culmen proponere voluit. Forte belle miraculis de coelo miraculum quoddam stupendum ex imo terrae opponere ei in animo erat.

Quoad Mt. 4, 7 : *Diabolus postulat a Christo ut miracula patret sine ratione sufficiente*, forte ad captandam vanam gloriam coram plebe, quae eum e pinnaculo templi per aera se demittentem conspiceret. Iamvero tentatio Dei est, velle sperare potestatem miracula patrandi, si ea ad fines irrationabiles dirigerentur. Nam is tentat Deum, qui mensuram eorum, quae a Deo sperare possumus, non servat. Quam mensuram in promissis divinis habemus. Deus autem nihil ad irrationabiles fines promittere potest.[3]

(1) Cf. quoad signum Ionae Knabenbauer in Mt.[2] 1903 I p. 513. — Weiss,[9] Mc. u. Lc., Göttingen 1901 p. 124. — Aliter Mald. ad l. — Diversas explicationes v. propositas S. Th. 3 qu. 43 a. 1 ad 1. — (2) Quomodo in talibus rebus multi Iudaei falsa veris permiscuerint v. v. g. Bousset[2] o. c. p. 238. — (3) Quomodo ex hac narratione confirmatio peti possit pro eo quod Christus

II. *Auctoritas apostolorum in affirmanda veritate philosophica miraculorum Christi nulla est.*

39. *Ob. 3)* — Apostoli erant homines *inculti*. Atqui eiusmodi homines nullam auctoritatem habent, cum *de difficili quaestione de veritate philosophica* miraculorum Christi agitur.

R. — *a)* Auctoritate apostolorum et evangelistarum praecipue usi sumus in stabilienda veritate historica miraculorum Christi. *Materiam ergo diiudicandam utique mediante auctoritate humana evangelistarum accipimus*, inquisitionem vero in veritatem philosophicam eius materiae quam ab ipsis accepimus, nos ipsi instituimus atque iudicium de ea materia praecipue e rationibus quae miraculis ipsis interna sunt formamus. — *b)* Aliquid tamen momenti in hoc iudicio formando etiam apostolorum auctoritati concedi potest. Nam praeterquam quod non minus apti erant ad quaedam evidentia miracula diiudicanda quam caeteri aequales Christi, etiam aliquae speciales conditiones eorum testimonio ascribendae sunt. Nam *α)* Erant continui Christi discipuli. Unde in iis rebus religiosis maximi momenti, in quibus a Iesu correcti non sunt, eius iudicium nobis referre censendi sunt. *β)* Caeteris facilius diiudicare poterant, num forte Christus quibusdam mediis naturalibus usus esset, quae caeteris ignota erant. *γ)* In rebus ad suam artem pertinentibus caeteris aptius iudicium rationabile etiam de veritate philosophica miraculorum formare poterant, v. g. cum agitur de duplici miraculosa piscatione, de tempestate maris subito sedata.[1]

Propositio 8. Veritas philosophica miraculorum Christi demonstratur e natura operum.[2]

Pars I. **Considerantur directe omnia genera operum.**

40. Si effectus de quibus agitur, e causis naturalibus profluxissent, aut e talibus profecti essent, quarum exsistentia nota erat qua-

sibi potestatem miracula patrandi ascripserit vel ea patraverit v. v. g. ex ipsis Protestantibus Sanday, art. I. C. in Hastings, Diction. vol. 2 p. 626 IV a. — Naumann, Die Wertschätzung des Wunders im N. T., Leipzig 1903 p. 18. — Explicationem facti v. Knabenbauer I[2] p. 151-65. — (1) Quae conferre possunt ad eiusmodi difficultates removendas, quas v. g. de miraculosa piscatione habet Schleiermacher, Leben Iesu p. 235; de sedata tempestate Furrer, Vorträge p. 129 sq. — (2) Cf. van Laak, de mir. Christi p. 125-40.

rumque applicatio apparebat; aut e talibus, quarum existentia atque applicatio adhuc nobis ignota est. Atqui neutrum dici potest.

I. VIRES PHYSICAE NOBIS COGNITAE A CHRISTO HAE SOLAE ADHIBITAE SUNT: Generatim impositio brevissima manuum; aliquando lotio cum aqua; in caecis circumlitio oculorum luto vel sputo facta. Generatim accedebat verbum, quo vel imperium proferebatur vel sanatio fidei ascribebatur. Facta vero quae sequebantur, erant haec: resuscitatio mortuorum, multiplicatio panum, sanatio moraliter loquendo subitanea omnis generis morborum, etc. Cf. enumerationem miraculorum Christi antea factam.

Iamvero *impossibile est, e talibus viribus applicatis huiusmodi effectus sequi.* Etenim vires naturae, cum non libere sed necessario agant, sub iisdem circumstantiis semper eosdem effectus producunt. Atqui tales causae innumeris vicibus sub iisdem circumstantiis adhibebantur, effectus vero neque sequebantur neque sequuntur. — Nam nunc eaedem conditiones inveniuntur mortuorum, morborum omnis generis, materiae panis, aquae, vocis humanae, impositionis manuum etc., quae tunc habebantur, eaedem conditiones naturales in innumeris aliis hominibus atque locis eorum temporum, quae in Christo erant. Quae quamvis ita sint, tamen e talibus causis tales effectus non procedunt. Ergo tales effectus naturam talium causarum excedunt.

II. VIRES INCOGNITAS quod attinet:[1]

41. *A. Etsi obiective adessent tales vires*, e quibus mira opera Christi explicari possent, *tamen certum est eas in miracula Christi non influxisse.* Nam eae aut a Christo sciente et volente applicatae essent, aut eo nesciente in actum prodiissent. Iamvero neutra suppositio possibilis est.

1) Si *Christus sciens et volens* eas in actum traduxisset, haec eius scientia aut naturaliter parta aut praeternaturaliter indita esset. Atqui

a) Naturalis eiusmodi scientia in Christo non erat.

α) Haec *repugnat Christi sanctitati.* — Etenim provocavit ad opera sua ut ad signa potentiae divinae, quibus legationem suam firmaret. Iamvero si eae vires naturales fuissent, si naturalis quoque fuisset scientia quibus Christus eas cognovisset, si naturalis porro potentia

(1) Cf. quae de viribus occultis generatim dicenda sunt, cum lit. van Laak, De revelatione in abstracto n. 92 p. 66-7.

qua eas applicaret, in ea suppositione certe non magis ad talia opera ut ad signa approbationis divinae provocare potuisset quam v. g. celeberrimus quisque huius aetatis experimentator ad sua experimenta ut ad signa approbationis divinae pro aliqua praetensa vocatione divina provocare potest. Id quod non convenit cum eo amore summo atque cum ea reverentia, qua Iesus revelationem divinam amplexus est. — Porro tantus erat amor Christi erga homines, ut si eiusmodi plurima media, quibus humanum genus a tot malis liberari potuit, naturaliter ab eo reperta fuissent atque proinde ea ordinariae providentiae divinae subiecissent, ea sine dubio humano generi communicaturus fuisset. [1]

c) Praeterea haec scientia naturalis repugnaret *cursui externo vitae Christi*. [2] — Nam impossibile est, Christum ad eam scientiam physicae, chimiae, physiologiae, psychologiae, medicinae etc. pervenisse, qua plura scivisset, quam omnes ii qui post eum, praecipue his ultimis saeculis, tantos progressus in his scientiis fecerunt. Etenim ut scientia et ars insignis vel in una ex his disciplinis acquirantur, opus est plurimo studio tum theoretico tum practico, continuo labore multorum non tantum singulorum hominum sed plane multarum generationum, imo eiusmodi labore qui iuvandus est etiam experimentis multis, atque proinde multis machinis quae prius construendae sunt. Iamvero Christus usque ad annum trigesimum in aliquo oppidulo Palaestinae occupabatur in obiectis humilis artis tabellis confidendis; postea vero per paucos annos indefessam praedicationem egit. Ergo Christus talem scientiam atque artem naturaliter acquirere non poterat. Iamvero si Iesus omnia illa miracula naturaliter perficeisset, omnibus istis disciplinis quas diximus, imo forte pluribus, idque perfectissime, instructus esse debuisset.

d) Talis scientia etiam a *providentia divina aliena* esse videtur. Etenim si qui eam haberet, universum quasi genus humanum subvertere posset, eique facillimum esset omnem ordinem rerum humanarum pervertere.[3]

b) Quantum ad scientiam supernaturalem omnium istarum virium:

a) Ergo adversarios *ad hominem* ita argumentari licet: Ideo negatis miraculis Christi, quia negatis miracula fieri vel cognosci posse.

1: Cf. Hettinger, Apologie[5] II p. 289. — (2) Quod argumentum optime evolvit Euseb., Dem. evang. l. 3 c. 6 G 22, 231 A-D. — (3) Cf. Hettinger, l. c. p. 293-4. — Jacquier et Bourchany, La rés. d. I-C: Les mir. év., Paris 1911 p. 198-204.

Ergo aut ipsam quoque scientiam miraculosam in Christo negatis, aut si eam uti deberetis statuitis, ad miraculum scientiae refugitis ut miraculum potentiae fugiatis.

β) Ipsam rem quod attinet haec dicenda sunt. Ex principiis dogmaticis quidem constat, Christi animam humanam omnes vires naturales earumque possibiles applicationes optime calluisse. At hoc loco, scilicet in theologia fundamentali, hanc veritatem nondum ut demonstratam adhibere possumus. At neque fas est eam negare. Quare argumentum nostrum ita statuimus, ut etiam in suppositione talis scientiae supernaturalis Christi valeat. Dicimus ergo : *Ista scientia miraculosa Christi non erat causa miraculorum Christi.* Etenim primo, etsi vires istae quae e suppositione nobis incognitae sunt, praeternaturali ratione a Christo cognitae fuissent, tamen ut haec cognitio in opus influeret, hae vires certa quadam ratione ad agendum applicari debuissent. Atqui hanc applicationem Christus omisit. Etenim omnia sua miracula aut sola voluntate aut iisdem paucissimis caeremoniis externis peregit. Iamvero impossibile est, in his actibus solius voluntatis vel in his paucis caeremoniis applicationem diversissimarum virium occultarum inveniri. — Accedit argumentum ex auctoritate Christi. Etenim Iesus ipse miracula ut potentiae non ut scientiae opera proposuit. Cf. quae in argumento ex auctoritate Christi diximus.

2) Effectus illi miraculosi non possunt ita declarari, ut *Christus* nullum influxum in illos exerceret, *nullum influxum per liberam suam voluntatem in illas vires incognitas exsereret.*(1) Nam

A) *Etiam vires illae* ignotae essent naturales, proinde *non libere sed necessario agerent.* Atqui impossibile est, opera Christi miraculosa a causa necessario agente processisse. Nam causae necessariae semper agunt, quando conditiones ad agendum requisitae adsunt. Iamvero impossibile est, conditiones ad agendum requisitas et semper et tantum iis momentis adfuisse, in quibus Christus, nihil de his causis et conditionibus suspicans, preces ad Deum pro tali effectu consequendo fudit vel imperium in naturam pronuntiavit.(2) Etenim ut talis coincidentia explicaretur, huiusmodi suppositiones fieri deberent :

(1) De explicatione per vires occultas v. plura van Laak o. c. p. 134-40 n. 65 cum lit. — (2) Cf. de tali argumento Bened. XIV, De serv. Dei beatif. etc. l. 4 pars 1 c. 4 n. 13 ed. Rom. 1749 tom. 4 p. 61. — Ib. c. 7 n. 4 p. 18-9. quaedam e « theologo Gallo » affert.

Sumamus exemplum sanationis leprosorum : Exsistit quidem vis occulta, qua leprosi subito sanantur. At haec vis nunquam assecuta est conditiones ad agendum requisitas nisi aliquoties saeculis anteactis quibusdam momentis, quibus v. g. Elisaeus miraculum sanationis leprosi patravit, et tempore Christi; aetate vero Christi nonnisi eo momento, quo Iesus, nihil de hac vi eiusque conditionibus praesentibus resciens, optavit vel imperavit « mundare », neque uno momento ante neque uno momento post; porro non in aliis locis sive orbis terrarum sive Palaestinae, nisi in eo loco vel in iis locis in quibus Christum degere contigit; denique non in aliis subiectis ex millibus tali morbo affectis, quam in iis hominibus, qui coram Christo astabant. Quod de vi occulta diximus, qua leprosi subito sanarentur, applicandum est ad omnes omnino vires occultas, quibus omnes omnino morbi sanarentur, ad vim naturalem occultam, qua panes multiplicarentur, mortui resurgerent etc. Atqui tales suppositiones sustineri profecto nequeunt. Nam haberetur ordo intricatissimus, scilicet perfecta coincidentia effectuum necessariorum cum causa libere agente scilicet Christo, isque sine causa sed casu. Id quod impossibile est.

B) Non exsistunt vires occultae, quae aut in se aut in suo modo agendi seu in legibus secundum quas agunt, oppositae sunt iis sive viribus sive modis agendi earum, quibus nunc natura regitur. Atqui miracula Christi *a talibus occultis viribus profectae essent, quae iis, quae nunc exsistunt, oppositae sunt.*

Maior in philosophia ex ordine in mundo eiusque necessitate probatur.

Ad minorem : Omnibus fatentibus lex naturalis est, mortuos non resurgere. Ergo lex naturalis, secundum quam mortui resurgerent, ei legi quae adest, opposita est. Iamvero Christus mortuos resuscitavit. — Lex naturalis est aquam in vinum non mutari, paucos panes non in multos crescere, omnis generis morbos non sanari, si haec fiunt subito, quin ullae vires materiales agant, quae certo quodam tempore modo externe visibili applicatae fuerint. Ergo lex naturalis, qua aqua in vinum mutatur, panes pauci in multos excrescunt, morbi omnis generis sanantur subito, quin ullae vires agant, quae modo externe visibili certo quodam tempore applicatae fuerint, ea dico lex certe iis, quae nunc adsunt, opposita est. Atqui Christus tali ratione opera sua miraculosa perfecit.

PARS II. **Quaedam genera operum Christi directe considerantur, quaedam indirecte.**

42. Certum est Christum in quibusdam miraculis patrandis usum esse viribus, quae in natura physica vel hominibus viventibus naturaliter non insunt, vel quae, si insunt, tamen opera illa neque sub iis circumstantiis neque eo tempore efficere poterant, quibus Christus ea perfecit. Iamvero Iesus iisdem viribus omnia sua opera patravit, quibus quaedam ex iis perfecit. Ergo Iesus omnia sua opera miraculosa viribus praeternaturalibus perfecit.

Ad ma. — 1) *E concessione adversariorum.* — Haec concessio talibus rationibus manifestatur: *a)* Quidam profitentur, se *nunquam admissuros esse possibilitatem talium operum*, uti v. g. est resurrectio mortuorum, deambulatio super aquas. Etsi ea coram fierent, se potius putaturos esse se ipsos insaniae morbum contraxisse vel sensus suos delusos esse, quam ut talia miracula facta esse concedant.[1] *b)* Adversarii generatim *veritatem historicam talium operum perfracte negant.* Non pauci talia miracula, ut tempestatem sedatam, mutationem aquae in vinum, in ipsa vita Christi « secundum fontes » describenda ne nominanda quidem censent.[2] Alii iique plures rationibus quae omni scientiae methodo indignae sunt, talium miraculorum veritatem historicam enervare student, cum e contra ad explicandas sanationes aliquas rationes naturales afferre soleant. Tandem ex eadem ratione, ut scilicet ostenderent secundum rectam methodum miracula Christi neganda esse, excogitarunt illas insipidas conditiones ad stabiliendam veritatem historicam alicuius miraculi quas antea ut non necessarias refutavimus.

2) *Ex natura operum quorundam inter ea quae Christus perfecit.* — Quando veritas philosophica resurrectionis Christi demonstrabitur, probabimus nullam animam in corpore degentem, nullasque vires physicas sufficere *ad resurrectiones mortuorum — b)* Si hominibus naturalis potestas in *spiritus expellendos* competeret, saltem generatim non permitterent, se cum maximis suis incommodis, imo cruciatibus, ab illis

(1) Cf. quaedam eiusmodi testimonia Civ. Cat. ser. 18 1903 v. 11 p. 53. — (2) V. g. Schenkel, Réville, Delff, P. W. Schmidt, Holtzmann de miraculo in Cana; Renan, Wittichen, Delff, Réville de tempestate sedata tacent. Renan miraculum prius in appendice tractat. Cf. Fonck o. c.[2] p. 161, 274.

invadi atque saepe per tantum tempus obsessos teneri. Porro facile invenirent, qui misericordia moti, spiritum expellerent. — *c)* Lex physica est, animam hominis viventis non agere extra corpus quod informat. Ergo Christi *sanationes subitaneae e longinquo* naturales esse non possunt. — *d)* Quoad *multiplicationem panum atque mutationem aquae in vinum.* Aut assumis vinum et panes istos esse creatos; aut putas materiam iam praeexsistentem aquae vel aliorum elementorum subito conversam esse in eas coniunctiones chimicas, quae in vino et pane inveniuntur, vel vini atque panis formam ex ea esse eductam; aut — per modum dantis, non concedentis loquor — arbitraris, panes et vinum alio in loco iam exsistentia a causa neque physica neque humana sed ab angelo vel immediate a divina potentia esse adducta. Quidquid assumis, evidenter habes effectum, qui vires naturae physicae atque hominis naturaliter applicatas omnino superat.

Ad min. — *a)* Christus, qui uti mox vidimus, miraculorum quae evidenter a causis naturalibus procedere non possunt, certam conscientiam non habere non poterat, eodem modo *omnia sua opera, quae miraculosa dicuntur, ad legationem suam certo probandam refert* (cf. v. g. Mt. 11, 45). — *b) Idem est modus quo patrantur:* imperio, brevissima caerimonia externa, subito. — *c)* Quare *idem est aequalium et amicorum Christi* posterorum de iis *iudicium.* — *d) Eadem* quoque est *adversariorum desperatio, cum ea naturaliter explicare conantur.* Quae desperatio his v. g. modis ostenditur: Etiam pro hoc secundo miraculorum genere, pro sanationibus, ex una parte ad vim « extraordinariam » Christi recurrunt, ex alia parte tamen perfracte negant, eam miraculosam fuisse. Non pauci diserte declarant, etiam in sanationibus eiusmodi phaenomena inveniri, quae usque nunc nulla ratione declarari potuerint. Generatim ad tales causas sanationum, ad tales vires uti sanationum effectrices recurrunt, quarum ordinariae operationis modi atque conditiones, quarum essentia quam maxime obscura sunt. Reiciunt explicationem claram, quae in eo est, ut causa praeternaturalis, cuius operatio in aliis quibusdam miraculis iam statuta est, etiam in caeteros effectus qui veris miraculis simillimi sunt, influxisse statuatur; adsciscunt explicationem vel obscurissimam vel potius nullam, eam scilicet quae ex incognitis hauritur. (1)

(1) Soltau, Hat Iesus Wunder gethan, p. 90: « Nonnisi pars earum causarum, quibus sanatio debetur, secundum scientiae normas determinari potest. Magna pars causarum quae in iis interveniunt, definiri nequit ».

Ad hominem id notare licet, etiam eos doctos, qui hanc paritatem causae inter miracula caetera et sanationes nondum perspiciunt, tamen hanc nostram explicationem amplecti debere uti eam quae caeteris omnibus multo magis scientifica atque saltem probabilissima sit. Hoc iam sufficeret, ut ab aversione, qua a miraculis Christi refugiunt, sanarentur, atque proinde ad certitudinem obiectivam argumentorum nostrorum perspiciendam disponerentur.

Propositio 9. In vanum diversae causae propositae sunt, quibus miracula Christi generatim sumpta naturaliter explicentur.

43. Hac thesi aliquas eiusmodi theorias recensemus, quibus non tantum unum vel aliud genus miraculorum, v. g. sanationes, naturaliter explicare nitebantur, sed magis generatim omnia eius opera miraculosa vel saltem opera miraculosa diversorum generum naturae viribus ascribebant.

Obi. 1) Ratio miraculi in operibus Christi non est in eo, quod quaedam in natura rerum praeternaturaliter facta sunt sed *in eo quod ea, quae naturaliter facta sunt, praeternaturaliter praevidebantur.*

R. — Haec falsa opinio aliquorum qui Rationalistarum castra non sequebantur, positive *excluditur* eo quod *et ex natura operum et ex confessione Christi* mox ostensum est, opera fuisse *in se extra ordinarium naturae cursum* et a Christo ut talia esse proclamata.

Quidam ad hanc explicationem ideo pervenisse videntur, quia progredientibus saeculo 18 scientiis naturalibus, eiusmodi effectus a viribus naturae antea ignotis, iuvantibus machinis produci videbant, quas nunquam expectaverant. Ita v. g. Less.[1] Non sedulo attendebant, quae sint differentiae inter eiusmodi effectus atque miracula Christi. Unde, quadam animi pusillanimitate moti, putabant se rationem miraculi physici relinquere debere atque ad locum quasi tutiorem miraculi intellectus sese retrahere.

Obi. 2)[2] Saepe habentur auxilia providentiae divinae plane inexspectata. Praeterea Christus tum ipse plenus erat fiducia in Deum patrem idque in omnibus suis necessitatibus, tum alios quoque ad similem fiduciam in Dei providentiam exhortatus est. Ergo *assumi potest, miracula Christi fuisse opera providentiae inexspectatae.*

(1) Apud Denzinger, Vier Bücher etc. p. 337. — (2) Cf. van Laak o. c. p. 141-3.

R. — Haec theoria non considerat, *omne quidem miraculum esse opus providentiae, at non omne opus providentiae, esse miraculum.* Providentiam divinam arguit fiducia Christi, ad quam etiam alios adhortabatur. Providentiam inexspectatam seu raram, ipsae circumstantiae clare exhibent. At non minus clare argumenta nostra ostendunt, illa providentiae opera fuisse praeter naturae ordinarium cursum. Hoc vero solum, quod unice probandum est, adversarii considerare omittunt. Piis verbis providentiam divinam generalem naturalem laudant, specialem, eamque praeternaturalem quae miraculis continetur, negant. — Verbis proinde miracula retinent, re ea negant.

Eiusmodi theoria non paucorum Protestantium recentiorum est, qui eam saltem praecipue applicant ad ea miracula, quae ipsi « miracula naturae » dicere solent, i. e. ad ea miracula, quae non in hominibus sanandis sed in natura inanimata facta sunt. Ita v. g. Schenkel, (1) Oscar Holtzmann, (2) Bernard Weiss. Hic v. g. de conversione aquae in vinum haec habet: (3) « Iesus omnimoda fiducia in Deum plenus, auxilium sane promiserat, tempus vero atque horam Patri reservaverat. Cum deinde a comitibus hoc auxilium peteret, nihil ab iis obtinere potuit, quippe qui nullam petitionis Christi implendae viam viderent. Tamen tandem aliquando, modo quodam quem nemo quidem praeviderat qui vero naturalibus causis debebatur, Iesu via oblata est, qua ex his angustiis evasit ».

44. *Obi. 3)* |*Christus erat unus e celeberrimis theosophis* vel forte omnium celeberrimus. Unde *ei naturale ei erat tale dominium in proprium corpus,* ut v. g. super aquas ambularet, tale dominium in *naturam extra se*, ut omnia opera quae dicuntur miraculosa patraret. (4)

R. — Nego duplex suppositum difficultatis. Primum est, theosophiam possibilem esse; secundum, ea, etsi possibilis esset, miraculorum patrationem naturaliter explicari posse.

Quid sit theosophia. — Theosophia veterior, (5) i. e. usque ad ultima decennia saeculi 19 a Denzinger (6) ita describitur: « Visio deitatis, ad quam visionem homo suis naturalibus viribus se elevare possit atque per quam ad plenam sui ipsius deificationem perveniat. Visioni correspondet e parte sentimenti et voluntatis enthusiasmus (tapas

(1) Charakterbild Iesu, 1864 p. 79. — (2) Leben Iesu p. 209. — (3) Leben Iesu [4] I p. 353. — (4) Ampliora van Laak, De mir. Christi I p. 143-53. — (5) De theosophia in genere eiusque historica evolutione, Denzinger o. c. I, p. 271-612; speciatim de explicatione miraculorum tum in genere tum ipsius Christi in systemate theosophico ib. II p. 361-90. — (6) L. c. I p. 268.

Hinduorum), atque vera potestas miracula patrandi per theurgiam. Ordinarie etiam hoc secundum elementum coniunctum est cum doctrina, animam humanam habere divinam originem atque essentiam ».

Theosophia recentior re eadem est.[1] — Formaliter sumpta non est theurgia aut Occultismus aut Spiritismus, quamvis ea omnia saepe cum theosophia coniungantur. Est autem ipsa theosophia formaliter sumpta « cognitio vel scientia divina ».[2] Sensus autem huius definitionis est, ut primo cognitio intelligatur visio immediata ipsius Absoluti, secundo ut Absolutum seu Deus concipiatur uti identicum cum homine; tertio ut haec cognitio statuatur naturaliter homini possibilis. Est ergo theosophia formaliter sumpta *naturalis visio Dei pantheistico modo intellecti*, seu ut definit Zimmermann:[3] « Theosophia, in quantum consideratur ut facultas personalis vel experientia, est, si perfecto modo possidetur, visio Absoluti pantheistici, quae ita absolvitur, ut conscientia personalis absorbeatur. » — Est, ut verbis theosophorum utar « sapientia, qualem habent entia divina »,[4] est « cognitio Dei de se ipso in homine exsistens ».[5]

Deum intelligi pantheisticum edicit clarissime magistra theosophorum celeberrima, A. Besant:[6] « Theosophia in materia theologica est pantheistica: Deus est omnia et omnia est Deus ».

Cum hac essentia theosophiae ab eius asseclis generatim coniungitur doctrina, *eos qui visione entis divini fruantur, iamiam vi huius status omnia peragere posse in rerum natura, etiam opera quae nos miraculosa dicimus.* Ad hanc visionem homines generatim non perveniunt nisi postquam per diversas incarnationes transierunt. Qui ad hunc statum perfectum pervenerunt atque consequenter per se non

(1) De notione theosophiae recentioris cf. O. Zimmermann, Die neue Theosophie, in Stimmen etc. tom. 79, 1910 p. 387-400, 479-95, Definitio p. 389; 398-9. — L. de Grandmaison, Le Lotus bleu [2] (Science et Religion 364) Paris; antea in articulis in Études 1905 tom. 102 et 103. — G. Busnelli, Manuale di Teosofia I[2] pp. 208; antea in articulis in Civ. Cat. 1908-11. — Ernest R. Hull, Theosophy and Christianity, [4] Bombay 1909. — His locis habes etiam literaturam theosophorum recentiorum. — (2) Arnould, Les croyances fondamentales du Bouddhisme, Paris p. 5. — (3) Stimmen p. 389. — (4) Mrs. Besant, cit. ib. p. 389 nota 2. — (5) Fr. Hartmann, Was ist Theosophie? [2] Leipzig 1903, 5. — (6) Why I became a Theosophist, London 1891 p. 18. — Cf. eadem, Une introduction à la théosophie p. 21. — De ratione pantheistica theosophiae cf. Études l. c. p. 388-91. — Zimmermann p. 390-4; 398-9.

iam deberent iterum incarnari in alio, si tamen ex amore id elegerunt, « magistri » dicuntur.

Applicatio theosophiae ad Christum eiusque miracula. — In Iesu duplex persona distinguenda est. Una est homo Iesus, Christus exotericus, qui se praeparavit ad id ut Buddha in eo incarnaretur; alia est Deus adorandus « Filius Dei, Dominus [Bouddha] miserationis et sapientiae ». Hic « magister » ergo descendit in Iesum, et « ipse [Bouddha] erat qui vivebat et se movebat sub forma hominis Iesu, praedicans, morbos sanans, ad se trahens aliquas animas, quae iam magis provectae erant ». (1)

Refutatio theosophiae generatim sumptae. — In philosophia demonstratur, visionem Dei naturaliter impossibilem esse. Ergo cadit primum fundamentum theosophiae. — In philosophia probatur, pantheismum omnem repugnare; ergo secundum fundamentum theosophiae destructum est. — Sana ratio id quoque demonstrat: Etsi, id quod theologia dogmatica probat, visio veri Dei per maximum miraculum in hominis animo effectum possibilis est, tamen vi huius visionis nequaquam homo in unitatem physicam naturalem cum Deo concrescere potest unde etiam speciatim repugnat, vires hominis operativas per illam visionem ad potentiam divinam elevari posse.

Refutatio theosophiae, in quantum ad miracula Christi explicanda adhibetur. — 1) Uti vidimus, repugnat ea elevatio virium humanarum in agendo, quam theosophi statuunt; ergo neque ope virium, quae ea ratione elevatae essent, miracula Christi explicare possunt.

Iuverit hic e dogmate catholico breviter colligere eas *veritates sublimes de Christi visione beatifica, unione cum Deo, potestate miracula patrandi* quarum perversionem in systemate theosophorum videmus.

Primo. Anima Christi utique ab initio suae exsistentiae *visione faciali Dei* praedita erat. Porro Iesu natura humana inde a primo momento exsistentiae suae *in unitatem physicam* cum Deo coniuncta erat, at non directe cum natura divina sed *directe cum persona divina,* ita ut divina persona Verbi et humanam naturam et divinam, utramque inconfusam, ut sibi propriam haberet.

Secundo. Etiam pro humana natura Iesu et *haec visio Dei* et *haec physica coniunctio cum Deo* non naturalis erat, sed quam maxime *supernaturalis.*

(1) A. Besant, Theosophy and its evidences p. 19. — Eadem, Esoteric Christianity, or the lesser Mysteries p. 134. — Cf. Études p. 401-2; 631-3. — Stimmen p. 396. — Civ. Cat. 1909 IV p. 420-2 p. 413.

Tertio. Non ideo humana natura Iesu in personam Verbi Divini assumpta est, quia eius anima vidit Deum. E contra ideo animae Iesu *visio Dei* concessa est, *quia eius natura cum Deo physice coniuncta erat.*

Quarto. Tamen *Visio Dei non est effectus formalis ipsius assumptionis naturae humanae ad Verbum divinum*, sed ea effecta est per actum distinctum omnipotentiae divinae, quo animam Christi ad eam visionem elevavit. Egit autem ita Deus, quia decebat naturam humanam Filii Dei naturalis ad hanc deiformem supernaturalem cognitionem elevari.

Quinto. *Potestas miracula patrandi* quae in natura humana Christi invenitur *non est effectus formalis aut visionis beatificae aut eius assumptionis ad Verbum divinum.* Sed ea ideo novo actu divinae largitatis naturae humanae Christi concessa est, quia saltem in hoc ordine, in quo filiis Dei adoptivis eadem facultas concessa est, in quo praeterea Iesus prae caeteris hominibus munus accepit, ut per revelationem Patrem manifestaret, ea potestas prae omnibus caeteris Iesu dignitati atque muneri conveniebat.

Sexto. *Christi naturae divinae proprium* erat vi suae omnipotentiae miracula patrare.

Ex his, quae diximus sequitur responsum ad aliud falsum suppositum theosophorum, cum de miraculis Christi loquuntur:

2) Si dicitur, « naturale erat Christo miracula patrare », si praeterea hac propositione probata theosophi sibi videntur naturali modo miracula Christi explicasse, distinctionem sane obviam oblivioni dant. Naturale erat naturae divinae Christi, i. e. ex ipsa intrinseca vi eius divinae essentiae emergebat, ut miracula patrare posset si vellet, c.; naturale erat ipsi humanae naturae Christi, miracula patrare, subd.: ea facultas e vi intrinseca naturae humanae Christi erumpebat, n.; ea facultas a Deo naturae humanae Christi praeternaturaliter superaddita erat, subdist.: id factum est formaliter vi visionis beatificae aut vi assumptionis ad Verbum divinum, n.; id convenientissime factum est consequenter ad hanc elevationem naturae humanae, saltem in hoc ordine providentiae, c.

45. *Ob. 4)* Iesus *sanctitate morum eminebat; ergo « ob suam essentiam » thaumaturgus erat.*

Qui hanc sententiam statuunt, eam ita intelligere videntur, homini sancto vires naturae ea ratione (vel forte etiam perfectius) incipere esse subditas, qua ratione ob ipsam eius sanctitatem passiones animi ei subditae sunt.

Kern (1) haec tradit: « Iesus, ut impeccabilis et sanctus, est absolute liber, atque omnino ideo naturaliter, ob suam essentiam thaumaturgus ».

(1) System der Dogmatik II § 192 p. 119.

— Barth affirmat, (1) obedientiam, quam fluctus et venti Iesu praestiterint, « rationem habere in operatione mutua inter naturam et hominem, quae pertineat ad imaginem Dei in homine, atque in Iesu ob eius perfectam cum Deo coniunctionem summam perfectionem consecuta sit ». Simili ratione multi alii.

R. — N. assertum et rationem implicite additam scilicet esse paritatem inter passiones animi sub dominio voluntatis moraliter rectae constitutas et vires naturae extra hominem.

Hoc utique verum est, si Deus decrevit potestatem miracula patrandi hominibus concedere, eam generatim aptius concedet piis quam impiis. Miracula enim Deum speciali modo glorificant. Decet autem, Deum generatim potius piis uti ad suam gloriam manifestandam quam impiis. Unde qui dictam difficultatem afferunt, respondent utique ad quaestionem, cur potestas praeternaturalis miracula patrandi potius huic quam illi subiecto a Deo communicetur, nihil vero conferunt, quo demonstrent, eam potestatem naturalem esse non vero praeternaturalem.

46. *Ob. 5) Qui homines caeteros redimit, in universam naturam potestatem habeat necesse est.*

Dux Protestantium liberalium *Schleiermacher* de Christo haec tradit: « Postquam ergo Christus agnitus est ut Redemptor. ergo ut initium evolutionis summae quae in scientia naturae humanae de se ipsa invenitur, suppositio naturalis est, ibi. ubi tale Esse maximo in gradu se communicet, etiam status mentis contingere, qui ex Esse antecedenti explicari non possunt; eum qui activitatem ita sibi propriam in caeterarum naturam humanam exercet, ob connexionem naturalem omnium rerum etiam vim sibi propriam exhibiturum esse, ope cuius agat in partem corpoream naturae humanae atque in naturam homini externam ».

R. — Munus redemptoris in hac oeconomia praecipue in eo est, ut per Christum nobis hic in terra donum supernaturale animae, gratia sanctificans, restituatur, atque dependenter ab ea in aeterna beatitudine etiam resurrectio gloriosa, ab initio humano generi determinata, nobis iterum donetur. Conveniebat ergo, Iesum redemptorem nostrum hoc donum immortalitatis corpori olim donandum quasi praeformare miraculosa liberatione a morbis atque ipsa nova vita aliquando iam nunc mortuis concessa. (2) — At vides, hac ratione convenientiae allata

(1) Die Hauptprobleme des Lebens Iesu, Gütersloh 1899 p. 135. Cf. etiam p. 119. — (2) Cf. v. g. Iren., adv. haer. l. 5 c. 12 n. 5-6 G 7, 1155-6.

nihil contineri quod ad rem faciat, scilicet ad demonstrationem, quam auctor intendit, vires quibus eiusmodi opera patrabantur, non fuisse extra ordinarium cursum naturae positas. Cf. obiectionem praecedentem.

Ob. 6) Opera Christi mirabilia *Occultismo* explicari possunt.

Occultismus non est ea doctrina, adhuc vires incognitas in natura rerum haberi, id quod utique in dies experimur. Neque idem est atque theosophia, id quod mox diximus. Neque cum Spiritismo confundi debet. Intelligimus vero Occultissimum eam doctrinam, esxistere *eius generis vires, quales in hoc ordine rerum non habentur imo quales neque haberi possunt*, quae proinde ideo usque nunc scientiae indagatoribus occultae manserunt atque sane semper manebunt, quia non exsistunt. Unde est quod Theosophi, Spiritistae, vel in genere homines exactae scientiae laude non excellentes, Pseudophilosophi, Pseudotheologi, ii sunt qui Occultismum excolere solebant.

Tales vires naturales, quae non exsistunt, statutae sunt v. g. Ego trascendentale atque Ego magicum; (1) vires animae quae, utpote spirituales independenter ab omni tempore et loco atque proinde etiam in longinquum agant; (2) spiritus, qui terram, astra omnia animent, quique inter se atque cum anima hominis communicent vi cuiusdam fluidi; etc.

Quodsi eiusmodi stulta cum ideis absurdis theosophicis atque cum perversis explicationibus mysteriorum religionis catholicae componuntur, facile imaginari poteris, ad quod culmen stultitiae Occultistarum doctrinae decursu saeculorum non semel pervenerint. Exemplum sume in hac sententia Fludd († 1637): « Qui aurum potabile bibit, in quo est spiritus mundi seu Christus, materialia deponit atque Christo fit homogeneus. Hic autem spiritus, omnia pervadens, omnia scit atque potest ». (3)

Omnes periodi historiae eiusmodi sententias viderunt. (4)

R. — Quae nonnisi reclamante sana philosophia atque ipso sensu humano statui possunt, ea certe in nullo homine egisse putari possunt. Unde ad refutationem ampliorem progredi necesse non fuerit.

Ob. 7) Miracula Christi *Spiritismo producta sunt.* Ita quidam recentissime.

(1) Cf. van Laak, De revel. relig. in abstr. n. 124 p. 96. — (2) Ib. n. 120 p. 92. — (3) Summum bonum l. 4. — (4) Cf. Denzinger, Vier Bücher II p. 361-73, qui multa mira profert. — De occultismo recentiori: Karl Kiesewetter, Geschichte des neueren Occultismus. [2] Geheimwissenschaftliche Systeme von Agrippa von Nettesheim bis zu Karl du Prel. Leipzig. 1909 pp. 910. De Fludd v. g. p. 263-87. — Alia lit. cf. ad v. Okkultismus in Kirchl. Handlexikon.

R. — 1) Phaenomena quae spiritistica dicuntur aut fraudes humanae sunt aut vires naturales sive physicae sive psychicae aut spirituum manifestationes. Primum si assumitur, sententia reiecta est thesi praecedenti; secundum si putatur, ea reiicietur eo quod aliae difficultates in hac thesi solventur. Tertium si tenes, veritatem philosophicam miraculorum Christi concedis atque proinde res ad thesim de theologica veritate miraculorum remittenda est.

Ob. 8) Causae miraculorum Christi in *viribus naturalibus occultis* quaerendae sunt. Quae sententia ultimam spem adversariorum constituere solet.

R. — Exsistunt vires occultae naturales, quibus quaedam opera Christi omnino peragi poterant, uti mortuorum resuscitationes, n; exsistunt vires occultae quibus opera quaedam Christi quoad substantiam produci poterant, attamen non quoad modum quo Christus ea patravit, c. vel transeat. Substantia operis est v. g. sanatio caeci; modus est: ut fiat sine machinis, medicinis, subito, imperio etc. Cf. quae in argumento ipso latius exposuimus.

Propositio 10. Immerito certae quaedam species miraculorum Christi naturaliter factae esse affirmantur.

47. Ac primo quidem id observandum esse videtur: Etsi constaret, quasdam species operum Christi quae miracula dicuntur viribus naturalibus peractas esse, tamen nondum sequeretur, revelationem christianam e miraculis Christi non probari. Etenim

1) et ex natura rei et ex confessione adversariorum eruitur, *paucis imo uno miraculo vero, quod Christus ad suam revelationem probandam retulerit, eam revelationem vere demonstrari.* Iamvero ipsi adversarii hodi solas sanationes Christi naturaliter explicare audent. De caeteris vero operibus Christi naturaliter explicandis ita certo desperant, ut eorum veritatem historicam omnino ideo perfracte negent quia, si ea vere facta essent, naturaliter explicari non possent.

2) Ii qui concedunt, quaedam opera Christi naturalia non esse, *indirecte* ad id perduci possunt, *ut idem de omnibus operibus Christi admittant.* Cf. arg. indir. n. 42 p. 69-71 et argumentum ex auctoritate Christi n. 35 p. 57-8.

PARS I. **De expulsionibus daemonum.**

48. *Ob. 1)* Christus *nullos daemones expulit.* Etenim daemones non exsistunt; vel saltem nonnisi iam supposita fide eorum exsistentia demonstrari potest; vel saltem ii homines, quos Christus a daemone liberasse dicitur, nullo daemone infestati erant sed tantum morbis laborabant.

Eos homines, qui in evangelio dicuntur daemoniaci, fuisse homines morbis nervorum sive psychicis laborantes, communis est *Rationalistarum* assertio. Ita v. g. Renan,(1) Charcot et Richer,(2) Harnack,(3) Bousset,(4) Iulius Tamborino.(5)

Etiam *quidam Protestantes orthodoxi*(6) aliquando eius sententiae fuerunt, Iesum tantum per accomodationem de possessionibus locutos esse. *E Catholicis* v. Herm. Schell(7) idem protulisse videtur.

R. — *a)* Etsi verum esset, Christum ex illis hominibus, de quibus agitur, daemones non expulisse, tamen a morbo mentali vel psychico eos miraculose sanavisset. Dicunt enim qui methodum psychotherapeuticam tradunt, eiusmodi homines quam maxime influxui huius methodi resistere. Cf. n. 50 p. 83. — *b)* Probari nequit, daemones non exsistere. Falsum est, existentiam spirituum, qui saltem hic et nunc male agunt, tantum e fide divina hauriri.

Exsistentia talium spirituum demonstrari potest historice ex effectibus eorum, e malis eorum praestigis, ex oraculis, ex obsessionibus.(8)

Eae ipsae obsessiones quibus Christus in evangelio finem imposuisse narratur, exsistentiam daemonum manifestant. Etenim in istis aegrotis erat ens rationale, quod et ab anima obsessi distinctum erat et malitiam moralem in se habebat. Illud ens rationale erat; nam loquebatur, nomen suum annuntiabat, scientiam manifestabat, licentiam petebat. Hoc ens ab anima possessi distinctum erat; nam remanente

(1) Vie de Iésus ch. 16. — (2) Les démoniaques dans l'art. — (3) Wesen etc.[2] Prael. 4 p. 37-8. — (4) Die Religion des Judentums[2] c. 17 p. 385 nota 2; p. 388. — (5) De antiquorum daemonismo; Giessen 1909 pp. 112 p. 92-110. — (6) Cf. Bened. XIV, De serv. Dei beatif. l. 4 pars 1 c. 29 n. 4 ed. Rom. 1739 p. 443. — N. 3 etiam veteriores adducuntur. — (7) Christus, Mainz 1903 p. 43. — (8) Cf. v. g. De Bonniot, Le miracle et ses contrefaçons[5] ch. 8 p. 425-59. — Cf. eandem argumentandi rationem Wirceburgenses[3] III De angelis 1879 p. 441-2. — Claudius Frassen, Scotus Academicus, tom. 4 De angelis, tract. 1 disp. 1 qu. 1 ed. Rom. 1726 p. 9-12.

homine vivo in porcos migravit, sapientiam de Christi dignitate manifestavit, quae superavit eam scientiam, quae in homine obsesso inerat. Quare neque phaenomenon duplicis conscientiae, quam moderni vocant, ad explicationem sufficit. Hoc ens malum erat; nam confitetur, se volente Deo sub poena esse constitutum

Res etiam clarior fit accedente humana auctoritate Christi, qui nisi certissimus fuisset de daemonum exsistentia, non tali ratione in eorum expulsione cum eis egisset, qualem eum servasse videmus. Eos allocutus est; imperia iis dedit; quaedam eos vetuit v. g. ne ab ipsis Christus diceretur; petentibus permisit ut in porcos intrarent, etc. Tandem miracula sua patravit proxime pro pupulo Israelitico. Iamvero is populus e revelatione divina certum habebat, daemones exsistere eosque conari hominibus mala et physica et moralia inferre. Unde illis facilius erat, talia Christi miracula capere, atque hodiernis incredulis, qui et revelationem negant et manifestationes diaboli in historia agnoscere nolunt.

Ob. 2) et instantia ad 1. — *Obsessiones daemonum nonnisi morbi sunt;* nam et in illis et in morbis nervosis atque psychicis *eaedem sunt apparentiae.*

R. Nego assertum. Ad rationem additam: eaedem sunt apparentiae ex parte, idque ob rationes optimas, c.; omnes, n. Expl.:[1]

1) Numero praecedenti enumeravimus quasdam apparentias, quae in solis obsessionibus inveniuntur. Praecipua est scientia, quae superat vires hominis qui aegrotus dicitur. Scientia indignum est, prius ex apriorismo non fundato huiusmodi differentias inter obsessiones et morbos nervosos vel mentales removere, deinde pronuntiare, differentiam nullam adesse, vel saltem de ea non constare.

2) Quod vero apparentiae morbosae ex parte similes sunt, ex his intelliges:

(1) Cf. v. g. Rituale Rom. Tit. X c. 1 De exorcizandis obsessis a daemonio. — Aug. Paulain, Des graces d'oraison, Traité de théologie mystique,[5] Paris 1906 ch. 24 § 6-7 p. 423-39 praecipue inde a n. 69; vers. germ. c. 26 § 2-3 II p. 186-209. — De Bonniot o. c. ch. 7 section 4 p. 388-425. — Taczack, Dämonische Besessenheit, Münster 1903. — B. Heyne, Uber Besessenheitswahn bei geistigen Erkrankungszuständen, Paderborn 1904. — Goix, Folie religieuse et la possession diabolique, in Annal. de phil. chrét. 1891 (contra Charcot). — Bened. XIV o. c. n. 7, 13-4. — Spagni, De miraculis Christi pars V art. 19.

Obsessio in hoc est: a) Dominium in quasdam facultates motivas cognoscitivas et appetitivas sensiles voluntati hominis subtrahatur. Hoc ipso habetur status innaturalis et morbosus earum facultatum, nam contra earum naturam est, ut dominio superiorum facultatum non sint subiectae sed sibi ipsis relictae. *b)* Hoc dominium quod per se hominis superioribus facultatibus convenit, diabolus sibi assumit. *c)* Totus hic status a diabolo ad id dirigitur, ut mediantibus his facultatibus inferioribus inordinate agentibus hominem cruciet.

Morbi vero nervosi et psychici in hoc sunt: a) Quaedam facultates motivae, cognoscitivae, appetitivae sensiles rationi et voluntati liberae non iam sunt subiectae sed, quasi ab harmonia virium superiorum solutae, suae particulari naturae relinquuntur. *b)* Homines ob hunc statum extraordinarium multa sibi non convenientia ex parte harum facultatum patiuntur.

Propositio 11. Falsae sunt rationes, quae contra indolem praeternaturalem sanationum Christi afferri solent.[1]

REFUTANTUR INDICIA GENERALIA, OB QUAE STATUITUR, IESUM ARTE MEDICINAE SANASSE.

49. *Ob. 1)* Arte medicinali Iesu opera miraculosa perfecta esse, iam e *quibusdam generalioribus observationibus patet,* quin effectus ab eo producti cum notis viribus medicinae singulatim comparentur. Sunt v. g. huiusmodi indicia, quae utique e natura rei *simul sumi debent:*[2]

(1) Medici quidam ea composuerunt, quae e parte medicinae dici posse videntur de magis accurata determinatione eorum morborum, de quibus in sacris litteris vel speciatim in evangeliis mentio recurrit. Literatura veterior et recentior apud Benzinger, art. Krankheiten und Heilkunde der Israeliten, in RE[3] vol. 11 p. 64-5. — Comprehendunt fere ea quae recentius statuuntur: Benzinger l. c. p. 64-79. — A. Macalister, art. Medicine, in: A Dictionary of the Bible ed. by Hastings III p. 320-33. — Utilis est libellus Knur, Christus medicus?, [2] Freiburg 1905 pp. 74. Etiam versio ital. — Opus recentissime editum: Kotelmann, Die Ophtalmologie bei den alten Hebräern, Hamburg 1910 pp. 436 non paucam materiam etiam generaliorem de re medicinali apud veteres Hebraeos affert. — (2) Hanc theoriam cum singulis quae diximus exponit atque latius prosequitur Edmond Stapfer, I. - Ch. pendant son ministère [2] 1897 ch. 5 Iésus et les miracles p. 127-48. — Refutationem ampliorem, quae tot errores etiam historicos patefacit v. van Laak, De mir. Christi I p. 156-64.

a) Christus erat Rabbi; omnis autem Rabbi erat medicus. — *b) Esseni* exercebant hanc artem, Christus autem eorum methodum secutus est. — *c)* Porro Christus eodem in loco habebat suas *sanationes* atque suam *praedicationem*, praedicationem vero suam certe naturalem habebat. — *d)* Denique omnino *se gerit ut peritus medicus:* interrogat de gravitate morbi; iubet, puellae resuscitatae « dari manducari »; adhibet aliquando media externa; suspiria in sanandis hominibus medici fatigationem arguunt.

R. — *a)* Falsum est, inter Iudaeos omnem Rabbi medicum fuisse.[1]

b) Falsum est, Essenos hanc artem ut propriam exercuisse. Agros colebant. Porro externi mores Christi atque Essenorum diversi erant; v. g. Christus iussit discipulos sanare ungentes oleo, Esseni ab omni tali unctione abhorrebant.[2]

c) Praedicationem suam Christus habet ut finem, miraculum ut medium ad eam probandam dirigit. Porro praedicationem suam habet ut praeternaturalem quoad quod id quod docet, cum semper professus sit, se revelationem divinam hominibus deferre, ut naturalem quoad modum locutionis, cum v. g. modo naturali lingua utens verba formaverit.

d) Positive probatum est ex disparitate in modo procedendi Christi atque medici, Christum artem medicam non exercuisse. Quaedam similia ob alios fines peregit. De gravitate morbi interrogat, ut desiderium sanationis augeat, beneficii magnitudinem manifestet. Iubet « dari manducari » puellae praecipue ad manifestandam veritatem vitae ei restitutae. Suspiria emittit ob vim affectus orationis ad Patrem atque ad compassionem suam manifestam reddendam. Media externa cur aliquando adhibuerit, mox data opera exponemus. — Alia argumenta eluius theoriae nimis a ratione aliena videntur, quam ut responsione digna sint.

REFUTANTUR SINGULA QUAEDAM MEDIA VEL METHODI MEDICINAE. QUIBUS OPERA CHRISTI PERFECTA ESSE DICUNTUR.

50. *Ob. 2)* Christus potuit uti *mediis homoeopathicis*. Etenim fere « nihilum » ex illis maximos habet effectus. Illud vero « nihilum » aequalibus insciis applicare poterat.

(1) Cf. Schürer, Geschichte etc. II[4] p. 363-447. — Benzinger in art. cit. praecipue p. 69-70. — (2) Cf. Schürer o. c. II p. 651-80. De unctione vetita p. 662, 674.

R. *a)* Positive probatum est, eum mediis naturalibus *usum non esse.* Unde scientia indignum est, inquirere, quae fieri potuerint, ut ex his possibilitatibus deinde facta explicentur contra id quod positive probatum est. — *b) Etiam media homoeopathica medicina sunt.* Consistunt in veneno, quod tenuissima quadam quantitate adhibetur. At etiam in iis effectus tanto minor est, quanto minor est portio rei adhibitae. Non subito sanant sed cum tempus illud effluxerit, quod necessarium est, ut totus organismus, qui his mediis excitatur, ad sanationem conspiret. Etiam ars medica methodi homoeopathicae suo eget studio. Neque omnes morbi ea methodo sanantur, saltem non perfecte. — Habes in his ea breviter indicata, quibus sanationes a Christo perfectae a sanationibus homoeopathicae methodi differunt.

Ob. 3) Christus sanavit *suggestione.* Etenim *ubi eaedem sunt apparentiae, ibi eaedem sunt causae.* Atqui in suggestione e parte hypnotizantis influit imperium et generatim contrectatio manibus peracta; ex parte personae hypnotizatae consensus, quo se tradit actioni hypnotizantis, imo ordinarie persuasio de possibilitate sanationis non sine magna fiducia qua hypnotizantem complectitur. Iamvero Christus quoque sanavit imperio et manum contrectatione; etiam in eius sanationibus aegroti fide in Christum erant disponendi ad sanationem recipiendam.

R. — Neg. assertum. Ad probationem: Dist. anteced.: *Ubi sunt apparentiae plane eaedem,* ibi generatim eadem essentia intrinseca vel causa efficiens est assumenda, *c;* ubi apparentiae *partim sunt eaedem partim diversae,* imo ubi eae, quae diversae sunt, et numero et praecipue ratione seu momento antecedunt iis, quae eaedem sunt, *n.* Contradist. min. — Expl.: Differentiae hae sunt:

a) Quoad ipsa opera effecta. — *Suggestione* non sanantur nisi ii morbi, ad *quos sanandos mutatio in nervorum atque phantasiae statu sufficit.* Sufficit autem, si agitur sive de morbis, qui consistunt *in nervis vel phantasia turbatis, vel in turbatione functionum membrorum, non vero in ipsorum membrorum organica laesione.* In eos, qui in organica laesione consistunt, suggestio tantum *indirecte* aliquid potest. — Porro in iis ipsis morbis in quos aliquid potest, generatim nonnisi intra certos quosdam *limites* effectus obtinentur. — Denique sanatio *perfecta et perdurans sat rara* est. — Iesus autem v. g. caece natum sanavit, auriculam Malchi restituit, omnes omnino aegrotos qui ad eum afferebantur, perfectae sanitati restituit. Iamvero contra leges physicas est,

omnes omnino morbos, quibus Palaestinenses iis temporibus gravati erant, eius tantum rationis fuisse, quam suggestione aliquo modo sanari posse diximus.

b) Quoad modum quo opera effecta sunt. — In ratione medendi psychica quasi subito non sanantur nisi levissimae indispositiones. Caeteri morbi nonnisi *pedetentim a subiecto expelluntur*, eo quod suggestionis influxus saepe saepius atque diutius recipitur. Deinde hypnotizatores sanant *per modum artis*, adhibitis certis atque repetitis *tentaminibus*, nunc successu pleno sequente, nunc minus pleno, nunc nullo. — Christus autem medelam morbis affert moraliter loquendo *subito, cum effectu semper secuto, nullis adhibitis experimentis*, sed sola oratione vel imperio ad morbum vel ad aegrotum directo.

c). Quoad subiecta, in quibus sanationes fiunt.

α) Si respiciuntur *dispositiones in genere.* — Non omnia subiecta eadem facilitate influxum suggestionis subire possunt, sed ea *a dispositionibus diversis physicis dependet.* Generatim nervi eorum neque multum obtusi sint necesse est neque multum excitati. Haec curationis methodus eo facilius solet adhiberi, quo debilioribus voluntatibus atque nervis subiecta praedita sunt. In mente captis nullus effectus habetur, quippe qui fortioribus autosuggestionibus regantur. At in miraculis Christi *nulla omnino habetur distinctio sive effectuum sive celeritatis in sanando secundum dispositiones psychicas vel physicas*, sed omnes subito sanantur. Distinctio, si quae habetur, e qualitatibus moralibus repetenda est.

β) Si respicitur *fiducia de salute recuperanda.* — In *hypnotizatis*, persuasio quaedam vel fiducia de recuperanda salute ideo requiritur, ut *habeatur dispositio quaedam physica.* Tali enim persuasione excitatur phantasia, qua mediante influxus in nervos haberi potest. — Sed *in miraculis Christi fiducia non se habebat per modum causae physicae.* Nam si fiducia ista (seu fides et fiducia) se habuisset per modum causae physicae, fides in uno non potuisset locum tenere fidei in altero, vel saltem in sanationem eius influere non potuisset. Iamvero v. g. *fides patris locum tenuit fidei filii lunatici;* Iesus rationem habuit fidei amicorum paralytici in ipso hoc aegroto sanando; in obsessis v. g. in terra Gerasenorum, quos Rationalistae mente captos habent, certe nulla fiducia salutis per Christum recuperandae aderat, *nulla omnino ad suggestionem recipiendam dispositio.*

Convenientissimum utique illud erat, ut Christus *praeparationem quandam moralem in sanationibus patrandis generatim requireret*, nominatim aliquam persuasionem de sua potestate miracula patrandi, (aliquam fidem in se ut legatum Dei), aliquam fiduciam. Nam generatim haec est Dei agendi ratio, ut dona sua extraordinaria iis prae caeteris conferat, qui speciali modo ad ea se praeparaverint. Sanatio vero miraculosa ex una parte est beneficium extraordinarium, ex alia parte in ea persuasione, fide, fiducia quaedam specialis praeparatio ad illud recipiendum continetur. In iis enim habetur honor quidam Deo atque Christo delatus idque in relatione ad beneficium desideratum.

γ) Quoad personas sanantes. — *Hypnotizatores* prius huic *arti student*, in ipsa hypnotizatione imperium atque manuum contrectationem vel similia diversis rationibus adhibent ad eum finem ut nervi sive directe sive ope phantasiae excitentur. — *Christus* autem *nullis huiusmodi studiis deditus erat.* Porro imperium et manuum contrectationes tantum ut *signa suae voluntatis* mirabili modo sanantis adhibuit, nulla vero ratione ut causas physicas effectus sive integras sive partiales. Etenim si hae caeremoniae adhibitae essent ut causa physica.

Iis semper usus esset. Id quod factum non est, v. g. non quoad absentes; non quoad eos, qui eo sanati sunt, quod eum tantum tetigerunt.

Iis usus esset *ea mensura, quae* ad effectus physice producendos *requirebatur.* At Iesus moraliter loquendo subito obtinet effectum plenissimum imperii sui atque caeremoniarum quas adhibet.

Hoc argumentum eo confirmatur, quod Christus imperium ad ea *quoque subiecta dirigit, quae nervis vel nervis vivis carent*, v. g. ad ventum, mare, Lazarum mortuum; deinde eo quod etiam mortuam manu apprehendit, etc.

Rationes vero convenientiae, quibus motus Iesus tales caeremonias adhibuit, optimae sunt. Etenim nobis hominibus, qui sensibus utimur, melius manifestatur, ipsum Christum esse causam miraculi, si hoc nobis verbo et caerimonia externa exhibetur, qua inter Christum et sanandum quaedam coniunctio repraesentatur, quam si hoc nobis solis verbis diceretur. Deinde valde splendet thaumaturgi humilitas atque caritas, si, cum solo verbo prolato sanare possit, tamen non dedignatur cum aegrotis conversari, eorum vulnera contrectare, aspectum,

foetorem sustinere, etc. Saltem verba ut signa voluntatis suae miracula patrantis a Christo proferri quasi necessarium erat. Alias enim nulla ratione externa connaturaliter patere potuisset, a quo homine hi effectus miraculosi procederent.

Difficultas ex effectibus hypnoseos ea est, quae hodie praecipue effertur. Eam pluribus evolvit atque ad omnes miraculosas sanationes extendit Charcot.(1) Cuius ideas plurimi sequuntur, tum in libris ad tractationem quasi systematicam rerum religiosarum pertinentibus,(2) tum in libris historiam tractantibus.(3)

E parte catholicorum multi de disparitate inter sanationes miraculosas in genere vel speciatim Christi, atque vim naturalem suggestionis egerunt. Ita v. g. van Weddingen,(4) de Bonniot,(5) Schanz,(6) Tilm. Pesch,(7) Lehmen,(8) Bertrin,(9) Knur.(10)

Affirmationibus eiusmodi inconsideratis quales andivimus iuverit adiungere ea quae de vi hypnoseos habet *Bernheim*, unus e celeberrimis medicis, qui hac methodo usi sunt. Hic ergo in suo opere: Hypnotisme, Suggestion, Psychothérapie, Paris 1891 in lectione 1ª « Aperçu historique » p. 2-23 ex una parte uti caeteri praeiudiciis (de impossibilitate miraculi?) temporis inhaerens omnes sanationes hypnosi ascribit: « C'est l'imagination humaine qui fait les miracles ». Ex alia vero parte contra se ipsum agens, iis factis atque experimentis quae in hoc opere exhibet, optime distinctionem ponit inter ea quae hypnosi fieri possunt atque ea quae hypnosi fieri non possunt. Ita ipse tales affirmationes, e quibus unam retulimus, destruit. Iuverit quasdam ex iis rebus atque experimentis considerare.

a) *Quae genera morborum suggestione sanari omnino non possint.* — « La suggestion ne s'adresse pas directement à la lésion mais au trouble fonctionnel » p. 502. Cf. explicationem p. 205-6. — Exempla p. 230-4. — b) *In iis ipsis morbis in quibus aliquid possit suggestio, certos limites* ei ponit circa eos ipsos effectus, quos obtinere possit. Ita p. 216-30. — c) *Modus sanandi modus artis est.* « On guérit souvent, on ne guérit pas

(1) Charcot, La foi qui guérit, Paris 1897, libellus mirae levitatis. Cf. p. 16-21 in versione ital. — Charcot et Richer, Les démoniaques dans l'art, Paris 1884. — (2) Cf. v. g. Soltau p. 80-4. — (3) V. g. H. R. Schröder, Geschichte des Lebensmagnetismus u. des Hypnotismus, Leipzig 1902 p. 681. — (4) De miraculo p. 401-4. — (5) Le miracle et ses contrefaçons [5] II partie ch. 6. p. 275-322. — (6) Apologie II [3] p. 514-7. — (7) Inst. psych. Pars I vol. II n. 690-713. — (8) Lehrbuch der Philosophie [4] II 1901 p. 314-9. — (9) Histoire critique des événements de Lourdes, 34 mille, 1910, 2 partie II p. 166-215; Note 25-9 p. 556-60; Note 31 p. 562-5. — (10) Christus medicus? p. 64-72. — Alia literatura etiam apud. E. Müller, Natur u. Wunder p. 58-64.

tout; on soulage souvent, ou ne soulage pas toujours. Les cas les plus simples, ceux qui paraissent le mieux devoir obéir à la thérapeutique suggestive, résistent parfois. Cela tient à la maladie dont quelques éléments nous échappent; cela tient à l'individualité psychique qui, elle aussi, a des secrets qu'elle nous dérobe » p. 235, cf. p. 214-6. — Speciatim vero cf. totam partem p. 239-498, quae inscribitur: « Observations cliniques ». Cuius partis conspectum habes p. 510-8. E quibus haec accipe:

a) Methodus haec psychotherapeutica *debet quam maxime varia esse secundum diversa subiecta.* « Vous avez vu, combien la suggestion doit être variée pour être adaptée a chaque individualité; ce n'est pas la parole de l'opérateur, c'est le cerveau de l'opéré qui fait la guérison, » p. 503.

β) Tempus intra quod sanatio obtinetur, diversissimum est. — Aliquando Bernheim tempus pro sanatione obtenta secundum dies determinant: 3, 7, 20, 6, 13, 8, 20, 12, 3, 6, 14, 3, 7, 7, 3, 4, 3, 8, 13, 44, 6, 15, 9, 18, 8. — Imo ipsa alleviatio, quae saepe loco verae sanationis sequitur, nonnisi post multos dies habetur v. g. post 17, 7, 29, 10. — Aliquando tempus secundum sessiones determinat, v. g. sessionibus 3, 7.

γ) Saepe una pars mali physici tollitur vel diminuitur, dum alia pars permaneat. V. g. « Hyperesthésie dans la jambe gauche datant de vingt-six ans consécutive à une chute ». Restauration de la marche par la suggestion « Persistance de la douleur », p. 250-5.

Ob. 4) Quaedam vires psychicae, quae utique accuratius determinari vix possunt, sanationes produxisse videntur.

a) Nonne Christus erat persona, cuius et *mens et corpus quam maxime sana erat*, eaque constituta inter homines, quorum nervi praecipue ob exspectationem Messiae excitati et perturbati erant? Sanitas sanitatem produxit. Ita recentiores quidam.[1]

V. g. Furrer,[2] premit, Christum fuisse « personam ex omni parte sanam ». — O. Holtzmann,[3] effert, Christum « in se ipso omnimodam pacem expertum esse ». — Réville[2] enarrat: « Le nombre des démoniaques ou plutôt des névrosés paraît avoir été grand en Galilée. La surexcitation politique et religieuse causée par les événements, l'attente fiévreuse d'une grande révolution imminente, le malaise moral résultant d'une pareille situation, tout doit les avoir multipliés... ». Cogita in his circumstantiis « l'effet calmant et régénérateur qu'une personnalité comme celle de Jésus pouvait produire sur les agités... ». — Etiam leviora sunt, quae habet Renan.[4]

b) Simile quid proponebant, qui saeculis elapsis ad *temperamentum corporis Christi* ut causam miraculorum eius recurrebant.[5]

(1) Vorträge p. 126-8. — (2) Leben Iesu p. 149. — (3) Iésus de Nazareth [2] II p. 71-2..— (4) Vie de Iésus p. 279. — (5) Quorum adversariorum sententias enumeratas atque refutatas v. v. g. Salmeron, Comm. tom. 6 tract. 4 p. 20 a-22 b.

c) Alii olim ad *vim imaginariam Christi* recurrebant. Cum enim ea aliquid in proprium corpus possit, cur non in aliena corpora ?[1]

d) Ut argumentum pro hac sententia videtur iure afferri e *Scriptura* verbum Christi Lc. 8, 40: « Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse ». Neque populus hoc ignorabat. Ait enim Lc. 5, 19: « Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes ».

R. — Neg. assertum. Ad rationes additas :

a) Sanitas sanitatem si produceret, procul dubio etiam hodie id ageret. Porro influxu psychico Christus sanasse dicitur, sanavit autem multos qui nullum commercium cum eo habuerant. Denique *nequaquam generalem nervorum depressionem* manifestant Iudaeorum « corpora hominum salubria et ferentia laborum », quae Tacit. Hist. V, 6 commemorat, caetera, quae de eorum agricultura, mercatura, re argentaria scimus.[2] Postremo impossibile est, eos omnes morbos, quos Christus sanasse dicitur, ex nervorum extraordinaria depressione ortum duxisse.

b) Temperamentum corporis sive illud dicis quod ad iustitiam sive illud quod ad pondus dicebatur, iam diu *explosum est.*

c) Quoad *locos Scripturae* distinguo : Ex his locis sequitur, Christum non vere libera sua voluntate determinasse, num effectus sequeretur necne, n.; sequitur, Christi voluntatem non solam operatam esse, sed mediante quadam qualitate fluente praeternaturali, a Deo corpori Christi indita, transeant ad disputationes theologorum dogmaticorum. Qui tamen maiore ex parte id negant.

Populum nequaquam putasse, independenter a libera voluntate Christi, ratione quadam mechanica, sanationes fieri, inde patet, quod toties miracula ab eo petebant; quod optime intelligebant, conditiones morales ad hoc beneficium recipiendum requiri. Convenienter vero cum tactu rei ad Christum aliqua ratione pertinentis v. g. cum tactu fimbriae vestimenti eius Deus effectus miraculosos coniungebat. Ita enim externo modo causalitas Christi in iis miraculis efficiendis apparebat.[3]

(1) Cf. expositionem et refutationem apud Michael de Medina, De recta in Deum fide c. 7. — Salmeron, Com. tom. 6 tract. 4 p. 23 a-25. — van Weddingen, De miraculo p. 384, 388-9. — De Bonniat, Le miracle et les les sciences médicales, Paris 1879 l. 1 ch. 5 § 1. — (2) Cf. Benzinger, art. cit. RE ^{3} 11, 65-6. — (3) Quoad explicationem loci Lc. 8, 46 cf. v. g. Sal-

IMMERITO ASSERITUR, NARRATIONES DE SANATIONIBUS A CHRISTO PERACTIS NIMIS INDETERMINATAS ESSE, QUAM UT INDE MODUS MIRACULOSUS SANATIONUM RITE CONCLUDI POSSIT.

51. — *Ob. 5)* Ut scientifica ratione constet de sanatione miraculosa, deberet constare de *termino a quo*, seu *de genere morbi*, a quo sanatio habetur; de *termino ad quem*, num scilicet sanatio *perfecta atque stabilis* fuerit; de *modo quo* sanatio facta dicatur, num scilicet vere *subitanea fuerit*. Iamvero haec omnia in narrationibus a Christo factis *non sufficienter indicantur*. Ergo saltem suspendendum est iudicium de indole sanationum, quas Iesus patravit.(1)

R. — 1) *Naturam morborum* quod attinet, dist.: Impossibile generatim est, speciem et circumstantias determinatissimas eorum morborum diiudicare a quibus Iesus liberavit c.; stante hac impossibilitate, ultimam speciem morbi detegendi, impossibile est, iudicium certum formare, has sanationes fuisse praeternaturales, subdist.: non potest constare, si omnes casus simul secundum eorum naturam physicam consideramus, aut si in singulis in se sumptis etiam circumstantias morales, praecipue personae agentis respicimus, n.; non potest constare, si respicimus tantum circumstantias physicas ipsius sanationis, subdist.: in multis v. g. in sanatione 10 leprosorum simul, n.; non in omnibus, transeat.(2) — Caeterum non pauca de singulis quoque miraculis Christi a medicis peritis, uti diximus, bene proposita sunt.

2) *Stabilis et perfecta est sanatio* si causa morbi sublata est. Iamvero Iesus in sanationibus suis causam morborum abstulit. Ita in morbis organicis v. g. leprae sanatis. Eorum enim sanatio est in eo, ut organum integritati suae restituatur.

Quoad omnes vero morbos sanatio stabilis et perfecta constat e diversis rationibus:

a) Ex auctoritate Christi sanantis. Hic enim aliquando diserte

meron l. c. p. 22 b. — Quomodo Thomistae causalitatem physicam Christi ex his textibus deducant v. v. g. Gonetus, Clypeus Theol. thom. De incarn. disp. 18, n. 2. Quomodo influxus tantum moralis deducatur v. v. g. Pesch, Prael. dogm. IV n. 352. — (1) Ebstein, Die Medicin im Neuen Testament und im Talmud, Stuttgart 1903 p. 72, 83 sqq. — (2) De complexu qua tali diiudicando cf. recte Hurter, Comp. I^{8} n. 24 p. 31. — van Weddingen, De miraculo p. 380.

sanationem stabilem effert, v. g. Io. 5, 14 « Ecce sanus factus es »; semper implicite idem affirmat, quia id concedebat quod aegroti petebant: « Secundum fidem tuam fiat ». Hi vero non alleviationem aliquam morbi sed perfectam sanationem stabilem petebant.

b) Ex auctoritate evangelistarum. Hi enim, cum etiam postea per multos annos in iisdem locis degerent, apti erant, qui hanc rem rescirent. Habent autem talia: V. g. Mt. 17, 17 de puero lunatico « et *curatus* est puer ex illa hora »; 9, 22 « et *salva facta est* mulier ex illa ora »; Mc. Petri interpres, 7, 28 de filia mulieris Chananaeae. « Et *sanata* est filia eius ex illa hora ».

c) E persuasione populi universi. Quamvis enim Dominus per annos inter eos ut thaumaturgus versaretur, tamen eius ut thaumaturgi fama non diminuebatur, sed semper ad eum recurrebant cum plena persuasione, eum posse subito atque perfecte et stabiliter sanare. Quod factum non esset, si mox idem morbus iterum apparuisset atque effectus a Christo productus in eo solo fuisset, ut per breve quoddam tempus quaedam morbi praesentis symptomata disparerent.

d) Ex auctoritate Quadrati, qui hanc ipsam stabilitatem effert. Cf. n. 13 p. 19-20.

e) Ex coniunctione earum sanationum miraculosarum, quarum ratio perfecta non diserte descripta est, cum iis operibus miraculosis sive sanationibus sive alterius generis, quae perfecta fuisse aliunde notum est.

3) *Sanationis subitaneitatem quod attinet*, distinguendum est. Non constat de subitaneitate mathematica, transeat; morali, n. Moralis autem est in eo, ut sanatio facta sit ea brevissima temporis particula, quae ad sanationem secundum leges naturae ordinarie applicatas sufficere non poterat.[1] Facta ita se habent:

a) Christus generatim ita miracula sua patrabat, ut *nullum intervallum temporis inter eius imperium et effectum sensibus percipi posset.* Nam

α) Evangelistae hoc saepe ipsa voce exprimunt. V. g. Mc. 1, 29: « Et *continuo* dimisit eam *(socrum Petri)* febris, et ministrabat eis ». Mc. 1, 41: « Iesus autem misertus eius extendit manum suam, et

(1) De hac notione subitaneitatis cf. v. g. Bened. XIV, De servorum Dei beatif. etc. l. 4 pars 1 c. 8 n. 17 ed. Rom. 1749 tom. 4 p. 122; n. 15-6 p. 120-2; c. 33 n. 33, p. 533. Applicationem ad sanationem filii reguli l. 5 n. 15, unius e caecis sanatis c. 9 n. 18.

tangens eum ait illi: Volo, mundare. Et cum dixisset, *statim* discessit ab eo *lepra* et mundatus est ». — Mc. 2, 11, 12: « Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. Et *statim* surrexit ille *(paralyticus)* et sublato grabato abiit coram omnibus ». Io. 5, 89: « Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et *statim* sanus factus est homo ille *(triginta et octo annos habens in infirmitate sua)* et sustulit grabatum sum et ambulabat ». Lc. 8, 44: « Accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius, et *confestim* stetit fluxus sanguinis eius ». Mc. 7, 28-30: « At illa respondit et dixit illi: Utique Domine, nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, *exiit* daemonium a filia tua ». Mc. 7, 35: « Et *statim* apertae sunt aures eius et solutum est vinculum linguae eius et loquebatur recte ». Lc. 13, 13: « Et imposuit illi manus, et *confestim* erecta est (quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo) et glorificabat Deum ». Lc. 18, 43: « Et *confestim* vidit » cf. Mt. 20, 34.

β) Aliquando evangelistae utuntur *modo alio inter Hebraeos usitato ad subitaneitatem significandam* v. g. Mc. 5, 5: « Extende manum tuam. Et *extendit, et restituta est* manus illi ». Mt. 8, 32 « Et ait illis. Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos... » (cf. Mt. 9, 29, 30; Mc. 9, 25; Lc. 14, 4; Io. 18, 51).

γ) Alias aliquando premunt aegrotos esse sanos factos « *ex illa hora* (tempore) », uti v. g. Mt. 15, 28; « in illa hora », uti v. g. Mc. 8, 13. Hoc de ipsis etiam sanationibus plurimorum simul valet. Lc. 7, 21: « In ipsa autem hora multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis et caecis multis donavit visum ».

δ) Generatim efferunt *exultationem praesentium ob secutam iam sanationem.*

b) Non ita quidem determinatur tempus in sanatione 10 leprosorum Lc. 17, 14: « Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent mundati sunt ». De caece nato Io. 9, 7 haec habet: Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe.... Abiit ergo et *lavit et venit videns* ». *Aliqua temporis* intervalla indicantur hac narratione sanationis *caeci in Bethsaida* Mc. 8, 23-25 « Et apprehensa manu caeci eduxit eum extra vicum, et exspuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogavit eum, si quid videret. Et adspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, et coepit videre et restitutus est ita ut clare vi-

deret omnia ». At nullum dubium est, neque illud tempus quod talibus narrationibus indicatur, ad sanationem naturalem, illis mediis adhibitis, sufficere potuisse.

Caeterum haec difficultas 5ª *per se contra veritatem historicam miraculorum Christi* dirigitur; tantum maioris commoditatis gratia eam cum caeteris difficultatibus contra sanationes Christi coniunximus.

Articulus 3. De Veritate theologica miraculorum Christi.

Propositio 12. Constat de veritate theologica miraculorum Christi.

Haec thesis eam methodum indagandae veritatis theologicae miraculorum in genere, quam in tractatu de revelatione in abstracto prop. 17 tradidimus, ad miracula Christi applicat.

Pars I. Argumenta ex auctoritate humana.

Arg. 1. — *Ex auctoritate humana ipsius Christi.*

52. Iesus professus est omnia sua miracula ad Deum ut ad causam saltem moralem esse reducenda. Iamvero in hoc testimonio reddendo veracitate et scientia debita instructus erat.

Ad ma. — Per gradus quosdam ad plenam probationem ascendimus.

1) Iesus professus est, miracula sua *non procedere a daemone nomine suo proprio agente.* — Mt. 12, 22-29; « Tunc oblatus est ei daemonium habens, caecus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. Et stupebant omnes turbae, et dicebant; Numquid hic est filius David? Pharisaei autem audientes dixerunt: Hic non eiicit daemones nisi in Beelzebub principe daemoniorum. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur, et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam eiicit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Belzebub eiicio daemones, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si autem ego in Spiritu Dei eiicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem? Et tunc domum illius diripiet » Cf. Mc. 3, 22-28; Lc, 11, 15-22.

2) Iesus saepius miracula sua *ad Deum ut causam saltem moralem retulit.* — *a) Disertis verbis* id testatus est v. g. Io. 5, 33-36:

« Vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed haec dico ut vos salvi sitis. Ille erat lucerna ardens et lucens, vos autem voluistis ad horam exultare, in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me ». 10, 26-21: « Circumdederunt ergo eum Iudaei et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, et non creditis: opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis ». Io. 14, 10 « Pater autem in me manens ipse facit opera ». Porro cf. v. g. Lc. 10, 19 simul cum 10, 22; Io. 9, 4-6; 10, 25, 33, 37, 38. — *b)* Implicite saepissime atque diversis modis eamdem veritatem pronuntiavit. *α)* Videbimus postea Christum saepissime ad opera sua ut ad signa divina credibilitatis revelationis divinae provocasse. Atqui hoc absonum esset, nisi id affirmare vellet, ea saltem in ratione causae moralis a Deo procedere. *β)* Christus ad Patrem preces fudit, ut sibi ea opera patrare concederet. Ergo eius persuasionis erat, ea a Deo agente procedere. Cf. Io. 11, 41-2. *γ)* Continuo miracula sua ascribit fidei in Deum ut dispositioni morali, eorum in quibus patrabantur. *δ)* Asserit ea ad manifestandam gloriam Patris et Filii fieri. Cf. Io. 9, 3; 11, 4, 40; Lc. 17, 18.

Ad min. — *Quoad veracitatem Christi* cf. quae antea docuimus de veracitate Christi in affirmanda veritate philosophica suorum miraculorum. Etenim si Christus scivisset, ea a diabolo nomine suo agente patrari vel si aliqua ratione dubitasset, num vere a Patre procederent, nonnisi ingenti cum crimine ea Deo, uti revelationem per ea attestanti, attribuisset. Nam agitur de re, cuius maximum momentum pro religione totius generis humani a Christo plane perspiciebatur, de re quam toties, tanta cum certitudine affirmavit.

Porro causae erroris omnino exclusae sunt. Exclusus est is influxus voluntatis, qui praecipitantiam in hac re affirmanda argueret. Hanc quis forte ideo suspicaretur, quia ageretur de affirmanda re, quae in magnam Christi gloriam cedit. Sed aliunde notum est, Christum afuisse ab ea maxima superbia, quae ad eam praecipitantiam necessaria esset; imo eum humillimum fuisse, data opera in thesi de mirabili Christi sanctitate demonstrabimus. Porro nullus voluntatis influxus hominem sanae mentis ad id impellere potest, ut contra obie-

ctivam veritatem eum concretum modum in miraculis patrandis sibi ascribat, quem Christus sibi ascribit. Nam Io. 5, 19-20 ait: « Amen, amen, dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium et omnia demonstrat ei, quae ipse facit, et maiora his demonstrabit opera, ut vos miremini ». Cf. quae diximus n. 7 p. 5-6.

Ex parte *intellectus* aberat idearum confusio. Etenim disceptationes cum pharisaeis ostendunt, ideas Christi de distintione inter opera diabolica atque a Deo procedentia] rectissimas fuisse. Porro nulla idearum confusio, nisi ad insaniam evoluta fuerit, tanta esse potest, ut quis talem in concreto miraculi patrandi modum sibi ascribat, quam Christus Io. 5, 19-20 sibi attribuisse vidimus. Defectus attentionis ob easdem rationes, Christi virtutem atque sanam mentem, exclusus est.

Arg. 2. *Ex auctoritate aequalium Christi atque posterorum.*

Mutatis mutandis ad demonstrandam veritatem theologicam miraculorum Christi ea applica, quae docuimus th. 7 n. 36 p. 59-60 de auctoritate plurimorum in diiudicanda veritate philosophica. Mutanda sunt praecipue haec: *a)* Etiam minor est numerus eorum qui, admissa veritate miraculorum Christi historica et philosophica, ipsam theologicam negare audent. Ipse populus iudaicus ea Deo ascribebat. Cf. Io. 3, 2; 6, 14; 12, 18. *b)* Rationes quibus tales adversarii inducuntur, etiam apertius passionum influxum atque intellectus inconsiderationem arguunt. Nam Iudaei aut nullas rationes adducunt, aut eam solam sub variis formis repetunt, ea miracula non posse esse a Deo, quibus lex Mosaica laedatur. Quam plane nullam esse in difficultatibus videbimus. Ethnici vero ob rationes plane stultas Christum cum magis suis comparabant. Quantae levitatis sint rationes recentiorum mox videbimus.

Pars II. **Argumentum ex natura operum.** (1)

53. In tractatu de revelatione in genere thesi 17ª demonstravimus, opera praeternaturalia, quae ad revelationem probandam externe re-

(1) V. non pauca Th. 3 qu. 43 et 44, ubi etiam multae obiectiones, e quibus quaedam etiam hodie repetuntur. — Praeclare Salmeron Com. t. 6,

feruntur, a Deo saltem ut causa morali procedere, si signa debilitatis aut malitiae aut insipientiae in iis desunt. Atqui tantum abest, ut in miraculis Christi debilitatis aut insipientiae aut malitiae signa appareant, ut e contra potentia, sanctitas, sapientia Dei iis quam maxime illustrentur. Ergo ad Deum ut ad causam saltem moralem reducenda sunt. — Prob. min.

DESUNT IN MIRACULIS CHRISTI SIGNA DEBILITATIS, IMO IN IIS QUAM MAXIME SPLENDET POTENTIA DEI.

1) Christus *nulla unquam potestate contraria* a miraculis patrandis *impeditus* vel superatus est, uti v. g. impediti sunt magi in Aegypto. Imo ipse Christus fortis ille erat, qui diabolum e corporibus possessis expulit.

2) Porro a *nullo homine* ad opera mira *coactus est,* sive signis externis haec voluntas humana intimaretur sive non. Neque ab ulla humana physica dispositione *dependebat.* Unde eius opera non processerunt ab ea potentia, quae in magia operata esse dicitur vel in spiritisticis sessionibus dependenter a personis « mediis » operatur. De quibus postea plura dicemus. E contra summa quaedam independentia ab omni influxu humano in operibus Christi apparet.

3) Christus *nunquam* sive explicite sive implicite aliquid magni *promisit, quod postea miraculose exsecutus non sit*, nunquam se habebat per modum eius, qui vires suas experitur atque tentat. Semper infallibili cum certitudine produxit effectum a se volitum i. e. eum qui antea eius verbis sive implicite sive explicite significabatur.

4) Ipsa *opera in se inspecta nullam imperfectionem continebant*, sed omnimodam *potentiae perfectionem* ostendebant. — *α) Nulli loco* adstringebatur haec miraculi patrandi potentia, sed operabatur ubicumque Christus volebat, ubicumque dispositiones morales inveniebat. Nulli tempori alligabatur sed eadem perfectione semper operabatur. Quae diversa invenies in praestigiis ethnicorum atque recentiorum superstitionum. — *β)* Christus non unam aliamve speciem rerum mirabilium produxit, sed omnes complexus est: morbos sanat, mortuos resuscitat, spiritus expellit; versatur circa materiam potus et cibi,

qui integer est de miraculis Christi, tract. 5. — Quae de moribus ethnicorum hac thesi innuimus, proponuntur in thesi de miris effectibus religionis christianae.

mare, ventum, plantas, animalia. Inter morbos vero non eos tantum sanavit, qui organici non sunt, sed diversa genera ipsorum morborum organicorum sanavit. Unde ex his operibus elucet potestas, quae dominium exerceat in omnes res mundanas, animam separatam, daemones. — *γ)* Imo *eam exercuit potentiam in animam separatam,* qua anima non tantum physice iterum cum corpore coniungeretur, sed ita cum eo coniungeretur, ut peracta coniunctione non haberetur status termini, qui per se mortem sequi debebat, sed status viae. Iamvero solus Deus cohibere potest quominus status termini morte initium sumat. Nam ille solus qui ipse finis noster est, statum viae vel statum termini relate ad hunc finem sive statuere sive mutare potest. — *δ)* Porro in his omnibus operibus ea generatim habetur operandi celeritas, qua maior sensibus exhiberi non possit. — *ε)* Denique numerus operum mirabilium is est, ut quasi tota vita publica Christi e miraculis constitueretur.

DESUNT SIGNA MALITIAE, ADSUNT VERO OMNI EX PARTE SIGNA SANCTITATIS.

54. 1) *E parte operis ipsius* haberetur malitia, si ipsum opus alicui e praeceptis Dei contrarium esset. Huiusmodi erant v. g. quaedam sic dicta miracula patrata in templis Romanorum, quippe quibus libido excitabatur. Iamvero ex hac parte nullae difficultates contra miracula Christi afferri possunt.

2) *Fines extrinseci*, ad quos opera dirigebantur nonnisi sanctissimi erant.

a) Non dirigebantur ad fines malos.

α) Non dirigebantur *ad commendandas voluptates peccaminosas.* Tali ratione opera multa mirabilia patrata dicuntur in quibusdam templis ethnicis, quae talibus facinoribus celebrata erant, vel in iis paganis, qui hieroduli vocabantur. Quae ita patrabantur, ut e circumstantiis pateret, commendari loca ista diis sacra, personas diis servientes, non vero eas de veritate divina instrui vel ob idololatriam vel crimina coniuncta puniri.

β) Non vana ostentatio in iis intendebatur, honor externus qui homini qua homini impenderetur. Etsi enim Iesus generatim ob finem miraculorum suorum, qui principaliter in probanda revelatione publica consistebat, ea coram multis patravit, tamen non semper ita egit, imo non raro ea propalare vetuit. Quod signum est, eum

non honoris proprii gratia ea perpetrasse. Unde etiam de miraculis valet, quod de omnibus suis operibus pronuntiavit: « Non quaero gloriam meam ». Porro Mt. 12, 17-21 dicit, praeceptum, quod Iesus diabolis dedit, ne dignitatem suam, qua Filius Dei erat, proclamarent, e Christi modestia profectum esse, qua permotus invidiam pharisaeorum, quantum in se erat, evitare voluit. — Neque illud omittendum est, Iesum in miraculis patrandis abstinuisse ab omni ultione ante tempus iudicii a Deo statutum, imo eum ipsis inimicis beneficia contulisse. Ita v. g. Lc. 9, 54 reprehendit discipulos cum iubere vellent, ut ignis de coelo descenderet, qui incredulos consumeret, atque ipse auriculam Malchi, qui cum aliis militibus ad se capiendum venerat, sponte restituit.

γ) Neque ad quaestum faciendum vel *alia bona materialia* pro se obtinenda Iesus miracula patrat. Thesauros potentiae divinae auro non vendit. Alios mirabili modo beneficiis afficit, ipse cum suis apostolis praefert pauper esse atque aliquando ipsa indigentia rerum necessariarum premi; ipse plurima patitur, alios a perpessionibus liberat. Quod vero aliquoties miraculoso modo e manibus Iudaeorum effugisse videtur, ideo factum est, ut tempus a Patre praedicationi destinatum expleret. Potius se ab Herode atque omni eius exercitu sperni permisit, quam ut extraordinaria opera Dei ad humanam *curiositatem pascendam* dirigeret. Neque ad scientiam naturalem promovendam miracula refert.

b) Dirigebantur ad fines sanctissimos. — Quot miracula patravit, tot actus fecit, qui pluribus virtutibus sublimibus contineri solebant. Etenim miraculis suis prosequebatur sola supernaturalia bona vel naturalia in quantum cum supernaturalibus coniuncta erant. Quae virtutum opera breviter ita describere possumus.

α) Dirigit miracula sua directe ad gloriam Dei promovendam idque diversis modis: ad manifestandam Dei potentiam, bonitatem, sapientiam; ad excitandam gratitudinem in Deum, qua impellente a peccando homines desistant; ad instructionem religiosam, cum miracula exhibet symbola veritatum religiosarum; ad finem sublimissimum miraculorum consequendum, i. e. ad firmandam revelationem divinam. Imo ad hunc finem nobilissimum omnia miracula sua retulit.

β) In maiore parte miraculorum patranda *simul opera misericordiae* exercet. Iis enim filios Dei ab indigentiis extraordinariis corporalibus, praecipue a morbis liberat. At hac ipsa a morbis libe-

ratione diversis modis bona spiritualia ut finem respiciebat. Praeter ea quae mox diximus attendantur v. g. haec: Cum sanat, ad poenitentiam excitat, eo quod v. g. docet morbum fuisse poenam peccati; ideo miracula patrat, ut consequentias peccati deleat atque eum ordinem restituat, qui praecessit peccatum protoparentum.

3) *In doctrina ad quam probandam miracula refert*, vel quam ex iis patratis deducit, vel quam occasione eorum profert, nihil mali contineri ipsa obvia eorum consideratione Iudaeis patere poterat. Ea mirabilem omnino sanctitatem doceri postea propria thesi demonstrabimus. — Neque *ex loco vel tempore* patrationis miraculorum quidquam malae doctrinae commendari certum est. V. g. non patravit miracula in solis templis ethnicorum, unde ad ea visitanda homines connaturaliter allicerentur, sed ordinarie in sola Palaestina, quam solam populus Monotheisticus inhabitabat. Unde factum est, ut qui ex omni Syria aliisque terris finitimis ad terram sanctam confluebant ut a Iesu sanitatem reciperent, Deum Israel laudibus suis prosequerentur. Porro non raro miracula patravit in iis locis quae cultui legitimo Dei veri dicata erant, in synagogis, in civitate sancta Ierusalem, in templo. Temporis rationem quod attinet, sacras peregrinationes ad templum lege divina praescriptas miraculo maximo multiplicationis panum distinxit, dies festos sacros in sancta civitate multis iisque splendidissimis miraculis illustravit.

4) *Modus externus* miracula patrandi nihil habebat in se mali, v. g. superbi vel obscoeni, nihil quo a principe tenebrarum peti viderentur. E contra omnia in iis sanctitatem spirant. Ea petit a Deo (Io. 11, 41-42). Ea in mediis sermonibus ad res divinas pertinentibus patrat. Primum e signis suis facit in nuptiis honestis, qua re matrimonii sanctitatem commendat. In iis patrandis observantiam legis Mosaicae inculcat (Mt. 8, 4), praerogativas populi Dei extollit (Mt. 15, 24-26).

5) *Persona operans* scilicet Iesus Christus, non tantum ea integritate erat, ut ne inimici quidem eum de peccato arguere possent, sed uti probabimus, miraculosa plane sanctitate insignitus erat.

6) *Effectus miraculorum Christi* et in populo electo et inter ethnicos plane eximii erant. In populo electo magnopere crevit agnitio et laus Dei unius omnipotentis, quem totus populus ob miracula visa magnificabat. Porro insignes erant fructus, qui ex fide in Christi legationem dependebant, quae ipsa fides miraculis praecipue parta erat.

Considera poenitentiam Mariae Magdalenae, Zachaei. Quam maxime huc pertinet iudicium credibilitatis apostolorum in Iesu missionem divinam. A quo iudicio et consequente inde apostolica praedicatione principaliter conversio orbis terrarum ab idololatria ad cultum unius veri Dei dependebat. Ethnici enim, uti historia testatur atque alio loco demonstrabimus, nonnisi dependenter a iudicio credibilitatis, quo missionem divinam Christi amplectebantur, e statu tristissimo falsarum persuasionum in rebus divinis atque e pessimis moribus suis ad persuasiones atque virtutes Deo dignas erecti sunt. Iamvero mox ex ipsa historia probabimus, iudicium credibilitatis in Christi asseclis magna ex parte ex miraculis Christi haustum esse. — Speciatim id notatu dignum est, inter effectus christiana religione inductos hunc esse, ut diaboli dominium, praecipue etiam magia, magna ex parte destrueretur.

NULLA SIGNA INSIPIENTIAE IN MIRACULIS CHRISTI INVENIUNTUR, SED SIGNA SAPIENTIAE IN IIS QUAM MAXIME SPLENDENT.

55. 1) *Ipsa opera in se* quam maxime ordinata sunt. Id quod praecipue elucet ex comparatione inter miracula Christi atque ea, quae in quibusdam evangeliis apocryphis narrantur, vel quae v. g. Mohamed, Buddhae ascribuntur. Haec ob inordinatam phantasiam in iis relucentem risum movent, non vero sapientis admirationem.

2) *Finis operum intrinsecus* quam maxime convenit cum finibus, quae miraculis inesse ex ipsa essentia miraculorum vel necesse est vel quam maxime decet. De quibus finibus cf. quae in tractatu de revelatione in genere thesi 12 statuimus. Quod ut videas, mutatis mutandis huc transfer, quae mox exposuimus.

3) *In ipsis doctrinis*, ad quas probandas Christus sua miracula referebat, nihil invenitur quod sapientem dedeceat. Imo eae quae natura duce diiudicari possunt, miram sapientiam continent. — *α)* Christus opera sua principaliter retulit ad eam veritatem magis generalem demonstrandam, qua edixit, se in omnibus doctrinis quae praepositurus sit, divinas revelationes deferre. In qua certe nulla contradictio invenitur. — *β)* In tota doctrina nihil continetur, quod adhibita ea diligentia, quam vulgus Israelitarum, in rebus religiosis bene instructum, adhibere poterat, clare et certe appareret falsum. Unde ipse populus nullam passus est difficultatem in miraculis Christi ut divinis

agnoscendis. Ducum vero populi difficultates aperte vanae erant. — γ) Singulas autem doctrinas maximam sapientiam spirare inter eos, qui sanum iudicium retinent, in aperto est. Quaedam autem in iis inveniri, quae intelligi nequeant, cum ratione non pugnat et cum verbis Christi convenit. Nam vidimus demonstrari non posse, mysteriorum revelationem repugnare. Iesus vero docuit, se etiam talia proponere. Cf. v. g. Mt. 11, 25-27.

4) *Modus miracula patrandi* quam maxime cum eo congruit, qui convenientissimus esse a priori perspicitur. Opera Dei extraordinaria sunt, unde quam maxime decet, hanc eorum specialem relationem ad Deum externe manifestari. Quare in miraculis Christi ipsum factum praecedit *oratio* sive *imperium nomine Dei sive aliud signum quo ad Deum reducuntur.* Oratio, ut in resuscitatione Lazari; generatim, imperium quod nomine Dei factum esse et ex aliis circumstantiis et ex ipsa Christi doctrina patebat, qua affirmabat, se in nomine Dei haec opera patrare; signa alia externa, uti v. g.: Mc. 7, 34: « Et suspiciens in coelum ingemuit et ait illi: Ephpheta, quod est: Adaperire », Mt. 14, 19: « Adspiciens in coelum benedixit et fregit et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis ». Caerimoniae vero quas Iesus exhibet, vel externa illa quae ab aegrotis fiunt dum a Christo sanantur, coniunctionem indicant quae inter personam Christi ut causam et miracula ut effectus intercedunt. Ita v. g. manuum impositio, admotio digitorum ad auriculas, salivae ad linguam surdi et muti (Mc. 7, 33), tactus vestium Christi. Praeterea eiusmodi caeremoniae aliquando ipsum opus efficiendum significant, v. g. « adaperire; volo mundare, fides tua salvam te fecit » etc. « Mittit digitum in aures surdi quasi clausas et obturatas terebraturus aut impedimentum quod in iis erat ablaturus digito; et quia qui muti sunt videntur ligatam nimia siccitate habere linguam palatoque adhaerentem.... mittit salivam in os muti ».

5) *Persona* agens non tantum nulla insipientiae signa dedit sed sapientia sua prae omni alia praefulgenti totum orbem illustravit.

Addi potest brevis consideratio, quam *apte* miracula Christi *cum eius sive muneribus sive moribus sive dignitatibus conveniant.* — *Munera* quod attinet:

Iesus erat *doctor* divinitus datus. Atque docuit non tantum verbis, verum etiam ipsis factis suis miraculosis, quae in symbolum coelestium veritatum elevavit. Mysteria docuit; unde etiam miraculis ea

adumbrat. Cf. qua ratione mutatio vini in aquam, multiplicatio panum, ambulatio supra aquas ad mysterium eucharistiae illustrandum referantur. — Futura praedixit; etiam ipsa miracula propheticam doctrinam continent. Ita piscatio mirabilis, maledictio ficus prophetiam realem continent. — Venit ut Patris atque sui ipsius gloriam manifestaret. Cf. Io. 17, 2, 4. Quod fecit verbis, splendidis maiestatis divinae factis monstravit.

Iesus erat *rex*, cui omnis data est potestas in coelo et in terra. Unde miraculis suis apte manifestat, omnia naturae regna, ipsam mortem atque daemones, sibi regi subiecta esse.

Christus erat *sacerdos* qui a peccatis eorumque sequelis, praecipue morte aeterna, solus liberavit. Quare eius miracula praecipue sunt in operibus misericordiae exhibendis, in daemonibus expellendis, in ipsa liberatione a morte temporali. Quare sanationes atque liberationes a morte quasi pignus sunt atque imago eius beatae resurrectionis, quae initium datura est vitae aeternae quamque se nobis omnibus daturum esse verbis suis edixit.

Iesus erat *mediator novi Testamenti*, quod est foedus gratiae. Quare miracula eius nonnisi in beneficiis, non vero in poenis, consistunt.

Iesu erat *Messias*, rex proxime populo suo Israelitico promissus. Unde apte huic populo prae omnibus aliis hominibus opera sua exhibuit, quibus a tot malis liberatus est atque tot beneficia recepit.

Iesus erat *miraculum sanctitatis*. Ideo decebat eum quam maxime excellere in ratione instrumenti, quo Deus hominibus caeteris miracula suae bonitatis communicaret.

In ipso Iesu miracula maxima eaque diversi ordinis inveniebantur. Partim erant in ordine physico v. g. nativitas ex virgine; partim in ordine intellectus, uti mirabilis eius sapientia, cognitio rerum absentium, scrutatio cordium, prophetiae; partim in ordine donorum eorum, quae neque per aliud visibilia sunt, uti v. g. visio Dei. Ipse erat obiectum ad quod tot miracula, tot prophetiae V. T. referebantur; ipse causa erat per quam ii, qui in nomine eius crediturі erant, tot miracula omnis generis patraturi erant. Unde quam maxime conveniebat, ut haec miraculorum omnis generis coelestis catena etiam miraculis maximis in ordine physico per ipsum Christum patratis perfecta redderetur.

Tandem *Iesus* ipse *maximum erat miraculum* ob coniunctionem

divinae et humanae naturae in unam personam, quae in eo solo invenitur. Quare decebat per eum quam maxime caetera omnia miracula fieri.

Propositio 13: Immerito quaedam allata sunt, quibus defectus sive potentiae sive sanctitatis sive sapientiae divinae in miraculis Christi monstretur.

IMMERITO DEFECTUS QUIDAM POTENTIAE STATUTUS EST.

56. *Ob. 1)* — Iesus *non poterat ubique sanare.*[1] Nam Mc. 6, 5 legitur: « Et non poterat ibi (in Nazareth) virtutem ullam facere ». — N. assertum. Ad rationem additam: In textu allato non est sermo de defectu ipsius physicae potentiae, sed de defectu convenientiae ad agendum, quae e defectu dispositionis moralis sapienter requisitae oriebatur. Textus nempe ita se habet: « Non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: et mirabatur propter incredulitatem eorum... ». 6, 5-6.

Ob. 2) — Iesus *non poterat semper subito perfectam sanitatem efficere.* Id quod patet ex Mc. 8, 22-5: « Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei caecum, et rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu caeci eduxit eum extra vicum; et exspuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogavit eum, si quid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius; et coepit videre, et restitutus est ita ut clare videret omnia ».[2]

R. — N. assertum. Ad rationem additam: *a) Nequit ita concludi:* Sanitas perfecta nonnisi per gradu obtenta est. Ergo vis agendi limitata erat. Cogita v. g. hominis cuiusdam lobulos pulmonum ita male se habere ut uterque tuberculosi summo in gradu affectus sit. Sanitatem a thaumaturgo petit. Uno momento post unus lobulus integer sanus habetur, aegro remamente altero. Fit nova precatio. Post quam subito etiam alter lobulus perfectae sanitati restituitur.

(1) Obiectionem hanc iam refert Th. 3 qu. 43 a 2 ad 1. — Etiam illud factum, Iesum in Ierusalem ultimis temporibus non iam signa fecisse v. g. Ch. Herm. Weisse eo modo explicat. V. Schweitzer p. 131. — (2) Haec quoque obiectio apud Th. 3 qu. 44 a. 3 ad 2. Recentiores adversarios uti Paulus, Hase, Köster iam affert et ridet Strauss, Leben Iesu [4] II p. 64 cum nota 18.

Quis dubitat miraculum factum esse post primam precationem, miraculum post secundam?

b) De facto in nostra re non tantum nulla ratione *limitatio* suadetur sed *exclusa est.* Nam *α)* Uti sputum *insufficiens* erat *ad priorem gradum* sanitatis efficiendum, ita impositio manus *ad secundum.* — *β)* Aliunde et *facta et verba Christi huic limitationi repugnant.* Repugnant facta. Deus enim ei, cui omnes morbos ipsamque mortem quasi subditam fecit, id donum non negaverit, ut eiusmodi caecitatem subito sanaret. Repugnant verba. Nam Iesus clare confessus est, Patrem sibi potestatem omnem dedisse, seque semper secundum ea, quae petierit audiri. Cf. arg. — *γ)* Necesse ergo est concludere, quamvis Christo non deesset potestas, ut hunc quoque hominem subito sanaret, aliquas fuisse *rationes sapientiae*, quibus motus fuerit, ut eum nonnisi per gradus sanaret. Evangelista ille quidem brevi sua narratione eas rationes non effert. Exegetae vero sapienter quasdam probabiles rationes adduxerunt. (1)

Quidam (2) putant, hominis *fidem imperfectam* fuisse, ideoque Dominum suam potentiam ad eius fidem moderari voluisse. Quam rationem Wilmers (3) his magis suadet: « Hominem, qui ipse non petierat, ut sanaretur, sensim ad fidem adducere voluit, ut fidei maiori tandemque perfectae maius ac tandem perfectum responderet beneficium. Simili modo hominem coecum a nativitate, sanare voluit.... Etiam hic non petierat ut sanaretur.... Aliqua temporis mora intercessit pariter in sanando surdo et muto, pro quo alii deprecati fuerant. Nam, apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius et exspuens tetigit linguam eius, et suspiciens in coelum ingemuit et ait illi: Ephpheta ». Mc. 7, 33. Integro hoc processu homo, qui non ipse Christum rogaverat, ad beneficium recipiendum parabatur et disponebatur ».

Iesus « fortasse etiam voluit, t caecus *beneficium* quod accipiebat, dum paulatim conferebatur, *pluris faceret* ». (4)

Alii (5) putant, Iesum imagine quadam ante oculos discipulorum ponere voluisse, quantopere laborandum sit, ut *caecitas spiritualis* sive ab ipsis, sive ab humano genere auferretur. Etc.

(1) Plures collectas habes apud Knabenbauer ad l. Mc.[2] p. 217. — (2) V. g. Maldon. Fillion. — (3) N. 325 p. 342. — (4) Knabenbauer ad l. p. 217. — (5) V. g. Beda, Salmeron, Schanz.

IMMERITO STATUITUR, DEFECTUM SANCTITATIS IN MIRACULIS CHRISTI DETEGI.

Iesus non egit contra legem naturalem.

57. *Ob. 3)* — Illicitum est ad ebrietatem excitare. Iamvero Christus *eo quod sex aquae hydrias,* i. e. 5-7 hectolitra[1] *in optimum vinum mutavit, convivas qui iam ebrii erant ad peccatum ebrietatis excitavit.* Cf. Io. 2, 1-11.[2]

R. — Dist. ma.: Illicitum est, excitare ad peccatum ebrietatis. c.; illud possibile reddere, subdist.: si habetur sufficiens ratio, ut haec possibilitas praebeatur, praecipue si *efficaciter id agitur, ne haec remota possibilitas in actum transeat, n.;* si talis ratio sufficiens non habetur, c. — Contradist. min.: Christus incitavit ad ebrietatem, n.; nonnisi id egit, quo absolute possibilis reddebatur, at simul media adhibuit, ne haec remota possibilitas in actum transiret, c. — Expl.

a) Si iam Sanctorum praesentia a talibus peccatis avocat, quanto magis *praesentia Christi.* Id quod ipsi quoque adversarii admittere deberent, quippe qui, cum de explicanda veritate philosophica miraculorum Christi agitur, miram vim Christi in animos caeterorum non satis se extollere posse putant.

b) Non constat, 5-7 hectolitra ad id esse mutata, ut *haec copia in ipso nuptiarum festo ebiberetur.* Saltem nulla ne specie quidem probabilitatis innuitur, eam copiam eo ipso die ebibendam fuisse. Nam secundum morem Iudaeorum nuptiae per dies non paucos, forte per plenam hebdomadam, celebrabantur. Numerus convivarum nescitur. Quod reliquum erat, familiae usui inservire poterat.

Sunt qui ita explicant: Secundum mores Iudaeorum sponsus et sponsa exspectabant contributionem ad festum, quae ordinarie ab ipsis hospitibus dabatur. Hanc proinde etiam a Christo exspectabant. Qui modo miraculoso eam praestitit.[3] Qua in suppositione non agitur de eo, ut tantum necessitati subito exortae provideatur.

c) Sine ratione dicitur, convivas fuisse inebriatos. Verba archi-

(1) Knabenbauer ad l. p. 123. — Fonck [2] p. 150. — (2) Ita v. g. Woolston, Disc. 4. — Strauss, Leben Iesu [4] II p. 206 saltem in eo difficultatem invenit, quod hoc miraculum non tam beneficium quam iucunditatem quandam obtulerit. — (3) Ita Fonck [2] I p. 155.

triclinii 2, 9. 10 haec sunt: « Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc ». At ea optime ita explicari possunt ut « adhuc » significet id convivii tempus, in quo *non raro* hospites in similibus conviviis iamiam mensuram convenientem aliquo modo praetergressi sunt. Sancto Cyrillo lepidi quid in his verbis inesse videtur. Porro num mater Iesu pro hominibus ebriis novum vinum petivisset, idque verbis « Vinum non habent » ?

d) Neque indubitatum est, « inebriari » hoc loco significare bibere nimium, non vero hibere ita, ut animi laetitia sequatur, quin tamen, etsi quid potui additur, ullus defectus moralis committatur. Cf. Gen. 43, 44; Agg. 1, 6.[1]

Ob. 4) — Contra iustitiam est, aliorum damnum causare; contra caritatem est, illud permittere. Iamvero Christus *eo quod spiritus in duo millia porcorum immisit, dominis legitimis damnum aut ipse intulit aut saltem inferri permisit.*[2] Cf. Mt. 8, 23-34; Mc. 5, 1-20; Lc. 8, 26-39.

R. — Dist. ma.: *Iniustum* est, aliis damnum inferre *ex causa iusta*, *n.; sine causa* iusta, c. *Contra caritatem* est damnum *permittere*, dist.: *ex causa sufficiente*, n.; *sine causa sufficiente*, c. — Contradist. min.: Christus iniuste causasset damnum, si tamen illud causavit, id quod demonstrari nequit, n.; iuste, c. Permisit damnum, cum causa sufficiente, c., sine causa suffiicente, n. *Expl.*

a) Christus non praecepit daemonibus, ut in porcos irent, sed *tantum permisit.* Etenim Lc. 8. 26 clare edicitur: « Et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis ». Cf. Mc. 5, 12-3. Quodsi ergo Mt. 8, 32 habet: « Ite », hoc de permissione explicandum est. Quare quod porci in mare demersi sunt, aut cum quibusdam ascribendum est libertati daemonum, aut cum quibusdam naturali instinctui porcorum, qui locum habebat stante actu libero daemonum,

(1) Knabenbauer ad l.; B. Weiss p. 94. — Gesenius-Buhl, Lexicon hebraicum, [13] Leipzig 1899 p. 843. — Quoad Gen. 43, 34 cf. Kautzsch, Altes Testament [5] 1909 p. 72. — Quoad Agg. consideretur contextus. — Cf. etiam a Lapide ad l. ed. Venet. 1761 tom. 10 p. 639 G. — Alii tamen volunt, neque hoc loco sensum attenuari. Ab architriclinio non describi statum praesentium ex iis patere, quae nos n. a-e diximus. Ita v. g. Fonck p. 153. — (2) Cf. de difficultate et responso Ottiger p. 636. — Knabenbauer in Mt. l. c. p. 535-9.

quo in porcos ingressi sunt. — Ratio autem tale damnum permittendi potuit esse cognitio in obsesso, in apostolis, in nobis omnibus, quantum sit daemonum odium, e quibus tot per tantum tempus obsessum cruciaverant, quanta sit eorum vilitas atque impotentia sub Christi imperio; gratitudo maior ex hac cognitione haurienda, etc.

b) Etsi Christus praecepisset ut daemones in porcos irent, imo etsi praecepisset ut porcos suffocarent, *tamen ratio damni iniuste illati demonstrari non posset.* Nam iniustitia cessat, cum ius hominis ablatum est. Iamvero si Iesus damnum causasset, natura prius ius proprietatis esset ablatum. Etenim cum iam multis miraculis certis se demonstraverit legatum Dei eumque talem, qui in omnibus quae ageret *nomine Dei procederet*, certe etiam nomine Dei hoc imperium dedisset. Rationes cur tale praeceptum dari potuisset, poterant esse similes illis, quas in suppositione permissionis divinae concessae consideravimus.

Iesus non egit contra legem positivam.

Ob. 5) — Peccatum erat sabbatis sanare. Atqui Christus sabbatis verbo sanavit. Cf. Mt. 12, 9-14; Lc. 13, 10-17. Imo lutum super oculos caeci nati linivit, hominem grabatum ferre iussit. Io. 9, 14; 5, 3. Ergo miraculosis suis operationibus peccavit. Haec difficultas est, quam pharisaei toties Domino obiecerunt. Cf. verba prolata in iis occasionibus, quae hic exhibentur.

R. — *a) Nego maiorem ita generali modo positam.* Etenim Sabbati lex neque a Deo erat ita intenta neque a populo neque ab ipsis doctis rationabili modo procedentibus ita intelligebatur. Id quod videmus ex eo, quod ipsi docti qui Christum violati sabbati accusabant, ob utilitatem suam materialem eiusmodi actiones sabbato licitas putabant, quae certe multo plus laboris in se continebant, quam ea quae Christus sabbatis in sanandis morbis agebat vel agere aliquando praecipiebat. Unde Dominus eos hypocritas vocat. Cf. Lc. 6, 8-11; 13, 15-17. Unde ipsi de sua stultitia et malitia « erubescebant ».

b) Etsi in genere fuisset vetitum talia opera sabbatis facere, tamen *Deus exceptionem ab hac lege positiva facere poterat.* Id quod ne ipsi quidem Iudaei ignorabant, sed v. g. in David agnoscebant. Cf. Mt. 12, 3. Cum ergo Christus miraculis aliis iam probaverit, se esse legatum Dei, imo talem, qui in omnibus ex nomine Dei ageret,

clarum erat, Deum a lege positiva exceptionem fecisse. Quod eo magis valebat, quia continuo licebat, sabbatis in templo ea opera servilia facere, quae ad cultum Dei necessaria erant. Miracula vero, quae Christus patrabat, ad cultum Dei quam maxime pertinebant. Denique Iesus professus est et probavit se esse ipsum Messiam, imo ipsum Deum. Iamvero Messias, ipse Deus legi Sabbati subiectus non est. Cf. Mt. 12, 1-8.

IMMERITO DEFECTUS SAPIENTIAE IN MIRACULIS CHRISTI STATUITUR.

58. *Ob. 6)* — Non pauci recentiores ita obiciunt: Decet in omnibus operibus divinis esse momentum quoddam, quod mores respiciat. Iamvero tale *momentum ad mores formandos pertinens omnino deest in iis miraculis, quae Christus non in hominibus, sed in aliis subiectis, voluntatis expertibus, patravit.*

V. g. *Schenkel*, (1) ultimam rationem, cur in eiusmodi miraculis nonnisi « miraculum providentiae Dei » admittat, eam reddit: « Si Iesus naturam omnipotentia divina imperio suo subiecisset, hoc imperium esset sine omni momento ad mores pertinente, eius persona ita esset absolute superhumana, ratione exemplaris destituta, ad quam nemo plane accedere auderet. At quanto sublimior est, quanto plus nos ipsos elevat Iesus, cum quamvis crescat periculum, quamvis periti nautae tremerent, quamvis desperaret gubernator, ipse securus est et securitate plenus agit, sancta cum gravitate punit, monet, erigit, — imago et exemplar et imperturbatae fiduciae in Deum et clarissimae praevisionis fati sui ».

Item Hase (2) statuit, v. g. dicendo: « Vis magica in naturam esset sine essentiali nexu cum fine Iesu ». Vim magicam autem eam habet, quae in eiusmodi miraculis in natura inanimata manifestabatur.

R. — Nego assertum.

a) Omnia enim miracula, etiam ea quae Christus in natura physica patrabat, referebantur ad gignendam virtutem theologicam fidei in iis, qui tali miraculo ut testes aderant, vel per eos de tali miraculo audirent.

b) Iesus iis *virtutibus, quae in patrandis etiam his miraculis exercet, exemplum se praebuit* tum omnium fidelium, tum speciatim eorum, qui aliquando eius nomine miracula patraturi erant. Exercet v. g. *misericordiam*, cum tempestatem sedat, etc.; *fiduciam*, cum etiam extraordinaria a Patre sperat. V. g. Io. 11, 42 ante resuscitationem

(1) Charakterbild Iesu p. 79 sq. — (2) Geschichte Iesu p. 550-2.

Lazari hac ratione Patrem alloquitur: « Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis ». Adiunge exempla *humilitatis, prudentiae*, quae in dispensandis his donis divinis extraordinariis monstravit. Cf. v. g. Mt. 12, 16-21.

c) Omnes alii fines religiosi, qui ab exemplo virtutum et a gignendo motivo credibilitatis abstrahunt atque quos in tractatu de revel. relig. in abstracto n. 74 p. 51 exposuimus, miraculis Christi splendidissima ratione obtinentur, praecipue cum docuerit, se ipsum esse Deum, qui per miracula tot et tam sublimibus modis manifestatur.

Propositio 14. Constat de veritate relativa miraculorum Christi.

Pars I. Thesis probatur ex ipsis verbis Christi.

59. Haec thesis est *applicatio theseos 18ae* e tractatu de revel. relig. in abstracto considerata. Vidimus enim eo loco, tunc constare de veritate relativa alicuius miraculi, si primo ipse legatus illud explicite vel implicite refert ad legationem Dei probandam, et si secundo aliunde non constat, Deum illud miraculum tantum ad alios fines referre, excluso illo quem legatus adducit. Atqui utraque conditio pro miraculis Christi obtinet. Ergo constat de veritate relativa miraculorum Christi.

Quaeri potest, *qua ratione miracula Christi demonstraverint* Christi *dignitatem* non tantum prophetae, verum etiam *Messiae*, *Dei*. De qua re praeclare Suarez.[1] E cuius doctrina haec accipe:

« .... Miracula Christi dupliciter considerari (possunt): uno modo ut coniuncta cum Scripturis et praedictionibus, quae de Messia erant; alio modo per se, sine coniunctione cum superioribus prophetiis, non aliter quam si illae non praecessissent. Et sub hac posteriori ratione adhuc possunt dupliciter considerari: vel *ut cadunt in assertionem Christi*, qui affirmabat se esse [prophetam et] Messiam et Deum, et in eius veritatis confirmationem talia miracula faciebat; vel *per se sola, ut sunt veluti effectus divinitatis sub illa humanitate latentis absque ullo alio principio....*

Dico primo: miracula Christi *per se sola, et cum nullo alio principio coniuncta*, etiam si evidenter vera esse cognoscerentur, *non erant sufficientia ad cognoscendum Christum esse Messiam aut*

(1) De mysteriis vitae Christi disp. 31 s. 2 ed. Paris. tom. 19 p. 484-7.

Deum; assertio est per se evidens, quia poterat Deus illa miracula facere per hominem purum, qui non esset Messias. Nam etiam Christus Dominus de discipulis suis dixit: Maiora horum facient, Io. 14....

Dico secundo: miracula Christi, ut coniuncta prophetiis quae de Messia erant, absque alia Christi testificatione suae divinitatis (et dignitatis Messianicae), evidenter ostendebant ipsum esse Messiam et Deum, dummodo et prophetiae intelligerentur, et crederentur, et veritas miraculorum evidenter cognosceretur.... (Id quod Suarez amplius evolvit. Ad nos autem haec consideratio hic non spectat).

Dico tertio: miracula Christi evidenter cognita, et *coniuncta testimonio ipsius Christi, qui asserebat se esse Messiam et verum Deum, et in eius confirmationem talia miracula faciebat*, convincere poterant Christum esse verum Deum, evidentia morali in testificante.... Fundatur enim haec evidentia in hac ratiocinatione: quidquid Deus sua auctoritate confirmat, est verum; sed id, quod Christus affirmabat, Deus sua auctoritate confirmabat; ergo erat verum; atqui affirmabat se esse Messiam et Deum; ergo vere ita erat... ».

A) Christus ipsis verbis suis miracula sua ad probandam legationem suam divinam retulit.

I. Omnia miracula sua simul sumpta.

Adducuntur verba Christi. — 1) *Io. 5, 36* Iesus Iudaeos ita alloquitur: « Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa *opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* ». Agit in eo sermone de eo miraculo, quo hominem e triginta octo annis infirmum sanaverat, de resuscitationibus mortuorum, quae patraturus sit (5, 20-21).

Ut narratur *Io. 10, 24* sqq., Iesus in festo encaeniorum ambulabat « in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudaei et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: Loquor vobis et non creditis; opera quae ego facio in nomine Patris mei, *haec testimonium perhibent de me*.... si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, quia Pater in me est et ego in Patre ». Loquitur de talibus operibus, qualia commemorat v. 32: « Multa bona opera (beneficia sita in miraculis, uti erat sanatio caece nati mox patrata) ostendi (exhibui) vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? »

Iesus de Iudaeis, qui sibi non crediderant, in ultima coena haec ait *Io. 14, 24:* « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, *peccatum non haberent;* nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum ».

Ad apostolos in eadem ultima coena haec verba dirigit, 14, 12-13: « Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin *propter opera ipsa credite.* Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio ». Quae apostolorum opera intelliguntur praecipue miracula potentiae Cf. Mc. 11, 17-18.

Iesus his verbis miracula sua ad probandam revelationem divinam per seipsum factam retulit. — Etenim his textibus

a) Agitur de *operibus qua motiva credibilitatis sunt.* Id quod ex ipsis verbis immediate patet.

b) Sermo est *de operibus miraculosis.* Id ex natura rei eruitur. Nam opera non constituunt motivum fidei nisi aut miracula sunt, aut effectus in universum boni ex fide provenientes. De his verba Christi intelligi non possunt, et ob alias rationes et ideo, quia apostoli atque credentes Christum in sanctitate nulla ratione superarunt. Dicit autem Christus: « Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet ». Hoc etiam ex eo concludendum est, quia haec opera vocantur talia, quae « nemo alius », scilicet ea specie atque numero, ante Christum fecit. Hoc continuo Christus eo inculcat, quia ea speciali modo ad Dei Patris potentiam reducit.

c) Intelliguntur praecipue *miracula in ordine potentiae.* Hunc esse modum loquendi Christi eruitur e c. 7, 21-23: « Respondit Iesus et dixit eis: Unum opus feci et omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, (non quia ex Moysi est, sed ex Patribus) et in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? » Loquitur de sanatione eius, qui a triginta octo annis infirmus fuerat. Idem ostendit contextus 5, 37; 10, 32. Porro generatim Christus prophetias a se editas et effectus a se in hac vita mortali degente in ordine sanctitatis productos ut motiva credibilitatis minus premit, miracula autem in ordine potentiae maxime inculcat.

d) Agitur *de miraculis in ordine potentiae physicae, quibus pro-*

xime testimonium Christi de se ipso probetur. Nam evidens est, miracula etiam maxima, non posse directe probare divinitatem eius, qui ea patrat, nisi supposito, eum se dixisse deum. Cf. Suarez l. c. n. 59. Concludit autem Christus miraculis se suam divinitatem demonstrare. Ergo.

Confirmatur argumentum ex Lc. 7, 19-23 (cf. Mt. 11, 2-6) « Et convocavit duos de discipulis suis Ioannes (Baptista), et misit ad Iesum, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis, quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me ».

His verbis Christus *a)* interponit ut motivum credibilitatis convenientiam eorum omnium, quae ipse faciebat et quae circa eum fiebant, cum prophetiis Isaiae de Messia, praecipue c. 35, 5; 61, 1. *b)* Attamen speciali modo ad miracula sua provocat, idque non solum eatenus, quatenus erant eventus cum prophetiis convenientes verum etiam quatenus erant miracula. Nam Iesus ea praecipue ut talia generatim inculcat. Porro ea fere sola ut eventus praedictos opere completos hoc loco exhibet. Denique praecipue propter ea populus credere solebat. Unde Christus supponendus est hoc loco ea opera praecipue premere voluisse, in quantum sunt miracula.

II. Quaedam miracula singillatim sumpta.

Cum quaedam singula miracula ut argumentum pro revelatione christiana afferimus, recordari convenit, ipsos Rationalistas solere concedere, vel unum miraculum, cuius quadruplex veritas certa sit, doctrinam legati cum certitudine probare.

Io. 11, 41, 42, De resurrectione Lazari: « Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti ».

Lc. 5, 23-25, De sanatione paralytici: « Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, et abiit in domum suam, magnificans Deum ».

PARS II. **Thesis probatur e modis, qui a verbis Christi abstrahunt.**

60. Hac parte theseos ea ad Christum applicamus quae in tractatu de relig. revel. in abstracto sumpta n. 101 de quacunque persona docuimus.

a) Christus ex una parte se dixit eum legatum Dei, qui solus in omnibus doctrinis suis revelatam religionem ab omnibus amplectendam referat. Ex alia parte Iesus modo omnino speciali insignitus erat dono miracula patrandi, sive ea miracula consideras, quae ipse fecit, sive id attendis, eum hanc facultatem etiam aliis largissime communicasse. Iamvero *dedecet Dei sapientiam, hominem qui talem legationem* sive ingenti cum crimine sive maxima cum stultitia falso sibi ascribit, *modo plane singulari constituere dispensatorem thesaurorum suae potentiae atque bonitatis.*

b) Deus, si modo plane singulari miracula patrando preces eius hominis exaudit, qui ob ipsam suam sanctitatem iure merito speciali confidentia a Deo dona maxime extraordinaria postulat, sine dubio talis hominis eximiam sanctitatem commendat atque approbat. Iamvero eximia sanctitas non habetur sine eximia sapientia. Eximia sapientia non stat cum eo errore, de quo hic agitur. Ergo *Deus, eo quod Christi sanctitatem miraculis comprobavit, indirecte illam doctrinam principalem Iesu agnovit,* qua se legatum Dei in omnibus suis doctrinis professus est.

c) Miracula Christi e *natura sua quam maxime alliciebant homines, ut eius doctrinam reciperent.* Etenim

α) Quam maxime ei *conciliabant reverentiam, amorem, quandam auctoritatis praesumptionem.* Reverentiam, cum eum talibus donis divinis ornatum viderent; amorem, cum his donis continuo uteretur non ad suam utilitatem, sed ad beneficia maxima populo suo conferenda; auctoritatis quandam praesumptionem, cum ob rationes sub n. *a* et *b* positas, tum quia pronum erat concludere, eum qui a Deo

electus erat, ut per eum manifestaret miram suam potentiam, ad id quoque electum esse, ut per eum miram suam sapientiam revelationibus propositis propalaret.

Deus exaudivit Christum sanctissimum, cum ea peteret, quae minoris sunt momenti, unde Patrem glorificaret, scilicet miracula. Ergo a fortiori Pater ei postulata concessit, cum ea peteret, quae maioris erant momenti ad Patris gloriam stabiliendam, scilicet revelationem veram humano generi deferendam. Iamvero Christus Io. 17, 17 haec gravissima a Patre petit: « Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est ». Hunc se hominibus deferre continuo professus est.

β) Miracula doctrinam Christi magnopere illustrabant atque usque adhuc illustrant. Doctrinam moralem eo quod praecipue in miraculis virtutes suas manifestat; doctrinam ad alias res religiosas pertinentem eo quod et natura sua et ratione typica quae in iis invenitur eas clariores reddebant.

γ) Miracula Christus ita patrat, ut *quoddam quasi praemium pro iis constituant,* qui doctrinam eius sive pie audiunt sive amplectuntur. Ita ea praecipue in iis patrat, qui ad doctrinas eius audiendas confluebant, vel qui a talibus ei offerebantur; quibusdam, uti panum multiplicationibus quasi remunerabatur auditorum constantiam; ea in iis patrare non solebat, qui nondum aliqualem fidem in eius legationem propheticam monstrabant, (cf. Mt. 13, 54-57); multa et splendida coram apostolis iam credentibus patravit.

Deus non revelavit, se cum Christo miracula patrante semper ob alios fines cooperaturum esse, etsi illi fines a probanda revelatione distincti essent, etsi Christus ea mendaciter vel erronee a finibus illis aliis, ad quos obtinendos unice ex suppositione destinata erant, ad probandam revelationem detorsisset. Neque aliunde, abstrahendo ab eo, quod revelatio de tali intentione Dei minime cognita est, ulla prudens ratio habetur, cur talis intentio Deo ascribatur.

Veritas relativa miraculorum Christi confirmatur auctoritate plurimorum. — Nam *a) Christiani omnium temporum* veritatem relativam miraculorum Christi certissimam habebant. — *b) Ii ipsi, qui contra argumentum e miraculis Christi haustum insurgunt,* aut veritatem historicam vel philosophicam vel theologicam negare solent, aut generatim infitiari, revelationem miraculis probari posse. Ipsa

autem veritas relativa, post admissam historicam, philosophicam theologicam, post admissum principium, generatim miraculis revelationem probari posse, nonnisi a parva parte adversariorum Christi negata est eique substituta est stulta fictio historica, de nomine Dei furto sublato, quo Christus miracula sua, sine ulla relatione ad suam legationem probandam, patrasset.

Propositio 15. **Nullum momentum habent quae praecipue recentiores ad convellendam veritatem relativam miraculorum Christi congerunt.** (1)

Adversarii recentiores paucis exhibentur.

61. *Loisy* inter plurima falsa, quae de Domino nostro docet, etiam hanc sententiam profert: « Iesus quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, *neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret* ». (2) Quae propositio est 29 inter eas quae Decreto « Lamentabili » damnatae sunt.

Quae sententia sane nova non est, sed iam e multis decenniis quasi in dogma quoddam apud multos acatholicos evecta erat.

Multi, qui *ipsa miracula admittunt*, tamen *negant*, *veritatem relativam* in iis inveniri. V. g. Iacobi asserit, « ea non spectare ad probandam doctrinam Iesu sed ad honores qui eius vitam sequi debebant ». (3) Simili modo v. g. K. Beth, (4) tantum concedit, ea partem facere activitatis, Messianicae atque esse indicia mundi renovati victique diaboli.

Plurimi *tum veritatem philosophicam (et theologicam), tum praeterea e specialibus rationibus etiam veritatem relativam* miraculorum Christi negant. Quae rationes ex eorum mente proinde etiam valerent, si de ratione miraculosa operum Christi constare posset. — Audiatur v. g. Harnack: (5) « Iesus miracula sua non ita uti rem decisivam proponit, uti iam evan-

(1) Diversas eiusmodi obiectiones et refutationem earum v. Deuzinger, Vier Bücher etc. p. 322-4. — van Weddingen p. 49-54. — Anton Seitz, Das Evangelium vom Gottessohn, Freiburg 1908 c. 2 § 8 p. 180-94. — Praecipue Kleutgen, Theologie der Vorzeit IV ² n. 176-80 p. 540-51. — Expositio larga positiva eaque doctissima Suarez, De mysteris vitae Christi disp. 31 ed. Paris. tom. 19 p. 480-98.

Ex adversariis v. v. g. Rousseau, Lettres écrites de la montagne, Part. 1 lett. 3. — Wegscheider, Institut. theol. ⁴ § 48 inter p. 208-15. — Renan, ch. 16. — Stapfer, o. c. p. 133, 142-8. — Sabatier, Esquisse p. 72. — Harnack, Wesen, p. 19. — Réville, Iésus de Nazareth ² II 1906 p. 73-8.

(2) Ita Loisy, Autour d'un petit livre p. 83. — (3) Die Geschichte Iesu für denkende u. gemütvolle Leser, 1816; apud Schweitzer p. 34. — (4) Die Wunder Iesu, 1906; cf. Bibl. Zeitsch. 1906 p. 212. — (5) Wesen des Christentums ² p. 18-9.

gelista Mc. atque caeteri omnes ». « Iesus de iis essentialiter aliter iudicavit atque evangelistae eius ». Quam assertionem argumentis eiusmodi probare nititur, qualia postea ei ascribemus. — Idem repetit suo modo Naumann.(1) Qui quamvis multa recta et pulchra de miraculis Christi tradat, tamen vim probativam non satis agnoscit. Qua ratione multi orthodoxi hodie agunt. — Ne ipso quidem tempore Christi ulli in mentem venisse ut e miraculis Messiam agnosceret, asserit Schweitzer.(2)

Haud pauci hodie ad *eam confusionem idearum* pervenerunt, ut asserant, miracula *non tantum non esse adiumenta fidei verum ea esse impedimentum omni alio maius,* quominus religio Christiana a nostri aevi hominibus assumi possit. Ita v. g. Pfleiderer:(3) « Eo tempore, quale nostrum est, in quo analogia experientiae tantam vim in animos adepta est, dici potest: Narrationes de miraculis non tantum non sunt medium ad fidem, sed durissimum additamentum ad fidem atque pro multis scopulus, ad quem fides eorum christiana appellatur. Unde negari non potest, maiorem partem fidelium hodie non propter miracula credere sed non obstantibus miraculis. Ex quo sequitur, miracula pro nobis, qui nunc vivimus, nullam vim probandi habere ».

Idem in Gallia docet E. Ménégoz,(4) qui Symbolo-Fideismo adhaeret: « Quant aux récits miraculeux, ils peuvent avoir, à l'occasion, une valeur apologétique. C'est manifestement leur but. Mais dès qu'ils ont cessé de répondre à ce but, il pourrait y avoir danger à s'en servir, et l'on méconnaît leur caractère en se croyant tenu d'en faire l'apologie ».

Attenuarunt vim probandi uti miraculorum in genere ita in specie miraculorum Christi etiam quidam Catholici, qui aut generatim criteriis internis plus aequo insistunt aut Neo-Kantianismum quendam profitentur.

Rationes, ob quas adversarii suae falsae assertioni adhaerent.

Falsa assertio adversariorum primo idque praecipue e praeiudiciis pseudophilosophicis oritur. — At secundo praeterea eam fulciunt plurimis rationibus specialibus ad ipsam religionem christianam spectantibus. E quibus plurimae ex iis hauriuntur, quae ipse Iesus sive dixit sive egit sive agere omisit. Aliae e paritate, ex similibus aliis rationibus universalioribus hauriuntur. — Rationes universales pseudophilosophicae data opera reiectae sunt in tractatu de revel. in genere.(5) Nos eas solas rationes consideramus, quas tertio loco enumeravimus, easque ita divisas, uti insinuavimus.

(1) Die Wertschätzung des Wunders im Neuen Testament, Leipzig 1903 p. 76. — (2) P. 369. — (3) Wesen der Religion, 1869 p. 396. — (4) La notion biblique du miracle, ultimis paginis. Eadem proponuntur in opere eiusdem: Publications diverses sur le Fidéisme, Paris 1909 II v. g. p. 172. — (5) N. 102 p. 75-7.

Pars I. Difficultates ex iis quae Iesus sive dixit sive egit sive agere omisit.

Christi verba.

62. *Ob. 1)* — Dominus Io. 7, 17 ait: « *Si quis voluerit voluntatem eius (Patris) facere, cognoscet de doctrina mea*, utrum a Deo sit an ego ex me ipso loquar », i. e. e mente Christi obedientia erga Deum est motivum credibilitatis. Ergo miracula non sunt eiusmodi motivum credibilitatis. — R. C. textum, nego aut primam aut secundam sententiam consequentem recte ex eo deduci. — Expl.:

a) Etsi in textu esset sermo de aliquo motivo credibilitatis, tamen minime sequeretur, miracula non esse motivum credibilitatis. Num forte eo quod unum certum motivum credibilitatis statuitur, omne aliud negatur? Ita motivum credibilitatis utique in miraculis constituitur, at etiam v. g. in prophetiis.

b) Nego in textu omnino esse sermonem de ullo motivo credibilitatis. Non agitur de medio obiectivo ex quo prius cognito concluditur ad revelationem divinam ut ex signo quodam seu argumento, sed agitur *de conditione subiectiva ad cognitionem divinae missionis Christi*, quae conditio si adest, Dei bonitas certissime iuvabit hominem, ut propositum argumentum obiectivum recte diiudicet.

Hoc primo sequitur ex ipsa *forma textus*: « si », quae nihil plus dicit. — Deinde haec est *auctorum* magnorum tum exegetarum tum dogmaticorum explicatio.[1] — Tertio congruit cum hac explicatione, Dominum *aliis in locis* eandem doctrinam premere: « Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis? » Scilicet cum alta saperent atque humilitas Salvatoris non terrena sed coelestia pollicentis minime iis placeret, hac dispositione impediebantur, quominus debite in ipsa motiva credibilitatis pro eius missione inquirerent. — Quarto demum haec explicatio etiam eo innuitur, quod Dominus *immediate postea adiungit aliquod motivum credibilitatis*, scilicet *auctoritatem suam humanam*, saltem quoad unum auctoritatis elementum, scilicet quoad veracitatem: « Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit, qui autem quaerit gloriam eius qui misit eum, hic verax est et iniustitia

(1) V. g. Knabenbauer, Io.[2] ad l. p. 266-7. — Toletus, ed. Lugd. 1589 p. 469-73. — Kleutgen Theologie der Vorzeit IV[2] p. 350.

in illo non est ». « Non est contentus Dominus, causam cur doctrinam eius Iudaei non cognoscant aperire, et simul modum cognoscendi tradere, quae in superiore sententia fecit, sed probat doctrinam suam Dei esse, ut ex probatione etiam ipsi id intelligant ».

Minus recte dicitur, *hoc loco* esse sermonem de aliquo motivo secundario credibilitatis, quod est in experientia bonorum fructuum doctrinae, pacis internae, quam adipiscitur is qui eam secutus est, etc. (1)

Ob. 2) — *Quod quis vult reticeri, id non vult habere rationem signi* pro doctrina sua. (2) Atqui Christus saepe iubet miracula sua taceri. Ergo.

R. (3) — Dist. ma.: Quod quis vult reticeri, id non vult habere rationem signi pro eo, quem id celari vult, atque eo tempore quo id celari vult, c.; pro *caeteris, vel pro eo ipso, quem id celari vult, saltem postea*, n. Contradist. min.: Iesus iubet quaedam pauca miracula ex innumeris, quae patravit, certo quodam tempore coram certis quibusdam hominibus abscondi, c.; omnia miracula sua pro omni tempore vel ullum hominem celanda iussit, n.

Expl. — *Sex sunt textus de quibus agitur.* Prius singulos proponimus atque ad singulos responsa iis propria apponimus, id quod exegetae recentiores praeferunt. Deinde responsa quaedam generalia dabimus, qualia fere e mente exegetarum veteriorum sunt.

Singuli textus cum responsis, quae singulis propria sunt. — *Mc. 1, 43-45* (Mt. 8, 2-4) leproso sanato iniungitur: « Nemini dixeris! » — At simul additur: « Ostende te sacerdotibus et offer pro mundatione tua quae praecepit Moyses in testimonium illis ». Unde generatim concludunt, illud miraculum non tantum non celari a Christo, sed magna quadam vi imponi ut sacerdotibus manifestaretur. Forte Iesus eo tempore ipsius populi commotionem evitare volebat. (4)

Mc. 5, 43. (Lc. 8, 56) praecipit parentibus, ne resuscitationem filiae propalarent! — At eodem die ipse Christus in causa erat, ut miraculum in haemorrhoissa patratum notum fieret. Nam cum illa, cuius sanatio plebi ignota erat, tactu vestimento eius sanata esset, « statim Iesus,

(1) Id quod Mald. ad l. probabile habet. — (2) Cf. ex adversariis prae omnibus Wrede, Das Messiasgeheimniss in den Evangelien, Göttingen 1901 p. 33 — Sabatier, Esquisse p. 72. — (3) Cf. Wilmers n. 325 *a.*; Knabenbauer ad singulos locos obiectos. In quibus positive explicandis diversi diversa sentiunt. — (4) Cf. idem, Mt. in l. p. 65, 311-2.

in semetipso cognoscens virtutem, quae exierat de illo, conversus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? » Quae cum omnem veritatem confessa esset, coram omnibus audivit: « Fides tua te salvam fecit » Mc. 5, 30-4. Porro ipse Iesus filiae demortuae patrem ad fiduciam de miraculo impetrando excitavit dicens: « Noli timere, tantummodo crede » Mc. 5, 36. Forte noluit magnitudine miraculi inusitati ipsos adversarios ad nova odia tunc commoveri. Etenim iam tum temporis contra Iesum conspiraverunt. Cf. v. g. Mc. 5, 6. (1)

Mc. 7, 36 sermo esse videtur de sanatione in decapoli. Ibi vero, utpote in regione, in qua incolae maiorem partem ethnici erant, (2) miracula tantum exceptionis loco facta esse videntur. Unde Christus noluit illo miraculo divulgato alios ad petenda miracula excitari. (3)

Mc. 8, 22-6 (4) aut intelligitur Bethsaida Iulias in Gaulanitide aut Bethsaida aliud prope Capharnaum. Si illud, habes regionem magis paganam, atque ita redit ratio, quam mox diximus; si hoc, habes oppidum incredulum, in quo Iesus ob incredulitatem incolarum plura miracula patrare noluisse merito censetur. Id quod certe iusta quaedam poena pro ipsis erat. (5)

Mt. 9, 30. Eodem tempore vetuit ne caeci propalarent miraculum, quo parentibus filiae Iairi simile praeceptum imposuerat. Ergo forte eadem ratio specialis aderat, quam ibi probabilem esse diximus. (6)

Mt. 12, 15-6. Iesus non vetat quominus ipsa miracula in se narrentur, sed quominus ii, qui eo tempore sanabantur, dicerent, ubi esset. Volebat enim latere, cum immediate ante « pharisaei concilium fecerant adversus eum, quomodo perderent eum ». Simul invidiam pharisaeorum eo tempore evitare volebat.

Rationes generales ob quas Deus aliquando talia praecepta dare potuerit, hae sunt: — *a)* Exemplum humilitatis. Hoc praecipue veteres exegetae inculcant. (7) — *b)* Prudentia, qua impedire volebat, quomi-

(1) Cf. id. in Mc. p. 154. — (2) Cf. Schürer, Geschichte[3] II p. 148. — (3) Cf. B. Weiss p. 119; Knabenbauer p. 202, ubi premit, eodem tempore Iesum plurimos publice sanasse, Mt. 15, 29-30. Etenim quibusdam hebdomadis ante secundam multiplicationem panum in Dekapoli versatus erat. Ii vero quos immediate ante sanabat, qui plurimi erant, magnam partem videntur fuisse ethnici. Cf. Fonck p. 411. — (4) Cf. Knabenbauer ad l. p. 215-6. — (5) Porro attendendum est, lectionem meliorem habere : ne eas in vicum ; de silentio imposito sermo non est. Cf. Tischendorf, ed. 8 maior. — (6) Cf. Knabenbauer I p. 361. — (7) Cf. iam Euseb., Demonstr. evang. l. 9 G 22, 703. — Cf. etiam ib. 666. — Quam rationem illustrat factum simillimum, Sanctos

nus ante tempus a se praevisum et a Patre praedicationi determinatum, odium pharisaeorum in tantum cresceret, ut ante tempus determinatum eum e vivis tollerent. — *c)* Aliquando movere poterat studium, ne excitatio populi nimia oriretur atque in politicam excresceret. — *d)* Ratio quam habebat diversorum officiorum suorum. Inter quae praecipuum quendam locum occupabat ratio doctoris maxime ipsorum apostolorum. Unde aliquando itinera cum iis instituit, in quibus caeteris absconditus remanere volebat. Accedere potest, quod aliquando orationi vacare volebat. Denique caritas eum impellere poterat, ne adversariis certis occasionibus ansam praeberet peccati etiam gravioris, propter spreta etiam plura vel clariora signa suae divinae missionis.

Ob. 3) — Quod quis reprehendit, non vult. Atqui *Christus reprehendit fidem ex miraculis haustam.* Ergo eam miraculis producere non vult. — Prob. min: 1) *Io. 4, 48* Iesus, consentientibus omnibus, reprehensionem profert, cum regulo dicit: « *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* ».[1] — 2) « Dixit ei (Thomae) Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti; *beati qui non viderunt et crediderunt* ». Unde damnandi pronuntiantur, qui viderunt et crediderunt. *Io. 20, 29.*

R. — Dist. min.: Christus reprehendit eos, qui propter miracula visa motivum credibilitatis formant, n.; *reprehendit eos, qui sive ob alia credibilitatis motiva non prompte crediderunt vel credere parati non erant, vel eos qui credibilitatis iudicium tantum ob ea miracula formant, quae ipsi oculis propriis viderunt,* ob ea vero illud formare omittunt, quae e relatione historica fide digna receperunt, c. — Expl.: *Quoad Io. 4, 48.* Sunt auctores qui putent, Christum premere, non debere homines postulare, ut ipsi videant suis propriis oculis miracula facta; eos Galilaeos debuisse credere, quia sufficienti certitudine audiverant, Christum vera miracula ad probandam legationem suam patrasse.

At hoc minus convenit cum eo, quod Io. v. 45 dicit: « Cum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, cum omnia vidissent, quae fecerat Ierosolymis in die festo; et ipsi enim venerant ad diem

solitos esse abhorrere ab eo ut miracula sua propalarentur. Cf. Bened. XIV, De serv. Dei beatif. etc. l. 3 c. 23 n. 9 exemplum S. Ludovici Bertrandi proponit; l. 3 c. 24 n. 55 eandem rem data opera tractat. — Th. 3 qu. 44 a. 3 ad 4. — (1) Cf. v. g. Wolfenbütt. Fragmente, Von dem Zwecke Iesu etc. § 46; impr. Reimer[5] 1895 p. 98. — Harnack, Wesen, p. 19. — Generatim adversarii miraculorum Christi.

festum ». Porro quidam, uti Schanz, Fonck observant, si is sensus esset, vocem ἴδητε priori, eminentiore loco ponendam fuisse. Sunt qui putent, Christum premere, Galilaeos ob alia motiva, etiam miraculis non attentis, credere debuisse. Etenim iam v. g. Ioannes Baptista, ut propheta agnitus, clarum testimonium de Christi legatione dederat.(1)

Quoad Io. 25, 29. — Hic locus certe nostrae doctrinae non opponitur. Quis autem sit sensus, qui eo exprimitur non inter omnes convenit.

Praecipue duplex eius circumfertur expositio, quam breviter exponere iuvat.

Una, quam v. g. praefert Toletus,(2) statuit, *obiectum actus credendi qui commemoratur, esse resurrectionem, « credere » autem hoc loco dici sicut saepe generaliori modo, de omni assensu*, sive ille « fit ex fide sive ex scientia sive ex experientia ». Statuit ergo Toletus hunc sensum: « Quia vidisti me, habes nunc persuasionem me resurrexisse; beati qui non viderunt me resuscitatum, et tamen resurrectionem meam assumunt », v. g. ex fide. — Si haec interpretatio admittitur, nullus locus est difficultati adversariorum; etenim de veritate historica resurrectionis assumenda sermo esset, nullo vero modo vero de veritate eius relativa ageretur.

Alia interpretatio haec est: « *Quia vidisti resurrectionem meam, credidisti meam divinitatem*, uti mox e tua confessione audivi; beati, qui meam resurrectionem non viderunt, et tamen meam divinitatem credunt ». Haec est interpretatio v. g. S. Augustini, Gregori, Thomae, et forte hodie est communior. In ea sola difficultas adversariorum locum habere potest. Hac ergo interpretatione supposita sic dico:

a) Falsum est, eos damnari, reprehendi, qui propter visam resurrectionem crediderunt, quam interpretationem iam reicit Toletus.(3) Tantum magis laudantur ii qui credent quin viderint, quam ii qui crediderunt quia viderunt. Est Hebraeismus in hac locutione; utuntur enim Hebraei saepe positivo loco comparativi. Cf. v. g. 1 Cor. 7: « bonum est, si sic permanserint ». Postea: « beatior est, si sic permanserit ». Ita omnes exegetae.

b) Beatiores ergo quam Thomas ii dicuntur, qui credunt, quamvis hoc motivum credibilitatis non ipsi viderint. *Qua via hi ad fidem perventuri sint, Dominus his verbis non immediate edicit.* Certe autem

(1) Prior expositio v. g. Toletus ad l. — Kleutgen l. c. p. 349 Secunda expositio v. g. S. Th. 3 qu. 43 a. 3 ad 3. Miraculis visis eos perfectius credidisse. — Fonck o. c. p. 102-4. — Knabenbauer in Io. ² p. 192. — (2) Ad l. ed. 1589 p. 382-3. — (3) L. c. p. 382.

non contradicit iis, quae toties de veritate relativa miraculorum suorum dixerat. Videtur Dominus magis beatos praedicare eos, qui credunt propter resurrectionem aliaque miracula ut motiva credibilitatis, quae *non viderunt, sed tantum e relatione fide digna audierunt.*[1]

Quae maior laus non utique in eo reponenda est, quo visio et auditio eiusdem facti physice inter se differunt, sed in eo, quod *ad ipsam certitudinem illam historicam de miraculo habendam iam suo modo concurrit libertas humana.* Posset scilicet homo, timens ne, de motivo credibilitatis certus factus, ad fidem eiusque gravia onera admittenda perducatur, a sincera facti historici consideratione, atque ab assensu in illud mentem suam cohibere. Quod cum non facit, sed reverentia atque amore revelationis divinae impellente in seria inquisitione pergit usque dum ad certitudinem pervenerit, sane ab auctore fidei, Deo suo, laudem meretur.

Ob. 4) — Verbis, de quibus antea thesi 7 n. 38 p. 63 egimus: « *Et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae* », saltem hoc continetur, caetera miracula praeter resurrectionem, etsi facta miraculosa esse concedantur, tamen non habere rationem signi ad firmandum testimonium Iesu de se ipso. Ita plurimi.[2] — Pro responso cf. quae l. c. diximus.

Christi facta quaedam.

63. *Ob. 5)* — *Christus praesupponit fidem* in legationem suam ut conditionem sine qua non miraculorum suorum. Ergo eam miraculis producere non vult.

R. — Dist. antec.: Christus supponit fidem in legationem suam *in omnibus hominibus, in quibus eam miraculis suis producere voluit, n.; in iis in quibus miracula patravit, subdist.: in omnibus, n.; in quibusdam,* iterum subdist.: et tunc praesupponit in iis fidem *eandem, quam producere vult, n.; diversam* sive secundum id quod credendum proponit, sive secundum motivum credibilitatis iam habitum, sive secundum intensitatem, sive secundum plura ex his, *c.*

Ob. 6) — *Christus religionem suam fundavit super remissionem peccatorum, super legationem suam, super persuasionem paterni amoris Patris, etc.* Ergo eam non fundavit super miracula.[3]

(1) Cf. Kleutgen l. c. p. 350. — (2) V. g. hodie iterum Sabatier o. c. p. 72. — (3) Ib.

R. — Christus super ea quae in antecedente commemorantur, fundavit religionem suam *ut super motiva credibilitatis* testimonii, quod de se ipso reddidit, *n.;* ea erant religionis suae *sive praeambula sive finis sive speciales doctrinae, c.*

Ob. 7) — Iesus non aedificavit religionem suam super rem, cuius momentum pro fide tantum exiguum putavit. Iamvero ita consideravit miracula.

R. — Dist. min.: Iesus consideravit miracula *ut rem minoris momenti quam ipsam fidem, c.*, erant enim ei tantum medium quo homines ad fidem atque per fidem ad spem atque caritatem perduceret; Iesus consideravit miracula *non ut utilissima imo necessaria* ad hunc finem, subdist.: ea non consideravit ut absolute necessaria, c., sunt enim v. g. etiam prophetiae luculentissima motiva credibilitatis; non ut quodam modo *moraliter* necessaria n. — Talem moralem necessitatem forte significant verba illa Christi Io. 15, 24: « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent ».

Quae Iesus agere omisit.

64. *Ob. 8)* — Si Iesus operibus suis suam missionem probare voluisset, isque finis primarius eorum fuisset, sane *semper, quando ei physice possibile erat, miracula patrasset.* Atqui tantum abest ut numerum miraculorum quantum poterat augeret, ut saepe ea patrare renueret.

R. N. ma. — *Unum miraculum debitis sub conditionibus iam sufficeret* ad revelationem probandam. *De facto* vero Iesus et ob alios fines et ob facilius reddendum testimonium pro sua legatione miracula *plurima* patravit. Ipsa enim multitudine fit, ut facilius constet de veritate illa quadruplici, quam ad valorem probativum miraculi necessariam esse in tract. de revel. relig. in abstr. ostendimus. Cf. argumenta nostra.

Certi autem limites ipsi patrationi miraculorum *imponi* non tantum poterant verum etiam *debebant.* Ac primo quidem, quia non potest assignari numerus, qui absolute excedi a Iesu non potuisset. Ergo in omni suppositione sistendum aliquando erat. — Secundo, sapientia postulavit, ut Iesus haberet rationem omnium munerum suorum, non vero tantum eius officii sui, ut miraculis praedicationem

(1) Ita plurimi hodie. Quos v. n. 61 p. 114.

suam firmaret. De qua re cf. quae n. 62 ob. 2 p. 119 dicemus. — Omitto alia.

Ob. 9) — Si Christus miraculis suis religionem suam probare voluisset, *miracula maxima patrare debuisset.* Atqui hoc non fecit.

Eiusmodi cogitatio forte subest verbis quorundam *ethnicorum*, qui miracula Christi ridebant, quia paucae quaedam sanationes sint.[1] Non ex animo ut videtur, sed ut a S. Augustino de hac re instrueretur, huiusmodi ideam expressit Volusianus: « Sed nulla competentibus signis claruerunt tantae maiestatis (Christi) indicia: quia larvalis illa purgatio, debilium curae, reddita vita defunctis, si et alii considerantur, *Deo parva sunt* ».[2] Cur v. g. non alium mundum creavit?

R. — *a) N. ma.*, posse a priori dici, Iesum ad hunc solum finem ut se legatum Dei demonstraret, debuisse ea miracula patrare, quae sunt maxima in ratione operis effecti. Etenim Iesus miracula patravit primario ut essent signa. Signa autem sunt non in quantum in se opera Dei magna sunt, sed in quantum extraordinaria, praeter cursum ordinarium mundi reperiuntur. Maius quid in ratione operis effecti est id quod Deus facit, quando in hoc ordine rerum homo concipitur, quam id quod fecit, quando Iesus febrim socrus Petri subito sanavit. Ibi enim habetur creatio animae, quae est substantia spiritualis, hic forte simplex effectio accidentis, quaedam corporis mutatio. Et tamen ibi nulla ratio miraculi habetur, hic miraculum patrabatur.

b) Attamen, si omnia in concreto consideramus, utique *ob alias rationes decere videbatur, Iesum etiam in ratione operis res magnas efficere.* Cf. rationes n. 55 p. 100-2. Atque *de facto* ipsa quoque operum magnitudo in eo habetur. Nam primo ipse *numerus* miraculorum Christi maximus est, maxima quoque *varietas* operum, unde divinum dominium in omnia, regna naturae ea varietate significatur. Addit vero S. Augustinus, quamvis prophetae etiam mortuos suscitaverint, Iesus « tamen et *aliquid proprium* facere debuit: nasci de virgine, a mortuis resurgere, in caelum ascendere. Hoc Deo qui parum putat, quid plus exspectet ignoro ».[3]

Ut autem Iesus *novum mundum vel similia* faceret, ex ordine providentiae esse non poterat. Erat enim ad id deputatus, ut in hoc ipso mundo

(1) Cf. v. g. Euseb. c. Hieroclen c. 2 G 22, 797. — (2) Inter ep. Aug. ep. 137 ad Volus. c. 4 n. 13 L 33, 521. — (2) Cf. Ferrariensis, Com. in S. c. Gent. ad l. 3 c. 101. — (3) L. c. col. 522.

*

exsistente multiplici fungeretur officio. « Quia ergo non oportebat ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo ». (1)

Caeterum si eiusmodi opera fecisset, *num ei ideo creditum esset ab iis, qui ad res revelationis animum serio applicare nolunt?* » Homo enim de virgine procreatus, et a mortuis in aeternam vitam resuscitatus, et super coelos exaltatus, potentius fortasse opus est quam mundus. Hic forte respondent, se factum hoc esse non credere. Quid ergo fiat hominibus, qui minima contemnunt, maiora non credunt? Reddita vita defunctis, ideo creditur [— i. e. admittitur ut factum] quia fecerunt alii, et parum est Deo [secundum adversarios, atque proinde iis ad fidem se moveri non sinunt]; caro propria de virgine creata et a morte in aeternam vitam super coelos levata, *ideo non creditur, quia nemo fecit, et competit Deo.* Ac per hoc quae sibi quisque facilia non factu, sed captu, putat, aequo animo accipit; supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Noli eis esse similis, obsecro te ». (2) — At nonne quae S. Doctor hic graphice describit, nostri aevi vitium est? nonne, ut saepius diximus. secundum hanc normam historica « miracula » a non historicis sed fictis narrationibus distinguunt?

Ob. 10) — Si Iesus miraculis ad fidem movere voluisset, *miracula in ratione ipsius miraculi clarissima patrasset,* non vero eiusmodi opera, de quorum indole miraculosa iam ab ethnicis disputatum est hodieque docti tam universaliter dubitant. Cur non addidit membrum v. g. brachium ad corpus, quod eo orbatum erat?

R. — *a)* Si Iesus finem quem diximus, obtinere voluisset, debuisset eiusmodi miracula patrare, quibus visis *ne physica quidem possibilitas maneret dubitandi* num viribus naturae perfecta sint necne, *n.:* quibus visis *homines bonae voluntatis facile certitudinem de eorum veritate philosophica acquirere* posse debebant, c.

b) De facto tamen adsunt *miracula eius evidentiae* qualis ab adversariis desideratur. Etenim num minus est, corpus integrum quod iam corrumpi coeptum est, iterum organizatione donare, quam ad corpus unum membrum quod deest adicere? Nonne subitanea sanatio a lepra eiusmodi sanatio a morbo organico est, in qua subito milliones cellularum redintegrantur atque adiciuntur? Nonne praeterea multiplicatio panum, mutatio aquae in vinum tam evidenter miraculosa est, ut hodie ob hanc ipsam evidentem rationem miraculosam, eorum factorum veritas historica perfracte negetur?

Ob. 11) — Hermann Schell (3) ea habet quae forte similia sunt:

(1) Ib. n. 14 col. 522. — (2) Ib. — (3) Apologie des Christentums [4] I 1901 p. 356-7.

« Christus ipse ergo *non vult necessitare ad fidem mediante miraculo ;* hoc reicit ut daemoniacam tentationem.... Revelatio ipsi miraculo tantum eatenus pondus attribuit, quatenus illud cum integra (religione christiana) cohaeret. Ita capitur modus quo Iesus se erga miracula habebat, atque praecipue *cur,* petentibus scribis ad demonstrationem veritatis *renuerit patrare miracula* de coelo, i. e. miracula *indubia.* Mt. 16, 1-4 ; Lc. 11, 16, 29 ; 12, 38 ».

R. — Nego *assertum Iesum ideo miracula indubia patrare noluisse, ne ad fidem necessitaret.* Etenim « indubia » miracula aut intelliguntur ea, circa quae, etsi dubium imprudens exsistere possit, *tamen dubium prudens exclusum sit ;* aut intelliguntur ea, circa quae *ne physica quidem possibilitas dubii remaneat.* — Priore modo si rem intelligis, falsum est, Iesum talia miracula non patrasse, aut eum petitionem ut eiusmodi miracula patraret habuisse ut tentationem diabolicam. Secundo modo si rem intelligis, falsum suppositum habes, scilicet miraculo etiam physice evidenti fidem necessitari. Necessitaretur in tali casu iudicium speculativum credibilitatis. Docent autem hodie generatim theologi, non obstante stricta evidentia attestationis de facto locutionis divinae, tamen ipsam fidem theologicam liberam manere. — Quid textus adductus sibi velit vidimus n. 38 p. 63.

Ob. 12) — « Iesus miracula operatus est etiam ad fundandam atque firmandam fidem, at *non ad superandam oppositam persuasionem fidei de aeterno valore legis caerimonialis.* Lc. 10, 17 ». Ita Schell.(1)

R. — N. assertum. Ad probationem : *a)* Textus citatus « Facilius est autem coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere » *nequaquam docet aeternum valorem legis caeremonialis,* uti suo loco explicatur. Unde ea persuasio erat quidem opposita doctrinae Christi et fidei quam fundare volebat. at ea non erat aliqua « persuasio fidei » sed *opinio humana falsa.*

b) Etiam ad eam falsam opinionem e mentibus eradicandam Iesus certissime sua miracula retulit. Etenim ea retulit ad id ut probaret testimonium quod de se ipso reddebat, scilieet *omnem suam doctrinam actoritate divina fulciri.* Cf. prop. 1. In hac autem doctrina etiam ea veritas continebatur, legem caeremonialem veterem abolendam esse. Id quod alibi demonstratur.

(1) O. c. p. 357.

PARS II. **Difficultates ex aliis capitibus.**

65. *Ob. 13)* — « Si *vel unum* miraculum publice, modo apto ad persuadendum qui porro negari non posset, a Iesu in diebus festivis primariis factum esset, *homines ita dispositi sunt, ut omnes ei se adiunxissent* ». Ita Reimarus.[1] Certo certius saltem dici debet: Si in omnibus istis splendidissimis miraculis veritas tum historica tum philosophica, tum theologica, tum relativa inveniri potuisset, omnes homines ei credidissent atque hodie ei crederent. Atqui nequaquam omnes ei crediderunt. Ergo.

R. — *a) Responsum indirectum ad hominem,* quod saltem pro iis valet, qui se Christianos profitentur: *α)* Si haec difficultas valeret, profecto probaret, Christum (vel ecclesiam aliosve homines post Christum) ne unum quidem argumentum solidum suae legationis attulisse. Nullo enim motivo omnes sunt permoti. Cur ergo ii, qui ita obiciunt Christiani sunt? — *β)* Si hoc argumenti genus staret, quot veritates certae falsitatibus vel propositionibus dubiis adnumerandae essent?

b) Responsum directum. — Si omnes conditiones pro vi probativa miraculorum Christi adfuissent, omnes eius verbis, utpote legati Dei *fidem theologicam adhibuissent, n., ea enim libera est;* omnes sibi saltem formassent *iudicium credibilitatis*, subdist.: etiam ii, qui, influente mala voluntate seu passionibus humanis, *motiva credibilitatis aequo animo perpendere nolebant, n.; caeteri, c.* — De rationibus cur maior pars Iudaeorum Iesu non crediderint cf. Suarez l. quem n. 59 p. 108 citavimus. Porro dif. 1 n. 62 p. 116.

Ob. 14) — Schell[2] haec habet: « Exspectari deberet, in disceptationibus de iure atque legatione Iesu momentum principale positum fuisse in criteriis externis: in miraculis atque testimonio prophetico. At ipsa miracula ob sabbatum violatum plerumque erant occasio ad modum procedendi hostilem hierarchiae iudaicae. Alias miracula uti argumenta decisiva haberi solent. Etenim independentia sunt a factionibus. Etiam videntur esse argumentum omnium optimum erga eos qui auctoritatem spiritualem habent. At *evangelium nos docet, miracula ne ad hoc quidem suffecisse, ut demonstretur ius Iesu, cum sabbatis miracula patrare posse* ». Videtur ergo docere auctor: Miracula

(1) O. c. — (2) Christus, Mainz 1903 p. 100.

Iesu non erant argumentum decisivum; nam non sufficiebant ad demonstrandum ius Iesu ut etiam sabbatis sanaret.

R. — Argumentum e miraculis Iesu haustum non sufficiebat *ob defectum argumento intrinsecum* seu ob defectum efficaciae quam eiusmodi miracula connaturaliter in homines bonae voluntatis exercebant, *n.;* non sufficiebat *ob malam voluntatem* atque hypocrisim *eorum qui rem debite considerare nolebant, c.* — Cf. de vi decisiva, quam argumento e miraculis ipse Christus ascripsit v. g. Io. 15, 24.

Ob. 15) — Si Christus tot miracula patrasset ad fidem in se gignendam, *etiam hodie idem maximus numerus a Deo pro fide christiana patraretur.* Eadem enim est excellentia fidei, idem certe etiam amor Dei quo nunc nos complectitur atque is est, quo olim Iudaeos complexus est. Iamvero hodie saltem multum decrevit numerus miraculorum. Ergo neque miracula Christi videntur habuisse eum finem ut iis fides firmaretur.

R. — *N. assertum eiusque triplex falsum suppositum.*

a) Primum *falsum* suppositum est, posse a priori demonstrari, Deum omni aetati debere dare omnino *aequalia media ad salutem.* Omnibus sufficientia dat, imo abundantia, absolute aequalia, p. pr.

b) Secundum suppositum *falsum est*, etiamsi aliquo tempore minora essent externa motiva credibilitatis, ideo etiam necessario diversam esse facilitatem in formando iudicio credibilitatis. Etenim ea facilitas non tantum dependet ab argumentis obiectivis, verum etiam a dispositione subiectiva, qua argumenta illa obiectiva facilius intelligantur atque promptiore animo admittantur. Iamvero ea maior facilitas atque promptitudo gratia divina interna plurimum promoveri potest.

c) Tertium quoque suppositum *falsum* esse videtur, scilicet, si ipsa externa motiva credibilitatis respicimus, *deteriorem esse nostram conditionem* atque erat Iudaeorum conditio. Quaedam, quae suo modo ad motiva credibilitatis spectant, desunt nobis, praesto erant illis; multa motiva nobis atque illis communia sunt; multa nobis solis praesto sunt. E multis, quae dici possent, pauca:

a) Commune est, et isto et nostro tempore multa miracula patrata esse. Nam etiam hodie multa fiunt, v. g. in Lourdes. Communia et ipsis et nobis, sunt Christi ipsius miracula, prophetiae Christi aliaque motiva credibilitatis, v. g. vaticinia de Messia. Nam decursu saeculorum ista miracula, vaticinia, vim suam probandi nequaquam amiserunt.

β) Nobis solis praesto est, ut e multis quaedam afferam, v. g. perspicientia integrae seriei prophetiarum de Christo eiusque opere, ecclesia, e qua serie nunc multo plura a nobis completa videntur, quam tunc temporis videbantur. — Nobis solis ob oculos versatur miraculum morale seu potius infinita quasi series miraculorum moralium, quae in ecclesia catholica eiusque uberrimis per orbem fructibus in decursu saeculorum splendebant atque hodie adhuc splendent. — Nobis solis fulget ille ordo, quo res omnes ante Christum atque post eum ad Iesum ut quasi ad centrum suum referuntur. — Nobis solis lucet illa mira sapientia, quae vastissimum, ordinatissimum, sublimissimum dogmatis universi christiani atque catholici systema pervadit, etc.

γ) Illis solis praesto erat is influxus, qui a Christi externa specie atque mira sanctitate in animos eorum, qui bonae voluntatis erant, se transfudit; experimentalis cognitio de cumulo illo miraculorum; testistimonium propheticum Ioannis Baptistae ipsis sensibus eorum admotum, similia.

Ob. 16) — Etiam alii homines miracula patrarunt, quin eorum religio ideo admittatur divinitus approbata. Ergo a pari e Christi miraculis non sequitur, eius doctrinam, quam ut revelatam proponebat, vere talem fuisse.

Quae obiectio inde ab initio rei christianae facta est. Iam Hierocles multum insistit miraculis Apollonii Tyanei. (1) Eadem difficultas etiam a Rationalistis semper iterum repetitur. (2)

R. — Sufficit hoc loco remittere ad principium solutionis quod in tract De rev. relig. in abstr. n. 102 ob. 3 p. 75-6 statuimus, scilicet in eiusmodi operibus *deesse veritatem aut historicam aut philosophicam aut theologicam aut relativam* ad probandum eam falsam religionem, cuius assecla illud miraculum patrasse dicitur. Forte autem etiam plures ex illis veritatibus simul desiderari.

Singula autem quaedam talia mira opera *considerare*, atque inquirere quid huic vel illi facto ad vim probandi desit, *neque per se necessarium* est, neque huius loci esse videtur. Per se necessarium non est. Etenim probavimus, veram esse revelationem per Christum nobis allatam. Si ergo quaedam revelatio affertur, quae ei quam Christus attulit contraria est, scitur eam falsam esse. Si ergo praeterea miracula afferuntur, quibus ea revelatio Christianae contraria firmata esse dicitur, iam constat, certe unum elementum ex iis, quae vim demonstrationis

(1) V. v. g. Euseb. contra Hieroclen c. 2 G 22, 797-800. — (2) Cf. v. g. Reimarus o. c. § 49 p. 100. Recentius auctor operis « Supernatural Religion » I 1 p. 10-5.

e miraculis constituunt, in eiusmodi factis deesse. — Utile tamen fuerit, adversariis ostendere, quo ex capite demonstratio e celebrioribus factis miraculosis revelationi christianae oppositis deficiat. At id in proprio tractatu de falsis religionibus agemus. (1)

Ob. 17) — « Miracula in se et per se nullum in se continent principium, in quo vel unicus articulus fidei vel unicum factum uti consequentia quaedam contineretur.... *Non sequitur, Iesus visum restituit alicui caeco*, claudum quendam ambulare fecit; ergo Deus est trinus in personis, ergo Iesus est verus Deus et verus homo. Non sequitur, Iesus resuscitavit Lazarum a mortuis, ergo ipse quoque e mortuis resurrexit ». (2)

R. — Haec non sequuntur *mediante locutione prophetae, quae asserit Deum hoc revelare, atque se ad factum huius locutionis divinae* miracula illa referre, n.; haec non sequuntur e miraculo ut est simplex quoddam factum praeternaturale divinitus patratum, c. — De hac difficultate hominum, qui plane peregrini sunt in doctrina de vi probandi, quae miraculis inesse potest, cf. ea quae docuimus De revel. rel. in abstr. prop. 13 et 18.

Ob. 18) — Impossibile est ea quae rationi contraria sunt, miraculis firmari. Iamvero « *in dogmatibus atque historiis Christianismi* » *ea inveniuntur, quae rationi contraria sunt.* Ergo impossibile est, miraculis religionem christianam firmari.

Ita Reimarus. (3) Remittit praecipue ad falsam doctrinam Iesu de carnali ratione suae dignitatis Messianicae; porro ad factum illud historice falsum, quod scilicet Iesus, quamvis promiserit se, vivente ea generatione, venturum esse in nubibus coeli ad iudicandum orbem, tamen usque nunc nondum venerit.

R. — *a)* Falsa sunt quae Reimarus de doctrina Christi asserit. *b)* Etsi admitteremus, vi solorum textuum si in se inspiciuntur dubium esse, quae Christus docuerit, certe falsa est methodus, e doctrina, de cuius falsitate saltem non constet velle concludere illam non esse firmatam miraculis; potius e miraculorum vi probandi certo hic et nunc statuta concludendum est, eam doctrinam non posse ita intel-

(1) Quodsi quaedam hoc loco scire desideras adi v. g. Wilmers n. 390 p. 345-6. — van Weddingen p. 391-421. — de Bonniot, Le miracle et ses contrefaçons,[5] Paris 1895, 2 part. ch. 1-5 c. 8 p. 119-275, 422-59. — Juan Mir, El Milagro, Madrid 1895 l. 3 c. 1-6 p. 863-1035, c. 11 p. 1171-97. — (2) Reimarus o. c. § 49 p. 101. — (3) L. c. p. 101-2.

ligi, ut falsi quid in se contineat. Cf. De revel. rel. in abstr. prop. 18 n. 102 ob. 1 et 2 p. 75.

Ob. 19) — Concedendum utique est, opera Iesu divina esse. At habemus in Iesu operibus eam rerum conditionem, quam in tract. De revel. rel. in abstr. n. 102 ob. 5-9 p. 70-2 non repugnare diximus. Nempe Deus absolute decreverat, omnem hominem *qui nomen Dei e templo ablatum* secum portarit, *eo mediante omnia opera patrare posse* quaecumque vellet. Sequitur, Deum non debuisse impedire eum abusum, ut quis miracula talia referret ad falsam doctrinam spargendam. Iamvero hoc nomen adorandum Christus furatus est, eoque mediante sua miracula patravit. Ergo in iis non inest veritas relativa ad probandam eam veritatem, Iesum fuisse legatum Dei, Messiam, Filium Dei naturalem. — Probatur antecedens e traditione Iudaeorum. (1)

R. — Quae traditio nullo fundamento historico nitens, nulla refutatione a historicis digna habetur. Fictio est, qua vim probativam miraculorum Christi destruerent, quin evidentem veritatem eorum historicam, philosophicam, theologicam negare cogerentur.

Propositio 16. Ex auctoritate sapientum constat de valore probativo miraculorum Christi.

66. Inde a Deistarum aetate *ab adversariis religionis christianae* frequentissime affirmatum est, *Patres* ecclesiae, uti generatim argumentum e miraculis ita in specie probationem e miraculis Christi haustam *minus aptam* habuisse. (2)

Recentius a quibusdam Catholicis qui in genere vim probativam miraculi attenuant, id saltem innui videtur: Sane ab ea aetate, qua Deistae argumentum miraculis impugnaverint, catholicos quam maxime institisse in miraculis atque praecipue in miraculis Christi ut argumentis pro religione christiana. At neque Patres neque magnos auctores posteriores eius sententiae fuisse, illud argumentum e primariis esse, eoque etiam homines post Christum multum ad fidem attrahi posse.

Etiam quidam, qui rectissime de vi probativa miraculorum sentiunt, hic inde aliquid habent, quod cum historicis factis minus convenit, v. g. non haberi indicia in literatura patristica, argumentum e miraculis Christi iam ante Origenem adhibitum fuisse.

Unde non abs re erit breviter videre, quanti momenti ab initio rei christianae usque ad Deismi tempora haec argumentandi ratio a Patribus magnisque theologis etiam pro hominibus suae aetatis habita fuerit.

(1) Cf. Raimundus Martini O. P., Pugio fidei, pars 2 c. 8 n. 6 ed. Voisin Paris 1691 p. 290. Invenitur etiam van Laak, De mir. Christi II p. 398. — (2) Cf. De rev. rel. in abstr. prop. 19 p. 78-83.

Tempus apostolicum.

S. Petrus Act. 2, 22 vocat Iesum Nazarenum « virum *approbatum a Deo in vobis virtutibus et prodigiis et signis*, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis ». — Vidimus thesi de veritate historica miraculorum Christi, Mt. Mc. Lc. Ic. premere huius argumenti vim.

Tempus Patrum.

Quadratus in noto fragmento (1) sine dubio de veritate historica ideo agit, ut Christi miracula a magicis distinguat atque valorem eorum probandi statuat.

Eadem videtur mens Papiae in alio celeberrimo fragmento. (2)

Iustinus (3) postquam miracula Christi enumeravit, eorum vim effert: « *ex operibus quoque homines illius aetatis excitabat ut eum agnoscerent* ». Speciatim premit iis esse confirmatam Christi doctrinam de resurrectione: « Ipse autem haec eo quoque consilio faciebat, ut et credituris sibi hominibus persuaderet, etiamsi quis aliquo corporis vitio laboret, modo tradita a se praecepta servet, integrum eum a se in secundo suo adventu ac praeterea immortalem et corruptionis et doloris expertem excitatum iri ».

Melito (iam mortuus annis 189-199), in fragm. ex l. 3 de incarn. Christi (4) « .... quae post baptismum a Christo gesta sunt, et *maxime quidem miracula, latentem eius in carne deitatem declarabant et credebantur mundo...* ».

Secundum Irenaeum (5) « qui curati sunt, in his quae antea passa fuerant membra, curati sunt; et mortui in iisdem surrexerunt corporibus..., ostendente (Domino), quoniam ipse est qui et curationem plasmati suo et vitam praestare potest, *uti eius de resurrectione quoque credatur sermo* ». Qua doctrina haereticos sui temporis redarguit.

E Tertulliani sententia miraculis Christus erat « *ostendens se esse Λόγον* Dei, i. e. verbum illud primordiale primogenitum, virtute et ratione comitatum, et spiritu fultum, eundem, qui verbo omnia et faceret et fecisset ». (6) Qua ratione contra ethnicos divinitatem Christi probat.

Origenes (7) haec statuit: Iesum « *hac potissimum causa ad Iudaeos potius quam ad aliam gentem venisse arbitror, quod miraculis assuefacti erant:* ut videlicet conferendis iis quae credita (de prophetarum miraculis) fuerant, cum aliis, quae ab Iesu fiebant et de illo ferebantur, tandem agnoscerent eum, a quo et propter quem maiora patrabantur atque incredibiliora miracula, maiorem illis omnibus esse, qui praecesserant ». Qua ratione Iudaeos sui temporis ad fidem adducere studet. (8)

(1) Quod. n. 13 p. 19 posuimus. — (2) Cf. p. 20. — (3) Dial. c. Tryph. n. 69 G 6, 639; Otto II 250. — (4) Otto vol. 9 p. 415-6. — (5) Adv. haer. l. 5 c. 12 n. 6 G 11, 1156 B. — (6) Apol. c. 21 L 1, 400 B. — (7) C. Cels. l. 2 n. 57 G 11, 887; CB 2, 181. — (8) Cf. l. 2 n. 52-3.

Arnobius,[1] affirmat miraculis Christi et apostolos et Christianos orbis conversos esse; iisdem ipse ethnicos convertere studet: « Virtutes sub oculis positae et inaudita illa vis rerum, vel *quae ab ipso fiebant* palam vel ab eius praeconibus celebrabantur in orbe toto, tantas subdidit adpetitionum flammas et *ad unius credulitatis adsensum* mente una *concurrere gentes et populos fecit* et moribus dissimillimas nationes ». Qua « nulla maior est comprobatio ».[2]

Lactantius, Div. inst., ll. 7, argumentum e miraculis Christi plurimis proponit.[3]

Eusebius[4] *fidem apostolorum* sive unice sive praecipue *e miraculis* repetit. Alio loco[5] ut motivum credibilitatis sola miracula affert: « ..... *ostendebat* universalis redemptor omnium, unigenitum Verbum Dei, rex universi mundi, tempore opportuno *revelationem suam divinam factis* ». Quae qualia sint antea declaraverat.[6] Tandem postquam multa miracula Christi descripserat, ita pergit:[7] « Ex his igitur et multis aliis stupendis miraculis, is qui vult, veram fidem accipit et *evidens argumentum* pro divina revelatione nostri redemptoris ».

S. Athanasius in opere apologetico « De incarnatione Verbi » fere soli argumento e miraculis Christi insistit. Notetur v. g.[8]: « Eam utique ob rem (Christus) neque statim atque advenit, victimam pro omnibus obtulit, corpus morti tradendo, ac illud deinde excitando a mortuis; ita enim potius se nobis occultasset: verum se per illud videndum exhibuit, quatenus in eo permansit ac eiusmodi opera egit et signa edidit, quae illum non hominem, seu Deum Verbum esse *certissimo essent indicio* ».

S. Gregorius Nyssenus in opere « Oratio catechetica magna », qua christianos magistros instruit de recta ratione ethnicos ad fidem ducendi, multum miracula Christi premit. V. g. miraculis his enumeratis ita prosequitur:[9] « Si ergo aliquid horum deesset ei, quae de ipso narratur historiae, merito qui a nostra fide sunt alieni, adversus nostrum praescriberent mysterium; si vero omnia, per quae Deus intelligitur in iis, quae de ipso narrantur, quid est quod fidem impediat? »

S. Chrysostomus[10] miracula habet « *evidentissima argumenta* ». Inter quae principem quendam locum obtinere miracula Christi, ex alia eius doctrina saepe proposita clarum est.

S. Augustinus[11] viam communicandae generi humano veritatis ita describit, ut premat, perspicientiam doctrinarum instrinsecam non posse locum habere, opus esse fide. Fidem autem quam maxime e miraculis Christi repetit: « Si autem Christo etiam credendum negant, nisi indu-

(1) Adv. gentes l. 2 n. 12 L 5, 828. — (2) L. 1 n. 42 L 5, 772. — (3) Praecipue l. 5 c. 3 L 7, 551-61. — (4) Demonstr. evang. l. 8 c. 1 G 22, 590 BC. — (5) Theoph. l. 2 c. 97 versio Gressmann CB 11 ² p. 125. * — (6) C. 94 p. 124. * — (7) L. 3 c. 41 p. 147. * — (8) N. 18 G 26, 126. — (9) G 45 col. 46 A. — (10) Exp. Psalm. 45 n. 3 G 55, 207. — (11) De utilitate credendi c. 14 n. 32 3 L 42, 88-9.

bitata ratio [intrinseca rei praedicatae] reddita fuerit, christiani non sunt. Nam id adversus nos pagani quidam dicunt, stulte quidem, sed non sibi adversi nec repugnantes. Hos vero quis ferat ad Christum se pertinere profiteri, qui nisi apertissimam rationem stultis de Deo protulerint, nihil credendum esse contendunt? At ipsum videmus, quantum illa, cui et ipsi cedunt, docet historia nihil prius neque fortius quam credi sibi voluisse: cum illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta. *Quid enim aliud agunt tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur?* Fide ille stultos ducebat, vos ratione ducitis; clamabat ille, ut crederetur, vos reclamatis; laudabat credentes ille, vos obiurgatis. Nisi vero aut in vinum aquam converteret, ut alia omittam, si nihil tale facientem sed docentem homines sequi possent, aut nihil pendenda vox illa est: credite Deo et mihi credite, aut temeritatis ille culpandus est, qui eum domum suam venire noluit, solo eius imperio pueri sui morbum credens esse cessurum. Ergo ille adferens medicinam, quae corruptissimos mores sanatura esset, *miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem*, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem: quam non solum haereticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans aliqua ex parte convelleret ». Quae miracula etiam in posteros vim suam exserere debere ex eo videtur, quod S. Augustinus veracitatem humanam evangelistarum in miraculis Christi narrandis effert, et hoc argumentum generatim omnibus proponit. Illud facit v. g. De civ. Dei l. 22 c. 8 (1); hoc l. 10 c. 32; l. 18 c. 46. (2)

S. Cyrillus Alex. (3) miraculorum Christi vim probativam ita inculcat, ut aliquando ea sola ut credibilitatis motiva proponat: « Decebat ergo non vi, sed persuasione potius ad obediendum eos adducere, qui pium vivendi genus contemnebant, quique duram et tantum non intractabilem mentis suae cervicem Deo opponebant. Quocirca homo prodiit admirabili ratione et supra captum humani ingenii, Dei Verbum illud unigenitum, et conversatum est cum hominibus; partim quidem *signis et prodigiis* naturam et virtutem hominis superantibus *persuadens se Deum esse factum in forma hominis* utilissime, uti dixi; partim vero adhortationibus lege maioribus verae probitatis rationes exponens, et ab Iudaica illos observatione longe removens ac religionis verae notitia corda credentium irradians ».

S. Ioannes Damascenus (4) statuit: Fecit Christus « quaedam ut se nobis manifestaret nostramque *firmaret fidem*.... Siquidem per miracula, resurrectionemque et sancti Spiritus adventum *mundo declaratum est atque persuasum, eum Dei Filium esse* ».

(1) L 41, 760. — (2) L 41, 314; 608. — (3) Adv. Iulian. l. 8 n. 286 G 46, 939. — (4) De fide orthod. l. 4 c. 18 G 94, 1186.

Temporis patristici documenta artis ea proponenda videntur, quae in imaginibus miraculorum Christi in catacumbis Romanis saeculo primo usque ad quartum consistunt. (1) Exhibentur miracula diversa, eaque saepe repraesentantur. Numerus, quem damus, significat, quoties idem miraculum exhibeatur: 4 imaginibus sanatio haemorrhoissae, 15 paralytici, 7 caecorum, 2 leprosi, 1 possessi a daemone; 9 multiplicatio panum sub forma convivii, fere 30 alia ratione exhibita; saltem 2 mutatio aquae in vinum; pluribus resuscitatio Lazari et filiae Iairi. Cur in ipsis coemeteriis haec miracula Christi depingere soliti sint, exhibent v. g Apost. Const. (2), Iustin. (3), Iren. (4), pulcherrime Damasus papa versibus iis, quos pro suo sepulchro composuit: (5)

« Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui praestat morientia semina terrae,
Solvere qui potuit letalia vincula mortis,
Post tenebras fratrem, post tertia lumina solis
Ad superos iterum Marthae donare sorori,
Post cineres Damasum *faciet quia surgere credo* ».

Tempore Scholasticorum.

67. Petrus Venerabiles (6) († 1156) miraculorum vim probativam summopere extollit: « Hoc modo, *hoc tali tamque evidenti argumento credit Christianus* prophetis suis, non quia tantum prophetas se dixerunt, sed quia prophetas se esse evidentibus signis, claris miraculis, ipsisque ab eis rerum praedictarum effectibus, absque aliquo dubietatis vestigio comprobarunt. Aut ergo talibus indiciis te, o Mahumeth, ostende prophetham, aut si hoc non potueris, desine te, o damnate atque damnande, vocare prophetam ».

In « Tractatu contra Iudaeos » de eodem argumento haec habet: (7) « Audisti, Iudaee, qua auctoritate, imo quibus auctoritatibus, cuncta illa, quae praemissa sunt, de nullo alio nisi de Christo dicta credat et intelligat Christianus, audi qua ratione cui vel libens vel invitus cedere cogatur Iudaeus. Et *qua maiore ratione* hoc tibi persuaderi poterit, *quam divinis illis immensis et infinitis miraculis?* Quis enim humano intellectu vigens non videat, quod tot tantaque a Christo et per Christianos facta miracula, fieri nullo modo possent nisi virtute divina? et ille quidem se Dei Filium, se Deum, se regem aeternum, se Christum a prophetis praedictum esse fatebatur. Quae si falsa essent, non solum nulla eum signa prosequerentur, nulla eum miraculorum efficacia comitaretur, sed potius (quod vel cogitare scelus est), ut mendax, blasphe-

(1) Cf. locos quos n. 17 p. 25 nota 3 e Wilpert citavimus. — (2) L. 5 c. 7 L 1, 843. — (3) Dial. c. Tryph. c. 69 l. c. — (4) Adv. haer. l. 5 c. 12 n. 6 G 7, 1156. — (5) Ihm, Damasi, epigr. p. 13 n. 9. — (6) Contra sectam Saracenorum n. 17 L 189, 711. — (7) L 189, 587.

mus et impius damnaretur. Ac cum ista omnia de se praedicaverit, cum ista de se credentes velut omnipotentes miraculorum operatores effecerit, sicut et ipse loquitur: omnia possibilia credenti, clarum est, perspicuum est, quod quidquid de se credi docuit, absque saltem minima dubitatione credendum est, quidquid praecipit fieri, absque refragatione aliqua servandum est ».

Richardus a S. Victore (1) hac ratione probat « quod nihil firmius tenetur quam quod constanti fide apprehenditur », ut qua motivum credibilitatis unicum prodigia initio rei christianae facta afferat. Inter quae certe primo loco miracula ipsius Christi habet: « Sed hoc in his supra modum mirabile, quia quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius, nihil constantius tenemus quam quod fide apprehendimus. Sunt namque patribus coelitus revelata, et *tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur esse dementiae in his vel aliquantulum dubitare.* Innumera itaque miracula, et alia quae nonnisi divinitus fieri possunt, in huiusmodi fidem faciunt, et dubitare non sinunt, utimur itaque in eorum attestatione seu etiam confirmatione *signis pro argumentis, prodigiis pro experimentis.* Utinam attenderent Iudaei, utinam animadverterent pagani, cum quanta conscientiae securitate pro hac parte ad divinum iudicium poterimus accedere, nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus: Domine, si error est, a teipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possunt. Certe a summae sanctitatis viris sunt nobis tradita, et cum summa, et authentica attestatione probata, teipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis, hinc est utique, quod perfecte fideles paratiores sunt mori pro fide quam fidem abnegare. Nihil enim procul dubio firmius tenetur quam quod constanti fide apprehenditur ».

S. Bonaventura (2) inter alia fidei « adminiculantia et *quodam modo inducentia* » et alia enumerat et speciali ratione miracula, textum Richardi a S. Victore repetens.

S. Thomas (3) inter motiva credibilitatis miracula ponit atque conversionem mundi ad fidem christianam habet « indicium certissimum praeteritorum signorum ». In Mahomed reprehendit, quod suae legationis « signa non adhibuit supernaturaliter facta ». Alio in loco eiusdem libri (4) probat, *divinitatem Christi sufficientibus indiciis* manifestatam esse. Quod ita facit, ut ad *sola opera Christi miraculosa provocet*, cum corporalia tum spiritualia. Cf. p. 3 q. 43 a 4, quo demonstrat « miracula per Christum facta sufficienter eius divinitatem probasse » ob « ipsam speciem operum », « modum miracula faciendi », « ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat, quae nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis ».

(1) De Trinitate l. 1 c. 2. — (2) Quaest. disput. de myst. SS. Trinitatis qu. 1 art. 2 ed. Ad Claras Aquas tom. 5 p. 66. — (3) C. Gent. l. 1 c. 6. — (4) L. 4 c. 55 ratio 8.

Raimundus Martini in « Pugio fidei » multa de miraculis Christi habet. (1) Qui quantopere miraculis Christi ut argumento insistat patet ex his: Reprehendit Iudaeos « quod duos falsos Messias unum post alium absque signis et miraculis, imo signis omnibus et verbis prophetarum contradicentibus, ut supra probatum est, receperunt ». Finem suae tractationi imponit, monens Iesu esse credendum, quippe qui solus « ut ipsius rei evidentia in Romanis et Graecis et aliis nationibus demonstrat, per sua suorumque miraculadestruxerit atque deleverit » idololatriam, qui « etiam passione et resurrectione completa discipulis virtutem miracula faciendi confirmaverit, ut in fine Marci dictum est, et in hoc capitulo monstratum est; eamdemque virtutem miracula faciendi Iudaeis omnino abstulerit ». Addit alia signa veri Messiae.

Matthaeus ab Aquasparta († 1302) septem credibilitatis motiva tractatione ampliore, quam quae iis temporibus in usu erat, proponit. (2) Quinto loco miracula habet, ubi secundum diversos locos Augustini *praecipue ad miracula Christi remittit.*

Scotus (3) haec inter alia docet: « Deus non potest esse testis falsus, cum sit prima et summa veritas; sed Deus invocatus a Christo veritates evangelicas praedicante, *ut ostenderet eius doctrinam esse veram, fecit multa prodigia et miracula*, quae nequit facere nisi Deus; igitur ad convincendum mundum, doctrinam illam esse veram, oportuit ad eius confirmationem miracula intervenisse ». Etenim « quae continentur in Lege evangelica non sunt nata de se causare assensum in intellectu humano; illa enim excedunt omnis creati intellectus facultatem ». Cf. a. 4°.

Tempus renascentiae.

68. Marsilius Ficinus († 1499) argumentum e miraculis Christi multis modis effert. (4) « Esse illum Deum daclaraverunt miracula, *ut fidem apud dociles doctrina eius haberet.* Esse verum hominem passiones humanae declaraverunt. Nullus igitur nobis (nisi pertinaces nimirum esse velimus) excusationi locus videtur esse relictus. Si doctrinam eius quasi minus veram insolenter respuere nitimur, divinitas miraculaque reclamant ». C 19 fol. 37° fidem e miraculis, spem e fide, amorem e spe quasi derivat, atque ita miracula Christi quasi quoddam fundamentum totius religionis christianae ponit.

Ioan. Lud. Vives († 1540), cum divinam missionem Christi probat, *solum argumentum e miraculis praecipue Christi evolvit:* (5) « Iesus se Dei filium dixit; quod quia erat stupendum, in eius rei confirmationem res quoque edidit stupendas, quae illum Deo esse amicum declararent, per

(1) Pars 2 c. 8 n. 520 incl.; ed. Voisin 1651 p. 290-8. — (2) Quaestiones de fide et cognitione, qu. 3 de fide; ed. princeps Ad Aquas Claras 1903 p. 91-2. — (3) Oxon. Prol. q. 2 de octavo ed. Venet. 1580 p. 27-9. — (4) De religione christiana c. 21. ed. Paris. 1559 fol. 38 b. — (5) De veritate fidei christianae ll. 5, Basileae 1543 p. 141-2.

quae authoritas est comparata, ut non esset credibile tantum et tam nefarium de se mendacium talem hominem fuisse dicturum. Addita sunt autem ea prodigia, quae ab animadvertentibus promptum esset intelligere, ab eo solo posse effici, qui Deus esset, author et dominus naturae ; et tanto intelligerentur melius et crederentur certius, quo quis esset sapientior et virium facultatisque naturae rerum consultior ».

Neoscholastici.

Michael de Medina, ut probet « *quod Christianae religionis miracula eandem probant esse veram* », ingens momentum describit, quod inest in miraculis Christi atque apostolorum ad fidem gignendam. (1) « Itaque *hanc per miracula et prodigia suadendi rationem quasi mortalibus magis familiarem et propriam* divina elegisse providentia videtur, quod ea uberiores fructus ex evangelica praedicatione se messuram speraret. Unde eiusdem evangelicae praedicationis initio hac sola miraculorum potentia et simplicitate, non item mundi sapientia et eloquentia instructos, evangelicos praedicatores orbem universum expugnaturos emisit.... Itaque *ingens* est divinorum miraculorum vel *primitus in fide generanda* vel post eius degenerationem *in eadem fovenda et reficienda potestas*, magnopere quam in religione firmatur animus, cum eam videt eius qui solus potens est in naturam, testimonio confirmari ». Unde fol. 72-73 addit, continua in ecclesia miracula non esse necessaria. « Qui scilicet scripturae, quam scit tot miraculis olim caelitus robur accepisse, commonitione non credit aut a peccatis non recedit, neque si coram illo profecto miracula fierent, profecto est crediturus ».

Bartholomaeus Medina (2) primum argumentum credibilitatis incarnationis affert miracula quae Christus et apostoli nomine eius invocato patrarunt. Inter quae Christi miracula eminere illud, quo Christus se ipsum « a morte ad vitam reduxit ».

Bañez cum motiva credibilitatis proponit (3) ita ait : (4) « Secundum argumentum desumitur ex miraculis factis in confirmationem Evangelicae doctrinae... ». Aliunde (5) patet praecipue respici ab eo miracula Christi. Quae argumenta certissima habuit. (6)

Suarez, (7) in conspectu motivorum credibilitatis fidei christianae haec habet : « Tertium principale motivum sumitur ex variis modis quibus Deus particulariter subscripsit et auctoritatem praebuit *testimoniis hominum* praedicantium hanc fidem, *in quo ordine primum locum tenent miracula.* Quod autem doctrina fidei nostrae huiusmodi miraculis confirmata est, notissimum est. Primo ex miraculis Christi Domini... ».

(1) Christianae paraenesis sive de recta in Deum fide l. 2 c. 7 ed. Venet. fol. 50 b-51 a. — (2) In 3 partem D. Thomae, in « Introductio in materiam incarnationis » p. 16. — (3) Comm. in 2, 2 qu. 1 art. 4 ed. Venet. 1587 col. 85-94. — (4) Col. 86. — (5) E col. 93. — (6) Cf. col. 92-3. — (7) De fide theol. disp. 4 s. 3 n. 8-9 ed. Paris. tom. 12 p. 123.

Pro testibus miraculorum astruit huius argumenti « *tantam evidentiam, saltem moralem, ut sine magna temeritate et insigni malitia repugnare non possent* »; at etiam pro hominibus postea viventibus « *quoddam genus humanae evidentiae* » statuit. (1)

Lugo, de motivis credibilitatis haec tradit: (2) « Octavum *caput illustrissimum et potissimum*, desumitur ex miraculis tot et tantis, omnibus saeculis in confirmationem nostrae fidei patratis, quae sunt quasi subscriptiones ipsius.... Haec autem *manifestissima fuerunt in Christo...* ».

Nota. — Quae fuerit *evolutio doctrinae de miraculis Christi*, quaeque *praecipua literatura de ipsis*, aptius exhiberi videtur, cum eadem de resurrectione Christi ut motivo credibilitatis exponemus. Etenim quamvis non eadem, similia tamen sub utroque respectu et de miraculis Christi in genere et speciatim de maximo miraculo resurrectionis eius dicenda sunt.

(1) In Summam S. Th. 3 qu. 13 art. 4 disp. 31 n. 2 u. 1-2. ed. Paris. tom. 18 p. 94. — (2) De virtute fidei divinae disp. 5 s. 6.

Sectio III. Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur miraculo resurrectionis eiusdem. (1)

69. 1) *Expl. term.* — *Resurrectio est mutatio corporis humani eiusdem numero e statu mortui in statum viventis, ita ut eadem numero anima informetur.*

Quidquid in hac definitione non continetur, ad essentiam resurrectionis non pertinet.

Philosophis relinquimus quaestionem qua ratione metaphysica explicanda sit identitas inter corpus hominis mortuum atque idem corpus, ut erat in homine vivo. Certe nobis sufficit eam identitatem demonstrare quam omnes sensu obvio praedicant, scilicet id corporeum quod ex homine Christo vivo in ipsum cadaver transiit, hoc iterum in Christo redivivo inventum esse.

Neque affirmamus neque negamus hanc rei corporeae identitatem in resurrectione omnium mortuorum, quae secundum fidem catholicam aliquando locum habebit, eodem modo debere inveniri uti in Christo eam habemus. Hanc quaestionem ad theologos remittimus.

Resurrectio hoc loco proponitur ut *miraculum*, quod ad probandam legationem Christi relatum est. In thesi de vaticiniis Christi considerabitur ut eventus, qui naturaliter praevideri non poterat, a Christo tamen praedictus erat.

2) Haec thesis est *applicatio theoriae de miraculis ad aliquod singulare factum.* Quod factum miraculosum ideo tractatione propria proponitur, quia et a Christo et ab apostolis atque ab omni aevo christiano *vis probativa* huius miraculi *specialissima ratione inculcata est.*

3) *Divisio* eadem est, quae e natura rei etiam in thesibus de miraculis Christi in genere sequenda videbatur. Agemus enim ex ordine de veritate historica, philosophica, theologica, relativa huius miraculi.

(1) Urget tempus, ut etiam haec sectio integra simul pro praelectionibus exhibeatur. Obtineri autem non poterat, ut statuto tempore res prompta esset, si simul cum substantia rei etiam ea, quae ad ampliorem eruditionem spectant, ipsi tractationi inserta exhiberentur, sicut usque nunc in caeteris sectionibus factum est. Unde necessarium erat ea post ipsam rei substantiam tradere, ita tamen ut secundum argumenta et difficultates facile ordine disponantur. Cf. interim si placet, van Laak, De resurretione Christi, monograph. lith. pp. 166.

4) *Genuinitas textuum aliquorum*, qui ad nostram tractationem spectant a quibusdam negatur. Sunt vero praecipue hi: Lc. 22, 43-4 de agonia Christi in horto; Mt. 27, 19 de visu uxoris Pilati; 27, 51-2 de resurrectione multorum, qui apparebant in urbe sancta; Mt. 27, 62-6 de custodibus sepulcri; Mc. 16, 9-20 de Christi apparitionibus; Mt. 28, 16-20 de mandato baptizandi omnes gentes, quod Christus resuscitatus apostolis imposuit; c. 21 Ioannis de apparitione Christi ad mare Tiberiadis: omnia quae de crucifixione, de sepultura atque sepulchro vacuo sive in evangeliis sive in epistulis praecipue Pauli inveniuntur.

At rationes positivae quae e critica textuum contra Lc. 22, 43-4 et Mc. 16, 9-20 afferuntur, invalidae demonstrantur in Introd. in S. Sc.

Porro neque quidquam ad finem suum obtinendum adversarios iuvat, si finem ultimi capitis ipsi Mc. abiudicant. Nam ii ex adversariis qui meliores sunt in ipso valore historico textuum iudicando, concedunt, etiam hanc partem ex optimis fontibus iam antiquissimis temporibus ad evangelium Mc. appositam esse.

Difficultates quae contra coeteros locos afferuntur solum aprioristicae sunt vel e rationibus internis miro modo levibus petuntur.

Caput I. **Constat de veritate historica resurrectionis Christi.**

Articulus I. De morte Christi.

Propositio 17. Iesus vere mortuus est.

70. Argumentum: Plurimi testati sunt, Christum ante illud tempus quo revixisse dicitur, vere mortuum fuisse. Atque in hoc testimonio reddendo debita et veracitate et scientia instructi erant. Ergo Christus eo tempore vere mortuus est.

Pars I. **Testimonium aequalium Christi.**

Exhibentur testes.

Quidam testes sunt *immediati vel saltem coaevi*, qui ab immediatis narrationes acceperunt.

Inter quos erant *a) inimici Christi. — E Iudaeis:* « Altera autem die, quae est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et pharisaei ad Pilatum, dicentes: recordati sumus, quia seductor ille dixit, *adhuc vivens:* Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius et furentur eum et dicant plebi: surrexit a mortuis; et erit novissimus error peior priori ».

Hoc suum iudicium de morte Christi hi inimici firmissimum habebant; simul supponebant, illud etiam ab aliis firmissime teneri. Nam

α) ab hoc iudicio *neque tum recedunt*, cum mentibus eorum *cogitatio ingeritur*, *Christum esse resuscitatum;* vel cum audiunt, sepulcrum esse vacuum et mirabilia signa circa illud fieri. Facillimum sane iis erat dicere, eum tantum fuisse e syncope excitatum. Nihilominus talia non dicunt, sed eam hypothesim confingunt, quae attentis circumstantiis stultissima iudicari debuit atque ab ipsis scriptoribus Talmudicis postea relicta est. Dixerunt enim, discipulos, dormientibus custodibus publicis, cadaver furatos esse. Mt. 28, 11-5.

β) Cum apostoli resurrectionem Christi praedicando multos Iudaeos ad religionem christianam adducunt, proceres nullum aliud medium aptum vident, quo hanc fidem impediant, praeter vim. Eam vero praedicationem facillime impedivissent, si saltem e probabilibus rationibus hominibus suspicionem iniecissent, Christum non fuisse vere mortuum.

Ex ethnicis. — « *Centurio* autem et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terrae motu et his quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste ». Mt. 27, 54; cf. Mc. 15, 39; Lc. 23, 47. Quod iudicium de morte Christi centurio coram Pilato confirmavit, qui vi muneris interrogabat, num damnatio mortis ad effectum perducta sit. Mc. 15, 45.

Accedunt *milites.* « Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura ». Io. 19, 33. Videntur quibusdam hi milites esse alii atque ii qui Christum crucifixerunt. — Denique *Pilatus* eandem persuasionem prodit, quippe qui acquieverit petitioni amicorum Christi, ut corpus Iesu sibi donaret ut sepeliretur.

b) Amici Christi. — Ex amicis Iesu Io. testis oculatus 19, 30 ait: « Inclinato capite tradidit spiritum ». — *Nicodemus* et *Iosephus* nobiles Iudaei sepelierunt Iesum more Iudaeorum. Qui mos, uti videbimus, mortem nondum secutam multum accelerasset. Iamvero hunc modum certe non adhibuissent, nisi de morte Christi iis plene constitisset. — Porro « erat... ibi *Maria Magdalena* et *altera Maria* Ioseph, et sedentes contra sepulcrum, aspiciebant, ubi poneretur ». Mc. 15, 42; Mt. 27, 61; Lc. 23, 56. — Denique « stabant *omnes noti eius* a longe, et *mulieres multae,* quae secutae sunt Iesum a Galilaea ministrantes ei, haec [i. e. quae fiebant in Christi morte] videntes ». Lc. 23, 49. — Etiam *Mt.*, *Lc.*, *Mc.* data opera mortem Christi

efferunt. Narrant: Mt. 27, 50 « emisit spiritum »; Lc. 23, 40 « exspiravit »; Mc. 15, 37 « exspiravit ». E quibus Mt. forte vidit Christum morientem, Lc., Mc. a testibus sibi haud suspectis nuntium recipisse dicendi sunt. — Tandem ex evangelio scimus quanta tristitia amici Christi repleti fuerint, ita ut vix credere voluerint, eum resurrexisse. Quae tristitia rationem suam habuit in persuasione de morte Christi.

PARS II. **Veracitas et scientia horum testium demonstratur.**

71. *Veracitas seu saltem absentia voluntatis hic et nunc falsa dicendi his testibus ascribenda est.*

Inimici Christi in hoc testimonio reddendo mentiti non sunt.

Etenim *Iudaeos* absterrebat a mendacio timor, ne quam maxime ad honorem Christi conferrent. Nam obiective resurrectio Christi eorum consiliis politicis atque religiosis quam maxime erat contraria; neque hoc subiectivam eorum considerationem fugit. Aiunt enim « ne... dicant plebi: Surrexit a mortuis et erit novissimus error peior priore ». Mt. 27, 64. Iamvero ad hoc periculum erroris removendum nullum remedium magis efficax fuisset vel magis obvium, quam efficere ut populus cum certitudine vel saltem cum probabilitate iudicaret, Christum tantum syncope correptum fuisse. Ergo si ipsi tale dubium de morte Christi habuissent, certissime illud pronuntiassent. Unde patet, eos, cum Christum mortuum dicerent, non esse contra mentem locutos.

Milites et praecipue *centurionem* a mendacio prohibuit ratio officii et metus, ne munere negligenter functi poenas darent. Incumbebat enim illis officium, ut executioni mandarent sententiam, damnatos in ipsa cruce mori debere. Quare etiam duorum, qui cum Iesu crucifixi sunt, crura fracta sunt, et Iesu corpori, quasi iuridicae probationis gratia, etiam externum mortis signum lateris transfixione affixum est. — Porro *Pilatus*, si Iesum adhuc vivere putasset, eius corpus dono non dedisset.

Scientia debita.

Scientia debita in testibus his inerat. Etenim

1) *Testes hi apti* erant. Nam centurioni atque militibus iudicium de damnationis executione ex officio incumbebat. Tale vero officium

aptis imponitur; praeterea facultas iudicandi ipso exercitio acuitur. Crucifixio autem erat genus mortis infligendae inter Romanos usitatum. — Caeteri testes ex omni hominum genere sunt, etiam e cultissimis eius aetatis hominibus, v. g. e membris synedrii.

2) Hi testes apti *debito modo sensus atque intellectum adhibuerunt.* Stimulabat enim *inimicos* Christi e Iudaeis odium Christi atque desiderium toties animis conceptum atque verbis expressum, ut tandem aliquando eum certe mortuum viderent, quem toties morti tradere frustra voluerant. Stimulabat recordatio miraculorum Christi, quae eos impulit, ut Christo illuderent dicentes : « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere ; si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credimus ei ». — Impulit *centurionem et milites* ratio officii implendi; quae nulla contraria ratione corrupta erat.

Amicos Christi movebat amor sollicitus, ne Iesus vivus sepulcro committeretur. Notum autem erat Iudaeis periculum erroris in diiudicanda morte, unde in casibus dubiis per tres dies exspectandum erat, priusquam mortuus sepeliretur.

3) *Factum mortis* violentae, ob iustitiam publicam ab hominibus publicis inflictae, certe res est, quae *per se* ope sensuum et intellectus *sciri potest.*

Porro in nostra re omnes externae apparentiae conspirant ad ingerendum iudicium certum et facile. (Ideo multis bonis auctoribus conservatio vitae ex solis consideratis signis iis et causis mortis, quae historice nobis constant, physice impossibilis videtur). Quod ostenditur enumerando *causas, quae mortem afferre potuerint et signa, quae apta erant ut eam manifestarent.*

Ante tempus quo ab evangelistis mortuus esse dicitur.

1) Iesus noctu in agonia positus *sanguinem sudaverat.* Accesserant acerbissimi dolores interni atque excitationes. Quibus vires multum atteruntur. — Mane more Romanorum *flagellatus* est. Qui mos Romanorum is erat, ut homines non raro inter ipsam flagellationem morerentur. In nostro casu finis accidentalis is quoque erat, ut Iudaei, si crudelitatem suam iamiam expletam viderent, a petenda morte abstinerent. — Deinde *spinis coronatus* est. — Sequebatur via ad montem Calvariae, in qua Iesum, qui secundum morem *crucem portabat*, ita vires defecerunt, ut milites alium angariarent, qui eius

loco crucem portaret. — Eo modo cruci affixus est, ut et *manus et pedes transfigerentur.* Quod patet ex Lc. 24, 39: « videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum ». — Denique Iesus *per tres horas in cruce pependit.* Tunc mortuum eum esse testes affirmant.

Vulnus postea lateri inflictum.

Dato, non concesso, Christum eo tempore quo evangelistae narrant, nondum mortuum fuisse, *saltem postea exspirasset, idque ob vulnus quod miles in latere Christi postea inflixit.* — Nam 1) vulnus illud profundum fuisse ex eo patet, quod ita largum erat, ut non tantum digitus, sed ipsa manus (ergo saltem aliqui digiti) imponi posset. Alias evangelista Io. 20, 25 non faceret Thomam dicentem: « Nisi... mittam manum meam in latus eius, non credam ». Iamvero militis lancea sane acuta fuit. — 2) *Finis militis* erat, mortem Christi certam et indubitatam reddere vel ipsis oculis atque vel perfunctoriae cadaveris inspectioni. Debebant enim carnifices, priusquam licitum esset corpus parentibus tradere, certum externum signum exhibere, quo probarent, se sententiam exsecutioni mandasse. Cf. Quint. decl. 6, 9: « percussos sepeliri carnifex non vetat ». Porro in nostro casu ictus lanceae applicatus est loco crurifragii. Ergo tale vulnus inflixerunt, quo immediate eum occiderent, si adhuc vixisset. Saltem talem ictum ei inflixerunt, ut si tantum syncope correptus esset, Iesus signa vitae daturus fuisset, quibus visis, milites eum crurifragio subiecturi fuissent.

Conditiones sepulcri.

Conditiones sepulcri ad id contulissent, ut si Iesus nondum mortuus fuisset, tamen *ante diem dominicum moreretur.* Nam mos sepeliendi inter Iudaeos is erat, qui hominem morti iam vicinum mox ei plane tradidisset. Hunc autem morem Iudaeorum in Christo sepeliendo servatum fuisse scimus e Io. 19, 40 « .... sicut mos est Iudaeis sepelire ». Caeterum haec singula ex narratione evangelica habentur: positus est in monumento clauso; centum librae aromatum appositae sunt; totum corpus ligatum est; in tali statu, nulla cura adhibita, per plus quam 30 horas mansit.

PARS II. **Reliqui testes breviter perstringuntnr.**

72. *Testimonium hominum post Christum.* — Plurimis post Christum persuasio de Christi morte firmissime inhaesit: *amicis*, quippe quibus motivum credibilitatis e resurrectione Christi haustum firmissimum erat; *Iudaeis*, quippe qui diversa de Christi ignominiosa crucifixione in libris Talmudicis narrent, de Christi vero syncope altum silentium servent, imo referant, Iudam corpus Christi quod furatus esset, in horto condidisse, eique superinduxisse amnem aquarum; *ethnicis atque Rationalistis*, apud quos generatim tales de syncope theoriae non praevaluerint, imo hodie plane derelictae sint. — De absentia mendacii autem in his testibus nullum est dubium; *nulla porro ratio est, cur praecipitantia iudicii assumatur*, imo optimae sunt rationes, unde eam afuisse demonstretur.

Testimonium ipsius Christi. — *a)* Christi *sanctitati repugnat mandatum Dei non implere. Iamvero* Io. 10, 17-8 ait: « Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, *ut iterum sumam eam.* Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo, iterum sumendi eam. *Hoc mandatum accepi a Patre meo* ». Nullum vero factum adduci potest, quo Christus hoc mandatum expleverit nisi mors eius ante diem dominicam, resurrectio eius eo ipso die. — *b)* Iesus praecipue *resurrectionem suam futuram ut motivum revelationis suae proposuit.* Ergo certissimus erat, se ante illud tempus moriturum esse. — *c)* Christus in cruce exclamavit Io. 19, 30: « *Consummatum est* »; Lc. 23, 43 latroni ait: « Hodie mecum eris in paradiso »; 23, 46: « *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* ». Quibus mortem suam instare designat. Iamvero *sanctitate sua prohibebatur, quominus res tanti momenti pronuntiasset, nisi plane certus fuisset*, sibi nunc moriendum esse. — *d) Christi anima* post sic dictam resurrectionem *affirmat se a corpore fuisse separatam.* V. g. Mc. 16, 14 reprehendit discipulos « quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant ». Atqui argumento, quod a probatione resurrectionis in ipso corpore non dependet probabimus, saltem ipsam animam Christi post mortem discipulis apparuisse. Quae in hac re asserenda neque errare neque fallere poterat.

Testimonium angelorum. — Angeli Mc. 16, 7 pronuntiant de Christo: « Resurrexit ». Iamvero probari potest earum apparitionum *ve-*

ritas historica, philosophica, theologica. Quale argumentum saltem Iudaeos convincere debet. Hi enim e V. T. sciebant, angelos bonos nonnisi vera dicere posse.

Testificatio ipsius Dei. — Saltem Iudaeis certum esse debebat, angelos bonos nuntios hominibus afferentes nonnisi *nomine Dei* loqui. Atqui illi dicebant, Christum resurrexisse, ergo mortuum fuisse. — Omnibus autem hoc facile persuadebitur: Sapientiae Dei repugnat, *effectus in* ordine morum prae caeteris omnibus insigniores *persuasioni falsae deberi.* Iamvero in producendis effectibus religionis christianae persuasio de amore quem Christus morte sua sacrificali mundo exhibuit, magnas partes habuit. Praeterea videbimus, motivum principale in admittenda revelatione christiana fuisse resurrectionem Christi. Ergo resurrexit. Ergo antea mortuus erat.

Scholion. *Decebat, mortem Christi certissimam esse.* Unde providente Deo factum est, ut vere *publica* esset. 1) Etenim Iesus *coram toto populo* violenta morte e vivis sublatus est. 2) Eius mors *ab auctoritate publica* speciali ratione agnita est.

Difficultates.

73. *Ob. 1)* — Mc. 15, 44 dicitur: « Pilatus autem mirabatur, si iam obiisset. Et accersito centurione interrogabat eum, si iam mortuus esset ». Iamvero *ἐθαύμασεν εἰ dubium Pilati de Christi morte exprimit.*

R. — *a)* Pilatus *dubium seposuit.* Mc. 15, 45: « Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Ioseph ». — *b)* An forte praetor legitur dubitasse *etiam post transfixionem lateris*, postquam Christus per 30 horas in sepulcro iacuerat? — *c)* Ratio cur Pilatus dubitaverit, num Christus tam cito « iam » obiisset in eo est, quod *crucifixi generatim lentius moriebantur.* Causas quae mortem Christi accelerabant, praetor ex parte ignoravit, ut sudorem sanguineum; porro relationes eorum, qui crucifixioni praeerant, nondum audierat. Unde secundum communiter contingentia, quae ipsi sola nota erant, iudicavit, quando putavit Iesum nondum mortuum esse.

Ob. 2) — *Signa, quibus positive probatur, Christum eo tempore* quod nominatur, *mortuum non esse*, haec sunt: *a)* Mc. 15, 37: « Christus *voce magna clamans* exspiravit ». Iamvero impossibile est immediate ante mortem iis viribus praeditum esse, quae ad tam vehementem

clamorem requiruntur. — *b)* Io 19, 34 narratur, e Iesu *laterè percusso sanguinem et aquam fluxisse.* Iamvero si sanguis fluidus e corpore hominis exit, homo nondum mortuus est. — *c)* Io. 20, 17 Iesus Mariae Magdalenae dicit: « *Noli me tangere* ». Atqui hoc praeceptum explicari nequit, nisi propter dolores, quos tactus Iesu allaturus fuisset. Iamvero si Christus vere resurrexit, horum dolorum apta ratio reddi nequit.

R. — *Quoad a)* — *α)* Num e clamore valido illud quoque sequitur, Christum ne tunc quidem mortuum fuisse, *quando latus percussum erat,* quando Christus per 30 horas in sepulcro iacuerat?

β) Dist.: Immediate ante mortem *alta voce exclamare impossibile est et praeternaturaliter et naturaliter, n.;* tantum naturaliter, tr. — Expl. Probavimus, Christum eo tempore in cruce mortuum esse, quo mortuus esse narratur; certum est, eum immediate ante mortem alta voce clamasse. Quodsi hoc factum naturali ratione explicare nequis, non est neganda mors, sed statuendum miraculum. Sunt tamen, qui putent talem clamorem naturalem esse potuisse.

Miraculum tamen suadent haec: *Iudicium centurionis.* Mc. 15, 39: « Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic [« clamans » deest in graeco] exspirasset, ait: vere hic homo Filius Dei erat ». — Eadem ratione iudicarunt *theologi veteres multi atque* recentiores, v. g. S. Thomas p. 3 q. 47 a. 1 ad 2; Suarez in 3 p. qu. 50 a. 6, disp. 38 s. 1 n. 9; Wilmers n. 358; Ottiger p. 721. — Accedunt *rationes convenientiae*, cur Deus tale miraculum patraret. Nam et alia multa miracula circa Christum morientem fiebant, et magni momenti erat, perfectissimam libertatem Christi in moriendo signo quodam externo extraordinario manifestari.

Quoad b) — *α)* Etsi Iesus ante hanc transfixionem mortuus non esset, numquid neque per eam mors causata est? — *β)* Cf. responsum ad partem secundam difficultatis praecedentis. Sunt quidam *auctores optimae notae, qui in solo sanguinis fluxu, etiamsi aliquo tempore post mortem locum habet, miraculum agnoscere non audent.* Aquam autem ea copia effluentem ut oculis manifeste appareret, certe usque nunc nemo apte naturaliter explicavit.

Rationem miraculi saltem in effluente aqua suadent haec: Primo *Patrum et exegetarum magnus numerus.* Secundo *rationes congruentiae* ut Deus hoc miraculum faceret. Nam praeterquam quod alia miracula eo tempore circa Christum convenientissime facta sunt, san-

guinis incorrupti miraculosa conservatione externe significabatur, « sanctum Domini non videre corruptionem »; sanguinis effluxu simul cum aquae miraculosae profluvio, quasi oculis subiiciebatur, cum sanguine Christi quam intime esse connexam aquam baptismatis. Mors enim Christi est causa purgationis animae a macula peccati originalis, quae aqua baptismatis obtinetur.

Quoad c. — *a)* Eodem tempore Christus aliis mulieribus minime prohibuit, quominus se tangerent, Mt. 28, 9. Ergo dolores in causa non erant. — *β)* Rationem tuto ignorare possemus. — *γ)* Quidam negant suppositum, Christum vetuisse, quominus a Maria Magdalena tangeretur. Vetuit, ut dicunt, quominus in amplexu haereret. Hoc et cum forma grammatica congruere (Imperat. praesentis ἅπτου), et cum contextu: « Nondum enim ascendi ad Patrem meum...; vade autem ad fratres meos et dic eis.... ».

Ob. 3) — Flavius Iosephus, De vita c. 75 narrat, e *tribus Iudaeis crucifixis e cruce depositis,* postquam diligens cura omnibus adhibita fuit, *unum incolumem* esse servatum. Ergo *non constat, crucifixionem certo esse causam mortis.*

R. — *a)* Non ita argumentati sumus ut obiectio supponit: Christus cruci affixus est, ergo certum est eum post tres horas mortuum fuisse. Sed primo loco positiva testimonia pro facto mortis Christi in cruce pendentis adduximus, praeterea transfixionem, atque sepulturam adiecimus. — *b)* Ex facto allato id tantum sequitur: crucifixionem, si crucifixus convenienti tempore vivus deponatur atque diligenter curetur, non esse in omnibus necessariam causam mortis. Non vero sequitur, crucifixionem, simul cum perpessionibus multis internis et externis eam praecedentibus, cum doloribus per aliquot horas in cruce toleratis, nulla cura adhibita, non posse esse causam mortis, ita ut testimonio eorum, qui hominem morientem atque mortuum viderunt, non sit credendum.

Ob. 4) — *Adstruitur hypothesis mortis apparentis. Quae his fere indiciis suadetur:* Potuit Christus *a)* vires dormiendo in sepulcro, tempore veris sat calido, restaurare. — *b)* Se ipsum vi quadam ignota, etsi non perfecte, ab infirmitate per crucifixionem contracta liberare. Talia enim antea aliis praestitit. — *c)* Virtute quadam ignota extraordinaria lapidem revolvere. — *d)* Discipulos convenire, atque cum duobus ex illis Emaus euntibus per aliquod tempus deambulare. Forte etiam curru usus est. Porro saepius per breve tempus eos invisit. —

e) Permittere, ut discipuli ex his apparentiis persuasionem haurirent, magistrum suum resuscitatum esse. — *f)* Tandem clam more caeterorum hominum mortuus est.

R. — *a)* Hodie iam ab ipsis Rationalistis haec theoria risu excipitur. — *b)* Probavimus, Christum mortuum fuisse. Quid quaeris, qua ratione, si mortuus non esset, vires restaurare potuisset etc.? — *c)* Ad singula: — Ad *a:* Ea commoratio suffocationi apta erat, non restaurationi virium. — Ad *b* et *c.:* Ergo ut miraculum resuscitationis evites, saltem ad miracula alia recurrere cogeris. — Ad *d* et *e.:* Christus non tantum permisit fidem in suam resurrectionem, sed testibus evangelistis eam produxit. Caeterum ipsi gravissimum incumbebat officium, ut falsam de sua resurrectione sententiam ne permitteret quidem. — Ad *f.:* evangelistae clare referunt, eum videntibus apostolis in coelum ascendisse.

Ob. 5) — Tertull. Apolog. c. 21 ML 1, 401; Euseb., Demonstrat. evang. l. 3 c. 4 MG 22 col. 196, 198; c. 12 col. 282, 283; Biel, lect. 82 in can. lit. *D* alii auctores videntur admittere, *Christi mortem inter miracula referendam esse.* Ergo immerito argumentum nostrum e causis mortis Christi roboravimus.

R. — *a)* Sive naturaliter, sive praeternaturaliter mortuus est, constat historice de morte Christi. — *b)* Dogmatici probant aliunde: « ut mors in Christo locum haberet, quoddam miraculum supponi necesse fuit, nimirum ut quamvis anima esset gloriosa, corpus permitteretur esse passibile, et hoc sensu omnis passio et dolor et mors Christi potest dici miraculosa, tamquam ex miraculo proveniens ». — *c)* Potuit secundum dogmaticos Christus miraculose impedire, quominus eo tempore moreretur. Noluit tamen. Unde libere mortuus est eo tempore quo mortem e causis naturalibus provenire necesse erat.

Art. 2. Christus post mortem vera vita corporis donatus erat.

§ 1. Iesum post mortem vera vita corporis donatum fuisse constat e testimonio testium de visu.

Propositio 18. Testimonia de resurrectione Christi non de animae solius vita sed de vera corporis resurrectione intelligenda sunt.

Pars I. **Exhibentur testimonia.**

74. Recentius vim testimoniorum de resurrectione Christi multi ita elidere conati sunt, ut aut explicite verbis affirmarent atque probare

niterentur aut saltem modis diversis procedendi supponerent, testes omnino non esse locutos de vera Christi resurrectione, sed de quodam beato statu animae eius, vel de victoria causae eius etc. Unde ante omnia verus sensus testimoniorum de resurrectione Christi in tuto collocandus est. — Cum de ipsa notione resurrectionis agitur, merito etiam ad S. Paulina recurrimus, etsi de eo uti teste immediato resurrectionis Christi nonnisi postea in appendice agamus.

In Evangeliis. — Mc. 16, 9: « *Surgens* autem mane, prima Sabbati, apparuit ». Mulieres dixerunt « quia *viveret* ». Mc. 16, 11; Lc. 24, 23-35 discipuli Emaus euntes referunt mulieres narrasse « se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt, eum *vivere* ». Postea narrant hi duo discipuli quomodo eum cognoverunt in fractione panis ». 24, 34: Qui duo discipuli invenerunt « congregatos undecim et qui cum iis erant, dicentes, quod *surrexit Dominus vere* et apparuit Simoni ». Io. 20, 9: « nondum enim sciebant (apostoli Petrus et Ioannes), quia oportebat eum *a mortuis resurgere* ». 21, 14: « *cum resurrexisset a mortuis* ». 20. 20 apostoli « gavisi sunt, *viso Domino* » *postquam eis* « *ostendit manus et latus* ». Thomas 20, 26-29 credidit « *viso* » Domino, idque tali modo, ut invitaretur: « infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis ».

In Act. apost. — Lc. 1, 3 « Praebuit seipsum *vivum* post passionem suam in multis argumentis (τεκμηρίοις=argumenta e certis indubiis signis), per dies 40 apparens eis et loquens de regno Dei ».

Petrus 2, 24 « quem Deus *suscitavit* », cui actioni applicat Ps. 15, 8 seq. « quoniam non derelinques animam meam in inferno *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* » 2, 32; « hunc Iesum *resuscitavit* Deus, cuius nos testes sumus ». 3, 15: « auctorem vitae interfecistis, quem Deus *suscitavit a mortuis* » cf. 4, 10.

Apostoli 4, 20: « Non possumus, *quae vidimus et audivimus*, non loqui ». Quod testimonium, Petro nomine omnium loquente, ad praedicationem de resurrectione Christi referri videtur. — 4, 33 apostoli « virtute magna reddebant *testimonium resurrectionis* Iesu Christi Domini nostri » — 4, 2-3: « Supervenerunt sacerdotes et magistratus templi et sadducaei, dolentes quod annuntiaverunt in Iesum *resurrectionem a mortuis* » — 5, 30: Petrus nomine discipulorum coram synedrio loquitur » Deus Patrum nostrorum *suscitavit* Iesum, quem

vos interemistis ». — 5, 22: « et nos sumus testes horum verborum (= rerum) ».

1 Petr. 1, 3: « Benedictus Deus, qui regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis ». — 1, 21 : « Qui *suscitavit eum a mortuis* et dedit ei gloriam, ut fides nostra et spes esset in Deo ». — 3, 21 : « Bonae conscientiae interrogatio in Deum per resuscitationem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem ».

Paulus in Act. Ap. 13, 30-37 Antiochiae Pisidiae in oratione ad Iudaeos et Proselytas evolvit conceptum resurrectionis: 34 « *suscitavit* »; 37 « non vidit corruptionem », « non visurus corruptionem »; argumenta vero eius 30, 31 ex experientia apostolorum, 32, 37 e vaticiniis Scripturae ducit. — Act. 17, 3: Thessalonicae summa praedicationis eius haec est: « *α)* Quia Christum oportuit pati et resurgere a mortuis [secundum Scripturas], et *β)* quia hic est Iesus Christus, quem annuntio vobis ». — Act. 17, 31-32: Athenis in Areopago a Paulo dicitur Deus « in viro.... fidem praebens omnibus, *suscitans eum a mortuis.* Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam autem dixerunt: Audiemus te de hoc iterum ». — Act. 26, 2-26 coram Agrippa Paulus et apparitionem Christi sibi factam exponit et ex prophetiis arguit: « testificans..... si passibilis Christus, *si primus e resurrectione mortuorum* ».

I Cor. 15, 1-58 locus est celeberrimus de resurrectione Christi. Quo loco S. Paulus haec agit: *a)* Factum probat testimoniis historicis immediatorum testium: 5 « *visus est Cephae* » « et post hoc *undecim* »; 6 « visus est *plusquam 500 fratribus simul*, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt »; 7 « *visus est Iacobo* », « *apostolis omnibus* »; 8 « novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et *mihi* ». — *b) Quae omnia Paulus ideo enumeravit, ut quorundam neophytorum dubium de resurrectione omnium mortuorum refutaret.* Quod ita praestat: Probat v. 1-20 : Christus resurrexit a mortuis; 21-8 : atqui Christi resurrectio postulat resurrectionem eorum, qui sunt Christi; 29-34 alia argumenta pro resurrectione omnium mortuorum addit; 35-58 *modum atque possibilitatem resurrectionis corporum illustrat.* — Resurrectionem Christi quod attinet, ita procedit: v. 3-4 factum statuit; 5-10 illud apparitionibus narratis probat; 15-20 ostendit, e negata Christi resurrectione absurda consectaria derivari; 21-8 declarat, cur primitiae resurgentium in ipso Christo constitutae sint: « Sicut in Adam omnes mo-

riuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur ». Ad Rom. 6, 10 : « Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo » ; 6, 11 : « Christus *resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* » ; 8, 34 : « Quis est, qui condemnet ? Christus Iesus, *qui mortuus* est, imo qui *et resurrexit*, qui *est ad dexteram Dei*, qui etiam interpellat pro nobis ? » ; 14, 7-9 : « Nemo enim nostrum sibi vivit et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus *mortuus est, ut et mortuorum et vivorum dominetur* ».

Qui loci, etsi nequaquam omnes sunt, qui de hac re agunt, sufficere posse videntur.

Accedunt tot *apocrypha evangelia*. Quae Christi resuscitati longos sermones referunt, narrant eum per menses et annos cum discipulis suis conversatum esse, novas circumstantias de historia resurrectionis Christi addunt. Ita v. g. secundum evangelium Petri, Pistis Sophia.

Pars II. **Continetur his testimoniis, testibus persuasum fuisse de nova vita corporis Christi numerice eiusdem eaque per eandem numero animam informantem.**

75. 1) Hoc maior pars ipsorum *Rationalistarum* concedit, utique rei evidentia coacta.

2) Idem sequitur e *considerata ratione temporum*. Nam, consentientibus doctis et catholicis et acatholicis, *hic conceptus resurrectionis corporalis erat vulgaris, imo unicus in Palaestina tempore Christi*. Excipiuntur Sadducaei, qui ideo ut secta religiosa habebantur.

V. g. 2 Macch. 7, 11 tertius e fortissimis filiis cum fiducia ait : « E coelo ista *(membra corporis mei)* possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam *ab ipso me ea recepturum spero* ». — Martha de Lazaro mortuo confitetur Io. 11, 24 : « Scio, quia resurget in novissimo die ». — Sadducaei persuasionem populi de resurrectione corporali referunt, cum Domino quaestionem proponunt: « In resurrectione ergo, *cuius erit de septem (maritis) uxor? omnes enim habuerunt eam* ».

E *libris apocryphis Iudaicis* cf. v. g. Apocalypsis Baruch c. 50 v. 1, c. 51 v. 6, quo loco docetur, in ipsa resurrectione homines *in eadem forma externa resurgere*, quam in vita habebant ; terram eos

reddere uti erant, idque eum in finem, ut inter se cognoscere possint; nonnisi postea corpora mutatum iri.

Cultus Iudaeorum idem refert: Schmone-Esre, celeberrima oratio cotidiana Iudaeorum, in 18 partes distincta, ad Deum dirigitur, « qui suscitat mortuos ». — Docti eum diris devovebant, qui affirmaret resurrectionem corporis e Pentateucho demonstrari non posse. Quare ipsi seriem talium argumentorum conficiebant.

3) *Hanc persuasionem ipsi testes*, quos n. 74 p. 149-52 adduximus *diversis modis exprimunt.*

Loquuntur *a)* de resurrectione **corporis**. Nam *α)* expressiones adhibent, quae *totum hominem complectuntur*, non vero animam solam: suscitare, resurgere ex mortuis. — *β)* Proponunt resurrectionem Christi ut *exemplar resurrectionis omnium beatorum* in ultimo iudicio. Hanc autem certissime corporalem habebant. — *γ)* Praedicant se vidisse eam vitam beatam Christi, quae *opponitur* non tantum infelicitati solius animae, sed *ei statui, qui in separatione animae a corpore habetur.* Etenim

I. *Opponunt vitam Christi vitae spiritus, qui carnem et ossa non habeat.* — Opponunt eam ordinario statui separationis corporis et animae. Opponunt enim statum Christi *statui animae et corporis David,* « qui defunctus est et sepultus et sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem ». Christus autem et resuscitatus est, et ita quidem ut vi huius suscitationis et anima erepta sit ex Scheol et corpus factum sit incorruptum. — Opponunt eam *possibilitati corruptionis :* « nunc non iam moritur », « non visurus corruptionem », « deglutiens mortem ». Id quod de sola beata immortalitate animae inepte ut magnum quid extollerent.

II. *Effectus eos huius vitae* Domino *tribuunt,* ut possit *videri, palpari, manducare* (cf. Lc. 24, 39, 41, 42); ut in hoc miraculo atque in hac impletione prophetiarum de nova vita corporali Christi habeant firmissimum motivum credibilitatis: « fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis ».

b) Loquuntur de resurrectione **corporis numerice eiusdem**. Nam sepulcrum vacuum aliquid confert ad persuasionem apostolorum de Christi resurrectione. Thomas loca clavorum inspicere desiderat, ut identitatem hominis recognoscat. Christus secundum evangelistas omnibus ad eundem finem loca clavorum in pedibus et manibus

ostendit. Eandem habent resurrectionem Christi atque nostram, hanc vero ita conceperunt, ut idem corpus esset in mortuo, in resuscitato.

c) Eos **de eadem anima** Christi loqui nemo negat.

d) **Animam habebant ut vere informantem corpus resuscitatum.** Cogita tales expressiones, uti « praebuit se ipsum *vivum* ». Proponebant hunc statum Christi ut *exemplar nostrae vitae corporalis* post resurrectionem. Faciunt Christum *comedere, ut tali actione probet se spiritum non esse.*

Difficultates.

76. *Ob. 1)* — *Apostoli ne conceptum quidem resurrectionis habuerunt.* Nam *α)* Mc. 9, 9 legimus: « Et verbum continuerunt apud se, *conquirentes, quid esset: Cum a mortuis resurrexit* ». — *β)* Accedit quod Christus *nunquam clare de resurrectione carnis suae locutus est.* Verba eius tantum gloriam quandam atque triumphum non omnino determinatum exhibent.

R. — *Quoad α)* Probavimus evidenter, in apostolis fuisse conceptum verae resurrectionis. Verba apostolorum obiecta explicari possunt ita, ut nescirent, quomodo verba Christi essent concilianda cum sententia, quam eo tempore tenuisse videntur, Messiam non moriturum, ideoque non resurrecturum esse. Unde dubitarunt. *num ordinarius conceptus resurrectionis Christi, quem habebant, his eius verbis exprimeretur.*

Quoad β) Christum clarissime ante mortem suam de resurrectione carnis suae locutum esse, in thesi de vaticiniis Christi data opera probabimus.

Ob. 2) — *Apostoli negabant Christum in carne resurrexisse.* Affirmabant tantum quandam spiritualem exaltationem animae eius. Nam

α) Paulus, 2 Cor. 3, 17 ait: « ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν ». Dominus autem ei Christus est.

β) Paulus 2 Cor. 5, 16 post sic dictam Christi resurrectionem scribit: « *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus* ». Iamvero qui non cognoscitur secundum carnem, corpus non habet.

γ) Paulus Gal. 1, 15-6 de se confitetur: « Quum autem placuit (Deo).... *ut revelaret Filium suum in me* ». Ergo Paulus apparitiones solum subiectivas novit. Hoc primo valet quoad eas visiones, quas ipse habuit. Deinde idem ad visiones apostolorum applicandum est. Nam

1 Cor. 15, 8 suam visionem eiusdem generis habet atque eas, quas caeteri apostoli habuerunt.

δ) 1 Cor. 15, 47 Adam et Christus ita a Paulo inter se opponuntur: « Primus homo de terra terrenus, *secundus homo de coelo (addit Vulg.* « *coelestis)* ». « Atqui si Christus post resurrectionem corpus suum proprium iterum assumpsisset, non posset dici homo de coelo, in oppositione ad Adam « de terra terrenum ».

R. — Evidenter demonstravimus Paulum conceptum verae resurrectionis habuisse. Cui loci adducti nequaquam opponuntur.

Secundum contextum sensus primi est: « *Ille Dominus,* ad quem Iudaei converti debent, *est* Spiritus sanctus, *tertia persona Trinitatis.*

Secundi textus sensus videtur is esse: « Etsi ante conversionem meam putavi, Messiam genti suae Iudaicae debere afferre potentiam, gloriam externam, carnalem, tamen nunc, post conversionem meam, *didici Messiam suis bona spiritualia afferre* ».

Tertii loci sensus videtur is esse: « *Ita* Filium suum mihi *revelavit, ut,* uberrima illustratione intellectus inde percepta, *ea revelatio desideratissimos pro apostolatu meo fructus in me produceret* ».

Quartus textus ita exponendus esse videtur: « Christus *naturam suam divinam de coelo habet.* Unde ei ius competebat, ut etiam corpus eius coelesti gloria circumfunderetur. Quo iure tandem in resurrectione sua usus est.

Caeterum e textibus, qui, omnibus confitentibus, obscuriores sunt, nunquam evidens aliorum textum sensus impugnari potest.

Propositio 19. Constat de veracitate et scientia eorum testium, qui affirmant, se Christum redivivum vidisse.

77. *Sunt, ut vidimus, testes hi:* 1) Maria Magdalena, quae dixit, se cum Christo resuscitato locutam esse; 2) duae aliae mulieres; 3) duo discipuli in Emaus euntes; 4) Petrus; 5) 10 discipuli die resurrectionis in Ierusalem; 6) 11 apostoli octo diebus post; 7) aliquoties quidam discipuli in Galilaea, uti 7, quibus apparuit Christus ad lacum Tiberiadis; 8) quingenti simul; 9) Iacobus sigillatim; 10) deinde « apostoli omnes »; 11) omnes illi, qui eum in coelum ascendentem viderunt. — A Paulo ut teste immediato in argumentatione nostra interim abstrahimus. Praecipue insistimus in caeteris apostolis testantibus. De S. Paulo postea ad finem tractationis quaedam addemus.

Pars I. Constat de veracitate horum testium.

Supponimus, quod postea demonstrabitur, apostolos praecipue resurrectionem Christi ut motivum credibilitatis proposuisse.

NON ADERANT MOTIVA MENTIENDI.

1) *Motiva mentiendi non petebantur e bonis temporalibus.* — Loco *pecuniae* atque similium adepti sunt aerumnas atque pauperiem, loco *voluptatum* carceres et mortes, idque per tot annos in terra Palestiniensi atque in regno Romanorum. — *Honor privatus* principaliter in Christum refundebatur ; is vero qui in apostolos derivabatur, parvus erat isque inter paucos credentes, irrisio vero atque ignominia ex hoc testimonio sequens ab innumeris et Iudaeis et ethnicis incredulis toleranda erat. — *Gloria mundana gentis* non adduxit apostolos ad mentiendum. Religio enim christiana falsas ideas Iudaeorum de suispraerogativis in regno Messianico destruxit. Unde odium, quo Iudaei patriae nimium amantes religionem Christi prosecuti sunt, in apostolos, praecipue ut nuntios resurrectionis Christi conversum est.

2) Eiusmodi motiva mentiendi *non* erant sita *in bonis spiritualibus.* — Non impulit exaggeratus quidam *amor Christi hominis sancti vel prophetae.* Si enim apostoli cognovissent, Iesum non resurrexisse non potuissent eum non habere sive stultissime deceptum sive pessime decipientem. Recordati enim sunt, eum ad resurrectionem suam ut ad signum primarium suae legationis provocasse. Iamvero leges psychologicae non patiuntur, eiusmodi hominem sive stultissimum sive pessimum tali in loco haberi, ut propter eum mortem quasi continuam in apostolatus munere subirent. — Eos non movit ad mendacium promovenda vera *hominum felicitas vel Dei gloria.* Etenim de gravitate talis peccati persuasum erat apostolis. S. Paulus 1 Cor. 15, 14; 17-9 haec habet: « Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra ; invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non resuscitavit, si mortui non resurgunt ». « Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac tantum vita in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus ». Similes cogitationes in omnibus

apostolis supponendae sunt. Id quod et ex natura rei patet et ex iis erui potest quae de miraculis Christi agentes p. 39 et 48 diximus. Resurrectio enim Christi praecipuum erat inter Christi miracula.

ETSI ADFUISSENT MOTIVA MENTIENDI, EA IN APOSTOLOS AGERE NON POTUISSENT.

Viderunt enim apostoli, nullam esse spem, fore ut tali mendacio finem suum stabiliendae religionis christianae obtinerent. Etenim *iis ignotum non erat, homines nullam fidem sibi esse adhibituros.*

Non *Iudaeos.* Nimia enim stultitia est, fidem in eius resurrectionem postulare, cuius corpus fas est in sepulcro intueri. Iamvero si die Dominica non resurrexisset, apostolis publice iure obiectum esset, eum in sepulcro iacere eo tempore, cui ei resuscitationem ascribebant. *Non enim sublatum fuisset corpus Iesu eo tempore.*

α) Non sublatum fuisset naturaliter. — Non illud sustulerunt *apostoli.* Nam haec theoria risu ipsorum Rationalistarum hodie excipi solet; non convenit cum probata Mt. veracitate, qui hanc narrationem disertis verbis fabulis annumerat; non congruit cum statu virium physicarum et moralium apostolorum, quippe qui, teste historia, spe deiecti atque timidi milites aggredi ausi non essent; repugnat notae probitati eorum, quia furto cadaveris Christi commisso, nequaquam Christum resurrexisse affirmassent.

Non alii corpus Christi furati sunt, sive v. g. *hortulanus,* ne « lactucae suae frequentia commeantium laederentur », sive *proprietarius*, « ne hominem crucifixum in suae familiae sepulcro toleraret ». Etenim, aliis omissis, si ulla in concreto fuisset talis criminis probabilitas, synedrium caeterique inimici Christi non recurrissent ad stultam narrationem de furto discipulorum, tandem ad verbera et mortes apostolorum ut eos a praedicanda resurrectione Christi impedirent.

Aliquando *terraemotus* corpus Christi sustulisse dictum est. At quamvis descendente angelo de coelo « terraemotus magnus » factus sit, atque ideo haec explicatio, si quid probabilitatis habuisset, Iudaeis quasi obtruderetur, tamen nemo eam proposuit. Deinde terraemotus nullam reliquerat scissuram, non complicuisset sudarium etc.

β) Praeternaturales causae corpus non abstulerunt. Quod, *ad hominem* erga Rationalistas argumentando, probare non necesse est. — *Rem ipsam* quod attinet, *diabolus* corpus non abstulit. Ignorare enim

non poterat, tali facinore se quam maxime conferre ad primarium credibilitatis motivum pro religione christiana stabiliendum. Neque *Deus* corpus removit. Videbimus enim, eum aliud testatum esse, aliud patrasse miraculum.

2) Sciverunt apostoli *ethnicos* sibi mendacium de resurrectione Christi referentibus minime crediturus esse. Ethnici enim non tantum nunquam viderant tale factum, verum etiam praecipue culti ipsam eius possibilitatem ridere solebant. Quod Paulus aliquando Athenis expertus est. Generatim, testibus multis apologetis primorum temporum, doctrina de resurrectione per saecula quam maxime incredibilis ethnicis videbatur. Ergone apostolis in animo erat, doctrinam christianam iam in se difficillimam, difficillimo invento motivo fulcire? ergone iis persuasum erat, fore ut sibi, stultis atque despectis Hebraeis, incredibilia mentientibus, gentes omnes fidem adhiberent?

ETSI MOTIVA MENTIENDI ADFUISSENT, APOSTOLI NON POTERANT HABERE SPEM, FORE UT TESTES PER TOTUM APOSTOLATUS TEMPUS IN MENTIENDO MANERENT UNANIMES VEL FRAUDES NON DETEGERENTUR.

Nam testes resurrectionis Christi et multi erant (semel circa 500), et statu ac natura timidi, v. g. apostoli, mulieres. Audiverant autem a Christo, imo cum vix illius testimonii reddendi initium fecissent, etiam experientia persenserant, sibi ob testimonium resurrectionis gravissimas perpessiones fore tolerandas. Videre debebant, *dolores in aliquibus fraudi finem impositurus esse.* — Porro nemo serio *talem dexteritatem in fallendo unanimiter* tot mulieribus, piscatoribus, aliis id genus hominibus Galilaeis ascribet, ut ne a synedrio quidem rem quam maxime inquirente erroris convincerentur, quamvis per annos ea praedicarent, quae synedrio semper remanebant molestissima, contra quae etiam nuntii in diasporam mittebantur.

Tandem ipsi Rationalistae hodie concedere solent, *fraudem absolute excludi ob mutationem psychologicam apostolorum*, quae « eventui paschali » debeatur.

ETSI MOTIVA MENTIENDI ATQUE SPES SUCCESSUS ADFUISSENT, TAMEN TESTES RESURRECTIONIS CHRISTI EIUSMODI MENDACIUM NON COMMISISSENT.

Quod ut percipiatur, ea repetere sufficiet, quae de simili re in sectione de miraculis Christi diximus. Cf. prop. 5 n. 25 p. 38.

Pars II. Constat de scientia debita horum testium.

78. Quae in resurrectionis conceptu continentur, generatim in concreto facillima sunt cognitu.

Quod iam inde patet, quia in cotidiana vita omni die cum certitudine haec omnia in recognoscendis amicis, fratribus etc. praestamus. Num propter circumstantias in hoc casu speciales difficultates intercesserint, sequentibus videbimus.

Facultates cognoscitivae debite dispositae erant.

1) *Excluduntur causae naturales, quae illas male disposuerint.*

a) Quoad sensus. — Testes et *multi* erant, aliquando plures quam quingenti, et *diversae conditionis:* viri, mulieres, aetate magis provecti, iuniores; homines porro, quorum *sani sensus* vita publica antea cum Christo acta probati erant. Iamvero statuere velle, in talibus hominibus omnibus (*per annos* continuo fuisse, aut) *subitanea quadam mutatione,* tempore inter mortem et resurrectionem Christi, tales defectus sensuum subito intercessisse, ut Christum recognoscere non potuerint, idem est, atque leges naturae mutare atque omne testimonium humanum impossibile reddere. — Minimi autem defectus, qui secundum medicos in omnibus hominibus inveniuntur, nullo modo impediunt, quominus homines subiectiva ab obiectivis discernant, inter se agnoscant, etc.

b) Quoad phantasiam (et sensus simul). In sic dictis apparitionibus Christi *exclusae* sunt *hallucinationes et illusiones.*

a) Consideratur obiectum illusionum et hallucinationum.

I. Illusiones et hallucinationes in singulis *valde diversae esse solent, minime vero* perfecte eaedem. Sunt enim subiectiva affectio morbosa sensuum et phantasiae, quae affectio in singulis diversa est. — At sic dictae illusiones et hallucinationes apostolorum pro omnibus testibus *idem omnino obiectum perfectissima identitate repraesentant.* Omnes vident Christum, eumque omnino eadem qualitatum serie praeditum: viventem, vulneratum, simul sanum et vegetum, penetrantem portam, subito evanescentem, eadem agentem, comedentem de pisce, afflantem apostolos. Omnes audiunt loquentem, imo proferentem eosdem sermones, de rebus diversissimis per longum tempus referentem, saepe iisdem verbis utentem.

II. Illusiones et hallucinationes *non exhibent novum intelligentiae perfectae opus.* Cum enim procedant a sensibus et phantasia, in quantum subtracta sunt directioni intellectus, is tantum ordo in iis invenitur, qui produci potest operatione reproductionis et arbitrariae combinationis et exaggerationis earum impressionum vel phantasiarum, quae iam antea habitae sunt. — At Christi sermones in apparitionibus habiti excedunt operationem phantasiae inordinatae apostolorum, in quantum illusionibus vel hallucinationibus laborarent. Etenim constituunt evolutionem quam maxime sapientem earum doctrinarum, quas Christus in vita mortali proposuit. Cogita doctrinas de remissione peccatorum, primatu, Trinitate, explicationes prophetiarum. Porro prophetias de Petro et Ioanne de assistentia Christi apostolis usque ad consummationem saeculorum exhibenda, quas historia evenisse testatur. Denique et a nobis postea indicabitur et in Dogmate amplius evolvetur, quantopere actiones quas Christus in apparitionibus exercet, atque status corporis eius qui in apparitionibus manifestatur, cum munere Christi atque statu animae eius concordent.

III. Hallucinationes generatim *concordant cum mensura intellectus hominis*, qui eas habet et cum *dispositionibus actualibus eius phantasiae, intellectus, voluntatis.* Ab iis enim proficiscuntur. — Iamvero in sic dictis apparitionibus Christi multa sunt, quae e talibus actualibus dispositionibus apostolorum explicari nequeunt. Etenim verba, actiones, status Christi, ea prae se ferunt quae eo tempore ab apostolis minime erant exspectata. In Emaus euntes cogitant de mortuo — apparet sub alia specie vivus; versatur ob oculos ut oppressus — exhibetur resuscitatus atque sanus; timidi sunt — et constituuntur superiores omnium hominum; adhuc carnalia sapiunt — et instruuntur a Christo de necessitate perpessionum etc.

β) Considerantur circumstantiae illusionum et hallucinationum.

I. Hallucinationes supponunt *dispositionem quandam subiecti,* statum quendam excitationis, qua iam antea in obiectum ferebantur secundum eam rationem, quae postea in hallucinationibus exhibetur. — Iamvero quoad Christi resurrectionem testes valde sobria et tranquilla mente utebantur. Non vivide recordabantur praedictionum Christi de sua resurrectione. Maria Magdalena de solo inveniendo corpore sollicita erat, idque etiam postquam sepulcrum vacuum esse audierat. Discipuli in Emaus euntes ne ipso quidem nuntio resurrectionis ad spem erigebantur. Apostoli putabant, mulieres quae resurrectionem

narrabant insania laborare. Ne iis quidem discipulis credebant, qui ab Emaus reversi referebant, se eum vidisse. Ne tunc quidem, quando Iesus coram ipsis adstabat, admittebant, eum vere esse praesentem, nisi postquam argumenta indubia sumpserant. Etiam post quasdam alias apparitiones iam factas, cum aliquando quingenti simul eum viderent, non deerant, qui dubitarent.

II. *Quoad tempus quo illusiones et hallucinationes oriuntur atque disparent.* Cum eae sint morbus naturalis, *non subito cum magna vehementia hominem invadunt atque subito rursus recedunt*, sed, teste experientia, crescere solent atque adhibita cura decrescere. — At in testibus resurrectionis subito initium habent die Paschatis, subito finem accipiunt die quadragesimo.

Affectiones hae secundum diversos organismos diversae sunt. Unde *non eodem omnino tempore in omnibus et initium et finem habent.* Multo minus singula eius status phaenomena seu visiones eadem minutissima temporis particula in omnibus esse incipiunt et desinunt. — At generatim pro omnibus tempus apparitionum Christi 40 diebus absolvitur; singulae visiones eodem tempore pro omnibus initium et finem habent; singulae visionum phases eadem ratione in omnibus inveniuntur.

c) Praeiudicia intellectus exclusa sunt. Ea enim, quamdiu non accedunt hallucinationes vel illusiones, *non id efficiunt, ut ab hominibus firmissime inhaereatur errori apertissimo circa ipsam obiectivitatem obiecti plane eximii, quod experientiae sensili subiectum est.* Iamvero hallucinationes et illusiones exclusimus. — Praeterea demonstravimus, ideas quas apostoli de Christo habebant, amorem, quo eum complectebantur, eos omnino non ad id impulisse, ut vividas ideas de Christi resurrectione sibi formarent vel mente continuo revolverent. Unde deerant occasiones, in quibus talia praeiudicia orirentur.

2) *Excluduntur praeternaturales causae dispositionis malae facultatum cognoscitivarum.*

a) Diabolus in hac re invincibiliter fallere homines omnino non vellet.

b) Neque *ullus spiritus* alius ad tales errores gignendos licentiam a Deo recipere potuit. Cum enim nihil sit, quod errorem manifestare posset, periret certitudo naturalis ad vitam necessaria. Id quod praecipue repugnat in re religiosa, cum de motivis credibilitatis agi-

tur. Quae enim ad religionem atque revelationem spectant, specialissima ratione providentia Dei regantur necesse est.

c) Neque anima Christi, si ea adfuisse supponitur, *neque ipse Deus* iudicium falsum de obiectivitate visionum directe causare poterat. Deus enim atque Christus, qui ad id venerat, ut testimonium daret veritati, non directe causant errorem, eumque in re tanti momenti. Neque eas apparentias causare poterant, unde apostoli connaturaliter, secluso abuso libertatis, obiectivitatem visionum corporalem non concludere non potuissent.

TESTES FACULTATES SUAS PRO NATURA REI SUFFICIENTER APPLICARUNT.

1) *Uti omne miraculum*, ita hoc insigne factum *attentionem ad se attraxit.*

2) Imo *ad hoc miraculum cognoscendum specialissimam attentionem* dirigebant. Nam apostoli sciebant, ab hoc miraculo omnem suae vitae rationem dependere. Admoniti enim sunt ab angelis Lc. 24, 7, Christum resurrectionem suam praedixisse. Unde ab ea secuta vel non secuta ex mente apostolorum ratio legati Dei in Christo dependebat. Praeterea a Christo resuscitato praecepta gravissima pro tempore apostolatus sui acceperunt.

3) Quantum *studium* in Christo recognoscendo adhibuerint, *diversis modis evangelium effert.* V. g. Lc. 24, 27-43 narrat, eos dubium, quod initio visionis conceperant, diligenter adhibitis oculis, visis Christi manibus, pedibus, latere, deposuisse. Secundum Io. 20, 27-9 Thomas post octo dierum incredulitatem etiam sensu tactus se certiorem reddidisse videtur. Secundum Mt. 28, 9 mulieres sensum tactus adhibuerunt. Idem de apostolis generatim concludunt ex Lc. 24, 39: «.... palpate et videte, quia Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere ». Id ex iis repetunt, quae connaturaliter accidunt inter eos, qui in mensa et usu cotidiano saepius simul conversantur; e studio quod Christus ostendit, ut omni sensibili modo eos de sua corporeitate certiores reddat. Addunt quidam 1 Io. 1, 1-3: « Quod.... audivimus.... et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae.... annuntiamus vobis ». Recte etiam provocant ad Ignatium ep. ad Smyrn. c. 2-4 ed. Funk[2] p. 277 c. 3: « Ego enim scio, et post resurrectionem eum in carne fuisse, et credo eum adhuc in carne esse. Et

quando ad Petrum et socios eius venit, dixit eis: Apprehendite, palpate me et videte, quod non sim daemonium incorporale. Et confestim ipsum tetigerunt et crediderunt, commixti carne eius et spiritu. Propter hoc etiam mortem contempserunt et mortis sunt inventi victores. Post resurrectionem autem cum illis comedit et bibit ut carnalis, quamvis spiritualiter unitus esset patri ». Quo in loco S. Martyr contra Docetas agit.

Propositio 20. Christum nova vita donatum fuisse e testimonio aliorum testium colligitur.

Testantur angeli.

79. Independenter a demonstrata resurrectione Christi demonstrari potest, factum quod narrant Mt, 28, 5-7; Mc. 16, 6-7; Lc. 24, 4-8 fuisse veram apparitionem angelorum, qui in rebus suis annuntiandis veraces fuerint. Iamvero clare pronuntiant: « resurrexit », in quo nuntio omnia continentur. Ergo huic nuntio standum est. — Quoad maiorem cogita absentiam illusionum et hallucinationum e parte testium; sapientiam et pietatem eorum, quae illi spiritus annuntiant; absentiam omnis signi fraudis; persuasionem Iudaeorum, angelos bonos Dei nomine loqui.

Testatur anima Christi.

Independenter a demonstratione, Christum resurrexisse in carne, probari potest, saltem animam Christi apostolis apparuisse atque testatam esse, se in resuscitato corpore numerice eodem, quod ipsa antea informaverat, denuo per modum informantis habitare. Iamvero anima Christi in hac re summi momenti pro salute hominum atque gloria Dei ex una parte veracissima erat; ex alia parte ignoratio certissime exclusa est.

Quoad maiorem. — 1) *Animam Christi apparuisse* ita probatur: Certe Ens spirituale quoddam obiective apparuit. Id quod sequitur exiis, quae n. 78 p. 159-62 de exclusione illusionum et hallucinationum proposuimus. — Hoc Ens spirituale certe bonitate morali excellebat, quippe quod opus sanctissimum Christi quam maxime promovebat. Ergo mentitum non est neque in re tanti momenti incerta ut certa vendidit.

2) Anima Christi *confessa est se in corpore resuscitato per modum informantis habitare*. Ac primo quidem anima Christi confessa est, se

esse eandem, quae antea corpus Christi informaverat: Lc. 39, 36 « Pax vobis », « ego sum », scilicet is, quem me esse adhuc dubii haeretis etc. Porro modo agendi et loquendi, doctrina, miraculis se evidenter eundem dicit, qui ante paucos dies morte e medio suorum ereptus erat. — Deinde *suam novam coniunctionem cum eodem corpore per modum informantis affirmat.* Etenim

α) Dicit « se resurrexisse ». Cf. Mc. 16, 14 : « Novissime recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt ».

β) Singulas partes conceptus resuscitati ad se applicat. Se *corpoream* habere partem affirmat Lc. 34, 39 ; Io. 20, 20 ; Ign. ad Smyrn. c. 3. — Se *idem* habere corpus eo edicit, quia Lc. 29, 39 manus et pedes, Io. 20, 20 latus ad eum finem ostendit, ut cognoscant apostoli « quia ego sum », scilicet idem Christus, qui antea vixit. — Animam suam *informare* corpus eo affirmat, quod actionem vitalem comedendi et bibendi ad eum finem ponit, ut se vere resurrexisse demonstret. Lc. 24, 41-43 : « Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram illis, sumens reliquias dedit eis ». Quare etiam Petrus hoc argumento ut praecipuo utitur Act. 10, 40-1 : « Dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis ».

Testatus est Deus providentia sua.

Sapientiae et bonitati Dei repugnat, medio obiective falso uti ad praestantissimos effectus in mundo efficiendos. Atqui in thesibus de veritate theologica et relativa resurrectionis videbimus, Deum usum esse praecipue resurrectione Christi ad religionem christianam stabiliendam, idque diversis modis, sive in quantum erat praecipuum motivum credibilitatis sive aliis modis postea enumerandis.

Testantur plurimi, quibus quamvis ipsi apparitiones Christi non habuerint, tamen de Christi resurrectione persuasum erat atque est.

Homines innumeri, etiam quam maxime culti, hoc factum ut maxime certum atque praecipuum fidei christianae fundamentum admi-

serunt atque admittunt. Quae persuasio non oritur ex influxu inordinato voluntatis, quippe quae ad gravissima officia suscipienda et retinenda oriatur; non ex rei verisimilitudine, cum maximam quandam atque mundo ethnico incredibilem exceptionem a lege naturae contineat. Ergo explicari nequit nisi eo, quod humanum genus vidit sufficientia motiva ad iudicium hoc admittendum, sive ea erant nova quaedam miracula sive alia certa indicia. Quod argumentum a sapientissimis apologetis saepe inculcatum est.

Propositio 21. Christum nova vita donatum fuisse colligitur e natura apparentiarum, quae in evangeliis relatae sunt.

80. In hoc argumento auctoritatem apostolorum humanam in tantum consideramus, in quantum ipsas apparentias fideliter retulerunt. Naturam vero apparitionum non ob eorum auctoritatem assumimus, qua instructi scilicet, ut vidimus, testati sunt, Christum vere resurrexisse, sed ipsi e scientia propria diiudicamus.

1) Id quod apparuit erat *aliquid obiectivi, ens corporeum, ens spirituale.* Hoc ex eo patet, quia testium hallucinatio atque illusio exclusa est. Praeterea Ens illud quod apparet, et in modo gerendi corpus et in cognitionibus, quas profert, omni parte Christi animam et corpus imitatur, atque *se Christum redivivum profitetur.*

2) In his apparitionibus habetur aut aliquid *miram a spiritu malo procedens*, quod mentiendo se Christum fingit, *aut miraculum divinum.*

3) *Mirum diabolicum excluditur.* Nam nullum adest signum in his apparitionibus, unde aliqua colligi possit malitia, debilitas, insipientia. E contra omnia omni ex parte perfectiones divinas contrarias commendant. Imo Ens illud quod apparet, et miracula patrat, uti piscium piscationem, et prophetias edit de ratione mortis Petri, Io. 21, 18; de adventu spiritus sancti, eo tempore, quo adhuc in urbe sancta commoraturi essent apostoli, Lc. 24, 49; de adiutorio, quo religionem suam conservaturum sit, Mt. 28, 20. Quae praedictiones evenerunt atque ex ipsa natura sua naturalem spirituum creatorum scientiam superant. Accedunt effectus sanctissimi his apparitionibus producti.

4) Iamvero *Deus non poterat miracula haec efficere*, quae in ipsis his apparitionibus consistunt, quae praeterea per Ens illud ap-

parens patrantur, *si illud ens in hac re maximi momenti mentitum esset.* Iamvero ad apparentias, quas apostoli de illo Ente recte referunt, etiam illud pertinet, quod illud Ens apparens multis modis se ut Christum resuscitatum proposuit. Ergo his apparitionibus vere Christus redivivus apparuit.

Propositio 22. Fallaces sunt rationes quae contra veracitatem atque praecipue contra scientiam testium immediatorum resurrectionis Christi allatae sunt.

Pars I. **Immerito veracitas apostolorum in asserenda resurrectione Christi in suspicionem adducta est.**

81. *Ob. 1)* — In Epistula Barnabae c. 5 ed. Funk [2] p. 53 *apostoli* vocantur « *homines omni peccato iniquiores* ». — *Paulus* 1 Tim. 1, 15 scribit « .... *quorum (peccatorum) primus ego sum* ». — *Petrus* Christo confessus est: « Discede a me, quia *homo peccator sum* ». Atqui insignes peccatores veracitate non praestant.

R. — *a)* Probavimus n. 77 p. 156-8 apostolos etiam volentes ob circumstantias mentiri non potuisse.

b) Apostoli *post descensum spiritus sancti*, quo tempore quam maxime testimonium de Christi resurrectione dabant, insignes peccatores erant, n., imo *heroica sanctitate fulgebant;* antea, tr. Non enim antea hoc testimonium reddiderunt.

c) Quoad singulos testes: *Epistola Barnabae*, quae neque canonica est neque apostolo ascribenda videtur, *aut excedit aut hyperbolice* statum peccati in oppositione ad iustitiam Dei exprimit. — Verba 1 Tim. 1, 15 Paulus certe de ratione apostolatus post conversionem suam exsequendo intelligit, de qua 1 Cor. 4, 4 habet: « *Nihil mihi conscius sum* ». Ipsa verba varie explicantur. — Petri verba tantum *humilitatem* eius commendant.

Ob. 2) — Fures, qui *corpus Christi surripuerunt*, certe nullius virtutis homines sunt. Atqui hoc maximum apostolorum peccatum testantur Iudaei, synedrii legati, (cf. Iust., Dial. cum Tryph n. 108 MG 6, 726-7) libri Talmudici, Rationalistae quidam recentiores.

R. — Ex aliis horrendis mendaciis, quae *synedrium* contra Christum protulit, constat, illud *nulla auctoritate pollere.* — *Librorum talmudicorum* auctoritas historica *a doctis nullius fit.* — *Rationalistarum maior pars* etiam ideo hanc *furti theoriam reiicit*, quia ea habita ut

reali, illa mutatio, quae teste historia post sic dictas apparitiones Christi in apostolis conspicitur, non iam eo modo explicari potest, qui cum psychologiae legibus congruat.

Ob. 3) — *Testes resurrectionis Christi erant soli eius amici;* ergo ii qui eam testantur, aliquid in favorem et amici sui et sui ipsius et rei christianae edicunt. Atqui *testimonium amicorum* in suum atque amici favorem *suspectum est.*

R. — *a) Nego maiorem esse universaliter veram.* Paulus quando visionem Christi habuit, nondum amicus eius erat, sed ipsa visione amicus constitutus est. Neque ea quae apostoli testabantur in materiale commodum apostolorum cedebant.

b) Quoad minorem. Amicitia tantum per accidens veracitatem testimonii, quod in favorem amici profertur corrumpit. Talem vero influxum per accidens in apostolis exclusimus. Apostoli non erant tantae malitiae atque tantae stultitiae, quae ad tale mendacium requiruntur.

Pars II. **Falsae sunt rationes, quibus scientia apostolorum in asserenda resurrectione Christi impetitur.**

82. *Ob. 1)* — *Obiecta pure supernaturalia non sunt obiecta observationis sensilis.* Iamvero resurrectio Christi eiusque in vitam immortalem ingressus constituunt aliquod obiectum pure supernaturale.

R. — *Nego duplex suppositum difficultatis.* Primum suppositum falsum est, *resurrectionem Christi esse supernaturalem sensu stricto,* i. e. ens, quod ex natura sua intrinseca relationem dicit ad visionem beatificam. — Secundum suppositum falsum est, *ipsum ingressum Christi in vitam immortalem esse obiectum testimonii apostolorum, de quo agimus.* Obiectum est miraculum per se sensibile, quod consistit in mutatione corporis mortui Christi in corpus vivum eadem anima informante. Hoc vero obiectum mediantibus sensibus et intellectu naturali ratione cognosci potest.

Ob. 2) — Quod quis non vidit, testari nequit. Atqui, *omnibus concedentibus, nemo resurrectionem Christi vidit.*

R. — Dist. ma.: Nemo ut testis immediatus ullam mutationem testari valet nisi eam aut in fieri aut in facto esse viderit, c. ma.; nisi eam viderit in ipso fieri, n. ma. — Contradist. min.

Ob. 3) — Circumstantiae indeterminatae nequeunt esse causae iu-

dicii certi. *Atqui de apparitionibus nobis aliae circumstantiae notae non sunt nisi indeterminatae, vagae.*

R. — Circumstantiae nimis indeterminatae sunt, quam ut nobis possibile reddant iudicium formare de eo facto historico, de quo solo agitur, scilicet Christum post mortem redivivum fuisse, n.; nimis indeterminatae sunt, quam ut multa alia iudicia circa resurrectionem Christi formare possimus, quae formare posse iucundum esset, c.

Expl. Non possumus v. g. determinare, per quantum tempus singulae apparitiones duraverint, de quot rerum speciebus Dominus in iis cum apostolis sermones miscuerit, etc. Ratio multiplicis indeterminationis in rebus, quae ad iudicium de facto resurrectionis scitu necessariae non sunt, praecipue provenit ex summa brevitate relationum evangelistarum. Mt. de tota re versus habet 20, Mc. 20, Lc. 53, Io. 56.

Ob. 4) — Circumstantiae multae ab evangelistis quoad resurrectionem Christi relatae inter se contradicunt. Iamvero *narrationes, quae continent circumstantias inter se pugnantes, nequeunt fundare iudicium certum de resurrectione Christi.*

R. — Dist. ma.: *Quaedam circumstantiae, quae ad demonstranda signa vitae alicuius momenti sunt, sive vere contradicunt inter se sive saltem contradicere videntur, n. ma.;* quaedam circumstantiae, quae ad demonstranda signa vitae *nullius momenti sunt, subdist.:* eae inter se *vere contradicunt, n.;* inter se contradicere *videntur* ei qui eas leviter tantum considerat, iterum *subdist.:* atque hac ratione *certitudo historica* narrationis de ipsis signis vitae et generatim relationis evangelistarum destruitur vel minuitur, n., imo methodologi dicunt, eam talibus erroribus minimis suo modo augeri; saltem non minuitur, c. — Contradist. min.

Expl. 1) Augetur certitudo hac ipsa apparente discrepantia, quia ea produntur diversi fontes, qui substantialiter idem referunt. Discrepantiae autem e diverso fine narrandi diversorum evangelistarum explicationem aptam habent.

2) *Difficultates singulae* quoad quasdam circumstantias, quae cum resurrectione Christi aliquo modo cohaerent, quaeque saltem aliquod momentum habere quibusdam videntur, *hac positiva explicatione probabili excluduntur.*

1) Maria Magdalena sive sola sive simul cum alia Maria caeterisque mulieribus accedit ad sepulcrum. — 2) Hora qua accedunt ita describenda

est: « sero diei Sabbati, quae dies est ab ortu solis diei Sabbati, usque ad ortum solis diei Dominicae (vel ' post diem Sabbati quae dies Sabbati est a vespera feriae sextae usque ad vesperam diei Sabbati '), ea hora, quae lucescit in primam diem hebdomadae ». Significatur *diluculum diei Dominicae*, quod etiam expressione σκοτία exprimi potest, quo tempore sol iam ortus radiis suis tenebras dispellere iamiam incipit. — 3) Mulieres neque inveniunt corpus Christi in sepulcro vacuo, neque angelos vident. — 4) Ideo, relictis caeteris mulieribus, Maria Magdalena sola ad Petrum currit, ut nuntiet corpus non inveniri. Interim caeterae vel e sepulcro etiam ipsae egrediuntur, vel forte etiam in eodem remanent; saltem secus illud constitisse videntur. — 5) Cum consternatae iterum sepulcrum ingrediuntur, vel forte etiam intra illud lugere pergunt, apparent angeli. — 6) Qua visione recreatae laetum nuntium apostolis allaturae in urbem se conferunt. In *ipsa tamen via* nemini quidquam de iis, quae viderant, narrant. Neque Maria Magdalena simul cum iis visionem habuerat. — 7) Interim Petrus et Ioannes, qui, nuntio a Magdalena accepto ad sepulcrum se contulerant, ibidem angelorum quidem apparitionem non habent, at conditiones sepulcri recognoscunt. Quibus visis Io, praedictionum Christi recordatus, credit, Petrus « miratur quod factum erat ». — 8) Maria Magdalena, ad sepulcrum reversa, prius angelica visione dignatur, deinde ipsum Christum prima ex mulieribus videt. — 9) Laetitia plena ad apostolos currit, ut iis beatum nuntium referat. — 10) Dum Magdalena in via est, Iesus se ceteris mulieribus videndum praebet.

Ob. 5) — et inst. ad praecedentem. — Omissis quibusdam difficultatibus similibus, quae faciliorem habent solutionem, maxime scientifica consideratione digna videntur hae:

α) Si Christus vere apparuisset, evangelistae scirent utrum in Ierusalem an in Galilaea apparuerit. At *quidam evangelistae eius apparitionibus tantummodo Ierusalem ut locum assignant, quidam tantummodo Galilaeam. Imo in loco earum referendo sibi contradicunt.* Nam Mt. 26, 32 et 28, 10, porro Mc. 14, 28 ab ipso Christo, Mt. 28, 7 et Mc. 16, 7 ab angelis sola Galilaea ut locus apparitionis designatur. Lc. vero de urbe Hierosolymitana sola loquitur. Neque Mc. neque Lc. apparitionem ullam afferunt quae in Galilaea facta sit. — Imo Lc. cum 24, 49 facit Iesum loquentem: « Sedete in civitate, quoadusque virtute induamini ex alto » omnem alium apparitionis locum excludit. Dixit enim Christus haec verba ipso resurrectionis die.

β) Lc. 24. 36-51 exhibet Christum ut *eodem die in coelum ascendentem, quo resurrexit.* Nam 24, 46 Lc. habet formulam: « Et dixit ad eos » Christus (in Ierusalem); v. 50 vero: « Et eduxit eos foras in Bethaniam ». Ergo idem locus, idem tempus significatur.

R. — *a) In genere Christus neque dicit « se statim in Galilaeam iturum, neque ibi primo sese discipulis manifestaturum »*. Valde probabile est, Iesum in apparitionibus Petro vel decem apostolis ipsa die resurrectionis factis, mandatum suum, ut suo tempore in Galilaeam se conferrent, ita explicasse, ut intelligerent, nonnisi post octo dies vel post novam apparitionem sibi proficiscendum esse.

Ratio vero, cur Christus praecipue in Galilaea se suis manifestare voluerit, videtur in eo fuisse, ut apostoli caeterique discipuli (semel plus quam 500), e medio hostilium concivium in Iudaea eriperentur, in patria arti suae vacantes secure delitescerent, atque ita ultima magistri praesentia atque instructione in pace fruerentur. Cum ergo Iesus constituisset, praecipue in Galilaea per quadraginta dies discipulis suis sese revelare, hunc solum locum et in ultima coena praedixit et post resurrectionem statim « fratribus suis » in memoriam revocavit. Quae ratio praeeligendi Galilaeam nequaquam aliquas apparitiones Christi Hierosolymis impertiendas excludit. Tales quasi a priori probabiles reddit amor, quo Iesus discipulos complectebatur qui sui magistri praesentiam avidissime desiderabant.

b) Singulos locos quod attinet. — Quoad locum Lc. 24, 49. *Falsum est, Christum ea verba protulisse die resurrectionis.* Nam *α)* Lc. Act. 1, 3 diserte narrat, Iesum « per quadraginta dies » discipulis apparuisse. In re tam evidenti ne stultus quidem scriptor sibi contradiceret. — *β)* Formulis *εἶπε* vel *ἔλεγε δ' αὐτοῖς* Lc. saepius talem sermonem Iesu refert, qui nequaquam immediate tempus vel locum eorum verborum excipit, quae immediate antea relata sunt. Cf. Lc. 9, 23; 12, 13-54; 13, 18-23; 16, 1; 17, 1; 18, 1; 9, 22-31-35.

Simili modo se habet narratio Mc. 16, 9-20. Postquam de urbe Hierosolymitana locutus est, Mt. nullam mutationem loci effert usque ad ipsam ascensionem Christi. Ipse tamen *hanc mutationem loci factam esse satis indicat.* Nam 16, 7 angelum introduxerat loquentem: « Praecedet vos in Galilaeam ». — Ratio extrinseca cur quaedam de apparitionibus Christi tam indeterminate narrata sint, in eo est, quod narratio harum partium brevissime plurima constringit. Id ex comparatione inter Io. Lc. 24, 13-35, Act. 1, 6-12 detegimus.

c) Non potest demonstrari, *chronologiam apparitionum* secundum Evangelia, Actus, 1 Cor. 15 ullam oppositionem continere. Qui vero fuerit ordo chronologicus harum apparitionum ex brevissima narratione non semper clare apparet.

Probabilis est hic ordo:

Habent apparitionem *Hierosolymis a)* Petrus, rediens a sepulcro. Lc. 24, 34; 1 Cor. 15, 5. — *b)* Duo discipuli in Emaus euntes. Lc. 24, 13-35; Mc. 16-12. — *c)* Vespere 10 apostoli. Io. 20, 19-23. Probabiliter eadem apparitio narratur Lc. 24, 36-43; Mc. 16, 14; 1 Cor. 15, 5: « et post hoc τοῖς δώδεκα » (Vulgata « undecim »). Hae tres apparitiones factae sunt die resurrectionis. — *d)* Post 8 dies undecim discipuli vident Dominum. Io. 20, 24-29.

Certe in Galilaea locum habuit tertia apparitio, quae multis discipulis contigit, in qua 7 eum viderunt ad mare Tiberiadis. Io. 21, 1-14. — In Galilaea locum habuit ea quoque apparitio, quam Mt. 28, 16, 17 commemorat. — *Verisimillimum est in Galilaea* eum vidisse plusquam quingentos simul 1 Cor. 15, 6; forte etiam Iacobus, 1 Cor. 15, 7; « Apostoli omnes », 1 Cor. 15, 7.

Prope Hierosolyma ultimo suis apparuit, unde eos eduxit in Bethaniam, Lc. 24, 50. Denique apostoli eum viderunt in coelum ascendentem.

Propositio 23. In specie theoria quae visionum dicitur falsis argumentis innititur.

83. *Ob. 1)* — *Apostolorum mentes non erant ita comparatae, ut speciem rei visae ab ipsa re visa distinguere possent.* — Nam *a)* 2 Cor. 12, 2-4 Paulus ait: « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, *sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio*, Deus scit, raptum huiusmodi (hominem) usque ad tertium coelum, et scio, huiusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui ». — *b)* Petrus, Act. 12, 9, 11 illo ipso tempore, quo ab angelo e carcere liberabatur, « *nesciebat, quia verum est, quod fiebat per angelum;* existimabat autem, se visum videre ». — *c)* Accedit, quod Paulus 1 Cor. 9, 1; 15, 8 iisdem *verbis* ἑώρακα, ὤφθην exprimit, se vidisse Christum resuscitatum, quibus alias *visionem rerum non corporalium exhibet.*

R. — E factis obiectis sequitur, *Paulum*, qui status miraculosos facultatum cognoscitivarum passus erat, *aliquando de intima horum statuum natura iudicium sibi formare non potuisse, vel Petrum in apparitione non subito distinxisse* obiectivam realitatem extraordinariam a visione tantum subiectiva, *c.;* sequitur *apostolos, cum in statu naturali facultatum suarum cognoscitivarum fuerint,* debita adhibita diligentia *non potuisse corpus alterius verum ab imagine phantastica corporis vel a corpore aëreo distinguere, n.*

Expl. *a)* Postquam angelus ab eo discesserat « Petrus ad se reversus dixit: « Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum et eripuit me de manu Herodis et de omni exspectatione plebis Iudaeorum ». *b)* Verba speciatim e contextu determinanda sunt. Vidimus, contextum in verbis apostolorum requirere sensum visus corporei. Caeterum eundem sensum refert *ἑώρακα* v. g. Io. 4, 45; 19, 34; Col. 2, 1; Io. 1-3; *ὀφθῆναι* v. g. Hebr. 9, 28; Apoc. 9, 11.

Ob. 2) — Magnus *amor* excitat magnum *desiderium* praesentiae personae amatae; desiderium vehemens commovet *phantasiam :* phantasiae excitatio causat *illusiones et hallucinationes.* Atqui *apostoli* valde Christum amabant. Ergo *connaturaliter illusiones et hallucinationes de Christo resuscitato patiebantur.*

R. — Dist. ma.: Magnus amor excitat magnum desiderium praesentiae personae amatae semper, *etiam tum, cum* ob circumstantias, v. g. pericula mortis, *praevalet alius effectus* v. g. timor mortis, *n.; saepe, subdist.:* atque tunc generatim *desiderium efficit eiusmodi phantasiae excitationem, quam illusiones et hallucinationes comitentur, n.;* aliquando, in circumstantiis morbum causantibus, amor excitationem eam producit, quam illusiones et hallucinationes comitantur, iterum subdist.: et tunc phantasia repraesentat *eum statum personae amatae, qui respondet uni ex affectibus,* quos amor vehemens personae causare potest, c.; et tunc phantasia personam amatam repraesentat tantum in eo statu, qui respondet vividissimae spei de beatitudine quam maxime determinata personae amatae, iterum subdist.: *si tales cogitationes vividae et talis spes in animo conceptae non* erant, *n.; si concepta erat,* iterum *subdist.:* et tunc *eadem omnino determinatio personae amatae in omnibus tali ratione morbose affectis repraesentatur, n.;* nequaquam eadem determinatio repraesentatur, c. — Contrad. min.

Expl. *a)* Probavimus, apostolos non habuisse hallucinationes vel illusiones. Quid contra factum ad ea provocas, quae tibi verisimilia vel possibilia videntur? *b)* Apostoli sani erant, non repleti vivida spe, sed tristitia et timore oppressi.

Ob. 3) — *Timor impedit, quominus sensus atque intellectus recte applicentur,* imo aliquando hallucinationes producit. Iamvero apostoli in sic dictis apparitionibus « *conturbati et conterriti* » *erant.* Quare Christus iis dixit: « Nolite timere ». Lc. 24, 36-7.

R. — *a)* Cf. quae ad difficultatem praecedentem diximus. *b)* Timor

invasit apostolos in omni apparitione, n., cf. manifestationem ad mare Tiberiadis; in *prima* apparitione, subdist.: *per totam apparitionem, n.*, tantum ipso initio, c. — Unde mox conspecto latere et manibus Domini « *gavisi sunt* discipuli, viso Domino » Io. 20, 20. Sensus autem semper applicarunt per totum apparitionis tempus.

Caeterum *a)* dubium a criticis etiam catholicis movetur, num ista verba « ego sum, nolite timere », eo loco genuina sint an potius irrepserint e Io. 6, 20. — *b) Timor* ille, teste Scriptura, in visionibus saepe oboriens, non est nisi *stupor quidam ob rem miraculosam* exortus. Talis vero applicationem sensuum non impedit sed ad eam accuratius instituendam instigat.

Ob. 4) — Multi homines, praecipue *sancti ecclesiae catholicae confessi sunt, se vidisse, amplexos, osculatos esse Christum vel alias personas sanctas sibi apparentes.* Iamvero ex una parte horum sanctorum veracitas in dubium vocari nequit, ex alia parte *nemo ex his testimoniis deducit, Christum vel alias personas ab illis sanctis hominibus visas*, illis apparuisse cum vero corpore humano. Ergo a pari ex eo, quod apostoli affirmant, se Christum vidisse, palpasse, etc. non possumus concludere, Christum vere corpore humano praeditum fuisse.

R. — Dist. ma.: Obiectum testimonii, quod sancti illi de apparitionibus suis reddebant, erat generatim ipsa vera vita corporalis earum personarum, quas in suis visionibus se videre, palpare etc. affirmabant, n. ma.; *obiectum testimonii eorum generatim erat hoc, se aliqua ratione Christum vidisse*, amplexos esse etc., *ita tamen ut ipsi naturam internam earum apparitionum non explicarent,* sed aliis, praecipue doctis, explicandam relinquerent, c. ma.

Expl. Non ipsa verba tantum consideranda, sed quam maxime etiam circumstantiae perpendendae sunt, ut constet, quid sancti talibus expressionibus dicere voluerint, quid non. Eae actiones, quae talibus vocibus exprimuntur, fieri possunt *in sola phantasia* circa obiectum a sola phantasia repraesentatum; possint fieri *modo externo circa corpus externum aëreum sive organizatum sive informatum illud est sive tantum externe ab aliquo spiritu motum.*

Si sancti habebant apparitiones tales ita, ut eo tempore sensus eorum in statu ordinario munere suo fungerentur; si, debita diligentia adhibita firmissime affirmant, apparitiones istas corporeas fuisse; si praecipue debita cum scientia referunt, in apparitionibus istis, quarum veritas theologica agnita est, personas apparentes sibi corpora vera vel vitam corporalem adscripsisse; — si dico hae sunt circumstantiae, tali iudicio standum est. Si vero sancti apparitiones habebant eo tempore, quo fa-

cultates eorum cognoscitivae in statu extraordinario erant; si modum apparitionum ipsi non determinant; si nullum indicium e verbis personarum divinitus apparentium afferunt; si finis, ad quem visiones describunt, non exigit, ut verbis « vidi » « tetigi » sensus visus vel tactus materialis subiiciatur; — si ergo hae sunt circumstantiae, iudicium de intima natura harum apparitionum ex solis relationibus sanctorum in se consideratis formari nequit.

Aliquando aliunde, v. g. ex aliqua fidei veritate generali iam nota, aliquid circa naturam alicuius apparitionis erui potest. Ita v. g. patet, apparitionem, qua sanctus curiam coelestem omnem cum corporibus videret, non eum fundere sensum, ac si isti omnes ea corpora ut propria haberent. Scimus enim, resurrectionem mortuorum nonnisi in ultimo iudicio locum habituram esse.

Quae nostra ignorantia de natura multarum apparitionum, quas Sancti habuerunt, providentiae Dei non repugnat. Finis quidem principalis in apparitionibus Christi coram apostolis is erat, ut firmissima persuasione imbuerentur de vera resurrectione Christi; unde necessarium erat providentiam divinam omnia ita disponere, ut facile de hac earum natura iis constare posset. *Finis vero in apparitionibus Christi vel sanctorum post tempus apostolicum finitum,* is esse solet, ut sancti quidam modo quodam magis vivido de veritatibus fidei iam notis instruantur, vel quaedam, quae ad prudentiam in ordinanda vita sua et muneribus pertinent, addiscant. Iamvero hic finis generatim obtineri potest, etsi ignoratur, num apparentia externa fuerit an interna, num corporis aërei an organizati, num informati an externe moti.

Ob. 5) — Secundum dogma catholicum *corpus Christi in eucharistia non est extensum,* ipse Christus in ea non est ut infans vel crucifixus. *Nihilominus saepe apparuit Christus extensus,* ut infans, ut crucifixus, idque in visionibus, quarum veritas theologica merito in dubium vocari non potest. Ergo a pari Christi resuscitati caro potuit apostolis apparere palpabilis, quamvis obiective tantum spiritus appareret.

R. — *Nego paritatem.* Ii, qui has apparitiones eucharisticas viderant, illud testati sunt, *ipsam carnem Christi, prout est in eucharistia, esse extensam,* Christum, prout est in eucharistia esse in habitu infantis, crucifixi, *n.;* illud unum affirmant, *sensui suo sive interno sive externo obiectam esse apparentiam carnis Christi extensae* vel Christi pueri, crucifixi, *eo loco quo est eucharistia, c.* Neque aliud ex iis, quae tales personae de visionibus suis referunt, concludi potest.

Ob. 6) — *In sessionibus spiritisticis habentur apparentiae materiales a spiritibus productae, quin tamen hi veris corporibus praediti sint.* Ergo a pari ex apparentiis materialibus, quae in Christo apparente ma-

nifestabantur, concludi nequit, eum corpus vere humanum habuisse. Sufficit eum fuisse spiritum « materializatum ».

R. — 1) Sunt auctores, qui *omnia* quae in sessionibus spiritisticis fiunt, *fraudibus* humanis vel *extraordinariis statibus naturalibus facultatum cognoscitivarum* ascribere velint. 2) Admisso tamen, vere spiritus apparuisse, *nego apparentias externas vere eiusdem rationis esse, et verba, quae a spiritibus proferuntur, eadem fide humana digna esse* in spiritisticis sessionibus atque apparentias eas quae locum habuerunt, et verba ea, quae prolata sunt in apparitionibus Christi. Etiam diabolos aliquid corporeum aliqua ratione assumere, ut hominibus se manifestent facile intelligitur. At aliud est, talia Entia habere corpus vere organicum, idque substantia spirituali ut forma informatum. — Plura de Spiritismo alio in loco.

Ob. 7) — Anima Christi sine corpore apparens vel ipse Deus in animis apostolorum producere poterat persuasionem, Christum resurrexisse. Quid enim resurrectio Christi aliud dicit, quam animam Domini beata vita frui?

R. — N. ma. et rationem additam. Qui conceptus resurrectionis Christi, apostolorum, totius populi fuerit, explicavimus n. 74-7, p. 149-55.

84. *Ob. 8) — Id obiective non exsistit, quod habet apparentias inter se negantes.* Atqui tales apparentias habuit corpus Christi in apparitionibus visum. Ergo ad summume rat foetus phantasiae. Prob. min.: *Palpatur — ergo resistit; transit per portam — ergo non resistit.*

R. — Apparentiae illae inter se negantes non inveniebantur in Christi corpore eodem tempore. Nihil autem impedit, quominus uno tempore corpus resistentiam naturalem exserat, alio tempore praeternaturaliter eam non exserat.

Ob. 9) — Id non est corpus, quod habet aliquam actionem, quae cum essentia corporis non stat. Atqui *apparere et disparere subito, modo invisibili, transire per portas clausas non convenit cum essentia corporum.*

R. — Haec repugnant essentiae corporis physice, c.; metaphysice, n. — Expl.: Probavimus, Christi corpus vere adfuisse. Discimus ipsa experientia illud subito adfuisse, penetrasse portas. Scimus experientia haec esse contra cursum ordinarium actionum corporum. Unde merito concludimus, haec in Christi corpore miraculoso modo

facta esse. — Intrinsecam naturam miraculi facti in transitu per portam clausam diversi diversa ratione explicant.

Ob. 10) et instantia ad 9^m^. — *Eodem iure, quo nos deduximus, illud quod apparebat esse verum corpus, donatum tamen actione praeternaturali quae actioni spirituali similis fuerit, eodem iure alii concludere possunt, illud quod apparebat fuisse verum spiritum, praeditum tamen actione praeternaturali quae corporeae similis fuerit.*

R. — Dist. assertum: Si e circumstantiis illud unum sciremus, Ens illud et tangi et pertransire portas, imo uti maior pars auctorum putat, ita eas pertransiisse, ut vere eodem in loco fuerit Esse portae et Esse corporis Christi, c., vel. tr.; *si e circumstantiis simul scimus, illud quod apparebat vere e natura sua fuisse extensum, visibile etc., n.* — Expl. Circumstantiae tales sunt, quod v. g. visibilitas per modum regulae se habet, invisibilitas per modum exceptionis; quod praedicta erat vera resuscitatio; quod angeli idem testantur; quod anima Christi idem affirmat, etc.

Ob. 11) — E fide catholica scimus corpus Christi fuisse gloriosum. Atqui *corpus gloriosum nequit a) tangi, b) comedere, c) videri.*

R. — Quoad *a)* Nego simpliciter. Etenim *corpus gloriosum quantum est.* Corpus autem *quantum e natura sua resistit.* Nulla ratione suadetur, continuo hanc resistentiam a corpore glorioso abesse.

Quoad *b)* Corpus gloriosum *nequit pati necessitatem comedendi c., nequit uti potestate edendi, n.* De ratione comestionis est, ut « per vitalem actionem et organa vitae cibus ore sumptus in stomachum traiiciatur ». Alii addunt, neque incorruptionem corporis gloriosi eo aliquid detrimenti pati, quod corpus gloriosum possit aliud corpus non gloriosum in se convertere. Ex eo enim non necessario sequi, aliquid de nutrito et aucto debere corrumpi.

Quoad *c). Aliud est, corpus Christi fuisse gloriosum, aliud est, illud se ut tale manifestasse.* Evangelia illud quidem referunt, Christi corpus post resurrectionem plane obedivisse animae. At simile quid etiam de Christi corpore mortali super aquas ambulante evangelia narrant. Potuit Christus claritatem corpori glorioso connaturalem abscondere, ita ut corpus suum facilius videri, cognosci, recognosci posset. Statum gloriosum dogmatici e doctrina S. Pauli describunt.

Ob. 12) — *Etiam angeli*, corpora humana praeseferentes, cum hominibus conversabantur, imo etiam cum iis *comedebant.* Atqui e comestione probavimus, Christi animam corpus eius informasse. Ergo

immerito comestionem ad demonstrandam resurrectionem Christi attulimus.

R. — Dist. ma.: Angeli comedebant vere, i. e, *vitaliter, n.; imitati sunt externos motus, qui in comestione sunt, c.* Contradist. min.: Demonstravimus informationem corporis Christi etiam ex comestione, quam ut vitalem probavimus, c.; tantum consideratis externis motibus, qui in comestione fiunt, n.

Expl. Comestionem illam vitalem fuisse demonstravimus eo, quod *Christus ideo comedit, ut probet se corpus informare, seu se resurrexisse;* quod haec comestio cum affirmatione suae resurrectionis coniuncta est, etc.

Caput II. **De veritate philosophica resurrectionis Christi.**

Propositio 24. Constat de veritate philosophica resurrectionis Christi.

Pars I. **Argumenta ex auctoritate humana.**

85. *Arg.* I. Ex auctoritate Ipsius Christi.

In thesi videbimus Iesum saepe ad resurrectionem suam ut ad miraculum provocasse. De veracitate Christi in tale assertione statuenda, vide quae de auctoritate Christi, veritatem philosophicam miraculorum suorum in genere affirmantis, n. 188 p. 125 statuimus, inter quae etiam resuscitationes mortuorum continebantur. Quae eo magis ad hoc miraculum applicanda sunt, quo maius momentum ipse Christus in hoc miraculo posuit.

Arg. II. Ex auctoritate totius humani generis.

Ethnicis ita persuasum erat de oppositione resuscitationis mortui ad leges physicas, ut plurimi eam etiam absolute impossibilem crederent. Quod ex his factis breviter videri potest:

Immortalitatem quandam animae, migrationem animarum facile multi admittebant, doctrina vero de futura vera resurrectione vix invenitur. Inter Graeco-Romanos sententia invaluit, regem Haden animas ita inclusas tenere, ut paucissimis exceptis, nulli ex iis ad lucem redire permittat. — Paulo Athenis in Areopago de resurrectione Christi disserente, « cum audissent.... resurrectionem mortuorum quidam quidem ridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum ». — Apologetae uti apostolus et longis dissertationibus et aliorum ope-

rum neque paucis neque brevibus partibus, ipsam resurrectionis possibilitatem asseruerunt, explicaverunt, defenderunt. Cfr. v. g. locos: Iustin. Apol. n. 19 MG 6, 355 C-358 C; Theophilus ad Autolicum l. 1, n. 13 MG 6, 1042 C; n. 8, 1035 B-1038 B. Priore loco ethnicum dicentem facit: « Ostende mihi vel unum ex mortuis excitatum, ut credam, cum videro ». Tertullianus Apologet, c. 48 ML 1, 520-8; Arnobius, Adv. gentes l. 2 n. 13 ML 5, 830-1 ethnicos refellit: « Qui audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectiouem futuram ». Lactant., Div. inst. l. 7 c. 22, ML 6, 805 A, c. 23, 806 B.

Scripta propria de resurrectione carnis composuerunt contra ethnicos v. g. Athenagoras « De resurrectione mortuorum », MG 6, 974-1024; praecipue contra Gnosticos Tertullianus « De resurrectione carnis » ML 2, 795-886.

S. August., De civ. Dei l. 22 c. 5 ML 41, 755-7 hanc rem « incredibilem » saltem e persuasione Christianorum ethnicis suadere nititur; l. 13 c. 17 et 18 ML 41, 389, 391; l. 22 c. 25-8 col. 792-6 difficultates contra hanc doctrinam fusius solvit.

Rationem intimam, cur a tot et tantis de hac re scribendum fuerit, S. Augustinus pandit v. g. in Ps. 88 sermo 2 n. 5 ML 37, 1134. « In nulla re sic contradicitur fidei christianae, quam in resurrectione carnis. Denique ille, qui natus est in signum cui contradicitur, et ipsam carnem suam resuscitavit, ut obviam iret contradictori; et qui posset membra sua sic sanare ut ea vulnerata fuisse non appareret, cicatrices servavit in corpore, ut vulnus dubitationis sanaret in mente. In nulla ergo re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe et contentiose contradicitur fidei christianae, sicut de resurrectione carnis. Nam de animae immortalitate multi etiam philosophi Gentium multa disputarunt, et immortalem esse animum pluribus et multiplicibus libris conscriptum memoriae reliquerunt; cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissime contradicunt, et contradictio eorum talis est, ut dicatur fieri non posse, ut caro ista terrena possit in coelum ascendere ».

Recentiores increduli persuasionem suam diversis modis manifestant: *a)* Omni conatu resurrectionis Christi veritatem historicam impugnant, principium suum de impossibilitate miraculorum praecipue ad resuscitationes mortuorum, quae narrantur, applicantes. — *b)* Accedunt diversae assertiones: « Hac resurrectione Christi si nihil aliud

diceretur quam corpus mortuum iterum vivum esse redditum, talem traditionem mox missam faceremus ».

Judaeos et Christianos in resurrectione ut miraculosa agnoscenda nunquam titubasse res nota est.

Pars II. **Argumentum e natura operis.**

86. 1) Veritas philosophica miraculi est in eo, ut opus sit *praeter cursum ordinarium virium naturae physicae et humanarum.* Iamvero resuscitatio mortui contra cursum ordinarium utriusque generis virium fit. Nam ad resurrectionem natura prius necessarium est, ut vires physicae et chimicae ad vitae functiones necessariae, ut ipsa quoque organa in corpore mortuo denuo ea ratione disponantur, quae ad vitae functiones exercendas necessaria est. Atqui haec potestas *a)* non habetur in natura physica. Lex enim physica est, materiam non vivificatam si sibi relinquitur, ad aequilibrium chimicum tendere, non vero ad illas compositiones, quae ad vitam retinendam vel exercendam necessariae sunt. *b)* Neque habetur haec vis in hominibus viventibus. Id quod experientia patet.

2) *Neque exsistit lex naturae occulta, secundum quam mortui aliquando resurgant.* Etenim omnis lex naturalis sub iisdem conditionibus eosdem effectus producat necesse est. Ergo hoc etiam de ea lege naturali statuendum esset, secundum quam mortui dicerentur resurgere. Iamvero plane sustineri nequit, conditiones eas, quae necessariae sunt, ut lex illa in actum transeat, inde ab initio mundi tantum adfuisse in iis casibus, locis, temporum momentis, quando thaumaturgus, ut Elisaeus et Christus, unum vel alterum mortuum ob fines omnino alios suscitare voluit, vel se ipsum e mortuis eripuit n. 41, 2 A p. 67-8.

Confirmatur res e considerato statu morali animae separatae. — Supponi nequit, animas separatas, quamvis naturali sua vi denuo cum corporibus uniri possent, libere in caeteris casibus ab ea coniunctione abstinere, in his tantum eam amplexas esse. Etenim animae beatae, si beatitudinem suam propria vi etiam corporibus communicare possent, id omnes idque quam primum facerent; si vero tali coniunctione denuo in statum viae delaberentur, omnes resurrectionem quam maxime fugerent. Animae vero damnatae ex adverso se haberent. Animae autem in purgatorio quodam detentae, a reditu in corpus omnino refugerent, si cum eo reditus in statum vitae esset coniunctus; re-

surrectionem vero omnes avide appeterent, si cum ea celerior, etsi acrior, plurium dolorum perpessio satisfactoria esset connexa. — At etsi alium quemdam, nobis ignotum ordinem statuis, secundum quem animae naturaliter resurgerent, nequaquam casu cum iis resuscitationibus convenire potest, quas thaumaturgi ob alios fines a Deo impetrarunt.

Difficultates.

87. *Ob. 1) — Anima continuo praeparat materiam ut sit capax vitae recipiendae.* Nam a) tali modo agit in cibum, quem scilicet in partem sui corporis transformat, et in semen transmutat, unde corpus alienum oritur. b) Anima corpus proprium continua mutatione perducit e statu foetus, cuius imperfectissima est organizatio, in statum hominis perfecti. Ergo a pari anima naturaliter ipsum cadaver ita mutare potest, ut sit capax novae vitae recipiendae.

R. — Dist. antecedens: Anima naturaliter transmutat materiam non viventem in viventem, non organizatam in organizatam *sub his conditionibus: a)* ut ipsa cum corpore proprio coniuncta sit, non ab eo separata; ut *b)* materia ab initio disposita sit et continuo disposita maneat, quae has mutationes determinatas easque ordine determinato in se suscipiat, c.: si anima vel separata est, vel si agitur de ea materia transmutanda, quae disposita non est, vel si alio ordine transmutatio fieri deberet, quam eo, qui statutus est, n.

Ob. 2) — Miraculum est opus praeter ordinarium naturae cursum. *Atqui secundum doctrinam catholicam omnes homines in ultimo iudicio resurgent; unde nihil extraordinari in resurrectione habetur.* Ergo resuscitatio non est miraculum.

R. — Dist. min.: Secundum doctrinam catholicam omnes homines resurgent ita, ut in omnibus fiat exceptio a lege naturae, c., ut non fiat exceptio, n.

Exceptio non ideo desinit esse exceptio, quia multa sunt subiecta in quibus fit; nec ideo, quia mediante prophetia certitudinem infallibilem de patratione miraculi certo tempore futura prophetia accepimus. Sed exceptio diiudicanda est ex eo, num actio de qua agitur secundum dispositiones naturae certa lege fieri debuerit, necne. Certitudo autem nostra de resurrectione omnium non est ex conuiunctione inter dispositiones naturales et effectum semper sequentem, sed e promissione divina, quae promisit certo tempore determinato se hoc miraculum in omnibus hominibus facturum esse.

Caput III. De veritate theologica resurrectionis Christi.

Propositio 25: Constat de veritate theologica resurrectionis Christi.

Pars I. Argumenta ex auctoritate.

88. Arg. 1. Ex auctoritate ipsius Christi. — Iesus Io. 10, 17, 18 ait: « Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo ». Iamvero nulla est ratio, cur in v. 17 a consueta significatione finali coniunctionis « ut » recedatur. Ergo Pater imposuit Christo actum voluntatis qualificatum, uti dicunt, i. e. voluntatem moriendi uti coniunctam cum voluntate iterum sumendi vitam suam. Tali ratione implere debebat quod Rom. 4, 25 Paulus de eo scribit: « Qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram ». Iamvero Iesus ex una parte in eo fide dignus est, quod affirmavit, hoc mandatum sibi esse datum a Patre; ex alia parte certe obediens erat. Ergo resurrectionis miraculum a speciali mandato Patris processit.

Arg. 2. Ex auctoritate omnium, qui postea Christi resurrectionem admiserunt. — Quae eo optime exprimitur, quod resurrectionem Christi specialissimo modo et ipsi apostoli et Patres ad omnipotentiam Dei referre solent.

Pars II. Argumentum e natura operis.

89. In ipso opere non tantum nullus invenitur defectus ex parte potentiae, sapientiae, sanctitatis divinae, sed in hoc uno miraculo omnes hae divinae perfectiones clarissima et plenissima luce splendescunt.

Consideratur ipsum opus, etiam abstrahendo ab eius circumstantiis.

In resurrectione Christi splendidissime manifestatur:

1) *Potentia Dei.* — Nam non tantum in ipsa resurrectione Deus potestatem suam in corpus et animam manifestat, verum etiam in modo, quo corpus Christi resuscitatum se habebat, nova miracula videntur: apparet et disparet subito, penetrat portas, etc.

2) *Sapientia et sanctitas Dei.* — Etenim resurrectio Christi con-

venientissima erat, sive factum ipsum respicitur sive aliquae eius circumstantiae considerantur.

Factum ipsum decebat fieri, si *Christum* respicimus in quantum erat *haec persona*. Christus erat miraculum sanctitatis. Unde decebat, eum miraculo quodam in ratione praemi prae omnibus insigniri. Corpus Christi fuerat instrumentum perfectissimum virtutum; conveniebat proinde, illud non relinqui corruptioni, sed ab ea praeservari, imo quanto citius gloriae ipsius animae particeps reddi.

Munus Christi erat illud, ut peccatum eiusque sequelas destrueret, nos omnes aeternae beatitudinis resuscitato corpore participes redderet. Quid magis conveniens erat, quam ut ipse mortem temporalem, praecipuam sequelam temporalem peccati, in se destrueret?

Caeteros homines si consideramus, hoc miraculo quam maxime stabilitur :

α) Fides eorum. — Nam, uti thesi sequenti videbimus, resurrectio Christi est primo praecipuum motivum credibilitatis testimonii Christi de se ipso. — Secundo est quoddam quasi compendium, quod plurimas veritates christianas credendas continet. Eo illustratur potentia Dei in corpus et animam hominum. Nam et circa corpus et circa animam ipsum resurrectionis miraculum patratur. Deinde miraculis in corpore Christi resuscitato nova potentiae divinae indicia splendescunt. — Declaratur Dei iustitia et bonitas, qua prophetam omnium fidelissimum remuneratus est secundum illud: « Nonne oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam ? » Lc. 24, 26. — Demonstratur immortalitas animae humanae, quae, egressa e corpore superstes fuerat atque cum eo iterum coniungebatur. — Illustratur momentum, quod ipsi corpori ut instrumento animae, ut socio animae in poena et praemio conveniat. — Hoc uno facto exhibetur Iesu Christi natura humana, divina, qua propria virtute se resuscitaturum esse seipsum praedixerat; mors, gloria.

β) Roboratur *spes*, nos dona a Christo promissa percepturos, praecipue ipsam beatam resurrectionem. — Suum enim corpus resuscitavit quasi in pignus nostrae resuscitationis.

γ) Caritas augetur. — Pulchritudo enim sanctitatis in ipsa carne Christi apparet, quae, mirabiliter ipsi spiritui subiecta, ei similis facta est. Benignitate, qua Iesus resuscitatus suos consolatur, amorem excitat. Considera quae post resurrectionem cum apostolis agit et loquitur. Cf. Io. 16, 22.

Considerantur quaedam circumstantiae resurrectionis Christi.

1) *Post 3 dies* resurrexit, non subito post mortem, ut clarius de morte constaret; non diutius post mortem, ne de identitate corporis resuscitati facilius dubitaretur. — 2) *Cicatrices* vulnerum in manibus, pedibus, latere retinuit, ut et facilius de identitate corporis nobis persuaderet, et quasi continuo oculis nostris subiceret, quanta caritate dilexerit nos, quam ampla gloria perpessionibus obtineatur.

Consideratur prae caeteris circumstantiis effectus resurrectionis Christi.

A) Apostoli praecipue hoc resurrectionis Christi miraculo cum optimo fructu usi sunt, ut religionem Christi in orbem terrarum inducerent.

1) *Generatim* apostoli totum *munus suum munere testis de resurrectione comprehendebant.* Petrus Act. 1, 22 conceptum apostolatus sensu stricto ita exhibet: « Testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis ». Cf. Act. 4, 33; 5, 32; 2, 32; 3, 15.

2) *Singula quaedam.* — Resurrectionem Christi exhibent:

a) Ut praecipuum *motivum credibilitatis.* — Enuntiant hanc veritatem: V. g. secundum S. Paulum Deus in Christo erat « fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis ». Cf. Rom. 1, 4. — Inculcant hanc rationem resurrectionis v. g. Petrus: Act. 2, 23-36 in primo sermone ad Iudaeos; Act. 10, 40-42 in sermone quem ad primum ethni cum convertendum, ad Cornelium dirigit; Paulus, 1, Cor. 15, 3-5: « Tradidi vobis in primis, quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, et quia sepultus est et quia resurrexit tertia die secundum scripturas et quia visus est Cephae et post hoc undecim ».

b) Ut *compendium quoddam dogmatum.* — Rom. 10, 9: « Si.... in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris ». Cf. Apoc. 1, 17-8.

c) Ut *pignus spei.* — V. g. 2 Cor. 4, 14: « Scientes, quoniam qui suscitavit Iesum, et nos cum Iesu suscitabit et constituet vobiscum ». Cf. Phil. 3, 10-1; Rom. 5, 10 etc.

d) Ut *arctissime coniunctam cum iustificatione fidelium.* — V. g. Rom. 4, 25: « Qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram ». Est *causa quaedam exemplaris vitae nostrae sanctae:* Rom 6, 7: « ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per vitam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus ». Am-

pliora in dogmate tradentur. — Generatim dici potest: apostoli tam frequenter mentionem faciunt de Christo resuscitato, ut eum continuo oculis mentis contueri videantur; tot religionis christianae partes magister gentium cum ea connectit, ut quadam ratione eam ut religionis christianae centrum habeat.

B) Christiani primorum saeculorum praecipue ex hoc mysterio fortitudinem et fervorem in operibus bonis hauserunt.

1) Apostoli praecipue *huic mysterio debent animum illum invincibilem*, qui tantopere a timiditate eorum antea ostensa differt. Cf. locos antea citatos. Ad persuasionem Patrum de hac re, cf. v. g. Ign. ad Smyrn. c. 3 n. 2, quem locum citavimus n. 78 p. 162-3; Euseb., Dem. evangel. l. 4 c. 12 MG, 22, 283 C.

2) *Martyres* ex eodem mysterio magna ex parte *miraculosam suam constantiam* hauserunt. Ita audi disserentem *e Patribus* v. g. S. Athanasium, De incarn. Verbi c. 27 MG 25, 142 C-151 C, ubi col. 142 D haec profert: « Iam autem, postquam Salvator corpus suum a mortuis excitavit, mors non amplius terribilis est, sed omnes, qui Christo credunt, eam tanquam quae nihil sit calcant, potiusque eligunt, quam fidem Christi negare. Nimirum certo sciunt, se moriendo non perire, sed vivere et incorruptos per resurrectionem fieri ».

Hoc constantiae motivum Christianorum *ipsis ethnicis notum erat.* V. g. in epistola ecclesiae Viennensis et Lugdunensis de martyrio S. Pothini et sociorum, anno 177-8, relata ab Eusebio, Hist. eccl. l. 5 c. 1 sq., MG 20, 434 narratur, cineres martyrum in Rhodani alveum ab ethnicis sparsos esse. « Atque id agebant (impii) prorsus, quasi Deo superiores esse et resurrectionem illis adimere possent; ut quemadmodum ipsi dicebant, ne spes quidem ulla resurgendi eis relinqueretur, qua freti novam quamdam ac peregrinam nobis invehunt religionem et gravissima quaeque tormenta contemnunt, promptique et alacres mortem subeunt. Videamus nunc, an sint resurrecturi et utrum adesse ipsis Deus suus, ac de manibus nostris ipsos eripere valeat ». Cf. etiam acta S. Pionii, Ruinart ed. Veronae 1731 p. 127.

3) *Ex una parte omnis vitae ratio Christianorum e fide in resurrectionem corporis vim suam petebat. Ex alia parte haec fides in resurrectionem corporis e fide in resurrectionem Christi vigorem suum hauriebat.* Utranque veritatem breviter ostendamus.

E *Patribus* S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesim 18am ita exor-

ditur: « Radix totius operationis est spes resurrectionis ». MG 33, 1018 AB. — Tertullianus scriptum de resurrectione carnis simillimis his verbis: « Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum; illa credentes sumus ».

Quantopere vero haec ipsa fides a persuasione de resurrectione Christi penderet, audi e Patribus inculcantem v. g. S. Augustinum, Serm. de tempore serm. 125 n. 6 ML 38, 1075: « Discernit ergo a mortuis perfidis vitam fidei nostrae resurrectio mortuorum.... Credamus ergo fratres, et quod in Christo factum esse credimus, hoc futurum speremus in nobis » Cf. quoad caeteros ML 220, indicum v. 3 index 133 col. 277-90 praecipue n. II.

Corporis resurrectionem eiusque ad resurrectionem Christi relationem quasi continuo in animum revocavit *cultus:* dies dominica, huic mysterio celebrando omni hebdomada destinata; festum Paschatis, quod erat solemnitas solemnitatum; ritus baptismatis.

Artem quod attinet: « Resurrectionis symbola atque typi toties repetita praecipuas partes artis sepulcralis vetero-christianae efficiunt ». In catacumbis Romanis ideale centrum omnium imaginum erat resurrectio mortuorum a Christo, eoque ut resuscitato, perficienda. Quare maior pars omnium imaginum exhibet miracula sive Veteris sive Novi Testamenti, quibus homines a malis liberabantur. Quae considerabantur ut pignora eius potentiae, qua Christus se ipsum e morte suscitaverit atque suos quoque e mortis faucibus sit erepturus. Inter miracula autem ea plurimum praeferebantur, quae directe sive resucitationes sunt, sive resurrectionis Christi typi, sive, uti repraesentationes eucharistiae, resurrectionis quandam causam prae oculis ponebant. Primum locum inter omnes catacumbarum imagines tenet imago Ionae. « Ionas, quippe quem ipse Dominus ut typum resurrectionis suae designaverit, primum locum occupat ex omnibus obiectis Veteris Testamenti in imaginibus opere tectorio (al Fresco) exhibitis, in sarcophagis, lampadibus, vitreis aureis, epitaphiis ».

Hoc dogma prae plurimis caeteris Patres iam eo tempore scientifice explicabant, id quod in Dogmate tractandum est.

Idem etiam increduli suo modo agnoscunt. Strauss confitetur, resurrectionem Christi « formare centrum centri, verum Christianismi cor. ». Harnack: « Ab hoc sepulcro initium sumpsisse indelebilem fidem in devictam mortem atque in vitam aeternam ».

Argumentum III. **Ex testimonio Dei miraculis exhibito.**

90. Demonstrabimus postea, apostolos in probationem earum rerum, quas proponebant, multa et magna patrasse miracula. Iamvero miraculum divinum resurrectionis Christi inter omnes veritates, quas credendas proponebant, praecipuum quendam locum tenebat. Ergo ratio miraculi in resurrectione Christi a Deo novis miraculis probata est.

Qua ratione S. Augustinus de civit. Dei l. 22 c. 5 ML 41 p. 756 argumentatur: « Qui (mundus) propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius divinitas se ipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium quae dicebant, mira fuerunt facta non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse, et cum illa in coelum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, sed etiam mirifica facientibus signa credebant ».

Caput IV. **De veritate relativa miraculi resurrectionis Christi.**

Propositio 26. Constat de veritate relativa resurrectionis Christi.

Pars I. **Argumenta e verbis Christi.**

Argumentum I generale.

91. Uti vidimus in thesi de miraculis Christi, Iesus omnia sua miracula retulit ad probandum testimonium, quod de se ipso reddidit. Iamvero etiam resurrectio Christi ad ea miracula pertinet, quae Iesus ipse patravit. Cf. Io. 10, 17-8.

Argumentum II speciale.

Arg. 1. E Io. 2, 19-21. — Postquam Iesus initio vitae publicae vendentes e templo eiecit atque ita domum Patris sui dignitati suae restituit, « responderunt ei Iudaei et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia haec facis? Respondit Iesus et dixit eis: Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo ei Iudaei: Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat, et crediderunt scripturae et sermoni quem dixit Iesus ».

Iamvero hoc textu 1) *Sermo est de resurrectione Christi.* Hoc scitur

a) Testimonio α) Iohannis. Qui nisi de hac explicatione certissimus fuisset, numquam in hac re gravissima testatus esset: « Ille autem dicebat de templo corporis sui ». *β) Omnium apostolorum.* Cum enim recordarentur verbi Christi, crediderunt sermoni eius de resurrectione corporis sui. Illi autem mediis in rebus constituti modum loquendi figuratum melius intelligere poterant quam nos.

b) Verba textus in se considerantur. — *α)* Textus *potest* hunc sensum habere. Etenim primo templum hoc « *potest significare corpus Christi.* Etenim iis temporibus et Philo « de opificio mundi » corpus primi hominis, et Paulus 1 Cor. 6, 19 corpus omnium Christianorum, et posteriores Rabbini corpus omnis sapientis, tali metaphora designabant. Sunt qui admittant, Christum vocem « hoc » etiam clariorem reddidisse eo, quod illam pronuntians simul corpus suum digito monstrabat. Deinde verba λύειν et ἐγείρειν secundum modum loquendi Graecorum tum de aedificio destruendo et reaedificando tum de corpore occidendo et resuscitando adhiberi possunt. — Imo non pauci et veteres et recentiores putant, Iudaeos suam notitiam de futura Christi resuscitatione ex hoc ipso loco hausisse. — *β) Aliae explicationes reiiciendae sunt. Non* loquitur Iesus de *templo materiali destruendo et erigendo.* Etenim de templo materiali per Iudaeos destruendo persuasum ei esse non poterat. Iamvero cum de signo praecipuo legationis suae agatur, certe nonnisi certissima proponit. *Neque* sermonem facit de *destruendo templo materiali, erigendo vero templo spirituali,* quod esset nova sua religio. Nam ea in suppositione intelligi nequit incisum « in tribus diebus ». Deinde teste historia aedificatio istius templi spiritualis nequaquam a destructione templi materialis pendebat. Denique in hac sententia identitas templi reaedificati cum templo destructo intelligi nequit. — *γ)* Quare generatim omnes *auctores* antiqui, maior pars ipsorum recentiorum Protestantium, fere omnes recentes adversarii genuinitatis evangelii Io. hanc expositionem textus proferunt.

2) *Iesus hanc suam resurrectionem adfert ut signum suae legationis divinae.* Nam

a) « Signum quia haec facis » idem est, atque « signum auctoritatis tuae ».

b) Iudaei intelligunt signum divinum. Unde etiam auctoritatem divinitus datam, de qua quaeratur, supponunt.

c) Iesus auctoritatem prophetae atque Messiae sibi iam ascripserat. Eandem iam Ioannes Baptista coram ipsa legatione e Hyerosolymis missa, ei attribuerat.

d) Accedit quod Iesus expressione: domus « Patris mei » specialissimam suam relationem ad Deum designat. Iamvero et prophetarum et praecipue Messiae erat reformare cultum divinum.

92. Arg. 2 e Mt. 12, 38-43. — « Tunc responderunt ei quidam de scribis et pharisaeis dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae. Et ecce plus quam Ionas hic. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic ».

1) *Hoc textu signum Ionae est signum credibilitatis pro legatione Christi.*

a) Ita textum explicant catholici exegetae omnes cum aevi patristici tum posteriores, etiam hodierni. Forte solus Maldonatus excipitur. Consentiunt veteriores Protestantes et multi ex hodiernis. Accedit antiquissima interpretatio ipsorum monumentorum artis. Cf. n. 89 p. 185.

b) Rationes e textu haustae hae sunt:

α) Iudaei « *signum* » *petunt* i. e. motivum credibilitatis. Eadem voce Christus respondens utitur, neque quidquam sensum mutatum designat. Iamvero Iudaei certe signum intelligebant signum credibilitatis legationis Christi. Cf. locos parallelos Mc. 8, 12; Lc. 11, 29; Mt. 16, 4.

β) Christus *rationem signi explicat:* « *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti...* ». Iamvero tale miraculum in Iona erat signum ad credendum. Supponitur utique, signum notum factum esse, quando in actu secundo vim signi exseruit.

γ) Idem sequitur *ex contextu*. Populus e sanatione obsessi caeci

et muti hanc conclusionem deduxerat: « Numquid hic est Eilius David? » Mt. 12, 3. Cui conclusioni ut occurrerent » pharisaei.... audientes dixerunt: « Hic non eiicit daemones nisi in Beelzebub principe daemoniorum ». Unde tota disputatio subsequens Christi et pharisaeorum de veris criteriis legationis divinae agit. Quae vis argumenti manet, etsi quis putat, aliquod temporis intervallum inter versum 37um et 38um esse interponendum. Qua in suppositione dicendum esset, Matthaeum ea quae re cohaerent, etsi aliquod tempus intercesserit, coniunxisse. Id quod moris eius est.

2) *Hoc signum credibilitatis est resurrectio Christi.* Nam

a) Agitur de *re quadam futura.* Mt. 12, 40 « erit »; Mt. 16, 4 « dabitur »; Lc. 11, 30 « erit ». Unde hoc signum nequit situm esse in praedicatione poenitentiae. Haec enim ab initio vitae publicae Christo cordi erat.

b) Agitur *de tempore quo conversio generationis Iudaeorum possibilis est.* Erat enim Ionas signum pro Ninivitis, ut converterentur. Qui effectus intentus in iis locum habuit. Quare hoc signum nequit esse condemnatio Iudaeorum facta per Ninivitas in die iudicii universalis.

c) Agitur *de facto miraculoso.* Quod patet ex paritate cum aliis locis, in quibus de signis sermo est; ex contextu, propter postulationem pharisaeorum; ex comparatione cum miraculo in Iona facto.

d) Agitur de *miraculosa liberatione a morte.* Interim abstrahimus a quaestione num agatur de miraculosa praeservatione a morte an de miraculosa resuscitatione post mortem iam secutam. Id quod immediate e verbis patet.

e) Agitur *de resuscitatione a mortuis.* Nam Iesus *α)* mortem suam et alias saepe et Io. 10, 18 clare omnibus Iudaeis praedixerat. — *β)* Ipsa mors expressione « in corde terrae » innuitur. Nam « cor terrae » significat Scheol, seu eum locum, in quo animae mortuorum ante Christi adventum commorabantur. Ita maior numerus exegetarum catholicorum explicat tum e Patribus tum e posterioribus. Ratio interna haec est: Cor terrae Hebraeis est metaphora pro « medio terrae ». Iamvero ita apte vocari nequit sepulcrum, quod in ipsa superficie terrae positum est, congruenter vero ita nominatur Scheol, qui in profundo terrae esse cogitabatur. — *γ) Nullum aliud factum e vita Christi est, quod talibus verbis significari potuerit*, nisi ipsa

mors, atque consequenter mors, quae tantum per tres dies et tres noctes Christi dominaretur, et consequenter ipsa resurrectio.

Pars II. **Argumentum, quod a verbis Christi explicitis abstrahit.**

93. *Praemium* quam maxime *extraordinarium*, Christo post mortem collatum, *probat veritatem legationis, quam sibi incumbere dicebat.* Atqui *resurrectio* est *praemium quam maxime extraordinarium.*

Ad ma. — Praemium quam maxime extraordinarium probat *sanctitatem* quam maxime extraordinariam. Iamvero sanctitas quam maxime extraordinaria *cum errore Christi de legatione sua coniuncta* esse *non poterat.* Nam 1) thesi quadam anteriore vidimus, eiusmodi errorem potius summam stultitiam dicendam esse. *Summa stultitia vero cum summa sanctitate componi nequit.* 2) *Qui praemio quam maxime extraordinario approbat causatum, is etiam causam approbat.* Atqui persuasio de divina sua legatione erat radix quaedam sanctitatis Christi. Etenim omnis cogitatio Christi et desiderium et actio in eo erat, ut ideam legati Dei perfectissimi, uti in Vetere Testamento de Messia exhibita erat, ad adamussim in se exprimeret.

Ad min. — Finis resurrectionis Christi non erat tantum in utilitatem praetereuntem aliorum. Talis resurrectio aliquando quibusdam concessa esse dicitur ad eum tantum finem, ut v. g. coram iudice testentur aliquod fundum vere filiorum suorum esse. Post quod testimonium redditum, iterum in sepulcrum rediisse atque iterum mortui esse dicuntur. Sed resurrectio Christi non erat *nisi quaedam anticipatio gloriae eius.* Nam

a) Nulla inter resurrectionem Christi et eius ascensionem intercessit mors.

b) Tempore post resurrectionem iamiam gloriae particeps erat. Haec enim sunt verba Christi: « Nonne oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam? »

c) Quae gloria corporis Christi innuitur eo quod Iesus independentiam a materia, quam ante resurrectionem suam nonnisi raro monstrabat v. g. eo quod super mare ambulabat vel transfigurabatur, post resurrectionem brevissimo tempore saepe exhibet.

Propositio 27. **Nihil evincunt difficultates, quae praecipue a recentioribus contra veritatem relativam miraculi resurrectionis Christi afferri solent.**

CONTRA IPSAM THESIM.

94. *Ob. 1)* — Si Christus voluisset, resurrectionem suam esse praecipuum quoddam suae legationis argumentum pro universo mundo, sine dubio *se omni populo manifestasset.* Atque solis apostolis atque amicis apparuit.

R. — Dist. ma.: In ea suppositione Christus manifestare se debebat omnibus directe, n.; saltem indirecte, c.

Expl. Rationes cur Christus sese caeteris nonnisi per apostolos aliosque quosdam praeordinatos testes manifestare voluerit, hae fuisse videntur: *a)* Hic modus agendi, quo generatim multa motiva credibilitatis nonnisi mediate multis exhibentur, congruit cum principio generali revelationis mediatae, imo cum ordinario modo omnis certitudinis humanae de factis historicis. Cur in ordine praeternaturali Deus non utetur simili ratione hominibus accomodata, ut homines ad fidem perducat? — *b)* Deus non raro eo modo cum hominibus agit, quo ipsi cum Deo procedunt. Iamvero populus electus prior, iudaicus, qua talis Christum reiecerat; quare Christus ex sua quoque parte specialia illa vincula, quibus cum hoc populo electo coniungebatur, solvit atque speciales suos favores nonnisi novo Israel exhibet. Novus Israel apostoli erant atque discipuli atque in iis ecclesia Christi.

Ob. 2) — *Novum Testamentum postulat « fidem paschalem » sine « nuntio paschali ». (Fides paschalis est fides in Christum viventem, nuntius paschalis est nuntius de Christi corporali apparitione, sepulcro vacuo, etc.,* verbo, de omnibus illis factis, quae ad persuasionem de corporali resuscitatione conferre possunt).

Probatur assertum: *a)* Petrus fidem suam in Christum « filium Dei viventem » confessus est, antequam eum viderat resurgentem. *b)* Christus postulavit fidem in resurrectionem suam sine experimentali cognitione sepulcri vacui, apparitionis sui ut viventis. Ergo resurrectio Christi non refertur ad probandam vitam corporalem Christi, non refertur ad probandum Christianismum. Quid enim aliud est Christianismus quam religio qua complectimur Christum viveutem apud Patrem?

R. — *Nego assertum.* Ad probationem. *a)* Essentialis est religioni christianae *fides in ea quae Christus credenda praecepit.* Inter quae eo tempore, quo Christus nondum resuscitatus erat, continebatur fides in resurrectionem *ut futuram;* eo tempore quo iam resurrexerat, fides in Christum *iam resuscitatum.*

b) Novum Testamentum semper postulabat fidem in Christum resuscitandum vel resuscitatum, etiam independenter ab experientia sensili sepulcri vacui vel apparitionum Christi resuscitati. Etenim fides semper praestanda erat *ob praedictiones resuscitationis Christi factas in Vetere Testamento*, clarius cum additione ipsius diei in vita sua mortali propositas *ab ipso Christo*, post resuscitationem repetitas *ab angelis* nomine Dei loquentibus.

c) Haec notitia de Christi resuscitatione omnino sufficiens erat, ut deberet credi, etsi nulla apparitio Christi ascessisset. Imo persuasio habita de Christo vivente, in quantum innitebatur motivo experientiae sensilis, non erat fides sed scientia vel experimentalis cognitio.

d) Christus voluit se apostolis videndum afferre ut et ipsis et nobis exhiberetur *motivum maximum credendi* omnes veritates revelatas.

e) Resurrectio Christi ut experientiae subiecta *magnum utique motivum credibilitatis est, at nequaquam unicum erat* pro ipsis apostolis neque unicum est pro posteris eorum.

Quae omnia in obiectione more Rationalistarum turpiter confunduntur.

Ob. 3) — Persuasio resurrectionis Christi nihil ad fidem iuvat. Etenim nisi in te resurrexerit Christus, *etsi persuasionem habueris de Christo resuscitato, tamen damnaberis.*

R. — Dist. ma.: Persuasio de resurrectione Christi non sufficit ad habendam fidem e caritate viventem, i. e. ad iustificationem, c.; non sufficit ad aliquid, quod ad fidem in se sumptam pertinet, subdist.: non sufficit in ratione motivi credibilitatis, n.; non sufficit in ratione aliorum elementorum fidei, c.

CONTRA ARGUMENTUM E Io.

Ob. 4) — Io. 2, 19-21 non agitur de resurrectione Christi. Nam verba Christi *ita a Iudaeis intelligi non poterant.*

Etenim *a)* patet eos ea eo tempore de templo materiali intellexisse. Respondent enim Io. 2, 20: « Quadraginta et sex annis aedificatum

est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud ? » *b*) Neque alio modo intelligebant verba haec post 3 fere annos. Nam Mt. 26, 60-1 legimus: « Novissime autem venerunt duo falsi testes et dixerunt: Hic dixit, possum destruere templum Dei et post triduum reaedificare illud ». Mc, 14, 57: « Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem. Ego dissolvam templum hoc manu factum et per triduum aliud non manu factum aedificabo ».

R. — Nego assertum. Ad probationem: Dist.: Verbum istud a Iudaeis intelligi commode non poterat eo tempore, tr.; post mortem et resurrectionem Christi, n.

Expl. Iudaei si animo tranquillo verba Christi examini subicere voluissent, eundem sensum in eo detegere potuissent, quem nos ei inesse demonstravimus. Pro fine tamen Christi sufficiens erat, si illud dictum memoria retinebant atque tandem post resurrectionem suam secutam illud intelligebant. Quem finem proximum, ut scilicet verbum illud memoriae imprimeretur, Christus egregie obtinuit. Id quod et ex falsis testibus in obiectione recensitis videmus, et ex convicio, quod Mt. 27, 39, 40 refert: « Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes: Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas, salva teipsum; si Filius Dei es, descende de crux ».

Pro argumento nostro perinde est, num Iudaei verba Christi eo tempore commode intelligere potuerint necne. Factum quod attinet, non pauci sunt qui putent, ea vere intellecta esse a quibusdam. Neque putant obstare responsum Iudaeorum vel accusationem testium. Etenim Iudaei aliquando verba Christi mala voluntate in sensum alienum detorserunt; cf. v. g. Io. 8, 21. Porro consuetum erat Iudaeis, ut prophetis atque sanctis falso contemptum templi obicerent. Ita Ieremiae, Stephano fecerunt.

Scholion ad theses de resurrectione Christi: Christus cum corpore suo informato etiam S. Paulo apparuit.

1) *Hoc non probamus e sola narratione Act. 9, 1-9 in se spectata.* Sed ipsa intima natura apparitionum quibus Christus se Paulo videndum exhibuit, potius ex eo concludi et potest et debet, quod Paulus *alibi visionem saltem unam sibi factam eodem in numero ponit atque alias visiones, in quibus Christus caeteris apostolis atque aliis resurre-*

ctionis suae testibus cum corpore suo apparuit. Etenim Paulus etiam e visione sibi facta et veram Christi resurrectionem demonstrat et suam paritatem cum caeteris apostolis qui Christum viderunt. V. praecipue 1 Cor. 15, 8; 9, 1. Cf. etiam Act. 1, 22; 22, 6-15; 26, 1-26.

2) *Rationes* quibus *Rationalistae* probare student Christum S. Paulo non apparuisse, iis sunt similes, quas in his thesibus de resurrectione Christi refutavimus.

3) Unde *ineptissime procedunt Rationalistae* cum ita contra omnes apparitiones arguunt, quibus Christus se apostolis vivum exhibuit: Paulus habuit visiones tantum subiectivas. Atqui eiusdem rationes erant apparitiones caeterorum atque Pauli. Ergo omnium apparitiones nonnisi subiectivae erant.

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

AUCTORE

HERMANNO VAN LAAK S. I.

REPETITORIUM

CAPITUM QUORUMDAM E MATERIA PROPOSITA

FASCICULUS I.

AD USUM PRIVATUM

AUDITORUM UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1911

DE THEOLOGIA GENERATIM

Propositio. **Pars I.** Theologiae fundamentalis subiectum est impertitio revelationis publicae per prophetas, Christum, apostolos, eiusque infallibilis custodia per ecclesiam catholicam. — *Cf. De theol. gener. f. 1 p. 1-12.*

Argumentum. — Subiectum alicuius disciplinae est « *illud, cuius praecipue intenditur cognitio tamquam finis totius scientiae* », ad quem proinde finem reliqua omnia quodam modo referuntur. Atqui finis unicus theologiae fundamentalis est perducere ad cognitionem facti, Deum locutum esse per prophetas, Iesum, apostolos, atque ea, quae locutus sit, per ecclesiae catholicae infallibile magisterium infallibiliter custodiri. Ergo hoc factum est subiectum theologiae fundamentalis.

Prob. min. Finis theologiae fundamentalis est, ea probare, quae necessaria sunt, ut, philosophia absoluta, dogmati studeri possit. Atqui ad hunc finem necessarium est et sufficit, ea probare quae diximus. Nam dogmatici qua talis est, veritates singulas revelatas scientifica methodo ex verbo Dei deducere.

Pars II. Obiectum formale eius partis theologiae fundamentalis qua factum locutionis divinae primo probatur, est cognoscibilitas huius facti e principiis creatis eaque historico-philosophica ; eius vero partis, qua factum custodiae revelationis probatur, est aut cognoscibilitas huius facti e principiis naturalibus eaque historico-philosophica, aut, id quod perfectius est, revelatio divina.

Arg. — Obiectum formale alicuius scientiae est *ea cognoscibilitas, quae in eius subiecto invenitur.* Atqui **factum locutionis divinae** *non habet primam suam cognoscibilitatem ex principio increato. Non ex visione Dei,* quam non habemus ; obiectum enim formale intellectus nostri est intelligibile in sensibilibus. *Non ex Deo auctoritative loquente,* cui respondet fides : nam fides supponit, saltem natura prius

notum esse factum locutionis Dei. Ergo obiectum formale theologiae fundamentalis est cognoscibilitas e principio creato.

Porro in theol. fund. e principiis rationis probandum est *factum* impertitionis revelationis. Iamvero *historiae* est, *facta* e principiis rationis *demonstrare*. Denique hoc factum reducendum est ad *Deum ut causam*. Iamvero *philosophiae* est, res ad *ultimam* causam reducere. Ergo cognoscibilitas haec creata theologiae fundamentalis est historico-philosophica.

Factum conservationis religionis christianae revelatae habet duplicem cognoscibilitatem primam. Nam *a)* Deus ipse nobis revelavit modum, quo revelatio christiana conservanda est, scilicet per infallibile magisterium ecclesiae. Ergo hoc factum conservationis habet cognoscibilitatem primam ex principio increato. — At idem factum demonstrari quoque potest e motivis credibilitatis confirmantibus testimonium ecclesiae de sua infallibilitate. Quae est cognoscibilitas mediantibus factis, quae ad Deum reducenda sunt, i. e. cognoscibilitas historico-philosophica. Patet hanc esse imperfectiorem quam illam.

Propositio. Pars I. Subiectum theologiae dogmaticae est Deus sub ratione deitatis. — *Cf. ib.*

Opponuntur « non solum creaturae, sed etiam attributa divina et relationes ». Salmant.

Arg. — 1) *Auctores* communissime : S. Thomas, Scotus, cum asseclis eorum.

2) *Ratio intrinseca :* « In theologia omnia tractantur sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus vel quia ordinem habent ad Deum, ut ad principium et finem ». Porro ipsas perfectiones divinas et relationes reales in Deo theologia ad essentiam divinam, quantum potest, reducere studet.

Ob. — *Plures propositiones* in Scriptura inveniuntur, *in theologia formantur de creaturis quam de Deo.* — Non ex numero rerum (v. g. creatarum, per accidens inspiratarum...) quae tractantur et propositionum, quae de iis formantur, subiectum disciplinae desumendum est, sed *ex eo quod ultimatim in iis et ex iis cognoscere volumus.*

Patres passim *theologiam* seu doctrinam de ipso Deo, *ab oeconomia*, seu *doctrina de operibus Dei dividebant.* — At utramque habebant partem eius disciplinae quam hodie theologiam dicimus.

Hugo a S. Victore materiam theologiae dicit : « opera restaurationis humanae » ; Lombardus : « res et signa (sacramenta) » ; S. Bonaventura : « Christum prout comprehendit naturam divinam et humanam.... et caput et membra (ecclesiam) » ; Durandus : « opera meritoria » ; saeculo 19° Hirscher : religionem christianam vel regnum Dei ; Protestantes conceptus vagos et indeterminatos proponere solent, generatim subiectum theologiae dicunt : « religio-

nem christianam ». — S. Bonaventura eo loco loquitur de subiecto integrali, alio loco idem subiectum simpliciter statuit atque nos. Caeteri aut minus accurate loquuntur, aut, ut generatim fere, oblivioni dant, omnia, uti in ipsa essentia divina rationem suam habent, ita ad eam manifestandam esse ordinata, et non viceversa.

Pars II. Obiectum formale theologiae dogmaticae est demonstrabilitas alicuius veritatis ex verbo Dei, uti ab ecclesia catholica infallibiliter proponitur et declaratur, sive directe in eo invenitur sive mediantibus conclusionibus ex eo deducitur.

Arg. — Theologia dogmatica omnibus consentientibus dividitur in positivam et speculativam. Illius est, singula quae Deus revelavit, ex fontibus revelationis deducere. Huius est ea, quae hac ratione in revelatione contenta esse inventa sunt, mediante sana philosophia explicare, inter se systemate coniungere, conclusiones ulteriores ex iis deducere. Ergo obiectum formale theologiae dogmaticae est demonstrabilitas alicuius veritatis ex verbo Dei, sive directe sive indirecte.

At theologia dogmatica non considerat omnia, quae ex verbo Dei deduci possunt, sed ea sola, quae ex verbo Dei, in quantum est ecclesiae traditum, i. e. ex revelatione publica deduci possunt. Etenim ea scientifice tractat quae a catholicis ut talibus credenda sunt. Haec autem sunt sola ea, quae in revelatione publica, ecclesiae concredita, continentur.

Scholion. — Quidam auctores quasi unice munus theologiae speculativae in sua definitione considerare solent.

Ob. — Etiam *theodicea nonnisi de Deo* docet. — At ea non ex revelatione, sed e *principiis creatis* haurit.

Etiam *fides* omnia *ex verbo Dei haurit*. Ergo fides et theologia non distinguuntur. — N. as. Ad rationem additam: Primo, assensus fidei assentit veritatibus, quae ut revelatae a regula fidei proxima, ecclesia, proponuntur, ob auctoritatem Dei; assensus theologicus in quantum, supposita revelatione, demonstrantur explicite ex regula fidei remota, Scriptura et traditione. Secundo, assensus fidei secundum quosdam fertur in ea quae revelata sunt, assensus vero theologicus *in omnes etiam remotas conclusiones*, veritates tantum connexas cum revelatis.

Nulla scientia principia sua probat. Atqui theologia e verbo Dei probat veritates revelatas quae sunt principia theologiae. — Theologia speculativa sua principia proxima, singulas veritates revelatas, qua tales accipit a theologia positiva; theologia positiva vero principium suum ultimum e quo singulas veritates probat, scilicet factum locutionis divinae atque infallibilis custodiae eorum quae Deus locutus est, a theologia fundamentali accipit.

DE RELIGIONIS REVELATIONE

IN ABSTRACTO CONSIDERATA

Propositio. Revelatio tum immediata tum mediata possibilis est. — *Cf. De relig. revel. in abstr. intra p. 1-28.*

[Qualificatio theologica. — De fide divina catholica definita. Vat. D. 1807; 1787 de mediata].

Status quaestionis. — *Revelationis definitio* verbalis: remotio veli; realis: *locutio Dei attetsans.* Locutio est actus quo quis directe (non per medium obiectivum ex quo, scilicet per effectus) sua iudicia alteri communicat; attestans est ea locutio qua quis auctoritatem suam interponit. — Revelatio *immediata* est ea, in qua tum Dei miraculosus influxus, veritates credendas proponens, tum praeceptum divinum eas credendi ad easdem personas dirigitur; revelatio *mediata* ea est, in qua influxus miraculosus ad unum vel pauciores, praeceptum vero credendi ad plures extenditur, quibus eae veritates qua credendae per homines communicantur. — *p. 2-4; 6-7.*

Possibilitas intelligitur *adaequata.* Possibilitas vero adaequata alicuius rei in eo consistit, ut eius existentia cum omnibus perfectionibus divinis conveniat, quae in existentiam alicuius rei influere possunt; *physica* est mera non-repugnantia notarum *intrinsecarum.* — *p. 9-10.*

De revelatione immediata.

Pars I. Non habetur repugnantia notarum. — *p. 10-18.*

Adv. — Materialistae, Pantheistae, Deistae, Naturalistae, Rationalistae.

Arg. — 1) **E ratione intrinseca.** — Non repugnat *forma efficienda:* similitudo alicuius enuntiabilis recepta in mente humana; neque *modus eam efficiendi*, sive per linguam iam notam aut tunc infusam, sive sine lingua, per solum conceptum mentis; neque *dispositio recipientis*, cum homo tales formas ab alio, ergo a fortiori a Deo, recipere possit; neque *finis:* notitia rei, fides.

2) **Auctoritas generis humani.** — Indi Veda, Graeci oracula, Mohamedani Coran, Christiani alia qua *revelata credunt*, ergo possibilitatem revelationis supponunt. — In hac persuasione vero

exprimenda *aberant motiva mentiendi;* in ea habenda aberant *causae erroris:* illusio sensuum, incapacitas iudicandi, inadvertentia, influxus indebitus voluntatis.

Ob. — Deus revelando *contradiceret suo consilio,* ut homines e rebus mundanis cognitiones suas acquirant. — N. Hoc consilium valet *ordinarie; admittit tamen exceptionem* per actionem miraculosam pro fine speciali. Cf. possibilitas miraculi.

Deus loquendo cum hominibus sibi subditis se vilem redderet. — Si *deberet* loqui, vel pericula depravationis incurreret, c.; quia haec absunt, n.

Deus revelando *assensum hominis e claro*, ob evidentiam habito, *mutaret in obscurum*, ob auctoritatem elicitum, ergo deprimeret intellectum hominis. — N. antec. Aut (secundum quosdam) uterque assensus habetur; aut (secundum alios), si habetur assensus ex evidentia, fides non oritur; *nunquam* vero *scientia amittitur.* Porro Deus plurima *revelare potest, quae* aut moraliter, aut physice *scire non possumus.*

Deus eo quod revelat, *suo dominio* in intellectum humanum *derogaret.* — Dist.: si loqueretur tantum magisterialiter, c.; *si auctoritatem interponens*, n.

Deus revelat *iudicia* sua. Atqui homo *divina* sibi *repraesentare nequit.* — Dist. min.: conceptibus propriis, c., analogis, n.

Deus protoparentibus, utpote *linguam non callentibus, revelare non poterat.* — Poterat *sine lingua;* poterat *eam antea infundere.*

Repugnat hominis *dignitati,* alterius auctoritati se submittere. — Ei auctoritati quae fallere et falli potest, tr.; *divinae,* n. Imo fide multis modis perficimur.

In revelatione haberetur *cognitio sine animae activitate.* Atqui talis repugnat. — Dist. min.: sine ea activitate, quae consistit in perspicienda *intrinseca convenientia* inter subiectum et praedicatum, c.; sine *multiplici alia* activitate, n.

Revelatio cognosci nequit. Ergo inutile est ut detur. — Prob. ma.: Obiectum *scientiae historicae* est *nexus causalis inter facta humana.* Atqui revelatio neque est factum humanum, neque nexu causali cum iis iungitur. — N. ass. et rationem allatam. Obiectum scientiae historicae sunt etiam ea, *quae homines in se, ab alio facta, experiuntur.* Cf. miracula.

Prophetae, Christus sibi non ascribebant cognitiones praeternaturales, sed tantum *revelationem sensu lato talem.* — N. Cf. thesim 1 de revel. christ.; de revel. iudaica. — Tales *assertiones* apriorismo, non vero studio textuum *debentur.*

Tot hominum classes *possibilitatem revelationis negarunt.* Ergo argumentum ex auctoritate generis humani fieri nequit. — Tantum *ob rationes falsis systematibus* vel pantheisticis vel aliis *intrinsecas.* Ergo vox naturae humanae per eos adversarios non debilitatur.

Ethnici diis *qua organizatis* loquelam attribuebant. Ergo ea persua-

sione, nulla confirmatio possibilitatis revelationis ex parte Dei habetur. — Dist. antec.: qua organizatis n.: qui organizatis, subdist.: tantum eiusmodi diis, n.; etiam aliis, c.

Pars II. Exsistunt fines Deo digni, cur revelet. — *p. 29-31.*

Arg. — 1) E natura rei. — Revelatio qua *actio miraculosa* exsistentiam atque potentiam, qua *locutio* sapientiam, qua locutio Dei *attestans* speciatim veracitatem Dei manifestat; nobis vero assensum e motivo infinito possibilem reddit. Obiecto quovis, quod continet, ad laudem Dei disponit.

2) **Confirmatio ex auctoritate generis humani.** Hoc actum fidei libere amplexum est, ergo eum qua sibi bonum agnovit; honorem prophetis etc. detulit.

Ob. — Veritatis *inquisitio est perfectior* quam eius *possessio*, cum sola inquisitione facultates perficiantur. — N. ass. et rationem additam. Perficiuntur facultates *maxime actione perfecta, qua veritas possidetur.*

Si revelatio conceditur, *scientiae* morali quadam necessitate *decrescunt.* Nam nemo in ea inquirit quae iam cognita sunt. — *a) N. sup.* asserti et rationis additae, necessario *omnia revelari. b)* Ad rationem additam: Scientia est *cognitio e causis intrinsecis.* Ergo *revelatione attestant, non suppletur,* sed tantum aliquando ob novam normam externam infallibilem securior redditur.

Dedecet scientiam, pati *influxum a norma sibi extrinseca.* — Dist.: si mediante *ipsa scientia* demonstrari potest, *eam* normam extrinsecam *assumendam esse,* n.

De revelatione mediata. — *p. 25-8.*

Adv. — *Quidam e Pseudomysticis, Deistis:* omnes *recentes Evolutionistae* in re dogmatica speciales rationes contra revelationem qua mediatam afferunt.

Arg. — 1) E ratione intrinseca. — Inter obiecta per revelationem immediatam proposita etiam hoc contineri potest, Deum velle, ut veritates revelatae caeteris suo nomine credendae proponantur. Quod mandatum homo exsequi potest. Quo completo caeteri illas veritates Deo credere possunt.

2) Ex auctoritate humani generis. — Ordinarie revelationi mediatae credidit. Cf. arg. partis primae.

Ob. — Revelata *necessario, antequam transmittuntur, cum non revelatis confunduntur.* — N. Alias nunquam, quae unus homo dixit, ab alio sine erroribus tertio referri possent. Intrinseca ratio: cognoscuntur ut revelata, et ita a non revelatis distinguuntur.

Imo revelatio *sic dicta mediata diversa erit secundum diversitatem subiectorum,* qui eam recipiunt, imo ex parte falsa. Nam primo quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, et consequen-

ter ut diversum communicabitur. Secundo omnes homines quasdam ideas religiosas falsas habent. — N. ass. Ad rationem primam additam dist.: Modus quo diversa genera entium intelligentium, angeli, homines cognoscunt, diversus est, c.; *ea quae a diversis intelligentibus iudicantur, necessario diversa sunt,* n. Caeterum difficultas potius probaret, ne révelationem quidem immediatam ullam immutatam recipi posse. — Ad secundam: n. Porro, etsi omnes quosdam errores haberent, nihil sequeretur. Cf. ob. 1.

Quod *ab homine pronuntiatur*, non potest habere *auctoritatem nisi humanam.* — Dist.: si ut humanitus dictum pronuntiatur, c.; *si ut a Deo dictum*, n.

Corol. — *Impossibilitati morali in transmittenda religione revelata providentia divina mederi potest* iuvando memoriam, intellectum, voluntatem, tum in singulis tum in societatibus, tum naturali, tum miraculoso modo.

Propositio. Pars I. — Maxima sunt bona, quibus Deus moveri possit, ut religionem humano generi revelet. — *p. 32-5.*

St. qu. — Iam vidimus theseos praecedentis parte secunda esse bona quaedam, quae iam *omni revelatione* qua tali Deus intendere possit. Quaerimus de bonis e revelatione *religionis* oriundis. — Veritas religiosa est *enuntiabile quo aliquid de Deo vel de relatione rerum ad Deum affirmatur.* Religio obiective sumpta est *complexus* quidamveritatum religiosarum saltem *principalium.*

Arg. — 1) **E ratione intrinseca.** — Ea religiosa, quae sine revelatione *facile* cognoscuntur, per eam *certius et vividius* tenentur; ea vero, quae ex natura rerum et teste historia sine revelatione difficilius cognoscuntur, si tamen cognoscuntur per eam *expedite,* inde ab initio *vitae, ab omnibus* etiam incultis, *sine foedo errore, magna cum certitudine et amplitudine* tenentur. — Porro maior perfectio vitae religiosae per se veram *felicitatem terrenam* promovet. Nominatim *scientiae*, imprimis philosophia, perficiuntur eo, quod in tot veritatibus, quae sive revelatae sunt, sive cum revelatis connexae, infallibilem *normam* habent.

2) **Auctoritate generis humani**, quod revelationem religionis multis modis extollit. Cf. thesim priorem.

Ob. — Revelatio religionis *supponit, ea quae revelari possunt* iam antea sciri. Ergo non valde utilis est. — Dist. ma.: omnia vel quoad maiorem partem, n.; quaedam, scilicet ea quae ad iudicium credibilitatis necessaria sunt, subdist.: eadem claritate atque certitudine qua per revelationem tenentur, n.; minore, c.

Revelatio *fanatismum vel intolerantiam producit.* — Quoad *fanatismum*, n.; religio vera eum damnat, cum sit fervor, qui media illegitima vel legitima valde imprudenter adhibet. Quoad *intole-*

rantiam, dist.: *dogmaticam,* c. et nego eam esse malam; *civilem* debitis cum conditionibus adhibendam, n.

Revelatione multarum veritatum *libertas scientiae nimium restringitur.* — N. Inquisitio in causas intrinsecas rerum revelatarum nullo modo impeditur. Tantum habetur norma uberior, *errores efficacius impediens.*

Saltem *silentium* regnabit ex *timore, ne indirecte aliquid contra revelationem dicatur.* — *a)* Multae scientiae nullam vel vix ullam relationem cum revelatione habent. *b)* Historia teste tantus timor locum non habuit. *c)* Aliquod damnum a timidis mentibus forte procedens maioribus bonis compensatur.

Ethnici tantum revelationes de bonis terrenis ad deos reducebant. — N.: Reducebant ipsos ritus religiosos, aliquando regulas morum.

Pars II. — Imo, si Deus voluit, ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti generis humani conditione, ab omnibus sufficienti amplitudine, expedite, firma certitudine, nullo admixto errore, cognosci posse; si porro nullum aliud extraordinariae suae providentiae auxilium concedere voluit, ipsa revelatio ad eum effectum moraliter necessaria esse dicenda est. — *p. 38-43.*

[**Qual.** — Veritas definita a Conc. Vat. D. 1786].

St. qu. — Intelligitur necessitas *moralis,* i. e. quae remedium affert impotentiae morali seu ei difficultati operandi id, ad quod facultates et media adsunt (quod proinde physice fieri potest). quae impedit quominus ad actum perveniatur; *disiunctiva,* i. e. Deus aut revelationem concedere debebat, aut aliud adiutorium quo eundem effectum obtineret; *hypothetica,* scilicet si Deus efficaciter volebat, humanum genus certam quandam perfectiorem cognitionem assequi. Intelligitur eiusmodi cognitio, qua ea quae in rebus divinis humanae rationi impervia non sunt, in praesenti generis humani conditione ab omnibus etiam incultis, expedite inde ab initio vitae moralis, firma certitudine, debita amplitudine, quae vitam homine dignam deceat, nullo admixto foedo errore cognoscantur. — In suppositione elevationis ad ordinem visionis beatificae necessitas physica alicuius revelationis statuenda esset.

Arg. — 1) **E ratione intrinseca.** *Difficultas illa* cognitionis, quam parte prima in humano genere adesse demonstravimus, *sine revelatione (aut alio adiutorio extraordinario) ablata non esset.*

Non per singulos qua singulos, cum difficultates oriantur ex natura rerum et intellectus atque ex ea voluntatis mala dispositione, quae decursu saeculorum non minuta est. — *Non per media socialia.* Nam *philosophi* cognitiones habebant nimis imperfectas, eas vero quas habebant propagandi neque zelum habebant neque

aptum modum, cum magisterium auctoritativum iis praesto non esset, magisterium vero simpliciter docens neque uniforme neque humano generi conveniens esset. Religiones novae errores foedos continebant. *Societates religiosae* ritus eosque superstitiosos docebant. *Status civilis* Polytheismum fovebat. « *Lex* » *progressus* universalis saltem in rebus religiosis non existit.

2) **Auctoritas sapientum** thesim confirmat; Plato, Iamblichus; Conc. Vat.

Ob. — Si revelatio esset necessaria, *esset debita.* — Si revelatio *hypothetice et disiunctive* dicitur necessaria esse ad eam ampliorem cognitionem quam diximus, tunc revelatio hominis naturae debita est, n.; *si sine illa hypothesi et in se ipsa* diceretur necessaria ad cognitionem absolute necessariam finis naturalis et mediorum ad eum, tunc esset debita, c.

Impotentia generis humani ad cognoscendam religionem naturalem *repugnat sapientiae Dei.* — Si esset circa veritates *absolute necessarias ad finem naturalem cognoscendum*, si porro Deus in tali statu *nullum medium saltem naturale* ad eas veritates cognoscendas providentia sua *suppeteret*, c.; si utraque haec conditio deest, n. *Eaedem sunt vires naturae intrinsecae nunc atque erant in statu naturae purae.* Atqui in eo statu impotentia moralis, de qua in thesi, non adfuisset. — Et simul erant *eadem impedimenta* pro usu virium ad finem de quo agitur, p. pr. *Transeat minor*, de qua diversae sententiae sunt.

Impotentia illa *neque per revelationem aufertur.* Adhuc enim maior pars generis humani versatur in ea ignorantia quam descripsimus. — Dist. ass.: *Si audientes eam non credunt*, c.; si credunt, n. Religiones e statu *Fetichismi per se ipsas ad perfectum statum populorum christianorum se evolverunt* mediante lege progressus. — *a)* Nego, probari posse, *eum statum fuisse primaevum. b)* Hodiernus status quorundam populorum habetur *per revelationem* susceptam et retentam. *c)* Habetur in genere progressus iste: *in rebus mundanis,* c.; religiosis, n.

Propositio. Certo cognosci potest miraculorum veritas historica, philosophica, theologica, atque relativa.

Agitur de *motivis credibilitatis,* i. e. de rationibus, ob quas intellectus rationabiliter iudicare potest, locutionem, quae ut divina proponitur, de facto a Deo profectam esse. — *p. 44.*

Primaria sunt ea, quae exsistere et in mentem agere possunt, quin necessarium sit, ulla alia motiva obiective processisse; *secundaria*, quae supponunt aliud motivum assentiendi veritati quae ut credenda proponitur, iam antea ab aliquo agnitum fuisse. — *p. 46.*

Effectus miraculosus in genere est effectus praeter naturae cursum a Deo ut causa sive physica sive morali patratus sive in natura

rerum sensibili, sive in intellectu sive in voluntate. Ut possit esse signum revelationis, debet independenter a revelatione cognosci posse. — *p. 48-9.*

Miraculum (ut terminus technicus) est *effectus sensibilis praeter naturae cursum a Deo ut causa sive physica sive morali* patratus. — *p. 57.*

In philosophia *probatum* est, *actiones miraculosas, praecipue miracula fieri posse;* in theol. fund. (prop. 13), *actionem miraculosam* esse argumentum pro revelatione non tantum aptum, verum etiam *unicum primarium;* inter omnes vero actiones miraculosas *miraculum*, si revelatio mediata fit, argumentum *convenientissimum*, esse. Quo medio manifestandae revelationis Deus se privare nequit. — *p. 53-5.*

Veritas historica dicit illum effectum, qui miraculosus vocatur, locum habuisse; *philosophica*, eum neque viribus naturae sibi relictis neque humano influxui deberi; *theologica*, eum ad Deum ut causam sive moralem sive physicam esse reducendum; *relativa*, eum de facto ad id esse relatum, ut sive sanctitatem alicuius hominis, sive factum revelationis divinae sive simile quid probet. Hic consideramus tantum relationem ad probandam revelationem. — *p. 49-50.*

Cognosci potest veritas historica miraculi. — *p. 61-5.*

Arg. — 1) Si agitur **de cognitione immediata.** — Effectus eo quod extraordinario modo producitur, nihil sui esse sensibilis amittit. Imo generatim facilius quam in multis aliis factis excluduntur causae erroris: inadvertentia, quia est factum extraordinarium; difficultas rei, quia saepe est factum quam maxime palpabile; praecipitantia, si agitur de motivo credibilitatis pro revelatione officia gravissima imponente; illusio daemonis, saltem si agitur de facto quod externe relatum est ad revelationem probandam, dummodo diligentia moraliter possibilis adhibita fuerit; quae illusio in hac suppositione saltem ideo exclusa est, quia Dei providentia specialem curam habere debet ut revelatio hominibus prouti exsistunt, probari possit.

2) Quae diximus suo modo **ad cognitionem mediatam**, per testes, applicentur.

Ob. — Qui affirmat miraculum, *dicit leges naturae fuisse et non applicatas et applicatas;* nam nisi implicite affirmaret, in suis facultatibus cognoscitivis omnia secundum leges naturales facta esse, neque effectum externum sensibilem affirmare posset. — Dist.: *easdem in eodem subiecto, et eodem tempore*, n.

Falli in observationibus cotidianum est. — In difficilioribus, vel in facilioribus si sunt parvi momenti, praecipue ob parvum earum momentum et consequentem parvam attentionem, c.; in facilioribus magni momenti, n.

Probabilitas ut miraculum fiat ad eam *ut non fiat*, se habet *ut unum ad infinitum*. — Ergo raro observabitur eiusmodi actio, quia raro fit, c.; si fit, cognosci nequit, n.

Supernaturale *sola fide* cognosci potest. — Dist.: Mysterium, c.; exceptio a lege physica, n.

Certitudo debet esse *tanto* maior, quanto *maius* est *momentum miraculi*. — N. Maius vel minus momentum miraculi pendet ab utilitate maiore vel minore miraculi, dummodo vere certum sit.

Saepius hominum *scientia seu veritas deficit quam leges physicae*. — Sequitur plura mendacia vel errores in mundo exsistere, quam miracula, c.; non posse cognosci miracula, n.

Maior certitudo, scilicet physica de legibus servandis, *vincit* minorem, scilicet moralem de facto recte observato. — Si sunt de eadem re, tr.; si *de diversa re*, n.

Testes *mediati* connaturaliter, per decursum temporis, *semper plus obiecti narrati et certitudinis amittunt*. — Si agitur de re scripta, vel de orali traditione rei publicae magni momenti, n. — Imo per se certitudo augetur numero testantium, qui narrationem sibi traditam examini subiecerunt.

Conditiones ad argumenti vim essentialiter requisitae omissae sunt v. g. formae iuridicae, quales ecclesia pro miraculis in beatificatione requirit. — *a)* Unica conditio est: scientia et veracitas testium de *tali re*. *b)* N. Ecclesia pro miraculis in beatificationibus tales formas hodie utique requirit, at non ut necessarias ad veram certitudinem, sed ut utiles ad alios fines.

Contra scientiam est, in argumentis ad *providentiam* divinam provocare. — Ad eam, quam adesse debere antea demonstratum est, n.

Cognosci potest veritas philosophica miraculi. — *p. 65-7.*

Arg. — 1) Cognosci potest, *quas vires thaumaturgus sciens et volens adhibuerit*. Si *omnibus notae* sunt, eorum vigilantia, legati prudentia etc. Si *soli legato notae* dicuntur, eas aut *naturaliter scit*, aut *praeternaturaliter*. Primum excludi potest legati veracitate, impossibilitate acquirendi eam scientiam quae requireretur; secundum confessione sive explicita sive implicita legati et eo modo patrandi miracula, qui applicationem diversarum virium excludit.

2) Cognosci potest, *eas vires, quas legatus forte adhibuisse diceretur* v. g. impositionem manuum, *effectum non produxisse;* ex eo quod, sub iisdem circumstantiis eodem modo applicatae, eundem effectum non producunt, ex eo quod quidam effectus et causae in diverso genere inveniri possunt, v. g. organico, inorganico.

3) Cognosci potest, *vires ipsi thaumaturgo incognitas effectum non produxisse*. Si *magna series miraculorum consideratur*, eo quod coincidentia non posset explicari nisi libertate virium; *si singula*,

eo quod aliquid in iis invenitur, quod contradicit conditioni omnis modi agendi naturae sibi relictae v. g. si effectus habetur in materia non disposita.

Ob. — Non cognoscimus leges omnes. — Ergo non possumus scire exceptiones ab *iis legibus quas scimus*, n.

Nescimus, quid eae vires quas cognoscimus, perficere valeant. — Dist.: quid *sub iisdem conditionibus* valeant, n.; quid sub diversis, subdist.: *intra genus causalitatis suae*, tr., extra illud, n.

Veteres recenter inventa miracula habuissent. — Si scivissent, ea *applicationi humanae virium deberi*, n.

Potius dicendum est, usque nunc *legem physicam recte cognitam non fuisse.* — Probatae sunt leges physicae in cosmologia.

Modestiae est, suspendere assensum. — Si constat de exceptione, n.

Cognosci potest veritas theologica miraculi. — *p. 67-73.*

Arg. — Quaerimus criteria, quae ab omnibus, non tantum a maximis philosophis, applicari possint. — Spectat ad providentiam Dei, criteria *hominibus prouti sunt* suppeditare, quibus opera spirituum suo ipsorum nomine in probanda revelatione agentium, ab operibus a Deo profectis distingui possunt. Iamvero *criteria*, quae *e sola natura physica* operis haurirentur, quae scilicet manifestarent, opus ad solum Deum ut causam immediatam physicam reducendam esse, e natura rei atque ex auctoritate sapientum *difficiliora* sunt, quam ut ab hominibus, quales esse solent, morali facilitate applicari possint. Ergo sufficere debet, ut sint criteria physico-moralia. I. e. si agitur de operibus externe ad probandam revelationem relatis, ea ad Deum ut causam sive physicam sive saltem moralem reducenda sunt, *si primo praeter naturae cursum patrata sunt; si secundo nullam oppositionem ad Deum qua agentem ad extra cognoscibili modo continent*, i. e. nullam oppositionem ad Dei sive potentiam sive sapientiam sive bonitatem.

Oppositio habetur *ad potentiam:* si potestas thaumaturgi invenit contrariam fortiorem; a creatura cogitur (magia); ad certas operationes ligatur; opus imperfectius producit quam promissum erat. — Ad *sapientiam:* si opus est inordinatum; finis intrinsecus sine vera corporis aut animae utilitate; finis operantis irrationabilis, v. g. confirmatio doctrinae, quae aliunde ut falsa nota est; modus patrandi Deo indignus; thaumaturgi solent esse caeteris magis insipientes. — Ad *sanctitatem:* si opus in se est contrarium legi Dei; doctrina ad quam probandam miraculum refertur, aliunde nota est ut mala; modus patrandi mala continet; personae solent esse caeteris deteriores; effectus ad minus bonum vel ad malum tendunt; etc. — Quo magis contraria horum omnium obtinent, eo evidentior est veritas theologica.

Ob. — *Criterium* ob essentiam suam *e sola natura physica* operis desumendum est. — N. Hoc *non* includitur *in conceptu;* contra auctoritatem doctorum est.

Si criteria moralia, v. g. effectus boni adhibentur ad miraculum divinum a praestigio diabolico distinguendum, *non* habetur argumentum *e miraculis*, sed *ex effectibus* bonis. — N. Cf. sigillum indicatum genuinum ex materia laccae.

Deus spiritui concedere potest *generalem et potentiam et licentiam patrandi* opera praeter naturae cursum. — Dist.: *subductam iis providentiae legibus*, quas in hac parte theseos *ut necessarias* probavimus, *n.*

Etiam criteria *physico-moralia* nonnisi *difficillime* applicari possunt, saltem *ab ethnicis.* — Dist.: omnia idque scientifica methodo, c.; *unum vel aliud*, modo non scientifico, subdist.: nulla omnino diligentia praemissa, c. vel tr.; *ea diligentia praemissa cuius capaces sunt*, n. — *Ethnici* non sunt sine *cognitione naturali Dei* atque rerum divinarum; si humana natura in quibusdam extraordinario modo depravata est, saltem mediante ipsa *praedicatione missionarii* ante illud tempus, quo iudicium credibilitatis formandum est, ad eum gradum talis cognitionis elevari possunt, qui necessarius est ad vim miraculi capiendam.

Diabolus diabolum expellere potest. — Dist.: ad finem bonum vel ad malum qui prudenter iudicari possit bonus, n.; *ad malum, qui ut talis cognoscibilis est*, c.

Constare potest de veritate relativa miraculi. — *p. 73-7.*

Arg. — **1)** Cum **de revelatione immediata** agitur: si ipse loquens affirmat se, Deum, loqui et ad hanc affirmationem probandam se miraculum patrare; si porro miraculum reapse sequitur, idque ita, ut de eius veritate historica, philosophica, theologica constet.

Etenim *arctior connexio* inter revelationem et miraculum ab ea realiter distinctum *exsistere nequit.* Ergo Deus *aut nunquam* per miraculum revelationem immediatam probare potest, *aut* miraculum *sub conditionibus dictis* probat. Iamvero *prius falsum est.*

Nam neque e ratione neque e revelatione constat, Deum aut tantum per revelationem ipsam, in quantum est actio miraculosa, probare velle revelationem in quantum iudicia divina continet; aut eum tantum aliis actionibus miraculosis, non vero effectibus sensibilibus praeternaturalibus seu miraculis, qua argumentis uti velle. Imo effectus sensibilis naturae *hominis* valde convenit. (Cf. Mosis brachium sanum, mox leprosum, et viceversa).

2) Cum **de revelatione mediata** agitur: *a)* si sub iisdem caeteris conditionibus iam nominatis, *legatus ex sua parte affirmat*, Deum haec eloqui et ad hanc suam affirmationem probandam miraculum explicite vel implicite refert, Deus vero non revelavit, se tantum ad alios fines actiones miraculosas patrare; aut se alias

quidem actiones miraculosas, non vero miraculum ad probandam legationem patrare. *Alias Deus se privaret potestate probandi revelationem mediatam per miracula*, i. e. per effectus sensibiles extraordinarios. *Hac autem potestate privari nequit.*

Nam ad supremum eius dominium spectat, Deum ad hunc finem debere uti posse, *omni medio e natura sua apto*, a fortiori eo medio, quo nullum ad revelationem *mediatam hominibus* probandam aptius est.

b) Modi, qui a verbis legati abstrahunt: si iis miraculis fides in futurum legatum commendatur vel si auctoritate legati fiunt; si legatus prae caeteris dono miraculorum insignitus est; si ea studium hominum in eum qua talem promovent; si gloriam animae vel corporis legati manifestant vel efficiunt vel praemium constituunt; si fides in eum habet rationem causae efficientis vel finalis in iis patrandis; si iis puniuntur legati adversarii qua tales.

Ob. — In thesi de veritate theologica miraculorum *e doctrina* etiam qua revelata concludebatur *ad miraculum*; hic, in thesi de veritate relativa miraculorum, *e miraculo ad doctrinam* revelatam concluditur. — Dist.: *e doctrina*, quae iam *independenter* ab *hoc* miraculo diiudicando nota est, concluditur, illud *miraculum posse esse* a Deo; *postea* e miraculo, quod aliunde constat habere veritatem historicam, philosophicam, omnia quae ad theol. requiruntur, relativam, demonstratur *alia doctrina*, ad quam probandam actu refertur.

↘ Miraculis *per ethnicos* patratis *ethnicismus non commendatur*. Ergo a pari. — Ad ma.: Quia ea miracula carent veritate aut hist., aut phil., aut theol., aut relat. aut pluribus simul, c.

↘ *Praedicatores*, qui falsa quaedam, etsi bona fide, veris admiscere solent, tamen miracula *in confirmationem doctrinae praedicatae* patrasse videntur. — Dist.: Miracula ad probanda ea omnia et singula, quae in praedicatione dicunt, referre solent, n.; *ad doctrinam ecclesiae confirmandam*, c.

Argumenta supponunt, Deum non posse mentiri. Atqui *Deus potentia absoluta mentiri potest.* — *a)* N. ma. Supponunt, Deum non se posse privare medio absolute vel moraliter necessario, ut se hominibus revelare possit. — *b) N. min.*

Deus *permittere potest*, ut legatus miracula *mendaciter referat* ad legationem probandam, uti permittere potest, ut iis *ad alios fines pravos* abutatur. — N. paritatem. Deus potest permittere multa mala, non vero huiusmodi malum, e quo sequeretur, finem aliquem *necessarium* suae providentiae impossibilem reddi. Qualis finis necessarius est, miraculis *revelationem suam probare posse.*

Etiam sapiens princeps, *non obstante possibilitate abusus, sigillum* suum ministro *tradit*. Ergo a pari Deus ita agere potest. — Dist.: Nego paritatem. Princeps abusum absolute impedire non potest, Deus vero eum *impedire potest* eo quod concursum denegat.

Theologi optimi concedunt, Deum, *etiam stante tali mendacio legati, miraculum patrare posse.* — Dist.: Hoc affirmant in ea suppositione, quod Deus antea revelaverit, se *in omni casu ad alios fines* quam revelationem probandam, miraculum patraturum esse.

Quae de miraculis hucusque probavimus, humani generis atque praecipue sapientum auctoritate comprobantur. — *p. 77-83.*

St. qu. — Ex auctoritate humani generis confirmatur, veritatem miraculi tum historicam tum philosophicam tum theologicam tum relativam cognosci posse, si probatur, ex persuasione generis humani constare posse, miraculum *aptum esse ad revelationem probandam.* Nam in hac aptitudine agnita *quadruplex illa veritas ut agnita includitur.*

Arg. — 1) Ita *Christus* docuit, ut probatur in tract. de revel. christ. — *Eccles. cath.* Conc. Vat. D. 1813: « Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse.... aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis originem rite probari. a. s. ». — Eadem erat persuasio in *Vetere Testamento.*

2) *Ethnici* nonnisi ob *miracula putativa* a diis facta censebant, eos sibi locutos esse. Apologetae pro iis e miraculis divinis religionem christianam probant.

Ob. Notio *legis naturae,* ergo miraculi, *recentior* est. — Dist.: notio falsa de lege, a qua exceptio fieri non possit, c.; de lege, a qua exceptio fieri possit, n.

Post Copernicum universa *ratio considerandi naturam mutata* est. — Dist.: mutatum est iudicium *de relativitate motus* stellarum, quem tamen secundum leges fixas fieri semper tenebatur, c.; mutata sunt quaedam in iudicio de legibus universim sumptis, n.

Leges *universales* non sunt cognitae *nisi post Newton;* v. g. leges particulares quod lapis cadit, terra circa solem movetur, non esse nisi applicationes speciales unius legis universalis, scilicet attractionis. — N. suppositum, hanc cognitionem esse necessariam, ut cognoscatur exceptio a lege particulari vel applicatione legis universalis.

Hodie plures leges cognoscimus. — Ergo plura miracula cognoscere poterimus.

Scholastici angelis, ergo entibus liberis, regimen rerum mundi ascribebant. — Ita ut negarent, eos *secundum rerum naturam* influxum suum exercere debere, n.

Commune erat Hebraeis et Christianis *piis, in omni re immediatam actionem Dei videre.* — Dist.: *factam sive secundum leges naturae, sive praeter eas,* at semper procedentem e cura quam ipse Deus immediate de singulis habet, c.

Saltem *nulla positiva probatio adest, Hebraeos notionem legis naturae habuisse.* — *a)* Ea probatio necessario non est, cum sit notio omnibus hominibus *evidens.* *b)* Constantiam agendi, eamque necessariam efferunt. *Sap.* 19, 19 « *aqua exstinguentis naturae (δυνάμεως)* »; Talmud: « *pactum* cum aquis ». *c)* Tantum opera Dei extraordinaria ut *motiva credibilitatis* habebant. *d) Nomina* directe vel indirecte rationem extraordinariam in tali opere efferunt.

Saltem pro *Patribus* non habetur eiusmodi probatio. — N. as. *a)* Notio *legis naturae*: Cyr. Alex.: « *ineluctabile voluntatis suae iugum;* Euseb.: « lex naturae ». *b)* Notio *miraculi:* Iustinus: « *et sua natura et hominibus sunt impossibilia* ». Ambr.: « non secundum elementorum naturas ». Aug.: « *tota ratio facti est potentia facientis* ».

S. Augustinus habebat miraculum ut *effectum virium naturalium* sibi relictarum. Adducuntur loci tres. — N. as. *a)* Cf. textum allatum. *b) Locus prior:* « fit non contra naturam sed contra quam est nota natura » i. e. fit *non contra potentiam eius obedientialem*, sed naturalem, quae sola nobis nota est. *Locus alter:* « Supra spem et facultatem mirantis », quippe qui *rationabiliter non speret, nisi ea quae in natura rei sunt* et quae ipse ex ea facere potest. *Locus tertius:* Fit, quia « occulta quaedam semina in istis corporei mundi huius elementis latent », scilicet *occulta nobis hominibus, non occulta spiritibus,* qui certa miracula applicatione virium naturae facere possunt.

Scholastici diversa sentiebant de potentia angelorum. Ergo veritatem theologicam miraculorum cognoscere non poterant. — Dist. ma.: de potentia angelorum *ut subdita providentiae Dei volentis per signa probare revelationem, n.;* ut in se considerata, subdist; in omnibus n., in multis, c. Pariter dist. consequens.

Deut. 13, 1-3 edicitur, *miraculum nullum valorem probativum* habere; imo *Mt. 24, 23-5,* illo homines in *errorem induci.* — De miro *diabolico* sermo est, quod e doctrina, opposita Monotheismo et doctrinae de Iesu ut vero Messia, ut diabolicum cognosci potuit. Mt. l. c., 2 Thes. 2, 8-11 *distinctio* inter miraculum divinum et mirum diabolicum ad *favorem divinum* reducitur. — Qui est in retinenda firma fide, requisita ad illam normam negativam adhibendam, de qua mox diximus.

S. Augustinus ait, *non* esse dicendum: « *Verum* (hoc vel illud) *est, quia* illa et illa *miracula fecit Donatus* ». « . . . *Non ideo* ipsa (ecclesia) *manifestatur Catholica, quia haec in ea fiunt* ». Ergo negat veritatem relativam miraculorum. — In primo loco docet, in miraculis *haereticorum* aliquando veritatem historicam, (aliquando philosophicam), aliquando theologicam, sed *certo saltem relativam ad probandam haeresim deesse.* — Secundo loco *per modum transmittentis* loquitur, ut Donatistas e Scriptura refutet. Ad summum putasset, in *talibus* miraculis ad memorias martyrum non clare contineri

veritatem relativam ad demonstrandam veritatem ecclesiae catholicae. De qua re hic non quaeritur.

Patres miracula non proponebant ut motiva credibilitatis sed *tantum ut opera misericordiae*, imagines veritatum etc. — In operibus conscriptis ad *fidem gignendam vel promovendam, n.;* ad pietatem Catholicorum fovendam, subdist.: tantum ita ea proponunt n., saepe, c.

Patres argumentum e miraculis *negligunt prae argumento e prophetiis*, imo aliquando argumentum *e prophetiis quasi in adiutorium vocant*. Ergo argumentum e miraculis *tantum probabile* habent. — *a) N. consequentiam.* Sequitur tantum, in certis circumstantiis argumentum e prophetiis magis utile fuisse; aliquod ex elementis ad miraculum requisitis aliquando etiam facilius demonstrari per aliquam prophetiam de eo, quam sine ea. *b)* Argumentum *e prophetiis prophetarum de Christo, pro Iudaeis et paganis speciali modo aptum erat;* pro illis, quia prophetarum erant; pro his, quia prophetiae hae simul continent expositionem religionis christianae.

Si miracula haberent vim probandi, *homines credidissent. — a) Plurimi crediderunt. Plurimi nondum ea audierunt,* ergo propter ea nondum credere poterant. *b) Libertas* est et *in motivis* credibilitatis *considerandis*, et in *ipsa fide. c)* Eadem difficultas *contra omnia argumenta* simul fieri posset.

DE REVELATIONE CHRISTIANA

PROPOSITIO. Iesus professus est, omnem suam doctrinam auctoritate divina fulciri. — *Cf. De rev. christ. fasc. 1 p. 14-29.*

[**Qual.** — De fide divina catholica].

Adv. — *Rationalistae plurimi* et *modernistae.* Nam uti ipsi revelationem veram impossibilem habent, ita Christo eundem errorem fundamentalem ascribunt. Unde statuunt verba Christi de revelatione intelligenda esse de revelatione sensu lato accepta. — Qui vero admittunt, Iesum sibi revera altissimas dignitates ascripsisse, *lentam evolutionem* naturalem huius conscientiae statuere solent, eamque saepe intra eius vitam publicam. — Quidam affirmant, in doctrina Iesus fuisse *partes, quas auctoritate divina fulcire noluerit. — p. 15-8.*

St. qu. — *Iesus* Nazarenus; eius exsistentia, praecipua facta, fata, doctrinae, ex historia ecclesiastica atque imprimis ex introductione in evangelia probata supponuntur. — *Professus est.* Num huic *dictioni* veritas obiectiva rei dictae respondeat, in thesibus de motivis credibilitatis inquiritur. — *Omnem suam doctrinam.* Agimus de sola vita publica Christi, quam tamen statim ab eius initio consideramus. — *Auctoritate divina fulciri.* I. e. Iesum eam nobis ut fide divina credendam proposuisse. Non vero negamus, eum ipsum omnia altiore ratione (visione beatifica) cognovisse. — Sequenti thesi probabimus, Iesum se Messiam dixisse. Eum sibi etiam naturam divinam ascripsisse quidam in theol. fund. tractant, quidam non. — *p. 14-5.*

Pars I. Arg. e verbis Christi.

Iesus doctrinae suae generatim sumptae indolem propheticam ascripsit.

Arg. — **Formaliter explicite.** — Lc. 4, 24 Iesus se in Nazareth prophetam dicit, uti etiam discipuli, populus intellexit: « Propheta magnus surrexit in nobis ». Atqui pro Iudaeis propheta erat interpres Dei. *Eodem modo notionem explicat Christus.* Nam Io. 3, 33 confirmat verba Baptistae de se Christo: « Quem enim misit Deus, *verba Dei loquitur* ». Porro Io. 12, 49: « Quia ego *ex meipso non sum locutus,* sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar ». — Se summum prophetam dicit Mt. 12, 41: « Plus quam Ionas hic ».

Formaliter implicite. — Iesu se dixit *Messiam*. Atqui e mente Iudaeorum, a Christo non correcta et in Scripturis fundata, *Messias erat propheta*. Ad eum applicabant Deuter. 18, 18 « *Prophetam suscitabo iis* de medio fratrum suorum ». — Psalmi Salomonici : « *Doctus a Deo* ». — Samaritana mulier : « *Nobis annuntiabit omnia* ».

Statim ab initio vitae publicae.

Arg. — Io. 14, 24 : « Sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris », *est sententia universalis ad finem vitae publicae* in ultima coena pronuntiata. — *Ab initio* approbat verba Nathanael : « Tu es *rex Israel* (Messias) » ; Nicodemi : « *A Deo* venisti *magister* ».

Idque quoad omnes suas doctrinas.

Arg. — Verba Io. c. 12 v. 47-50 hac ratione reddi possunt : « Pater dedit mihi mandatum, quid loquar, quid non. Iamvero obediens sum Ergo *quaecumque loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor* ». — Praeterea cf. mox dicta de Io. 14, 24. — Quamvis Iesus generali modo ad fidem divinam doctrinae suae habendam hortetur, *nunquam medium distinguendi partes auctoritatis non divinae* indicat. Eiusmodi testimonium Iesu de se ipso certe ad substantialia evangeliorum pertinet. Iamvero auctoritas humana evangelistarum quoad substantialia evangeliorum in Introductione ad evangelia iam probata est.

Ob. — Io. 3, 31-6 esse verba *evangelistae* non Baptistae demonstrant rationes hae : *Contextus* pericopae ; expressio : « *Nemo* » accipit testimonium Iesu ; id quod continet minus sublime est, quam priora ; Christus talia primus docuit. — Pericope extollitur *dignitas Christi ;* hyperbolice *paucitas* significatur ; *munus* utique minus sublime est quam persona Christi ; *non a priori* decidendum est, quid Christus primus docere debuerit.

Pars II. Arg. e testimonio aetatis antenicaenae.

Arg. — Quamvis testes antenicaeni directe docere soleant, Christum in omnibus suis doctrinis *fuisse* legatum Dei, tamen indirecte etiam tradunt, eum se ut talem *exhibuisse*. Nam primo utuntur ut fonte evangeliis, ergo rem ita exhibere volunt uti ea. Secundo rationem *perfecti magistri auctoritativi* in Christo extollunt ; atqui ad talem pertinet, ad suam auctoritatem provocare. — Porro haec res est *facilis captu,* summi momenti pro religione christiana ; testes sunt probi. Ergo ita est. — Ad ma. :

Tempus apost. — *Stephanus* Act. 7, 37 : « Prophetam suscitabit » ; *Paulus* Act. 26, 23 : « lumen annuntiaturus gentibus » ; Hebr. 1, 1 : « locutus est nobis in Filio ».

Patres. — *In genere: Apologetae* praedicant hebraicam sapientiam ut divinam prae graeca; Christum ut *λόγον* Dei. Ipsi haeretici v. g. Elkesaitae Christum ut divinum revelatorem celebrare solent. — In *specie:* V. g. *Clemens Alex.:* « Verus de Patre magister »; « per os hominis Dominus operans ». *Arnobius:* « Dei principis iussione loquens sub hominis forma ». *Lactantius*: « Quia voce eius ad populum fuerat usurus ». — *Archaeologia* christiana Christum exhibet ut Orpheum, qui cantu (verbo) suo omnia domat; saepe Iesum ut magistrum depingit.

Et haeretici et catholici ita argumentabantur, ut, *omne verbum Christi* indubitatae veritatis divinae habentes, tantum de sensu ei tribuendo dissentirent.

Ob. — *Origo* ideae, Christianismum esse doctrinam revelatam, debetur *apologetis antenicaenis.* — N. Cf. arg. Pro officio suo hanc veritatem *inculcarunt.*

Cum Christianismus *a Iudaea ad Graeco-Romanos transiret*, ideae Messiae successit idea doctoris divini et Dei. — N. *a)* Cf. arg. *b)* Idea divini doctoris *in idea Messiae iam includebatur.*

Propositio. Iesus inde ab initio vitae publicae professus est, se esse Messiam.

[**Qual.** — De fide divina catholica].

Adv. — *Rationalistae multi* inde a fine saeculi 18. *Modernistae* saeculi 19. — *Decr.* « *Lament.* » prop. 35: « Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis Messianicae »; 28 e *Loisy* « Iesus quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur, ut doceret, se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant, ut id demonstraret ».

Quidam statuunt Iesum *nullo modo se Messiam* dixisse; quidam, Iesum se tantum ut eum exhibuisse, qui *aliquando in regno eschatologico Messias constituendus sit*, idque eum nonnisi ultimo vitae tempore confessum esse. Qui Iesu affirmationem *dignitatis praesentis* ascribunt, generatim eam initium habere volunt a *scena Caesareae Philippi.* — *p. 30-4.*

St. qu. — *Messias* (unctus) intelligitur is doctor divinitus missus, liberator a peccatis, *rex*, quem ut *novi ordinis institutorem a prophetis promissum* Iudaei expectabant.

Est rex, qui auctoritatem habet, quamvis nondum omnes actus exerceat, qui ad munus pertinent. — *p. 30-1.*

Genuinitas textuum qui a nobis afferuntur, e criteriis externis nullam difficultatem patitur. Criteria *interna* plurimum eam commendant. Nam *plurima verba, facta, fata Christi, eaque maximi momenti, cum hoc testimonio* Christi de sua dignitate Messianica *indivulse cohaerent.* — *Auctoritas humana evangelistarum* in hac assertione

evidens est; nam cum sit *primarii momenti* pro Iudaeis atque Christianis, certe ad substantialia evangeliorum pertinet. Imo quatuor evangelistae praecipue ad dignitatem Messianicam Christi probandam scriptioni se dederunt. — *p. 34-5.*

Pars I. Iesus inde ab initio nomen Messiae diversosque titulos Messianicos ad se applicavit. — *p. 35-48.*

Nomen Messiae.

Arg. — Ad Samaritanam Io. 4, 26; ad Petrum Mt. 16, 16; « Quia Christi estis », Mt. 9, 40. — Io. 10, 24-5: « *Si tu es Christus,* dic nobis palam.... *εἶπον ὑμῖν* ». — Iesus summo sacerdoti adiuratus respondet affirmando.

Ob. — Ab initio *clarius loquitur in Samaria* quam in Iudaea? — *a)* Cur hoc a priori impossibile diceretur? *b)* Samaritani videntur melius dispositi fuisse. Ad eos raro veniebat Christus, etc.

Verba « *Tu dixisti* » ad Pontificem mere significant *factum affirmationis Pontificis;* non continent approbationem eius assertionis per Christum factam. Nam talis modus loquendi *e caetera literatura demonstrari nequit.* — N. ass. Ad rationem: Modus loquendi ex his constat: *a) Pontifex ita* intellexit: « blasphemavit »; apud Mc. loco « Tu dicis » legitur « ego sum ». *Christus ad Pilatum, Iudam ita* loquitur. *b)* Quaedam in lit. caetera haberi videntur.

Tituli Messianici.

« Filius David », « Rex Israel »

Arg. — Hi tituli erant termini technici pro Messia. Iamvero Nathanael: « Tu es rex Israel »; caeci in Kapharnaum, mulier Chananeae, duo caeci prope Iericho, populi cum Christus solemniter in urbem ingreditur: « Filius David ». Christus admittit has confessiones v. g. « Si hi tacuerint, lapides clamabunt ».

Ob. — Nathanael nihil affirmat, sed *tantum interrogat,* num Iesus sit Messias. Nam cognitio miraculosa Christi tantum probare poterat, Iesum esse *prophetam,* non vero eum esse Messiam. — Si ea cognitio miraculosa respicitur ut effectus e quo ad causam concluditur, c.; si *ut motivum credibilitatis* pro dignitate Messianica, quam Nathanael a Philippo ut a Christo assertam audivisse censeri debet, n.

Iesus Mt. 22, 41-6 probat e Psalmo 110 Messiam esse Dominum David: concludit, eum non esse filium David. — N. Iesus ut concessum sumit, Messiam esse Filium David; ex eo quod simul est Dominus, *arguit eum non esse eiusmodi filium, qui non superet patrem dignitate,* non habeat proinde regnum terrenum, uti habebat David, sed sublimius.

« Qui venturus est ».

Arg. — Hic titulus est terminus technicus pro Messia, quem Iesus ad se applicat. — Nam Christus Mt. 11, 2-6 ad solemnem interrogationem Baptistae *respondet, se esse* eum de quo Isaias miracula plurima et praedicationem pauperibus faciendam praedixerit, i. e. *Messiam, interrogaverat* autem *Baptista:* « *Tu es qui venturus es?* » Ergo. Congruit quod Messias erat is unus ab omnibus expectatus, *cuius aetas* vocabatur *ὁ αἰών ὁ μέλλων,* etc.

Ob. — « *Venturus es* » significat: *qui aliquando eris Messias.* — N. « Venturus es » *currit a tempore antequam Christus in mundum venit,* non a tempore huius interrogationis factae. E mente Baptistae Christus sane ante periodum eschatologicam functiones Messiae exsequitur; nam iam antea tollit peccatum mundi, baptizat Spiritu Sancto et igne etc.

« Filius hominis ».

Linguistica: Aramaicum bar naša vertendum est: « *ille determinatus filius alicuius* hominis », in expressione graeca *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* secundum plurimos abundat *τοῦ.* — Usus: Solus Christus hunc terminum adhibet, idque ordinarie. Quater tantum in Synopticis invenitur ante scenam Mt. 16, 16.

Arg. — *Maior:* Iesus *saepissime titulum* « *Filius hominis* » *ad se applicat.* — In eodem contextu proximo de eadem re agens aliquando *primam personam,* aliquando *hunc titulum* adhibet. Mt. 16, 13: « Quem dicunt homines esse Filium hominis?... Vos autem quem *me* esse dicitis? » — Eandem *passionem, resurrectionem* die tertia *de se, de Filio hominis* praedicit Mt. 16-21-3: « Iesus coepit ostendere quia oporteret *eum* (se) occidi et tertia die resurgere ». Mt. 17, 21-2: « *Filius hominis* tradendus est.... et occident eum et resurget ». — Idem frequentissime de parusia. Mt. 24, 3: « Quod regnum adventus *tui?* » Respondet Iesus describendo adventum « *Filii hominis* ». — Imo ab *initio vitae publicae* hunc titulum ad se applicat. Ad *Nathanael:* « Videbitis angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis ». Ad *Nicodemum:* « Oportet exaltari Filium hominis ». — Adversarii ipsi quatuor istos locos apud Synopticos Christo abiudicare non solent.

Minor: Filius hominis significat Messiam. — *Dan.* 7, 13: « Ecce in nubibus caeli quasi filius homins veniebat », terminus « Filius hominis » significat Messiam. Id quod sumitur e tractatu de vaticiniis Messianicis. *Iamvero Iesus, cum se Filium hominis dicit, ad eum locum remittit.* Nam

1) Ita generatim *exegetae* recentiores catholici. Consentiunt plurimi acatholici.

2) *Similitudo* inter *verba Dan., Christi* Mt. 26, 64: « Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus

coeli ». Nullus alius locus in V. T. est, ad quem Iesus alludere hic potuerit.

3) In quibusdam partibus libri *Henoch* expressiones « ille filius hominis », « filius hominis », *iam quasi titulum Messiae* constituunt. Quae partes sub influxu christiano scriptae non sunt.

4) *Ita Iudaei intellexerunt* Christum loquentem. Numquam explicationem petunt. — Io. 12, 34 Messiam et « Filium hominis » identica habent. — Item Act. 7, 55-7 Stephanum de « Filio hominis » praedicantem ita intelligunt.

5) *Contextus locorum*, in quibus hic terminus occurrit, numquam significationi Messiae opponitur, semper eam postulat. Fere semper est sermo de munere quodam Messianico, aut de perpessionibus vel gloria Messiae. Cf. ob.

6) *Rationes, cur Christus forte hoc nomen elegerit.* — Excitat *fidem in prophetias;* exprimit *universalitatem* regni Messianici, *potentiam* Messiae; eius *naturam humanam praedicat*, *divinam* insinuat.

Ob. — THEORIA ORTUS POSTERIORIS SIGNIFICATIONIS MESSIANICAE HUIUS TITULI EX TRIBUS ELEMENTIS COMPONITUR. — *Cf. p. 48-56.*

1) *In literatura aramaica a Iudaeis conscripta « Filius hominis » numquam hoc sensu sed semper in alia significatione* invenitur, ut scilicet ordinaria expressio pro « homo », vel « ego », vel « aliquis ». — *a)* N. *consequentiam.* Saepe ab una aetate, aliquando ab uno homine, aliquis terminus in technicum elevatur. *b)* Habentur *analogiae* in aliis nominibus Messiae, v. g. « *rediens* », « agnus ». *c)* Hic terminus iam erat *quasi titulus.* Cf. liber Henoch. *d)* Non omnia scripta, ne apocalyptica quidem, nobis servata sunt; porro Iudaei a nominibus quae Christus vel Christiani adhibuerant, abhorruisse videntur, v. g. non dicebant Χριστός. — Caeterum hic terminus *non* invenitur *pro « ego »*, nonnisi *raro* et *poetice* adhibetur *pro « homo ». — p. 47-9.*

2) *Silent hunc terminum scripta christiana ante Gnosticos;* Gnostici vero ab aliquo textu, ut videtur, Pontico dependent. Ergo terminus est e *speculatione gnostica.* — Gnostici *nostris evangeliis usi sunt.* Ergo habemus fontem eorum. Cur auctores subapostolici terminum (forte?) non adhibuerint, non certo scimus. Forte quia usus librorum Henoch et Daniel speciatim intra Palaestinenses vigebat; quia solus Dominus eum adhibuerat. — *p. 49-52.*

3) *In quatuor locis ante scenam Caesarensem terminus « Filius hominis » alium sensum habet;* ergo sensus messianicus postea a Christianis ei affixus est. — *a)* N. *consequentiam.* Ad summum sequeretur, Christum aliqua voce in diversis sensibus usum esse. *b)* Etiam *priores* quam isti loci quatuor apud Synopticos sunt illi alii apud Io., in quibus evidenter sensus Messianicus habetur. *c) Sensus quatuor istorum locorum est Messianicus.* Id quod ex obiectionibus solitus patebit.

In textu « Filius hominis *habet potestatem in terra dimittendi peccata* » permitti possunt aliae significationes. — N. Significatio « *aliquis homo* » nimis ieiuna est ; « *omnis homo sanctus* », « *homo idealis* », sensum falsum fundarent ; « *Messias* » sensum profundum et verum dat. Populus laudat Deum, « qui dedit potestatem talem hominibus », i. e. *uni ex genere humano*, in quo uno omnes honorat.

In textu « Sabbatum propter hominem... Itaque *Dominus est Filius hominis etiam Sabbati* », significatio « homo » assumenda est. *Alias nulla consequentia in textu habetur.* — N. Nam textus parallelus « Messiam » nominat, porro *falsum* est *omnem hominem esse Dominum Sabbati.* Connexio idearum videtur esse haec : Cum *Messias* sit Dominus hominum, etiam est *Dominus eorum omnium, quae propter hominem facta sunt.*

In textu « *Vulpes foveas habent.... Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* », Filius hominis *bestiis opponitur ;* ergo significat « homo ». — N. Dignitas Messiae ideo nominari videtur, quia decet, *homines talia ferre*, si Dominus eorum eiusmodi sustinet.

Secundum Mc. 3, 30 peccatum *contra Spiritum Sanctum* est peccatum *contra Messiam.* Ergo in textu parallelo Mt. 12, 32 « quicumque dixerit verbum *contra Filium hominis remittetur* ei ; qui autem dixerit *contra spiritum sanctum, non remittetur* ei » filius hominis nequit esse Messias. — N. min. Peccatum in Spiritum Sanctum ab alio peccato *non distinguitur* secundum personam, contra quam proxime concivia proferuntur, sed *secundum modum* quo proferuntur, eo quod opera manifeste divina diabolo attribuuntur. — *p. 52-5.*

Multa alia quae Messiae propria sunt, Iesus sibi ascripsit. — *p. 56-8.*

Arg. — Multo plura in theol. fund. universa et dogmate. Solus Messias est

1) *Maior omnibus prophetis et regibus.* — Iamvero « plusquam Ionas hic ». « Abraham vidit (diem meum) et gavisus est ».

2) *Rex novi regni aeterni et universalis.* — Cf. Mt. 16, 18-9 ; Mt. 28, 19-20. Sermones exchatologici.

3) *Redemptor a peccato* — « Agnus Dei... ».

4) *Praedicat* pauperibus, *miracula patrat.* — Mt. 11, 4, 6 coll. Is. 61, 1 ; 35, 56.

5) *Habet praecursorem.* — Iamvero Baptista docet, se esse missum ut Iesu viam praeparet.

6) *Patitur*, *glorificatur* secundum prophetias. — Quas Iesus ad se applicat.

Ob. — Si Iesus se putasset Messiam, *non se submisisset legi Mosaicae*, quippe quam *abrogare* debuit. — In vita sua mortali eam *nondum abrogaverat*, atque eam *ob exemplum virtutum*, quamvis non subiectus, observavit.

Si se putasset Messiam, *regimen politicum exercuisset.* — *Non habuit titulum dynasticum* in regimen. Num vi potestatis sequentis ex unione hypostatica *ius directum in res temporales* habuerit, controvertitur. *Certe usui* eius renuntiavit e voluntate Patris: « Quis me constituit iudicem? ».

Confirmatur, Iesum se Messiam dixisse e *fide discipulorum* (Nathanael: « nos credidimus » ita Petrus nomine apostolorum etc.); quorumdam *e populo; e concessione* plurimorum *Protestantium* vel liberalium.

Iesus non dixit, se tantum per regnum suum eschatologicum constituendum esse Messiam. — *p. 59-62.*

Ob. — Messias est fundator *regni Messianici.* Atqui hoc e natura sua est *mere exchatologicum.* — N. min. Regnum Messianicum est *ecclesia.* Munus Messiae dicit *ambitum officiorum* quae *ex parte in vita mortali a Christo explenda erant,* ex parte ob naturam rei nonnisi postea exerceri poterant. Dedit leges fidei, matrimonii, constituit ecclesiam etc. Iudicabit orbem terrae, quando status viae finem habebit.

Iesus ad exprimendam functionem suam Messianicam iudicandi orbem loquitur de « *adventu* » suo, non vero de « *reditu* » suo futuro. Ergo erat diversa persona moralis in vita, diversa erit quando iudicabit. Ergo in ipsa vita Messias non erat. — *a)* N. consequentiam. *Uno termino non debent dici omnia.* Idem modus loquendi adhibetur de Deo, qui sane semper auctoritatem iudicandi habet, in V. T.; in parabolis Domini. *b)* N. ma. « *Iterum venio* et accipiam vos ad meipsum ».

Iesus coram Caipha: « Videbitis Filium hominis venientem in nubibus caeli ». Ergo haec *futura gloria est characteristicum* signum Messiae. — *Aliquod* signum Messiae qui iam est talis, c.; *unicum,* idque eiusmodi *quo primo constituatur* Messias, n. hoc in illo textu contineri.

Terminus « Filius hominis » significat Messiam *apocalypticum.* — Messiam qui *aliquando habebit illum statum* apocalypticum seu potius *gloriosum,* c.; qui eo statu glorioso constituitur Messias, n. Cf. « Filius hominis.... flagellabitur ».

Iesus non dixit, se tantum per resurrectionem suam esse constituendum Messiam. — *p. 62-3.*

Ob. — Petrus Act. 2, 36 *die Pentecostes:* « et Dominum eum et *Christum fecit Deus* ». Atqui intelligitur: fecit per resurrectionem. — N. min. *a)* Sensus est. *E glorificatione cognoscitur,* eum *aliquando* constitutum esse Messiam. — *b)* Minus bona explicatio est, agi de novo titulo ad regnandum, qui consistat in statu glorioso.

Paulus Rom. 1, 4: « *Praedestinatus* est *Filius* Dei... *ex resurrectione*

mortuorum ». — I. e. *ostensus* est filius Dei potens ex resurrectione omnium mortuorum, quam perficiet.

Mc. 8, 30; 9, 9-10 Iesus *vetat dignitatem suam Messianicam ante resurrectionem manifestari.* — *a)* N. consequentiam, etsi hoc vetuisset. *b)* 8, 30 vetat, eam *nunc* dici; etiam id vetat pro ingressu in urbem? *c)* 9, 9-10 vetat tantum, *suam transfigurationem* ante resurrectionem suam manifestari.

Falsae sunt rationes, ob quas negant, Iesum aut unquam aut saltem iam ab initio vitae publicae se Messiam dixisse. *p. 63-71.*

Ob. — *Nemo homo* tam sublimia sibi ascribere *poterat!* — *Bellus apriorismus!*

Iudaei *falsas ideas de Messia* habebant. Atqui si Iesus se Messiam dixisset, eas *approbasset.* — Dist. ma.: *Omnes* Iudaei, n.; *multi,* subd.: *nonnisi falsas* ideas, n.; quasdam, iterum subdist.: quas Iesus *correxit,* c., non correxit, n.

Iesus populum *non docuit nisi in parabolis,* quarum finis erat abscondere *mysteria regni caelorum.* Atqui inter haec mysteria regni numeranda est *dignitas Messianica* Christi. — *a)* N. min. Mysteria hic dicuntur illae proprietates regni quae in *parabolis illis describuntur. b)* Dist. ma.: docebat tantum in parabolis certo tempore coram populo in Galilaea, c.; *semper et coram omnibus,* n.

Iesus Mt. 16, 20 apostolos, saepe diabolos *vetuit, ne aliis praedicarent* se Christum esse. — Sequitur tantum, Iesum noluisse ut *daemones* suam dignitatem annuntiarent, forte ne cum iis conspirare videretur; *ut apostoli tunc* id facerent. Videntur nondum fuisse sat apti ad talem praedicationem.

Si Iesus se Messiam dixisset, *praeses Romanus id passus non esset.* Atqui nihil contra Iesum egit. Ergo. — Dist. ma.: Si se Messiam *politicum pronuntiasset,* c.; si se et doctrina et vita profitebatur Messiam religiosum, n. Proceres populi, cives in Ierusalem, a quibus pericula politica proficisci solebant, potius Iesu hostes erant.

Cur Iesus *Caesareae Philippi* discipulos interrogat quem se homines dicerent, nisi *ut tunc primo confessionem suae Messianitatis* eliceret? — *a)* Non necesse est scire rationem. *b)* Videtur solemni confessioni suae dignitatis *finem imponere voluisse epochae priori educationis* apostolorum. Nam « exinde (tantum) coepit » suas *perpessiones* praedicare.

Si populus Iesu *die palmarum ut Messiae* acclamasset, eum *feria sexta morti non tradidisset.* — *a) Acclamabat « rustica turba »* ex Galilaea et Iudaea, non totus populus, praecipue non cives Hierosolymitani. *b)* Fides etiam hominum eorundem, si non fuit valde firma, cum Iesum quasi sine potentia miraculorum, despectum viderent, *deficere poterat.* Habentur analogiae in evangeliis.

Scholia. — *a)* « Filius hominis » non remittit ad Ezechiel, ubi hoc nomine ipse propheta significatur. — Veteriores etiam ipsi elementa explicationis termini « Filius hominis » de Messia iam habent. — *p. 70-1.*

Propositio. Iesus de praedicatione sua ad ethnicos extendenda non tantum durante ministerio suo cogitavit, verum etiam eam post resurrectionem suam fieri supposuit, imo mandavit. — *p. 72-83.*

[Qual. — De fide divina catholica Mt. 28, 20 etc.]

Con. mat. — In theol. fund. tractatur *revelatio publica.* Est maxime talis, si ad totum mundum dirigitur. Iuvat haec veritas etiam ad id ut quaedam motiva credibilitatis abundantius demonstrari possint. — *p. 72-3.*

Adv. — Nonnisi *post ortum Rationalismum*, v. g. Reimarus, Harnack. — *Modus procedendi* multorum ex ipsis: Habetur in evangelio textuum series particularistica, series universalistica; illa, utpote imperfectior, prior est; haec utpote perfectior, posterior. Ea debetur *proiectioni status rerum posterioris,* cum iam plurimi ethnici converterentur, *in mentem Christi.* — *p. 72-4.*

Iesus durante magisterio suo de ethnicis convertendis cogitavit. — *p. 74-6.*

Arg. — 1) **Ex eo quod Christus aequalibus saltem inferior non erat.** — Ipsi Iudaei, tum in diaspora tum in Palaestina, persuasionem habebant, *religionem veram ex dispositione divina per Iudaeos inter ethnicos spargendam esse.* Atqui conceditur Christum sapientiorem aequalibus fuisse. Ergo.

2) **Christus professus est se esse Messiam.** Atqui de Messia Is. 55, 4 legitur: « Ducem ac praeceptorem gentibus »; 49, 6: « in lucem gentium ».

Ob. — Vaticinia messianica edicunt *regna ethnica* per Messiam esse *destruenda,* non beanda. — Destruenda *qua mala,* in alium statum perducenda.

Tempore Christi *proselytae despiciebantur.* — N. Apud Rabbinos quosdam *post destructam Ierusalem.*

Iesus supponit, evangelium post mortem suam gentibus praedicatum iri. — *p. 76-7.*

Arg. — 1) **E sermonibus Iesu apud Synopticos.** — Mt. 10, 18: « Ad praesides et reges ducemini propter me *in testimonium illis et gentibus* ». — Mt. 24, 14: « Praedicabitur evangelium hoc in universo orbe ».

2) **Apud Io.** — Concedentibus generatim adversariis, eius

evangelium « dictis directe universalisticis penetratur ». Harnack. Continuo de *mundo* sermo est. V. g. Io, 3, 16: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ». Quid vero mundus est? « Ut *omnis qui credit in eum,* non pereat ». Io. 17, 2: « dedisti ei potestatem *omnis carnis,* ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam ». — « Habeo alias oves, quae *non sunt ex hoc ovili (synagoga),* et illas oportet me adducere » 10, 16.

Ob. — Io. *magis premit universalismum* quam Synoptici. Ergo fide dignus non est. — N. consequentiam. Rationes cur magis eam premat: *a)* Plures sermones Christi de sua *divinitate* habet, ubi connaturaliter de suo *universali dominio. b)* Io. agit etiam *contra iudaizantes* Ebionitas, unde abrogationem legis premit. Cf. verba Iesu ad Samaritanam.

Iesus mandavit, ut omnes omnium temporum homines omnem doctrinam suam qua revelatam et firma fide amplecterentur et opere complerent. — *p. 78-83.*

St. qu. — *Fides* intelligitur explicita in quaedam, *implicita in omnia*. — *Opus* intelligitur actus omnis, excepto assensu fidei et iis quae ad eum necessario requiruntur.

Arg. — 1) **E confessione Christi.** — Mt. 28, 20; Mc. 16, 15. Cf. ampliora de significatione termini « consummatio saeculorum » in thesi de infallibilitate apostolis eorumque successoribus concessa. — « Et illas (oves alias quam ex hoc ovili) *oportet* me (per apostolos, cum id non fecerit per se ipsum) adducere ». — « Sicut tu me misisti in mundum, et *ego misi eos in mundum* ».

2) **E testimonio aetatis primae christianae.** — *Concedit* Harnack, hanc persuasionem ab antiquissimis temporibus inveniri. — *Directa* quaedam *testimonia:* Mt. ad Iesum applicat 12, 18-21: « Iudicium gentibus nuntiabit ». *Paulus* vero Act. 13, 47: « Posui te in lucem gentium ». De se ipso autem ait 1 Cor. 9, 16: « Necessitas (praecepti) enim mihi incumbit » praedicandi gentibus. « Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te ». *Clemens Rom.:* « acceptis mandatis.... apostoli a Christo.... egressi sunt. »... *Apocrypha.* V. g. Praedicatio Petri: « Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: non audivimus ».

Ob. — Si Christus ad id missus fuisset, ipse, *utpote aptior, hoc opus in se assumpsisset.* — Aut immediate hoc fecisset, *aut alios* dono infallibilitatis, miraculis, sanctitate, *aptos* reddidisset qui hoc facerent.

Messias promissus erat *solis Iudaeis.* — Qui iis *ut primis* bona Messianica offeret, c.; qui iis solis, n.

« Non sum missus *nisi ad oves,* quae perierunt domus *Israel* ». — *Non nisi iis directe et ordinarie praedicare debeo,* c.; aliis non *aliquando directe, et in genere indirecte per apostolos,* n.

Iesus ait, apostolos qua apostolos, in ultimo iudicio fore « *iudicantes duodecim tribus* Israel ». Ergo aliis non praedicabant. — *a)* Est expressio *positiva*, non *excluviva*. Sufficiebat id dicere, ut magnitudinem officii et praemii aliquo modo aestimarent. *b)* Multi auctores: Duodecim tribus supponuntur *insertae gentes* quae crediderunt.

Mt. 10, 5: « *In viam gentium ne abieritis* ». — *Christo vivente,* in ea missione extraordinaria, de qua ibi sermo est.

Mt. 10, 23: « *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis* ». Ergo cum ultimum iudicium instat, apostoli adhuc versabuntur in convertenda Palaestina. — Diversae explicationes huius textus obscuri habentur. Una: « civitates Israel » = Palaestina; veniet = ad destruendam Ierusalem. Alia: « civitates Israel » = ubi Iudaei in toto mundo habitant; veniet = ad ultimum iudicium, etc.

Mt. 24, 20: « *Orate autem, ut non fiat fuga vestra Sabbato* ». Ergo ibi solum erunt Christiani, ubi sabbatum observatur, i. e. in Palaestina. — N. Sermo est *de fuga Iudaeo-Christianorum ante destructionem Ierusalem.*

Propositio. Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur auctoritate eius humana. — *Cf. fasc. 2 p. 1-14.*

[**Qual.** — Certa vel probabilissima ob argumenta, multos auctores].

St. qu. — *Testimonium de se ipso*, i. e. *affirmatio de ea dignitate legati divini* in omnibus doctrinis annuntiandis, *Messiae (Filii Dei),* quam Iesum sibi ascripsisse probatum est. Ita indirecte omnes et singulae eius doctrinae ut credibiles demonstrantur. — Idem est obiectum demonstrationis pro omnibus sequentibus thesibus, quibus motiva credibilitatis exhibentur.

Auctoritas humana: Veracitas et scientia Christi in affirmanda sua dignitate.

Arg. — **1) Ex elementis auctoritatis humanae demonstratis.** — Christus, si in hoc testimonio reddendo decepisset, fuisset sceleratissimus, idque et obiective et subiective; — 2. si deceptus fuisset, fuisset stultissimus vel insanus. Atqui neque scelestissimus erat, neque stultissimus aut insanus. Ergo testimonium quod de se reddidit, verum est.

Prima pars maioris. — Si Iesus in hoc testimonio reddendo decepisset, peccasset obiective. — *p. 3-5.*

a) Contra Deum et semetipsum maxima superbia, ascribendo sibi *munera* excellentissima, propheticum, regium, sanctificatoris; *dignitatem personalem* plane singularem: se esse maiorem omnibus prophetis, habuisse praeexsistentiam ante mundum, esse in coelo, videre atque operari omnia quae videt atque operatur Deus, esse ipsum Deum.

β) Contra genus humanum maxima crudelitate. — Destruxisset *dignitatem humanam* iubendo fidem divinam in omnem doctrinam alicuius impostoris. — *Abstulisset* sine ratione *bona terrena,* quae propter fidem spernenda sint. — *Quasi insidiatus esset hominum vitae aeternae*, nova praecepta gravissima imponens, dispensationes vero veteres de polygamia, divortio auferens, quin adiutorium divinum addere possit. — Quantum in eo erat, fingendo quantum poterat motiva credibilitatis, *impossibile reddidisset Deo quidem revelare, hominibus vero credere.*

Hanc totam malitiam Iesus contraxisset subiective. — Ne *rudem* quidem fugere poterat. Quanto minus *Christum* in doctrina ethica insignem. Praeterea *Deut.* 18, 20 Deus falso prophetae mortem statuit. Iesus vero *pertinax usque ad mortem* atque *periurus* in his doctrinis asserendis fuisset! — *p. 5.*

Secunda pars maioris. — Si Christus in hoc testimomio reddendo deceptus fuisset, stultissimus aut insanus fuisset. — *p. 5-6.*

Etenim asseruisset res quae evidenter nullo modo probari potuissent, v. g. de morte sua futura, sua visione omnium operum divinarum, praeexistentia. — Haec facillime et clarissime ut experientiae internae opposita cognosci debuissent, v. g. facta quae sane sub experientiam cadebant: uti v. g. se exstitisse ante Abraham, habuisse gloriam apud Patrem. — Haec asseruisset e rationibus evidenter nullis: non e rationibus aprioristicis, cum talia facta ex iis deduci non possint; non e testimoniis externis, cum nonnisi ab insano ob talia testimonia credi possit, quod experientiae internae absolute repugnat; non per viam consequentiae e sentimentis etc. — Haec omnia tamen *firmissima certitudine* asseruit.

Minor: Christus neque pessimus neque stultissimus erat. — *p. 6-8.*

Per modum unius. — Deus usus est Christo *ut causa instrumentali praecipua*, qua mundum *sapientem* redderet atque *sanctum. b)* Plurimi adversarii revelationis christianae neque malitiam neque stultitiam in Christo admittere volunt.

Per partes. — 1) *Christus non erat malitiae portentum. — a) Saltem speciem sanctitatis perfectae prae se tulit.* Iamvero *simulatio in eo esse non poterat.* Nam nimis difficilis erat, quam ut secundum leges morales actibus contrariis non debuisset interrumpi. Non aderant motiva fingendi. Non divitiae,... gloria humana, cum ipsam dignitatem Messianicam saepe absconderit, formam sanctitatis, uti concives eam intelligebant, spreverit. — *β)* Habentur *positiva testimonia probitatis et sanctitatis,* uti Petri de patientia, Ioannis de iustitia Christi.

2) *Christus non erat stultissimus aut insanus. — a)* Maxima *sapientia* in singulis *doctrinis* eius et in connexione earum manifestatur. *b) Insignis probitas vitae* cum tali stultitia vel insania

non componitur. *c) Nulla sunt signa eiusmodi insaniae.* Alias amici eius eum non maxima cum *fide et amore* prosecuti essent; inimici vero eius *non tale bellum* adversus eum movissent. *d)* Semper in loquendo et *agendo* animo prudenti et pacato utitur, v. g. erga Romanos; distinguendo consilia a praeceptis, etc.

2) Ex auctoritate sapientum. — Euseb., August., Petrus., Vener., Suarez, Segneri, Pesch etc.

Ob. — Io. 5, 31: « *Testimonium meum non est verum* ». — I. e. *e vestra opinione.* Nam Io. 8, 14: « verum est testimonium meum, quia scio unde veni et quo vado ».

Socii quidam continui Christi uti Iudas hoc argumento *moti* non sunt. — Aliis argumentis v. g. miraculis?

Alii quoque, uti Ethnici, Simon Magus, Mahomed, Mary Baker etc. *dignitatem praeternaturalem,* imo aliquando divinam *sibi ascripserunt.* Atqui iis non credimus. — Ad ma.: cum auctoritate, n. *Etsi Christus decepisset, tamen pessimus non fuisset.* Nam *accomodatio* ad ideas falsas ob finem bonum licita est. Iamvero finis bonus pro Christo erat, docere Deum ut patrem; medium vero necessarium ad hunc finem erat, *permittere ut haberetur Messias.* — N. ass. et rationem additam. *a)* Qui ad veritatem docendam missus est, errorem in ea materia ne *permittere quidem potest. b)* Christus non permisit, sed *postulavit ut haberetur Messias. c)* Suffecisset inculcare doctrinam a prophetis propositam, etc.

Multi homines ideas stultissimas, v. g. pantheisticas habent, *quin* propter eas *insani* dicantur. — Si *experientias internas* rationi evidenter falsas edicunt, n.; si tantum speculationes falsas, c. Illud turbationem rationis arguit, hoc malum tantum usum rationis non turbatae. In Christo res e contra se habebat.

Iesus a Iudaeis *foederis cum daemone* accusatus, ab ethnicis *praestigiator* dictus est. — Iudaei ne *ipsi quidem* convicia, obiective sane non fundata, *credidisse videntur.* Silent Christo interrogante: « Quis ex vobis arguet me de peccato?... Ethnici ideo tantum eum praestigiatorem habuerunt, quia *miracula* patravit.

Iesus insanus erat. Nam *maledixit ficui;* aequales dixerunt: « *in furorem versus est* »; recentes Rationalistae quidam *enthusiasmum morbosum* Christi admittunt. *Cuius* etiam *causas* dant, v. g. educationem in solitudine Nazarethana, animi inclinationem in res divinas etc. — *a)* Damnum arbori intulit in *signum poenae populi Israel,* cuius generis actiones symbolicae penes prophetas moris erant. *b)* Ab iis qui Christi maximam virtutem ignorabant, habitus est is « qui *nimio fervore abreptus* limites prudentiae excessit » Caeterum aliquoties *etiam Sancti* ob actiones insolitae virtutis immerito insani habiti sunt. *c)* Morbosus enthusiasmus non est nisi *alia vox pro insania* quae Christo ascribenda esset. Res, quas enumerant, ad insaniam perducere non debebant. — *p. 8-14.*

Propositio. Testimonium Iesu Christi de se ipso probatur plurimis miraculis, quae ante mortem suam patravit. — *p. 15 — fasc. 4 p. 138.*

[**Qual.** — De fide divina catholica definita. D. 1790].

St. qu. — Agimus de iis miraculis, quae ipse Christus fecit, i. e. in quibus patrandis influxus *causalis humanitatis Christi externe manifestatur,* non vero de aliis, v. g. transfiguratione, quae miracula potius Deus circa Christum patravit. — Non determinamus influxum hunc causalem, num sit physicus, moralis. — De resurrectione separatim agetur. — *p. 15.*

Conspectus miraculorum. — Quae erant? *Undecim diversae scenae* vel complexus actionum narrantur, in quibus Iesus *plurimos simul* a diversis morbis liberavit. — Quadraginta miracula *in specie* narrantur: Sunt in natura rerum, in hominibus. — **Modus ea patrandi:** in praesentes, absentes; morali subitaneitate; sine praeparatione; generatim adhibita aliqua externa caeremonia. Etiam aliis concessit facultatem miracula patrandi. — *p. 15-8.*

Constat de veritate historica miraculorum Christi. — *p. 19-56.*

Ex auctoritate generali evangelistarum. — *p. 19-24.*

Arg. — Evangelia in substantialibus fide digna sunt. Iamvero *miracula,* utpote quae narrantur ut motiva principalia credibilitatis atque magnam partem evangeliorum constituunt, certe ad *substantialia evangeliorum pertinent.* Ergo.

Confirmatur res *auctoritate evangeliis extrinseca amicorum Christi: Quadrati, Papiae,* qui referunt, sanatos a Christo vel resuscitatos usque ad Hadrianum vixisse; *Polycarpi,* qui refert, Ioannem de doctrina et miraculis Christi narrasse. — *Ex inimicis rei christianae Flavius Iosephus:* « mirabilium operum effector »; Iudaei, ethnici generatim quaedam miracula Christi admittebant. *Rationalistae sanationum* realitatem iamiam admittunt. — *p. 19-21.*

Ob. — E systematibus adversariorum, e quibusdam dictis eorum, v. g. Renan, ex affirmatione catholicorum, qui rei studuerunt, constat, *difficultatem principalem negantium* miracula *Christi esse illam: Miracula fieri nequeunt.* — Patet, quam falsa sit haec ratio; quam bona causa nostra, contra quam *praecipue* talibus armis pugnetur.

Ethnici aequales nihil de miraculis Christi referunt. — a) Usque ad a. 109 *neque exsistentiam Christi* referunt. *b)* Generatim cum rebus Iudaeorum, praecipue religiosis, vix occupantur.

Prudentia specialis in testibus requiritur. — Tantum ea, quae ad *tam obvia* observanda et narranda sufficit.

Plurimi per decursum saeculorum *indebite miraculosa facta admittebant!* — Demonstratur, *in hoc* casu requisitas conditiones adfuisse.

Requiruntur *formae iuridicae.* — *a)* Habes inquisitionem similem in caece nato e parte membrorum synedrii. *b) Evidentia naturalis* v. g. in cibatione quinque millium hominum maiorem certitudinem dat, quam forma iuridica.

Auctoritas publica facta recognoscere debet! — *a)* Habes confessionem coactam *synedrii. b)* N. Auctoritas qua auctoritas facit fidem, non vero affirmatio publica. Iamvero Synedrium mendax qualem *auctoritatem* habet?

Requiritur, *testes nullum commodum* e testimoniis habere. — *a)* N. Tantum requiritur veracitas et scientia. *b)* At quale erat commodum procerum Iudaeorum revera miracula Christi confitentium?

Magia exclusa sit necesse est. — Exclusa est tum *artificialis* tum *diabolica.* Cf. sequentia.

Requiritur, facta esse *praedicta.* — *a)* N. *b)* Habes tamen Is. 35, 5 coll. Mt. 11, 5.

Facta *publica* sint necesse est. — *a)* N. Dummodo *certum* sit, ea *locum habuisse. b)* Plurima miracula Christi *maxime publica erant.*

Requiritur *commissio scientifica.* — N. Habetur tamen *plus:* absoluta *veracitas* Christi et asseclarum eius; *evidentia naturalis* in cognoscendis plurimis factis diversissimis, quarum conditiones ipse Christus non elegit.

Evolvuntur singula elementa, quae ad valorem historicum narrationum de miraculis Christi statuendum requiruntur. — *p. 25-56.*

Narrationes de miraculis interpolatae non sunt, sed ab evangelistis profectae. — *p. 25-7.*

Arg. externa: *Diatessaron; citationes* Patrum de plurimis istis miraculis ante tempus codicum, imo ipso saeculo secundo; nulla difficultas e parte codicum. — Haeretici antenicaeni et miracula Christi et minutissimas eorum circumstantias concedunt, v. g. numerum duodecimum in narratione de haemorrhoissa. — *Archaeologia* habet *tantum miracula evangelica.* — Evangelia *apocrypha* fere sola miracula ante vitam publicam Christi fingere audent.

Arg. interna. — 1) Miracula formant *magnam partem evangeliorum* atque *connexionem inseparabilem* cum caeteris partibus evangelii habent. — Coniunguntur: *a)* Cum *doctrina Christi:* sive ut eius materia v. g. sanationes sabbato factae, fides ad miracula necessaria; sive ut eius occasio, v. g. multiplicatio panum erat occasio pro sermone eucharistico, in ipso sermone montano Iesus doctrinam de usu miraculorum proponit. — *b)* Cum *cursu vitae* Christi: Cum iis *quae egit,* v. g. ob Lazarum suscitandum in Peraea manet; cum iis, *quae circa eum fiunt,* v. g. ob multiplicationem panum

eum regem creare volunt; cum Iesu *moribus atque virtutibus*, quae, uti v. g. prudentia, misericordia praecipue miraculis manifestantur.

2) *Auctores coaevi* et *testes* sive immediati sive qui a bene instructis facta receperunt, manifestantur praecipue in tot circumstantiis miraculorum v. g. in usibus Iadeorum circa observantiam sabbati.

Narrationes de miraculis e mente auctorum earum pertinent ad genus literarium stricte historicum. — *p. 27-38.*

Genus literarium stricte historicum est in eo, ut auctor *intendat tantum facta narrare, non* vero intendat tantum vel ex parte *ideas religiosas* exhibere sub *forma factorum,* quae facta ideo narrat, ut tales ideas repraesentent, quaeque non vult ut historica facta considerari, sed tantum vel ex parte ut *involucra ficta idearum respici.*

Quoad evangelia synoptica. — Concedi solet, ea habere indolem historicam. Iamvero in his evangeliis miracula *eodem modo narrantur, atque alia facta. In traditione* historica vero iam a Iustino et Irenaeo *eodem modo argumenta* e miraculis uti historicis sumuntur, atque e factis reliquis. *Tatianus* ea aliis factis interserit.

Quoad singulos Synopticos. — Miraculis narratis Mt. praecipue demonstrare vult, prophetias in Christo completas esse, Iudaeos multas gratias divinas sprevisse, Iesum legem Mosaicam nequaquam despexisse; Mc., Iesum esse dominum omnium, praecipue etiam daemonum; Lc., Iesum fuisse misericordiosissimum redemptorem. Atqui insani est, eos fines prosequi velle narrando non facta sed fictiones.

Quoad Io. — *a)* Evidens est, evangelium Io. *universim sumptum* habere genus literarium historicum. Nam totus finis eius in eo est, ut *testimonia* pro dignitate Messianica et divina Christi afferat. Quae testimonia sunt Baptistae, ipsius Christi, Patris etc. Iamvero *testimonium Patris* secundum Io. praecipue *in miraculis* consistit.

b) Effert veritatem historicam speciatim miraculorum 1, 14: « Vidimus gloriam eius ». Iamvero e mente Io. Iesus praecipue *miraculis manifestavit* gloriam suam (2, 11), Dei (11, 40). — Io. 20, 30-1 data opera edicit, se miracula narrasse, ut lectores ob ea ut *motiva credibilitatis* in Christum credant.

c) Iam *Irenaeus e minimis circumstantiis* miraculorum *consequentias dogmaticas* trahit, v. g. ex eo quod Iesus caece natum luto sanat.

Ob. — **Theoria linguistico-psychologica** haec fere est: Evangelistae *volebant sola facta naturalia narrare.* Ea nobis videntur miracula esse propter duo: Primo ob *errorem in rebus linguisticis.* V. g. vertimus: « *super mare* » loco « *ad mare* » ambulavit. Secundo ob

male intellectum *modum Hebraeorum narrandi pietate et vita plenum,* qui eos impellit, ut, causis naturalibus non consideratis tantum de causa prima loquerentur. Quam theoriam praecipue **Paulus** excoluit.

Refutatio. — *a)* Ratio *linguistica* primo ab ipsis adversariis tantum ad *quaedam miracula* applicatur; deinde stulte applicatur, ac si significatio vocum, si e solo vocabulario dubia est, non saepe e circumstantiis loquentis et audientis determinanda esset. V. g. quia Iesus *ad* mare ambulat, ideo eum pronuntiant « Filium Dei »? — *b) Modus ille pius loquendi* explicatus est p. 17. Praeterea *distinguunt sane inter facta naturalia et praeternaturalia* tum in genere *Hebraei* (cf. p...) tum speciatim *evangelistae.* Nam et miracula evidenter talia referunt, et verbis rationem signi efferentibus ea nominant, et ea sola ut motiva credibilitatis narrant. In aliis narrationibus continuo causas naturales ostendunt, in his eas continuo omittunt.

Theoria generis literarii symbolici praecipue in Ioanne. Woolston, **Loisy.** Rationes theoriae: *a)* « Pour lui (S. Jean) *le réel et l'immaginaire se confondent dans l'unité du symbole* ». *b) Impossibile est, traditionem tantopere perverti,* ut tam grandia miracula narret.

Refutatio. — *a)* Quoad rationem primam: Aliud est *narrare, aliquem aliquod factum perpetrasse eique significationem veritatis religiosae indidisse, aliud veritatem quamdam religiosam fabula inventa illustrare.* Illud quidem et synoptici et Io. de Christo narrant, v. g. Synoptici de piscatione miraculosa: « eris homines capiens ». Hoc vero numquam faciunt. Quod vero Io. *plura talia facta narrat,* quam alii evangelistae, hoc ideo est, quia in genere materiam sublimiorem e praedicatione Christi refert, proinde plures sublimes veritates miraculis illustrandas tractat, v. g. « ego sum resurrectio », quod dictum Dominus resurrectione Lazari illustravit. — *b)* Ratio secunda *a priori impossibilitatem grandium miraculorum supponit.* — Reiecta est haec theoria Decreto « *Lamentabili* » prop. 16, 17; Com. Bibl. 29 maii 1907.

EVANGELISTAE IN MIRACULIS CHRISTI REFERENDIS MENTITI NON SUNT.

Arg. — 1) Ex indole ipsorum evangelistarum. — *a)* Obstat veracitas *eorum, cognita e traditione,* quae iis eximiam sanctitatem ascribit; obstat, quod Deus *iis ut causa* instrumentali praecipua in propagatione religionis christianae usus est.

b) Nullum habebant motivum mentiendi. — Speciatim *non gloriam* Christi miraculis inordinate quaesitam. Nam in miraculis describendis exhibent eam sanctitatem quae ethnicis, eam a lege libertatem, quae Iudaeis ingrata erat. Porro evangelistae miracula non circulatorie, sed generatim valde concise, ob finem omnino specialem, narrant. — *Non gloriam suam* inordinate quaesitam, cum

nulla sua miracula specialia referant, sed potius imperfectiones suas occasione miraculorum Christi manifestent.

c) Miraculis istis mendaciter narratis finem suum, ut religionem christianam propagarent, impossibilem reddidissent. Nam iis lectoribus scripserunt, qui haec mendacia sive necessario sive morali cum facilitate detexissent. Etenim Mt. scripsit Palaestinensibus, e quibus plurimi Domini facta viderant. Cogita millia eorum, qui multiplicationibus panum astitisse dicuntur. Mc. Romanis, Lc. caeteris ethnicis, inter quos et Palaestinam, mediantibus Iudaeo = Christianis frequens erat commercium. Io. in Asia minore, per quam, teste Papia, tot discipuli Domini et apostoli transierunt. Iamvero talis stultitia aberat a mentibus eorum, qui talia opera scripserunt, tales conversiones in mundo effecerunt.

d) Evangelista imaginem istam sublimem Christi, quae praecipue miraculis eius continetur, neque ex condicto neque singuli ut singuli fingere poterant.

e) Si mentiti fuissent, evangelistae evitassent contradictiones apparentes. Talis v. g. est, finem miraculorum esse revelare dignitatem Christi, eum tamen vetuisse quominus quaedam narrarentur.

2) Ex indole fidelium aevi apostolici. Qui erant communitates christianae, superiores ecclesiae. Hi nunquam evangelia cum his motivis principalibus credibilitatis suscepissent, nisi iis persuasum fuisset, ea esse fide digna.

Ob. — **Theoria fraudum.** — **Deistae (Voltaire)** ad mendacia evangelistarum et in genere apostolorum recurrunt. Quam theoriam evolvit **F. Chr. Baur.** Fundamenta theoriae: *Miracula fieri non posse,* ideo praeter veritatem debere aliam causam narrationis inveniri. Eam esse v. g. tendentiam, ut, cum Christus contra apostolorum spem regnum terrenum non erexisset, facta invenirentur, quibus *spiritualis redemptor* proclametur; praeterea *amorem apostolorum.* Adiungunt quidam, apostolos *rationis peccati* in talibus mendaciis *vix sibi conscios* fuisse.

Refutatio. — Singula fundamenta huius theoriae iam reiecta sunt. Ratio peccati ob evidentiam eos fugere non poterat. Cf. porro p. 32; Deuter. 18, 20; 1 Cor. 15, 14-5.

EVANGELISTAE IN FACTIS QUAE REFERUNT NE INCULPABILITER QUIDEM ERRARUNT.

1) Exclusa est ea depravatio narrationum quae saepe ex aliquibus defectibus connaturalibus *memoriae,* inconscia operatione *phantasiae,* errore *intellectus* oritur. Nam *a)* Facta illa erant *extraordinaria* essentia sua, momento suo; *faciliora intellectu.* Ita non poterant non recte narrari a Mt. Io. Petro secundum quem Mc. scripsit, qui erant testes immediati, ab aliis testibus immediatis (vel mediatis), a quibus Lc. res hausit. — *b)* Apostoli et evange-

listae *continuo haec facta praedicabant.* Id quod de Petro Papias, de Ioanne Polycarpus narravit.

2) **Exclusa est hallucinatio vel illusio in testibus.** Nam ut ex evangelio scitur, testis erat *universus populus.* Iamvero in eo illusio vel hallucinatio exclusa est. Nam si eiusmodi generalis illusio e naturalibus causis oriri posset, periret omnis historica certitudo atque aptitudo ad verum cognescendum. Ex eadem ratione providentia divina permittere nequit, ut causa praeternaturalis hunc effectum producat. Porro spiritus bonus non decipit; malus non ad eum finem, ut stabiliatur veritas christiana.

3) **Exclusa est simulatio in fingenda ea mutatione, quae in miraculis locum habuisse dicitur.** — Haec simulatio abest a **thaumaturgo,** Iesu: Ob eius sapientiam, cum simulatio non potuisset manere abscondita. Erant enim tot sanati per annos, etiam e plebe, qui nullum praemium receperant ut mentirentur. Vigilabant quam maxime pharisaei. — Ob probitatem, cum talis simulatio sit maximum crimen. — Ob testimonium aequalium. Hi enim quamvis possibilitatem fraudum non ignorarent, sed historiam de Bel, similia (cf. fraudes Alexandri ab Abonoteicho) sine dubio scirent, tamen miracula Christi non fraudibus huiusmodi sed diabolo ascribebant. Iudas, etiam ipse facultate miracula patrandi a Christo praeditus, testatur fraudes in iis nullam partem habuisse.

Ii in quibus miracula fiebant, *non habebant motiva ad simulationem.* Non pecunias *vel voluptates,* quippe quas per simulationem non acquirerent. Non *vanam gloriam privatam,* cum miracula tunc non tam rara essent; porro plebem magis deterrere solent expectanda damna de quibus mox. *Non vana gloria gentis,* ut Messiam suum glorificarent. Nam fides in eum omnino ex miraculis orta est. Imo damna a simulatione deterrebant, difficultas simulationis, v. g. leprae per tot annos fingendae, ipsius mortis; timor irrisionis publicae, famae peccati publici, poenae v. g. excommunicationis. Multos sine dubio etiam absterrebat magnitudo peccati huiusmodi simulationis, quod neque suum « prophetam » poterat latere etc.

Sperare non poterant, se rem ad finem perducturos esse. Debebant enim fingere multi, in diversis generibus morborum, diversis in temporibus et locis, publice, etiam coram inimicis Christi iisque cultis.

Excluditur a fortiori fraus orta e **conspiratione thaumaturgi et eorum in quibus fiebant miracula.**

4) **Exclusa est hallucinatio in ipsis aegrotis.** Num forte in populo non erant *nisi eiusmodi homines qui uti hysterici, putassent, se esse ae grotos, quin fuerint?* Neque a spiritibus eiusmodi hallucinatio produci poterat. Cf. quae antea diximus.

Ob. — **Theoria mythorum,** quae tamen *ordinariis depravationibus,* de quibus sermo erat, ut *quasi instrumentis utitur.* Proposita est v. g. a Mose Ben Maimon, **Deistis,** in systema evecta a **Strauss.** « Mythus est narratio immediate vel mediate de Iesu agens, quae et in quantum non potest considerari ut expressio alicuius facti sed ut foetus idearum eorum asseclarum Christi, qui iam in societatem religiosam post Christum coaluerant ». Elementa theoriae haec sunt: *Miracula fieri nequeunt.* Unde narrationes de iis? *Causae efficientes: lex quod de magnis hominibus mythi formantur;* fides in Iesum ut Messiam, cui, uti prophetis, miracula ascribenda sint; *credulitas generalis* aetatis. *Causa* exemplaris miracula V. T. simul cum spiritu atque doctrina Christi. *Tempus requisitum* ad eiusmodi formationem: c. 100 anni.

Refutatio. — Miracula fieri possunt. — Num omnia, quae de magnis hominibus narrantur, mythi sunt? Probavimus evangelia *fide digna esse.* Caeterum in apocryphis mythos de Christo habes. — *Ideo* Iesus habitus est *Messias, quia miracula* eius viderant, vel audierant. Credulitas nimia Iudaeorum et asseclarum Christi eius aetatis *non aderat.* Cf. quae Iudaei obiciebant v. g. contra veritatem historicam sanationis caece nati. — Miracula V. T. non erant causa exemplaris miraculorum Christi cum *inter ea et miracula Christi sit maior dissimilitudo quam similitudo.* Spiritus et doctrina Christi eiusmodi *hominibus,* quales ab adversariis finguntur, non poterat esse ita intime notus, ut secundum eum miracula N. T. formarent. Bahrdt, Venturini etc. *fraudes* Christo eiusque adiutoribus tribuunt. — Cf. arg.

Aliquando *illusiones collectivae* habentur, quae saltem per hypnotizationem produci poterat. — Quorundam sub certis circumstantiis, praecipue si per artem introductae sunt, c., in *integro populo* de eadem re determinatissima etc., n. Pro lubitu mox hoc mox istud factum talibus hallucinationibus explicare, idem est, atque moraliter integrum populum iis subicere. — Cf. similis difficultas de resurrect. Christi.

Constat de veritate philosophica miraculorum Christi.

Argumenta ex auctoritate humana.

Ipsius Christi. — Christus professus est, se miracula patrare. Nam primo habebat conceptum miraculi. Etenim aequales eum habebant. Porro: « Lazare veni foras ». De monte: « Tolle te et iace te in mare ». Concedunt Protestantes multi liberales. Secundo, Iesus professus est se eiusmodi opera miraculosa patrare, v. g. eo quod ad ea facta ut ad motiva credibilitatis provocavit.

In qua re affirmanda Iesum mendaciis indulsisse componi nequit cum eius humilitate atque efficaci revelationis amore, et impossibile

erat ob imminens apertum periculum, fore ut tale mendacium detegeretur atque ita finis Christi, qui se Messiam haberi voluit, obtineri non posset Scivit porro num ea opera *perficeret*, quia non erant opera inconscia, sed opera virtutis ergo libertatis; num ea perficeret *naturaliter*, quia scire poterat num aplicaret atque dirigeret vires naturales, id quod ex natura rei necessarium fuisset. Porro nisi deratione miraculi certitudinem habuisset, peccatum magnum fuisset, eam asserere.

Aliorum. — Quod argumentum ut probabile proponitur. — Innumeri homines affirmarunt, Christi opera transcendere vires naturae et hominum. *Asseclae* Christi omni tempore. Ex *achristianis* Iudaei increduli tempore Christi et *pagani* postea ad diabolum ea reducebant. *Hodierni Rationalistae* ad id confugiunt, ut negent multorum miraculorum veritatem historicam; quoad alia fere ad vires incognitas recurrunt.

Iamvero amici Christi mentiri *noluerunt* ob momentum rei; *scientiam debitam* habebant, cum rectis principiis in diiudicandis miraculis imbuti essent. Inimici Christi, ut eius religionem destruerent, omnia miracula Christi viribus naturae ascripsissent, si id potuissent. Quod tamen facere non audent. Cum vero nulla explicatio suppetat, aut veritatem historicam negant aut ad vires incognitas refugiunt. Id quod *ultimatim* est *ex falso principio, miracula fieri non posse. Ergo eorum negatio nullius auctoritatis est.*

Ob. — Christus *non habebat notionem miraculi.* Nam *a) aequales eam non habebant; b)* pro Christo *ordinaria* et *extraordinaria* erant *eiusdem momenti; c)* legi gravitatis (in passeribus cadentibus) substituit *immediatam voluntatem Dei.* — N. as. et rationes additas. Quoad *a): Aequales poterant eam notionem a Christo discere,* qui eam habuit; Cf. arg. Porro ipsi eam habuerunt; cf. p. 17-8. Quoad *b):* Ordinaria et extraordinaria secundum doctrinam Christi utique *ab eodem paterno amore Dei* procedunt. Quoad *c):* Iesus affirmat *providentiam,* quae sane non excludit causas secundas.

Christus *negavit se miracula patrare. a) Factis.* Nam primo renuit ea patrare. Secundo, si quae potuisset patrare, sane omnes aegrotos sanasset. *b) Verbis.* Primo *implicite,* ascribendo miracula adventui regni Dei, virtuti divinae; secundo explicite: « Signum non dabitur ei (nationi), nisi signum Ionae prophetae ». « Non tentabis Dominum Deum tuum ». — N. ass. Ad rationes *a)* Primo Iesus ipse *ad petenda* miracula hortatus est (v. g. leprosos). Secundo, finis *primarius* Christi non erat, omnem miseriam temporalem auferre. *b)* Iesus primo non ideae suggestivae de regno Dei miracula ascribit sed *eatenus regno, quatenus sibi regi;* porro Deo *per se Christum agenti.* Secundo, Christus secundum contextum excludit tale *signum* « de coelo » quod *in sole* etc. videretur. Patratio miraculi *ad vanam gloriam,* qualem diabolus voluit, est tentatio Dei.

Apostoli inducuntur ut testes de miraculis. Atqui, utpote rudes, ea diiudicare non poterant. — Dist. ma.: De veritate historica c.; philosophicam principaliter nos ipsi indicamus.

Arg. e natura operum.

DIRECTE OMNIA OPERA SIMUL CONSIDERANTUR.

Quoad vires nobis notas. — Vires naturae, cum non libere sed necessario agant, *sub iisdem circumstantiis semper eosdem effectus producunt.* Atqui tales causae, quales Christus externe, modo nobis cognoscibili *adhibuit,* scilicet vox, imperium, brevissima manus impositio etc., *innumeris vicibus sub iisdem circumstantiis adhibebantur et adhibentur, quin sequantur iidem effectus,* scilicet resuscitationes mortuorum, sanationes subitaneae, multiplicatio panum etc. Ergo.

Quoad vires nobis incognitas. — A) *Etsi eae obiective in natura rerum adessent, tamen in miracula Christi non influxerunt.*

1) *Si Christus sciens* eas in actum traduxit, *scientia tot et talium virium naturae et applicationis earum* in eo *aut naturalis* fuisset, quae ob educationem, occupationem, difficultatem studii et theoretici et practici in eo repugnat; aut *praeternaturalis,* quae utique, ut aliunde scitur, in eo erat, quam tamen in miraculis suis patrandis non adhibuit. Nam *α) ad hominem* contra Rationalistas: Miraculum scientiae ponitis, ut miraculum potentiae evitetis. *β)* Christus primo pro miraculis ad potentiam Dei provocat non ad sapientiam extraordinariam in applicandis viribus naturae; secundo miracula perfecit aut simpliciter actu voluntatis aut simplici momentanea *manuum impositione,* quae non variatur. Iamvero *neutro medio applicatio naturalis tot variarum virium naturae possibilis est.*

2) *Neque Christo inscio vires naturales opera illa miraculosa perfecerunt.* Nam tales vires si exsisterent, *necessario* agerent, ergo *semper, si eaedem conditiones* adsunt. Atqui impossibile est, tantum iis momentis, quibus Christus similes effectus fieri optavit, conditiones necessarias in rerum natura adfuisse.

B) Eiusmodi leges occultae, *nostris oppositae essent.* Ergo non adsunt, alias non haberetur ordo in rerum natura.

QUAEDAM GENERA OPERUM CHRISTI DIRECTE CONSIDERANTUR, QUAEDAM INDIRECTE.

Saltem *quaedam operum genera,* uti resuscitationes mortuorum, multiplicatio panum, a *natura physica et viribus humanis fieri nequeunt.* Iamvero Christus omnia iisdem viribus perfecit. Nam *α)* ad omnia ut ad miracula provocavit; *β)* eodem modo omnia perfecit: sine applicatione mediorum etc.

Diversa genera difficultatum.

Reiciuntur causae naturales quibus adversarii miracula Christi generatim sumpta explicant.

Praevisio praeternaturalis operum sufficit. — Probatum est, *ipsa opera* praeternaturalia fuisse. Utique etiam praevisio.

Providentia inespectata miraculis manifestabatur. — Naturalis, n.; praeternaturalis, c.

Theosophia miracula naturaliter explicat. Atqui *Christus* celeberrimus *theosophus* erat. — N. ma. et min. *a) Theosophia* (recentior) definitur: *naturalis visio Dei pantheistico modo* intellecti. Iamvero ea primo in se *repugnat*. Secundo visio supernaturalis Dei veri *non dat potestatem miracula patrandi. Tertio*, etsi ea potentia vi visionis haberetur, tamen ipsi naturae humanae habenti talem visionem *praeternaturalis* esset.

Christus qua *homo sanctissimus* dominium habuit *in passiones proprias*. Ergo *a pari* in naturam extra se. — *Non* est *eadem dependentia* utriusque ordinis a voluntate humana. Si tamen Deus miracula patrat, magis in genere decet, ea per sanctum patrari.

Christus *qua redemptur* miracula patrare debebat. — Uti redemptor virtutem miracula patrandi naturalem habebat, n.; decebat, Deum redemptori dare potestatem resuscitare, miraculose sanare in ea oeconomia, in qua mors etc. e peccato ortum habent, c.

Occultismus miracula Christi explicat (Fludd etc.). — Occultismus in se *repugnat*, cum statuat eius generis vires, quales in hoc ordine rerum neque habentur, neque haberi possunt.

Reiciuntur expulsiones daemonum.

a) Daemones *non exsistunt. b)* Saltem *nonnisi e fide cognosci* possunt. *c)* Saltem ii quos Christus liberasse dicitur, non *erant possessi. d)* Sed, uti e phaenomenis patet, tantum *morbis nervosis laborabant.* — N. ass. Ad rationes: *a) Apriorismus! b)* Haberi potest demonstratio historica *ex effectibus*. Inter ethnicos praestigia etc. habebantur. In hominibus, de quibus evangelia agunt, erat Ens quoddam, quod tum *scientiam superiorem* manifestabat v. g. de divinitate Christi, tum confitebatur, se sub poena, ergo *malum* esse. *c)* Apparentiae omnes *identicae sunt*, n., cf. quae mox de scientia superiore diximus; quaedam, c. Quod mirum non est, cum utrique statui et possessorum et nervis laborantium id commune sit, ut *facultates motivae et sensiles cognoscitivae atque appetitivae hominis voluntati subtrahantur* atque ita modo innaturali operentur.

Reiciuntur sanationes miraculosae Christi.

Iesus arte medica sanavit. Nam erat Rabbi; sequebatur methodum Essenorum; habuit in eodem ordine, scilicet naturali, praedica-

tionem, miracula; interrogabat de causa morbi etc. — N. ass. Ad rationes: *Ac si omnis Rabbi medicus* fuisset! Ab *Essenorum moribus*, qui v. g. ab unctione abhorrebant, *alienus* erat. Etiam praedicatio Christo *praeternaturalis erat quoad id quod* docebat. Interrogavit etc. ad *desiderium miraculi augendum* etc.

Iesus usus est *homoeopathia. — Cum etiam homoeopathia media naturalia adhibeat,* artem requirat, sicut aliae vires naturales argumentatione nostra exclusa est.

Christus sanavit *suggestione.* Nam *ubi eaedem sunt apparentiae, ibi eaedem causae sunt.* Atqui in sanationibus Christi et hypnotizantium eaedem sunt apparentiae. Ergo.

Differunt sanationes per suggestionem a miraculis Christi per haec: *Ipsa opera effecta* inveniuntur intra *limites valde restrictos eiusmodi morborum, ad quos sanandos mutatio in nervis vel phantasia sufficit,* porro vix habetur perfecta sanatio. — *Modus sanationis non est subitaneus,* sed per modum artis, physice plus vel minus lente in nervos, phantasiam influit. — *Subiecta* sunt ii hominis, quorum nervi neque multum obtusi neque multum excitati sunt. Excluduntur mente capti. Fiducia in subiectis requiri solet ut causa psychologica pro effectibus in phantasia, nervis. Christus, *si* in miraculis suis fiduciam requirebat, eam requirebat mere ut dispositionem moralem, unde v. g. aliquando sufficiebat fiducia amicorum. — *Hypnotizatores* studiis artis hypnotizatoriae se dant, experimentando procedunt. Etc.

Christo praesto erant *vires quaedam naturales, quae vix accuratius determinari possunt.* V. g. eius mens et corpus quam maxime sana erant. Porro « virtus de illo exibat (naturalis, physica) et sanabat omnes ». — *a)* Sanctus efficienter sanitatem efficit!! *b)* Agitur de *influxu liberae voluntatis* Christi, quem decebat a Christo tunc procedere, quando externa quaedam coniunctio cum eius persona *ostendebat*, hunc influxum sanationis ab eo procedere. *Petierunt* ab eo sanationes.

In miraculis Christi *non constat a)* de *specie ultima morborum, b)* de sanatione *perfecta* atque *stabili, c)* de *subitaneitate.* — Quoad *a)* N. *hoc necessarium esse* ad diiudicandum miraculum. *Saepe* iam *in singulis* sanationibus v. g. a lepra, cognitio generis sufficit; semper vero hoc sufficit, si *omnes casus simul* sumuntur, *praecipue cum circumstantiis moralibus* imprimis ipsius agntis. Quoad *b)* et *c)*: Stabilitas et perfectio sanationis *certa est tum ex auctoritate Christi* concedentis quod petebatur, tum ex *persuasione populi,* tum ex *auctoritate evangelistarum,* aliorum (Quadrati). De subitaneitate morali constat ipsis expressionibus: « *subito* » etc., exultatione praesentium; neque ea vere deest in sanatione caeci nati in Bethsaida.

Constat de veritate theologica miraculorum Christi.

Argumenta ex auctoritate humana.

Ipsius Christi. — « Si autem ego *in spiritu Dei* eiicio daemonia.... opera quae *dedit mihi Pater* ut perficiam ea ». Iesus provocat ad miracula ut ad *signa credibilitatis,* ea fidei in Deum ascribit etc. — Exclusum est mendacium ob momentum rei; error ob exclusum influxum inordinatum voluntatis, ob rectas de miraculis ideas, mentis attentionem, mentem sanam, quae si deceptus esset, ei neganda esset, cum affirmet se ea patrare, *sicut viderit* « Patrem ea facientem ».

Generis humani.. Ii enim qui veritatem historicam et philosophicam miraculorum Christi agnoverunt, etiam theologicam affirmant, exceptis iis qui ut Iudaei odio vel ut ethnici praeiudiciis manifestis pleni erant.

Arg. e natura operum.

Desunt in iis signa debilitatis: *nulla potestas superior* impedivit Iesum; a nullo homine dependebat vel coactus est; non promisit ea, ad quae vires non sufficerent, sed infallibili securitate promissa exsecutus est. — *Tempus et locus non restricta erant,* sapienter tamen nonnisi in terra sancta ea operari solebat. *Omnes* mortuorum species sanavit; in ipsam animam separatam imperium exercuit, ita ut animae iterum invenirentur in statu viae; celeritas maior apparere nequit; numerus: millia.

Desunt signa malitiae. Nihil mali in *operibus in se sumptis. Finis extrinsecus* non est ad peccata, quaestum, ostentationem, curiositatem, sed ad manifestandum potentiam, benignitatem Dei, instructionem religiosam, fundandam fidem. — *Doctrina, ad quam confirmandam referebantur* erat sancta. — *Modus externus* patrandi nihil inordinati in se habebat, sed erat cum invocatione Dei. — *Persona operans* sanctissima est. — *Effectus:* conversio mundi ad Deum vivum et verum.

Desunt signa insipientiae. *Ipsa opera in se ordinata erant. Doctrina* ad quam referebantur, nihil manifeste falsi continebat. Imo singulae quae iudicari possunt sapientissimae sunt atque arctissimo nexu inter se cohaerent. *Modus patrandi* cum natura operis convenit: oratio, caeremonia influxum Christi significans. *Persona operans* sapientissima. *Opera convenientia* cum *muneribus* Christi, cum eo qua doctore, rege, sacerdote (mundante a sequelis peccati) etc.

Ob. — Iesus in *Nazareth* « *non poterat* » sanare nisi paucos. — E rationibus convenientiae, quia « propter incredulitatem » non erant digni qui hoc donum reciperent.

Iesus non *poterat semper subito sanare.* Nam caecum in *Bethsaida* per gradus sanavit. — N. ass. Ad rationem: N. consequentiam.

Quam potentiam habeat, Iesus aliunde monstravit. Ratio videtur fuisse, ut crescat hominis fiducia, vel similis.

Iesus *miraculo in Chana incitavit ad ebrietatem.* — *a)* Convivae non erant iam *inebriati.* *b)* Sola praesentia Christi omnia arcebat, quae non decerent. *c)* Copia (5-7 hectolitr.) videtur fuisse pro *festo plurium dierum* vel etiam pro tempore sequente.

Iniustum est aliorum *damnorum causae contra caritatem* illud *permittere.* Iamvero Iesus aut unum aut aliud fecit, eo quod *daemones in duo millia porcorum immisit.* — *a)* Christus *non effecit,* ut daemones porcos ingrederentur, *sed tantum permisit,* Mc. 5, 13. Caeterum non iniuste causasset, cum ius proprietariorum natura prius, agente legato Dei qua tali, ablatum esset. *b)* Permisit damnum ad *manifestandam malitiam daemonum* etc.

Contra legem positivam erat, *Sabbatis miraculoso modo sanare.* — *a)* N. Pharisaei hypocrisi ita legem explicabant. *b) Messias erat Dominus legis* positivae.

In miraculis quae in materia inanimata fiunt, nullum momentum ad mores formandos invenitur. — N. Est relatio *ad fidem divinam,* cum agatur de motivo credibilitatis.

Constat de veritate relativa miraculorum Christi.

Arg. ex ipsis verbis Christi.

1) **Quoad omnia miracula simul sumpta:** « Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me » etc. Sermo in contextu est de sanationibus, resuscitationibus. Porro opera naturalia non possent esse motivum credibilitatis; virtutes morales intelligi nequeunt, cum Iesus apostolis dicat « qui credit... maiora horum faciet ».

2) **Quoad quaedam singula:** « Sed propter populum, qui circumstat, dixi [rogavi etiam externe, ut *suscitares* per me *Lazarum*], ut credant, quia tu me misisti. — « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.... Tibi dico, surge ». Ita *ad paralyticum.*

Arg. e modis, qui a verbis Christi abstrahunt.

1) Iesus dicit se legatum, simul plus caeteris dono miraculorum insignitus est. Dedecet vero, impostorem vel stultum ita a Deo honorari.

2) Miracula *facta per preces Christi,* probant eius eximiam *sanctitatem.* Sanctitas Christi non stat nisi cum eximia *sapientia,* eximia sapientia non stat cum *errore de sua legatione.*

3) *Conciliabant ei reverentiam,* amorem, quamdam veritatis praesumptionem, cum deceret eundem eligi quo et potentia et sa-

pientia Dei maxime manifestaretur. Quae omnia per se Christi praedicationem iuvabant.

4) Quaedam miracula, uti multiplicatio panum, quoddam *praemium ob doctrinam auditam constituunt.*

Obiectiones ex iis quae Iesus sive dixit sive egit sive agere omisit.

Io. 7, 17: « Si quis voluerit *voluntatem eius* (Patris) *facere,* cognoscet de doctrina mea, utrum a Deo sit... ». — Obedientia erga Deum neque omnino qua motivum aliquod credibilitatis, a fortiori non qua unicum exhibetur, sed qua *conditio ordinarie requisita, ut motiva credibilitatis vim suam in animum exserant.*

Christus saepe *iubet miracula reticeri.* — Christus pauca quaedam (5) miracula quodam tempore coram quibusdam abscondi voluit. Maior pars publice patrabatur. Rationes generales huius vetiti: prudentia ne concursu a caeteris occupationibus avocaretur, modestia etc. Etiam *rationes speciales* pro vetito in singulis casibus haberi videntur: ne extra Palaestinam multa operaretur, etc.

Christus verbis: « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis », et « Beati qui non viderunt et crediderunt », *reprehendit fidem* e miraculis haustam. — N. Reprehendit eos, qui *sive ob alia credibilitatis motiva non prompte crediderunt vel credere parati non erant,* vel eos qui credibilitatis iudicium tantum *ob ea miracula formant,* quae ipsi oculis propriis *viderunt.*

Christus *supponit fidem in legationem suam* ut conditionem sine qua non pro patratione miraculorum. — In *omnibus hominibus,* in quibus eam miraculis suis producere voluit, n.; in iis ipsis, *in quibus miracula patravit,* subd.: *in omnibus,* n.; *in quibusdam,* iterum subdist.; *eandem,* quam producere vult, n.; diversam secundum *obiectum credendum* vel *motivum credibilitatis* vel *intensitatem,* c.

Christus fundavit religionem suam super *remissionem peccatorum,* etc. — Ut super finem *partialem,* c.; ut super motivum credibilitatis, n.

Christus miracula *ut rem minimi momenti* habuit. — Ut minoris momenti quam ipsam fidem, c., ut parvi momenti, n.

Si Iesus miraculis suam religionem credibilem reddere voluisset, *semper quando ei physice possibile erat, miracula patrare debuisset.* — N. Etenim iam unum miraculum absolute pro hoc fine sufficeret.

Ex eadem ratione *miracula maxima* patrare debuisset. At patravit tantum minima, sanationes quasdam. — *a)* N. *ma.* Miracula ut argumenta credibilitatis sunt signa; signa autem sunt *qua extraordinaria,* non qua magna vel parva in ratione operis effecti. *b)* N. *min.* V. g. resuscitationem mortuorum. Tot aegrotos simul sanavit, etc.

Ex eadem ratione miracula *in ratione miraculi clarissima* patrare debuisset. At hoc non fecit, cum inde a primis temporibus de

ratione miraculi in his operibus disceptetur. — *a)* Dist. ma.: eiusmodi, quibus visis *ne physica quidem possibilitas dubitandi remansisset,* n.; quibus visis homines *bonae voluntatis facile certitudinem acquirunt,* c. — *b) N. min.* V. g. resuscitatio corporis iam incipientis corrumpi.

Christus noluit patrare *miracula indubia, ne ad fidem mediante miraculo necessitaret.* — *a)* N. Iesum non fecisse miracula indubia. *b)* Etsi omnia tam evidentia fuissent, ut evidentiora exsistere non possent, *fides* semper *libera* maneret.

Iesus non patravit miracula ad superandam persuasionem fidei, scilicet persuasionem de *aeterno valore legis caeremonialis.* — *a)* Haec persuasio non erat persuasio fidei, sed erat *iudicium falsum. b)* Retulit sua miracula ad id, ut *totam suam doctrinam credibilem redderet;* in qua doctrina abolitio legis caeremonialis continebatur.

Obiectiones ex aliis capitibus.

Si Iesus miracula fecisset, *omnes homines credidissent.* — *a)* Si haec difficultas valeret, sequeretur, *ne complexum quidem omnium motivorum credibilitatis esse validum argumentum. b) Fidem theologicam* adhibuissent, n. hoc sequi, ea enim essentialiter libera est; omnes sibi *iudicium credibilitatis formassent,* subdist.: etiam ii, qui *passionibus dediti, motiva credibilitatis* debite *ponderare nolebant,* n.

Miracula Iesu *non erant argumentum decisivum:* nam ne sufficiebant quidem ad demonstrandum pharisaeis ius Iesu, ut etiam *Sabbatis sanaret.* — N. ass. Ad rationem additam: non sufficiebant ob *defectum argumento intrinsecum,* n.; ob malam voluntatem pharisaeorum, c.

Si Iesus tot miracula patrasset, *Deus etiam hodie tot patrare deberet.* Eadem enim est necessitas fidei, idem amor Dei. — *a) Multa* motiva credibilitatis *nobis praesto sunt, quae* istis tunc praesto non erant. *b) Plurima* miracula *etiam hodie* patrantur. *c)* Miraculorum Christi *vis perdurat.* Etc.

Etiam alii miracula fecerunt, quin eorum religio probaretur. V. g. Simon Magus. — Cf. p. 16 Ob. secunda.

Non sequitur: Iesus *miraculum fecit, ergo Deus erat.* — Non sequitur, *si non dixisset se esse Deum et se miraculum ad hoc testimonium de se ipso probandum referre,* c.

Inter doctrinas Christi *falsae* inveniuntur, v. g. se mox venturum esse in nubibus coeli. Etenim non venit. Ergo Christianismus non est firmatus miraculis. – Falsa methodus est, *textum obscurum ad libitum interpetrari.* Potius quia sermo Christi firmatus miraculis est, scimus omnem interpretationem, quae eum falsitatis arguit, illegitimam esse.

Deus decreverat, ut is, qui *nomen Dei e templo surriperet, eo mediante omnia miracula, quae vellet,* patrare posset. Ergo Deus cum tali

homine etiam ad eiusmodi miracula patranda cooperari debebat, quibus ille ad *doctrinam falsam probandam abuti vellet.* Iamvero Iesus per hoc nomen Dei miracula sua patrabat. — *Tota res fictio Iudaeorum* est, ut vim probativam miraculorum Christi effugiant.

Propositio. Iesus Christus e mortuis resurrexit. Quo miraculo testimonium eius de se ipso probatur. — *Cf. fasc. 5 p. 139-94.*

[Qual. — De fide divina catholica definita quoad factum, Nicaen. D. 54; de fide divina catholica quoad reliqua].

St. qu. — Resurrectio est mutatio corporis humani eiusdem numero e statu mortui in statum viventis, ita ut eadem numero anima informetur. — Agitur de resurrectione *ut miraculo*, abstrahendo a ratione vaticinii, quod scilicet ita evenit, uti erat praedictum. — Genuina probata sunt Mc. 16, 9-20, Io. 21. — *p. 139-40.*

Constat de veritate historica resurrectionis Christi.

Pars I. Iesus vere mortuus est. — *p. 140-9.*

Arg. — Mortem Christi testantur testes fide digni:

Homines coaevi. Inimici Christi firmam hanc persuasionem habent. Nam *Pharisaei* Pilato dicunt: « adhuc vivens »; Apostolis resurrectionem praedicantibus ne audent quidem, id quod tamen facillimum erat, obicere: « forte non mortuus erat ». *Centurio et milites* vi muneris testati sunt. — *Amici:* evangelistae; alii sepeliendo Dominum ritu Iudaeorum.

In quo testimonio reddito non erat mendacium. Non apud *inimicos*: non apud *Iudaeos*, nam ad fidem in eius resurrectionem, de qua explicite cogitabant, conferre nolebant. Non apud milites, quia nullum motivum mentiendi impediebat, quominus id agerent, quod vi muneris agendem iis erat. — Non apud *amicos,* ob eorum probitatem.

Erat debita scientia. Erant *apte dispositi;* erant enim cultiores, vel in munere constituti. *Applicarunt sensus;* inimici, ne eum quem maximo odio prosequebantur, vivum relinquentes, ad fidem in eius resurrectionem conferrent; amici, ne eum quem maxime amabant, vivum sepelirent.

Confirmatur testimonii veritas causis quae eo tempore, quo Christus mortuus esse dicitur, *mortem eius afferre poterant:*

Perpessiones externae et internae. Sudor sanguineus cum doloribus internis; flagellatio romana quae iam sola aliquando mortem causat; caeterae passiones; deinde quod per tres horas in tali statu in cruce pendebat.

Christus saltem mortuus esset *vulnere lateris*. Quod profundum fuisse patet ex eo. quod largum erat (« mitte manum tuam »); necessario mortiferum erat, id quod habetur e fine militis, ut scilicet vulnere lateris externum obvium signum mortis iudici exhiberet; « percussos sepeliri carnifex non vetat ».

Conferebat quoque ad mortem accelerandam *mos sepeliendi Iudaeorum:* corpus totum involutum, plurima aromata.

Homines post Christum. Christiani. Iudaei: ipsi Rationalistae hodie theoriam de morte apparente ridere solent.

Ipse Christus a Patre *mandatum moriendi* habebat, Io. 10, 18. Iamvero *obediens* erat. — Porro Iesus proposuit resurrectionem suam ut motivum credibilitatis pro revelatione, ergo inclusa erat praedictio de morte sua. — In cruce pendens ait: « Pater in manus tuas commendo Spiritum meum » — Anima Christi post resurrectionem reprehendit apostolos, quia « iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt ».

Angeli « *Resurrexit* ». Supponitur probata ratio verae apparitionis angelicae.

Ipse Deus cum persuasione de resurrectione, ergo de morte Christi, coniunxit meliores effectus in mundo. Apostoli miracula probant, ut resurrectionem Domini credibilem reddant.

Ob. — « Pilatus *mirabatur si* (Iesus) iam *obiisset* », i. e. dubitavit. — Mirabatur quod Christus tam *cito* mortuus erat, nesciebat enim omnia quae praecesserant; at relationi Centurionis de Christi morte fidem adhibuit.

Clamor validus est signum vigoris naturae: ergo Iesus non poterat subito postmori. — Clamor ante mortem quibusdam naturalis videtur; si, quod melius dicitur, naturaliter fieri non poterat, habetur *miraculum,* quod, ut videtur, in signum libertatis in moriendo patratum est.

E latere Christi *post sic dictam mortem* percusso, *effluxit sanguis*. Ergo Christus mortuus non erat. — N. ass. Ad rat.: Multi in solo sanguine post mortem effluente ne miraculum quidem vident, sed rem, quae naturaliter fieri poterat. Utique aquam e latere fluentem nemo naturaliter explicare potest. Decebat, eiusmodi miracula in corpore Christi fieri.

Christus Magdalenae dixit « *noli me tangere* »; id quod *dolori* ascribendum est. — At Iesus caeteris mulieribus permisit, ut pedes suos amplecterentur. Forte Magdalenae tantum prohibuit, ne haereret in amplexu suo.

Aliquando e tribus crucifixis, cura adhibita, *unus superstes* remansit. — Non diximus, *ob solam* crucifixionem in se sumptam, debere omnem hominem post tres horas mori.

Christus poterat ignota vi *se ipsum* in sepulchro *sanare, lapidem removere,* permittere, ut resuscitatus putaretur. — *a)* V. probationem

mortis. *b)* Ut unum miraculum fugias, in aliud incidis. *Impossibile erat, sine miraculo* se sanare, eo die pedibus in Emaus ire etc. *c)* Apostolos in re maximi momenti *decepisset,* nam se resuscitatum dixit.

Patres quidam Christi *mortem inter miracula referunt.* Ergo quomodo e causis suis repeti potest? — Etsi Christus esset mortuus ante illud tempus, quo naturaliter mori debebat, *tamen* e testimoniis positivis *de ea constare potest.* In omnibus perpessionibus Christi illud quasi miraculum supponitur, ut quamvis anima Deum videret, tamen corpus passibile esset.

Pars II. Iesus nova vita corporis donatus est.

Testes homines aevi apostolici. — *p. 149-63.*

Obiectum testimonii est vera resurrectio Christi. — Dicunt eum *resurrexisse* iamvero unicus conceptus resurrectionis apud Iudaeos, erat de resurrectione carnis eiusdem cum eadem anima. Cf. 2 Mach. 7, 11; Martha, de Lazaro; « cuius erit e septem (maritis) uxor (in coelo)? »; Apoc. Baruch, terram reddere mortuos uti erant in vita.

In specie testimonia agunt

De resurrectione corporis e mortuis. Nam resurrectio Christi proponitur1 Cor. 15, ut *exemplar resurrectionis caeterorum,* quae certo habebatur corporea. *Opponunt* vitam Christi vitae spiritus, qui carnem et ossa non habeat. Christi resurrectionem eam esse, in qua *anima eius erepta sit e Scheol,* corpus factum sit incorruptum (Petrus); eam, ut nunc non iam possit mori, « non visuras corruptionem » (Paulus). *Effectus vitae* ei tribuunt, ut scilicet possit palpari, videri.

b) De resurrectione corporis *numerice eiusdem.* Etenim *sepulcrum vacuum* aliquid confert ad persuasionem de resurrectione; *Thomas* vult loca clavorum videre, ut identitatem agnoscat, ad eundem finem Chs. ea ostendit. — Christus exhibetur ut *exemplar nostrae resurrectionis,* quae cum eodem corpore futura esse credebatur.

c) De coniunctione eiusdem animae, id quod nemo negat.

d) De anima vere informante. Nam dicitur: « praebuit seipsum *vivum* ». Faciunt eum *comedere, ut* ea actione *probet, se non esse spiritum.* Habetur *exemplar* resurrectionis nostrae. — *p. 152-4.*

Testes in hoc testimonio reddendo auctoritatem habent.

Hi testes mentiti non sunt. — *a) Non* aderant *motiva mentiendi.* Non *voluptates,* potius mortes eos expectabant. Non *honor privatus* inter paucos, qui multo minor erat quam ludibrium inter multos. Non *gloria gentis mundana,* cum religio christiana praecipuas praerogativas Iudaeorum destrueret. Non *indebitus amor Christi,* cum talis impostor qualem eum, si non resurrexisset, habere debuis-

sent, vere amari non possit. Non *hominum putata felicitas et Dei honor;* nam si Christus non resurrexit, « inanis est ergo praedicatio nostra ».

Etsi motiva mentiendi adfuissent, in *apostolos agere non potuissent.* Nam sciebant, sibi mentientibus *Iudaeos nullam fidem adhibituros esse,* cum, si Christus non resurrexisset, eius corpus adhuc inspici potuisset. Nam illud *neque apostoli surripuerunt:* ob testimonium positivum contrarium Mt.; ob indolem timidam eo tempore. Neque *terraemotus* illud sustulit; ad eum enim provocassent Iudaei; illum excludunt sudaria complicata. Neque *diabolus* illud abstulit: hic enim nolebat insigniter promovere religionem christianam.

Sciebant porro, *neque ethnicos sibi credituros esse,* cum ex omnibus veritatibus christianis haec ipsa resurrectio iis e testimonio Act. Ap. et S. Augustini difficillima videretur.

Apostoli non poterant habere spem, fore ut per totum tempus apostolatus *tot homines* (semel 500) *in mentiendo,* non obstantibus perpessionibus, constantes mansuri essent.

Obstat tale mendacium *sanctitati apostolorum* aliunde cognitae (cf. quae dicta sunt quoad miracula Christi in genere p. 37).

Tandem ipsi Rationalistae concedunt, fraudem *psycologice excludi ob mutationem,* quae die *Paschalis* in apostolis locum habuit. — *p. 156-8.*

Hi testes debita scientia instructi erant. — Generatim hominem vivum recognoscere difficile non est.

Porro in hoc casu speciali *a)* Facultates cognoscitivae debite dispositae erant. Assumere, *sensus* testium tam diversorum aut *per annos* vitae Christi *indispositos fuisse* aut inter feriam sextam et diem dominicam *subitanea mutatione* factas esse indispositas, contra leges naturae est et omnem historicam certitudinem impossibilem reddit.

Phantasia ab hallucinationibus et illusionibus libera erat. Illae enim, utpote subiectivae affectiones morbosae singulorum per se *diversae* sunt *quoad obiectum;* hic *omnes* idem determinatissimum obiectum usque ad singula eius verba experiuntur. Illae *non* exhibent *novum sapientiae opus:* hic Christi resurrectio, vita et doctrina est *evolutio perfecta* vitae et doctrinae anterioris, cui porro prophetiae novae accedunt. Illae sunt *secundum dispositiones actuales* phantasiae, intellectus, voluntatis; hic minime, nam cogitant de oppresso, at exhibetur *gloriosus,* etc. *Circumstantias* quod attinet. Illae *excitationem supponunt,* hic testes *sobria* et *tranquilla mente* utuntur. Illae hominem *non subito* invadunt, relinquunt; hic apparitiones *subito* pleno in vigore *incipiunt,* subito *desinunt* esse. Illae *non eodem momento* in plurimis initium et finem habent; in his ita est.

Praeiudicia intellectus iudicium de *obiectivitate corporum* non tur-

bant, nisi '*progrediuntur ad hallucinationes* et illusiones. Has vero iam exclusimus.

Denique e ratione iam saepius repetita neque *diabolus neque anima Christi neque Deus* tales illusiones causavit.

b) Testes facultates bene dispositas etiam rite applicarunt. — *a)* Erat *miraculum*, cuius momentum gravissimum sciebant; in ipsis apparitionibus gravia iis imponuntur mandata. *β) Evangelium effert*, eos invitante Christo vidisse manus, latus. Thomas, caeteri quoque carnem Christi palpasse dicendi sunt. Cf. *Ignatius* « et confestim ipsum tetigerunt ». — *p. 159-63.*

Testes alii. — *p. 163-6.*

Testes sunt **angeli**, fide certe digni: « resurrexit ».

Anima Christi, quae confitetur, se nunc *ut informantem* adesse in corpore eodem resuscitato: « ego sum (idem) ». Accedit eadem doctrina etc. Dicit se *resurrexisse*, in quo caetera includuntur.

Dicit se *idem* corpus habere; nam ad demonstrandam identitatem vulnerum suorum cicatrices ostendit. Dicit se *vere informatum* corpus habere, nam ponit *actum* comedendi *ut demonstret* se esse *vivum* hominem, non spiritum.

Fuisse autem *aliquod obiectivum*, quod apparuit, habetur ex exclusione hallucinationum etc.; non fuisse diabolum sub specie Christi, habetur ex ratione saepius dicta, porro ex miraculis, prophetiis eo tempore ab eo qui apparebat factis etc.

Testis est **Deus**, eo quod providentia sua cum persuasione de resurrectione Christi *optimos effectus* in mundo coniunxit; *miracula* in testificationem resurerctionis per apostolos patravit.

Homines innumeri sani intellectus consenserunt in admittendo hoc motivo praecipuo credibilitatis quod ita cum officiis gravissimis connexum est.

Difficultates.

Contra obiectum testimonii apostolorum. — *p. 154-5.*

Cum Christus resurrectionem suam annuntiaret, apostoli erant « *conquirentes, quid esset* ». — Eo non affirmatur, eos non habuisse conceptum resurrectionis, sed prima fronte dubios haesisse num illi sensu *proprio* an v. g. *metaphorice* a Christo *ad se ipsum tum applicatus fuerit.*

2 Cor. 3, 13: « Dominus *Spiritus est* »: ergo corpus non habet. — Sensus est: « Ille Dominus ad quem Iudaei converti debent, est Spiritus sanctus, *tertia persona Trinitatis* ».

2 Cor. 5, 16: « Nunc *non iam novimus* (Christum) *secundum carnem* ». — I. e. « nunc post conversionem non diiudico Christum secundum *rationes carnales*, principia mundana ».

Gal. 1, 15, 16: « Ut revelaret filium suum *in me* », ergo in visione mere subiectiva. — I. e. « *mihi*, idque ita ut eius revelationis *effectus me totum pervadat* ».

1 Cor. 15, 47 : « Secundus homo *de coelo* »; ergo Christus corpus aliud emateria e caelo delata habebat. — I. e. Christus secundum naturam divinam non vero secundum corpus e coelo est.

Contra veracitatem apostolorum. *p. 166-7.*

Epistula sic dicta Barnabae vocat apostolos « homines *omni peccato iniquiores* ». — De iis loquitur uti fuerant antequam a Christo vocarentur, non vero, uti erant, quando testimonium reddebant. Caeterum magna *exaggeratio* est.

Synedrium, libri talmudici asserunt, apostolos Christi *corpus furatos esse.* — Synedrium, uti notum est, toties mentitum est de Christo; libri Talmudici de rebus ad Christum pertinentibus *nullam auctoritatem* historicam habent, cum fabulis plenae sint.

Qui *testantur* resurrectionem sunt *soli amici* Christi. — Amicitia per se *neque veracitatem neque scientiam* obiectivam, praecipue in re tam evidenti, *tollit.* Porro *Paulus* ipsa Christi apparitione ex inimico amicus factus est.

Contra scientiam apostolorum. — *167-71.*

Ingressus in vitam immortalem est *supernaturale quid*, ergo non est obiectum experientiae sensilis. — N. sup., *obiectum testimonii* apostolorum fuisse ingressum Christi in vitam immortalem. Erat *mutatio corporis* eius *mortui in vivens.*

Nemo Christum resurgentem *vidit.* — Non necesse erat, ipsam resurrectionem videri, sufficiebat ut videretur *Christus vivens,* cum antea visus fuerit Christus mortuus.

Circumstantiae de resurrectione et apparitionibus Christi *indeterminatae* sunt. — Pro eo quod unice quaeritur, scilicet ut efformetur secundum eas iudicium securum *de signis vitae*, n.; pro multis aliis, quae de Christo resuscitato quaerere possumus, c.

Circumstantiae resurrectionis vel apparitionum narratae *inter se contradicunt.* — Etiam apologetice facile demonstratur, *nullam* esse contradictionem quoad id quod unice quaeritur, scilicet quoad *signa verae vitae.* Hoc iudicium per se non impediretur, etsi esset quaedam contradictio in rebus ad haec signa non pertinentibus, v. g. quoad tempus, locum apparitionis, dummodo error in memoria non fuerit ita magnus, ut qui eum profert dicendus sit non potuisse ita errare, si omnino vidisset Christum vivum. Quod *nullus ne minimus quidem error* ne in circumstantiis quidem secundariis relationum evangelistarum admitti potest, ex eo est quod relationes *inspiratae* sunt.

Quoad quasdam apparentes difficultates, haec dici posse videntur. — Tempus in quo Maria Magdalena ad sepulcrum accessit,

erat diluculum diei dominicae. — Mulieres in ipsa via nemini narrant visionem quam viderant. Mulieres caeterae prius quam Magdalena vident angelum, post hoc Magdalena vidit prius angelum, deinde Christum, deinde Christus seipsum videndum dat caeteris mulieribus.

Quidam evangelistae apparitionibus *tantum Ierusalem* assignant, quidam tantummodo galilaeam. — Christus non dicit, se tantum in Galilaea apostolis appariturum esse; *tantum Galilaeam nominat*, quia ibi principaliter cum suis conversaturus erat. Ratio cur Galilaeam elegerit videtur fuisse maior securitas discipulorum ab hostilibus Iudaeis.

Verba Lc. 24, 49 « *Sedete hic* » (in Ierusalem) donec Spiritus Sanctus veniat, sunt *prolata die resurrectionis.* — N., die ascensionis. Quod vero Lc. diversas scenas coniungit simplici expressione « εἶπε δ'αὐτοῖς » ex eius consuetudine est. Male vero intelligi non poterat Lc. quia immediate postea, Act. 1, 3, ipse Lc. narrat, Christum per *40 dies* iis apparuisse.

Mc. *indirecte* dicit, Christum tantum in Ierusalem apparuisse. — N. Postquam in sua narratione brevissima de Ierusalem locutus est, tantum *nullam mutationem loci describit* usque ad finem. *Iudicat tamen*, eam factam esse, cum angelos loquentes facit: « Praecedet vos in Galilaeam ».

Mt. indirecte dicit, Christum in sola Galilaea apparuisse. — Mt. tantum *unam apparitionem narrat*, eam scilicet, in qua Iesus in Galilaea mandatum dedit solemne propagandi regni Dei. Id quod cum *fine evangelii* Mt. (de regno Dei) cohaeret.

Nemo chronologiam apparitionum componere potest. — *a) Quid* inde? *b)* Certe prima apparitio (Petro), secunda (omnibus apostolis), aliqua alia (apostolis cum Thoma), ultima ante ascensionem locum habebant in Ierusalem. *Aliae intermediae forte omnes in Galilaea.* — Ratio cur apostoli *indeterminatae* loquuntur, praecipue relate ad locum et tempus, sita est in summa brevitate narrationum coniuncta cum eo quod quam maxime ipsa verba Christi et signa vitae ab evangelistis premebantur, caetera non tantopere.

Speciatim contra ipsas visiones atque argumentum ex iis haustum. — *p. 171-7.*

Paulus 2 Cor. 12, 2-4 nescivit *intimam naturam alicuius visionis* distinguere, num scilicet anima sua a corpore seperata fuerit necne. — Haec ignorantia, habita *in statu mentis extraordinario*, non arguit *apostolos* cum in statu ordinario mentis versarentur, obiectiva ab hallucinationibus distinguere non potuisse.

Petrus Act. 12. 9, 11 *nesciebat*, se realiter e carcere liberari. — Initio nesciebat, *mox illud scivit.*

Expressiones ὤφθην, ἑώρακα apud Paulum *significant* solas visiones *mentis.* — N.; etiam visum *corporeum* v. g. Col. 2, 1.

Ex amore magno connaturaliter *hallucinationes* de resuscitatione amati nasci debebant. — Aliquando in certis conditionibus subiecti per accidens oriri possunt. Eas in apostolis ortas esse *exclusimus*. Porro *praevalebat timor* aerumnarum, unde tales aerumnae etc. ut « illusionum » obiectum expectandae erant.

Timor impedit applicationem sensuum. — Timor, quando apparebat Christus, ex modo loquendi Scripturae non erat nisi *admiratio* rei praeternaturalis. Caeterum neque omnis timor incapacem reddit tranquillae inquisitionis. Porro « timuerunt » tantum *initio* visionis, mox gavisi sunt.

Multae personae per decursum saeculorum *Christum atque Sanctos* in visionibus viderunt, amplexi sunt etc. *Nemo* tamen inde *concludit*, eos *cum corporibus* apparuisse. Ergo a pari. — N. par. Obiectum testimonii eorum generatim erat id solum, se *aliqua ratione* eos amplexos esse (phantasia etc.); *intimam rationem tamen harum apparitionum non testabantur*. Aliter apostoli.

Christus in eucharistia saepe visus est ut extensus, quamvis ibi non sit extensus. — Tantum id affirmatur a testibus, *ubi est eucharistia*, ibi imaginem pueri Iesu, vel mea pace aliquid aliud corporeum apparuisse.

In *sessionibus spiritisticis* spiritus *materializantur* et *affirmant se esse homines* mortuos. — Sunt eae apparentiae externae, ex quibus rite ad *verum corpus informatum concludi* possit, et veracitas eiusmodi spiritum *probata* est, n.

Corpus, quod *resistit* et *non resistit*, chimaericum est. — Corpus, quod per miraculum *uno tempore* resistentiam exercet, *alio tempore* non, n. Tale miraculum in Christo assumendum est.

Quod *subito* apparet, per *portas it*, *non est corpus*. — Non est corpus *in statu naturali*, c., non potest esse corpus in statu praeternaturali, n.

Eodem iure potest dici apparuisse *spiritum praeternaturaliter resistentem*, quo affirmatur apparuisse hominem cum corpore aliquando praeternaturaliter non resistente. — N. Nam *resistentia regula* est, oppositum exceptio; *praedicta* erat resuscitatio; *anima Christi* corpus resuscitatum esse affirmat etc.

Corpus *gloriosum videri*, *tangi comedere non potest*. — N. *Cum maneat quantum*, per se tangi et videri potest; *comedere* non debet, sed *potest*, ita tamen ut per digestionem nulla corruptio sequatur. Illud autem donum a Deo accepit, ut, si velit, miraculose impediat ne tangi possit.

Raphael archangelus comedebat, quamvis non haberet corpus informatum. Ergo argumentum e comestione non probat. — N. *Non comedebat vitaliter*. Non dixit, se ideo talem actionem ponere, ut probaret suam vitam corporalem. Porro providente Deo postea ratio spiritus ab eo qui apparuit revelata est. Aliter in Christo.

Constat de veritate philosophica resurrectionis Christi. — *p. 177-80.*

Argumenta ex auctoritate humana. — 1) **Christi ipsius.** — Ad resurrectionem ut ad maximum *motivum credibilitatis*, ergo miraculum, provocat. — 2) **Generis humani:** Ipsi *Ethnici* resurrectionem generatim absolute impossibilem habebant; Augustinus: «in nulla re sic contradicitur fidei christianae, quam in resurrectione carnis... ut dicatur, fieri non posse, ut caro ista terrena possit in caelum ascendere ». Unde apologetae tot modis ipsam possibilitatem resurrectionis probare student. *Recentiores increduli* ideo eam ut non historicam reiiciunt, quia putant vel absolute impossibilem esse. *Iudaei, Christiani illam* ad unum omnes miraculum habent.

Arg. ex natura operis. — Ad resurrectionem natura prius requiritur, ut vires physicae et chimicae ad vitae functiones necessariae, ipsa quoque organa in corpore mortuo denuo ea ratione disponantur, quae ad vitae functiones exercendas necessaria est. Iamvero *lex physica est, materiam non vivificatam, sibi relictam, ad aequilibrium tendere* non vero ad illas compositiones pro vita necessarias. *Neque homines viventes corpus mortuum ita disponere possunt,* id quod experientia patet.

Ob. — Anima naturaliter *transmutat materiam non viventem in viventem.* — *Sub his conditionibus:* ut *a)* ipsa cum corpore proprio *coniuncta* sit, non ab eo separata; *b) secundum dispositionem materiae* determinatas mutationes certo ordine inter se excipientes, certo quodam tempore durante, in materiam inducat.

Omnes resurgent. Ergo miraculum non est. — N. Etiam ea resurrectio omnium est *contra leges naturae.* Caeterum Christus etiam ante tempus lege divina caeteris praefixum resurrexit.

Constat de veritate theologica resurrectionis Christi. — *p. 181-6.*

Argumenta ex auctoritate.

1) **Ipsius Christi**.... « Potestatem habeo iterum sumendi eam (animam). Hoc mandatum accepi a Patre meo ». — 2) **Omnium, qui ipsam resurrectionem Christi admittebant.**

Arg. e natura operis.

Opus in se. — Maxime splendet in eo *Dei potentia* in corpus, animam; tum per resurrectionem in se, tum per miracula accedentia, uti est v. g. penetratio per portas. *Sapientia et sanctitas.* Manifestat ipsa resurrectio si in se respicitur, Christi sanctitatem cum sit prae-

mium extraordinarium pro eo quod corpus eius fuerat perfectissimum instrumentum virtutis; Christi munus, ut nos a mortuis suscitet. Promovet hominum utilitatem. Est enim speciale *motivum fidei, compendium veritatum christianarum*, cum ea exhibeatur Dei potentia, iustitia, bonitas; immortalitas animae; Christi natura humana, potentia; mors, gloria; pignus spei; augmentum amoris ob divinam pulchritudinem et benignitatem, quae in resuscitato resplendet.

Circumstantiae operis. Fit tempore apto, retentis cicatricibus.

Effectus: 1) Apostoli praecipue resurrectione Christi cum optimo fructu usi sunt, ut religionem christianam in mundum inducerent: ut *motivo credibilitatis* (« fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis...); *compendio dogmatum* (comprehendebant munus suum his verbis: « testem esse resurrectionis »; « si credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris ». — 2) Christiani primorum saeculorum praecipue ex hoc mysterio fortitudinem et fervorem in operibus bonis hauserunt. *Apostoli;* etenim « tetigerunt et crediderunt... propter hoc etiam mortem contempserunt ». *Martyres*, testante Athanasio: « Nimirum certo nesciunt, se incorruptos per resurrectionem fieri ». *In genere Christiani*, dicente Cyrillo Hier.: « Radix totius operationis est spes resurrectionis ». Iamvero illa persuasio *de resurrectione omnium multum pendebat a persuasione de resurrectione Christi*, ut ait August.: « Quod in Christo factum esse credimus, hoc futurum speremus in nobis ». Cultus: dies dominica; ars: Ionas. Concedunt Rationalistae; v. g. Strauss: Resurrectio Christi est « verum Christianismi cor ».

Miracula a Deo patrata. Deus in approbationem praedicationis apostolorum multa miracula patravit (ut alibi probatur). Iamvero unum e praecipuis obiectis praedicationis erat resurrectio Christi: « Testis resurrectionis eius fieri ».

Constat de veritate relativa resurrectionis Christi. — *p. 186-93.*

Argumenta e verbis Christi.

Arg. — *Generale.* — Christus *omnia sua miracula* retulit ad probandam suam legationem. Ergo etiam resurrectionem. — *Arg. specialia* haec sunt:

Io. 2, 19-21:

« Quod signum ostendis nobis, quia haec facis?... *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud* ».

1) Sermo est *de resurrectione Christi:* Quod constat *a)* testimonio S. Ioannis. *b)* Apostolorum: crediderunt, recordantes horum verborum.... « sermoni quem dixit Iesus de sua resurrectione ». *c)* Ver-

bis textus. Nam primo *templum potest* significare corpus Christi. Philo ita vocat corpus Adae, Paulus corpus omnis hominis. Porro *λύειν, ἐγείρειν potest* significare occidere, resuscitare. Cf. vocabularium. Secundo, *aliae explicationes exclusae sunt.* Non poterat Christo esse persuasum, Iudaeos *templum materiale* destructuros esse, cum etiam immoderate illud amarent. Non significatur destruendum esse templum materiale, *erigendum spirituale* religionis christianae. Nam in hac explicatione deesset identitas inter rem destructam et reaedificatam; non intelligeretur incisum illud « tribus diebus »; non ea relatio inter rem destruendam et aedificandam, quae affirmatur.

2) Sermo est de *resurrectione* ut signo missionis messianicae. Ita immediate e contextu patet.

Mt. 12, 38-43. Signum Ionae.

1) Agitur de *signo credibilitatis.* Ita *exegetae* catholici antiqui et recentiores fere sine exceptione. *Internae rationes* hae sunt: Iudaei « signum » i. e. motivum credibilitatis petunt. Totus contextus 12, 13 sq. de signis credibilitatis est. Christus rationem signi explicat: « sicut enim fuit Ionas, ita erit... ».

2) Hoc signum resurrectio est. Nam agitur de re futura « erit ». Ergo non de praedicatione poenitentiae, quippe quae continuo praesens fuerit. — De re quae *non tantum in ultimo iudicio* locum habebit; est enim sermo de motivo *credibilitatis.* — De re *miraculosa.* Est enim signum, in quo porro similitudo cum miraculo in Iona invenitur. — Saltem de *liberatione miraculosa a morte*, id quod immediate e verbis patet. — Imo de *resurrectione* post mortem secutam. Nam « *cor terrae* » significat Scheol locum ipsarum animarum post mortem. Nullum aliud factum e vita Christi habetur, cui haec verba applicari possent. Tandem pro hac explicatione habetur consensus *exegetarum* catholicorum.

Arg. quod a verbis Christi explicitis abstrahit.

Praemium extraordinarium Christi arguit sanctitatem eius extraordinariam. Iamvero cum *hac error de sua legatione stare non potest*, tum ob alias rationes, tum ideo, quia persuasio de legatione sua est quaedam radix sanctarum operationum Christi. Atqui *resurrectio Christi est quoddam praemium extraordinarium* pro Christo. Erat enim *initium gloriae* eius: « sic intrare in gloriam suam ».

Ob. — Si resurrectio Christi fuisset motivum credibilitatis pro toto populo iudaico, se debebat toti populo *vivum ostendere.* — Aut directe, aut *saltem indirecte* mediantibus testibus publicis ab eo, ad testandum hoc factum missis et per ipsa miracula approbatis, e.; necessario directe, n. Iudaei postquam Christum reiecerant, non iam erant populus eius unde non iam tali speciali favore digni erant.

N. T. postulat fidem in Christum resuscitatum *ante habitam experimentalem scientiam* de facto resurrectionis. Ergo resurrectio non erat motivum credibilitatis. — *Sequitur* tantum, eam *non fuisse unicum motivum credibilitatis.* Nempe ob motiva credibilitatis quae praecesserant, iam credendam fuerat verbis Christi resurrectionem tertia die praedicentis, verbis angelorum.

Persuasio de resurrectione Christi non *sufficit ad salutem.* — At *iuvat* ut praecipuum quoddam motivum credibilitatis.

Verba *Christi Io. 2, 19-21* eo tempore quo proferebantur, a Iudaeis recte intelligi non poterant. — *a)* P. prob. — *b)* Tr. Iam ad eum finem sapienter proferri poterant ut *interim memoria retenta,* accedente eventu intelligerentur et ita resurrectio Christi, postquam facta fuerat, iis mediantibus ut signum credibilitatis teneretur.

Scholion. — Christus cum corpore resuscitato *etiam S. Paulo apparuit.* Hoc ex eo scitur, quod Paulus etiam ex visione sibi facta, resurrectionem Christi demonstrat. *p. 93-4.*

PROPOSITIO. Divina religionis christianae origo demonstratur quoque mira morum immutatione, quae in regno Romanorum usque ad initia regni Constantini Magni locum habuit.

[**Qual.** — Certa ob argumenta; communissima]. — Conc. Vat. 1794 definit valorem argumenti similis, at generalioris.

Adv. — Gibbon, Baur, Renan, Havet, Harnack etc.

Expl. term. — Immediate ex argumentis sequitur, *id quod credebant Christiani,* debuisse *esse a Deo revelatum.* Inter quae sane principalem locum tenet *testimonium Christi de se ipso,* in quo testimonio probando versamur. — *Mores* intelligimus et ipsos *actus voluntatis* cum suis debitis complementis, et *persuasiones, in quantum a voluntate pendent.* — *Regnum Romanorum* eas terras dicimus, quae a mari Atlantico usque ad Euphraten, ab oris septentrionalibus Galliae usque ad deserta Africae atque cataractas Nili extenduntur. Numerus habitatorum a doctis diversa ratione recensetur a millionibus c. 50 usque ad c. 100. *Constantinus* solus regnavit inde ab anno 312.

Ratio cur thesis pro tempore ante Constantinum ponatur, in eo est, quod et miraculum morale iis temporibus speciatim fulgebat, et adversarii religionis contra miraculum morale sociale iis temporibus attributum multis modis insurgunt.

Constat de veritate historica maximae mutationis morum.

Extensio mutationis.

NUMERUS CHRISTIANORUM.

Statistica quaedam. — *Saltem fere dimidia pars* hominum Christianismum profitebatur in Armenia, ubi erat religio status, Edessa,

Asia minore, Europa (parte Thraciae). — *Magna pars* in Antiochia et Caelesyria, Cypro, Alexandria, Aegypto atque Thebaide, oris Achaiae, Thessaliae, Macedoniae cum insulis, Gallia meridionali, Roma, Italia inferiore, partibus Italiae mediae, Africa consulari et Numidia, Hispania. — *Minor omnino pars* quam in provinciis secundo loco recensitis inveniebatur in maiore parte caeterarum provinciarum.

Testimonium generale Maximini Dazae. — In rescripto ad Sabinum ait, Diocletianum et Maximianum vidisse « *cunctos fere homines* relicto deorum immortalium cultu ad Christianorum sectam se applicuisse ».

Conditio Christianorum et vitae status.

Inter Iudaeos. — Ipso tempore apostolico « multi » e sacerdotibus cultisque hominibus Christi fidem suscipiebant, inter quos erat S. Paulus.

Inter Gentiles. — *Tempore apostolico* v. g. Sergius Paulus, Dionysius Areopagita, Aquila eiusque uxor Prisca, Thessalonicae atque Beroeae non paucae « matronae nobiles », in Bithynia « multi omnis ordinis », Romae e genere Domitiani Titus Flavius Clemens consul eiusque uxor Domitilla, alii nobiles, uti ex inscriptionibus in catacumba Domitillae eruitur.

Posteriore tempore. — Romae sat multos *divites et nobiles* se Christianis addixisse supponit v. g. Hermas. Inter quos erat Apollonius, plures e gente Pomponia. Idem secundum Eusebium l. 5 c. 2 de tempore Commodi. — Saeculo 3 in ipsa aula imperatoria multi Caesarini Christiani erant, praecipue sub Alessandro Severo et Philippo, qui cognominatur Arabs, et primis Diocletiani temporibus. Quo imperante Christo iamiam adhaerebant praesides provinciarum; porro magna pars ipsius aulae imperatoriae, ipsa Diocletiani uxor et filia.

Doctrina atque animi cultura praestabant multi ex iis, quos recensuimus. Adiungatur iis v. g. Iustinus philosophus; Tertullianus, celeberrimus iureconsultus; Origenes, qui omnium, etiam ethnicorum, oculos mirabili sua doctrina et eruditione in se attraxit. Recole episcopos ut S. Cyprianum, Dionysium Alexandrinum; longam seriem apologetarum praecipue inter Graecos. Cf. Tract. De ipsa theol. p. 43-8.

Intensio mutationis.

TESTIMONIA QUAEDAM GENERALIA.

Origenes c. C. 3, 29: « Deus effecit ut *ubique terrarum ad convertendos corrigendosque* homines evangelium Iesu praepolleret.... in mundo tamquam luminaria sunt. Ecquis enim non fatetur eos, *qui in ecclesia deteriores sunt, et in meliorum comparatione peiores, prae-*

stantiores esse multis eorum, qui in popularibus coetibus vivunt ? » Enumeratis criminibus achristianorum affirmat 4, 27, haec apud Christianos non esse, aut, *si, inveniuntur, non certe inter eos qui ad coetum conveniunt, qui precibus publicis intersunt nec ab illis arcentur ;* nisi forte quis inter alios furtim irrepsisse deprehendatur. *Plinius:* Ep. X, 96 testatur, *se nullum eorum criminum, quorum Christiani accusabantur, iniis invenire potuisse,* nisi immodicam superstitionem. Qua voce veram religionem christianam designat. Eos « se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent ».

SINGULA QUAEDAM

Relationes ad Deum.

Obiectum cultus.

Christiani solum Deum cultu latriae colebant, sanctos cultu duliae. Sacerdotes vero *ethnici* collegiis inter se uniti, oraculis, auguriis, mysteriis, ritu non raro obscoeno homines in *Polytheismo* retinere curabant. — *Respublica* ad cultum numinum patriorum ut status publici fundamentum, ad cultum ipsorum imperatorum *impellebat.* — Qui cultus *cum omnibus quasi vitiis* nexu indissolubili *coniunctus* erat. — Denique hic cultus *cum ipsis institutionibus atque gaudiis per se honestis* in concreto connexus erat, uti cum theatris, servitio militari, tribunalibus etc. Ipsi *diaboli* oraculis suis ad bellum contra Christianos excitabant.

Modus cultus.

Inter Christianos cultus praecipuus exercebatur per virtutes theologicas, equibus speciatim consideramus fidem.

MOTIVUM FORMALE FIDEI.

Auctoritas Dei erat motivum fidei. — Ne hanc amplecterentur, generatim *opponebatur superbia* humana; speciatim *eo tempore: animi cultura* praecipue e parte nobilium, philosophorum, ad superbiam inclinans ; late regnans *scepticismus ; mysticismus* falsus, quo Neoplatonici fucatae revelationi favebant.

Quae auctoritas Dei praeterea *proponebatur per homines:* per prophetas, qui Christi revelationem praeparaverant ; per ipsum Christum verum hominem eiusque apostolos : per episcopos ut huius veritatis infallibiles custodes. Qui homo Christus, uti nuntii praecipui caeteri primi religionis christianae, erat *peregrinus, barbarus, iudaeus, faber incultus, a gente sua reiectus.* Quas singulas circumstantias hominibus eius temporis non paucas difficultates creasse, ex scriptis apologetarum clare scimus.

Obligationem veram haec religio imponebat, ut scilicet haec omnia cre-

derentur, omnia contraria damnarentur. Id quod *aetati syncretisticae vehementer displicebat.*

Ut via unica ad salutem aeternam proponebatur. Unde ethnicos etiam bonae voluntatis pulsabat anxia cura, *quid esset de parentibus*, de toto humano genere ante hanc religionem exortam defunctis.

MATERIA FIDEI SEU VERITATES CREDENDAE.

Omnibus eadem doctrina proponebatur. Id quod plurimis, praecipue cultis, *verae sapientiae derogare videbatur.* Unde plebem christianam uti gentem « in angulis garrulam » despiciebant. Cf. v. g. Iust. Apol. II, 10.

Singulas veritates credendas si respicimus, credenda erant mysteria maxima. Quoad *Deum:* Trinitas, incarnatio, quae quantopere difficilia visa fuerint, sectae antitrinitariae demonstrant. — Quoad ipsum *hominem:* resurrectio futura, aeternitas poenarum. Utraque veritas plurimos habebat osores. — *Veritatis practicae* proponebantur *plurimae atque difficillimae* idque ipsis catechumenis: plurimae virtutes exercendae, vitia omnia fugienda. Quae uti semper ita praecipue ea aetate difficillime credebantur, quae moribus atque persuasionibus corruptissima erat. Quam difficultatem ex parte credendorum apologetae saepe extollunt. — Inter res plurimas credendas *non paucae* erant quae, uti multa in Scriptura, *inter se pugnare* iam ethnicis *videbantur*. Quae Celsus, Porphyrius, alii obiciebant.

BELLUM EXTRINSECUM CONTRA FIDEM.

Hoc bellum multum augebat eas difficultates fidei intrinsecas, quas hucusque exposuimus.

Iudaei *conviciis* doctrinam christianam persequi solebant, *difficultates scientificas* e V. T. movebant.

Haeretici *diversae speciei*, uti Gnostici, Montanistae, Antitrinitarii, Novatiani atque similes, Manichaei *plurima scripta* componebant contra diversissimas verae religionis doctrinas, easque principales. Porro quia ipsi quoque ut Christianos se dabant, ipsum nomen christianum risui exponebant, ob vitia saepe infamia asseclarum suorum veram Christianorum virtutem suspectam reddebant.

Ethnicorum animis plurimae *calumniae* de religione christiana quasi insculptae inhaerebant. Erant autem relate ad Deum *atheismus, cultus capitis asinini, magia.* Relate ad proximos *libera permixtio* in conventibus religiosis, *infantium occisio atque devoratio.* Relate ad statum civilem, esse eos *inimicos civitatis,* quippe qui deos, incolumitatis auctores, non venerarentur, imo ex hac omissione omnia mala a diis iratis inflicta oriri; eos esse reos criminis laesae maiestatis, quippe qui imperatorum numina non colerent.

Plurima alia contra religionem christianam, quaeque difficiliora saepe

videri poterant, protulerunt *scriptores* Fronto, Lucianus, Celsus, Porphyrius, Hierocles, generatim Neophythagoraei, Neoplatonici. *Ethnicismum* vero benigne interpretari atque in *Christianismum quendam non dogmaticum,* simillimum ei qui hodie late regnat, *transformare studebant.*

Speciatim ipsa confessio fidei maximam fortitudinem requirebat. Ob eam enim Christiani sustinebant maximas perpessiones tum ex parte familiae, praecipue si filii vel uxores Christum sequebantur; tum *ex parte republicae.* Etenim

1) Ob facillimam cooperationem ad idolatriam vel eius instans periculum, *a multis officiis,* statibus, honoribus, divitiis, quasi necessario *excludebantur,* vel si ea officia habebant, in continuis periculis versabantur. Unde media in pace ecclesiae martyria militum christianorum inveniuntur.

2) Diversis *modis violentis a fide profitenda abducebantur.* Morti tradebantur sive ob ipsam fidem Christianam profitendam, sive ob aliquid, quod cum ea inseparabili modo erat connexum. Modus iuridicus procedendi contra eos diversus esse poterat. *Edicta* severiora ediderunt contra Christianos Nero, Traianus, Mc. Aurelius, Septimius, Maximinus Thrax, Decius Traianus, Valerianus, Diocletianus. — Persecutionum effectus hi erant: *Millia omnis sexus, aetatis, conditionis,* sive fortunis spoliabantur sive ad carceres atque metalla damnabantur; millia mortis crudelissimae poena plectebantur; generatim animi eorum qui Christiani fiebant vel ut tales se confitebantur, ad acerbissima sustinenda parati esse debebant.

Nobilissima omnium virtutum *moralium* est *religio.* Quam monstrabant cultu frequentissimo, precibus continuis, quibus coelestia bona postulabant.

Relationes ad homines.

QUOAD OMNES VIRTUTES SIMUL.

α) Eas exercebant *ob Deum,* uti saepe v. g. de eleemosynis premitur a Cypr. « de opere et eleemos. ». Virginitatem ideo colebant ut facilius Deo atque ecclesiae servirent. Premi vero solebat motivum timoris Dei aeterna poena plectentis, spei aeternae beatitudinis resurrectione consequendae, caritatis. — *β)* Debita cum *prudentia* eas colebant. Quae praecipue ex eo elucet, quod opera caritatis coniungebant cum debita sui abnegatione, *eleemosynam cum iiiuncto laboris manuum officio,* desiderium mortem pro Christo subiendi cum vetito ne se ipsi proderent iudici.

QUOAD SINGULAS QUASDAM VIRTUTES.

Caritas.

1) *Subsidiis* sustentabant *episcopos suos et doctores, pauperes christianos* qui laborare non poterant, viduas, pupillos. Iuvabant eos,

qui ob susceptam religionem christianam officiis suis valedicere debebant vel *in carceribus atque fodinis* miseram vitam agebant. E pluribus exemplis sume hoc: Ecclesia Carthaginiensis teste Cypr. ep. 60, ut Christianos a latronibus Numidicis abreptos redimeret, celerrime c. 20,000 libell. ital. collegit atque ad plura largienda parata erat. — Quam maxime florebant hospitalitatis officia, quae ob pericula fidei in commercio cum ethnicis tanti momenti erant. -- Quae caritas etiam *alienas ecclesias* ordinario modo amplectebatur. Ita Antiocheni adiutorium praestiterunt Palaestinensibus. Romana ecclesia ecclesiis in toto orbe haud paucas eleemosynas mittere solebat. Cf. quae in epistolis Dionysii Corinthii, Dionysii Alexandrini referuntur.

2) At quod plus est, *se ipsos* aliorum curae impendebant. Saepe *ieiunabant*, ut haberent quod darent. Diaconi *pauperum* domos visitabant eosque, praecipue senes, fovebant. — Imprimis viduae atque in Oriente diaconissae *infirmos* visitabant et curabant. *Peste infectis* etiam ethnicis, qui a suis saepe derelicti erant, cum ipsius vitae periculo ministrabant, in quo officio non pauci mortui sunt. Exempla habes apud Euseb. 7, 22; Pontium, Vit. Cypr. 9. Similia in magna fame et peste sub Maximino Daza Christianos fecisse refert. Euseb. 9, 8. — *Pueros egenos* praecipue pupillos atque eos *qui expositi fuerant*, educabant. Id quod ipsa nomina multorum, qui in catacumbis sepulti sunt testantur. -- Non raro etiam a dissitis regionibus veniebant ad *carceres* ut inclusos ob testimonium fidei foverent. Quae servitia tam frequentia erant, tam cognita, ut Licinius ea legibus inhiberet.

Castitas.

Castitatem *in matrimonio* uti in aliis statibus Christiani magna cura servabant. E testibus v. g.: Aristides, Apolog. 17, 2 affirmat, Christianos *liberos esse a criminibus contra naturam*, quibus Graeci atque Romani tantopere indulgebant. Iustin., Apol. I, 15.

Virginitatem quod spectat: *multi utriusque sexus* in omnibus ecclesiae partibus *per totam vitam* a matrimonio, virginitate servata, abstinebant. Imo iam *statum quendam publicum* in ecclesia formabant.

Infantes.

Christiani non tantum non exponebant infantes, verum non raro eos ipsos quos Ethnici exposuerant colligebant eosque saepe adoptabant. Qui infantes saepe sub directione episcopi simul educabantur. Eodem odio quo expositionem infantum etiam abortum prosequebantur; cf. v. g. Athenagoras 35.

Servi.

Baptismatis, sacerdotii (etiam ante liberationem a servitute), *ipsius episcopatus* participes fieri poterant, *Matrimonio* iungebantur, idque

ita, ut communes unitatis atque indissolubilitatis leges etiam pro ipsis valerent. — Ecclesia servos ad omnem etiam heroicam virtutem educavit.

Status civilis.

Quamvis saepissime iniuste vexarentur, Christiani tamen debita obedientia societatem publicam prosequebantur. Praecipue vitium illud debellabant, quod digno humanae naturae statui atque vero reipublicae bono tantopere repugnat, *servilismum*, *despotismum*.

Ecclesia.

In rebus directe spiritualibus *Christiani subiecti erant* episcopis atque severae disciplinae ecclesiasticae. Qui episcopi aliquando e statu inferiori imo servili atque iuniores aetate erant. Quibus etiam in rebus fidei obediebant. *Episcopi* vero, uti historici concedunt, *generatim officia* sua, quae ea aetate saepe cum maximis difficultatibus coniuncta erant, cum iactura omnium bonorum huius vitae *fideliter explebant*.

Pro conversione ethnicorum Christiani plurima egerunt. Iam iis temporibus *scholas* instituerant, quae praecipue ethnicis instruendis destinatae essent. Ita Edessae pro Persis; Alexandriae, ubi Pantaenus, Clemens, Origenes, has scholas regebant. Magno fervore multi superiores ecclesiastici conversioni ethnicorum incumbebant. Recole S. Gregorium Thaumaturgum. Denique etiam ex iis temporibus referuntur *missionarii*, qui ad ethnicas partes, solius evangelii praedicandi gratia, proficiscebantur. Hi omnia sua vendere solebant. Cf. Orig. c. C. 3, 9; Euseb. 3, 37, 2.

Obiectiones. Contra eam rationem, qua *terminus a quo* in thesi adhibitus est: *Cultura* Graecorum et Romanorum sane *praeclarissima* erat! — Abundabant *bonis quibusdam secundariis humanae vitae*, quae ad finem eius minimi momenti sunt, c.; habebant bona primaria, quae ad finem hominis maximi momenti sunt, n. De qua distinctione cf. De revel. in abstr. prop. 32. — (Aliae multas difficultates similes, v. g. doctrinas Stoicismi, Neoplatonismi optimas fuisse, praeoccupatae sunt iis quae in arg. primo partis sequentis de veritate philosophica et theologica dicemus).

Obiectiones contra eam rationem, qua *terminum ad quem* in thesi exhibuimus: *Omisimus ea peccata*, quae etiam in Christianis iis temporibus inveniebantur. Praeterea *bona potuissent esse etiam magis extraordinaria* atque universalia. — Merito haec aliaque similia non consideravimus. Ea *mala* quae in quibusdam inveniebantur, *non possunt impedire, quominus ea bona* quae aderant, *vires naturae superaverint*. Imo suo modo conferunt, ut rationem miraculi moralis etiam magis manifestam faciant. Nam evidens reddunt, ipsam naturam humanam in se iis temporibus non minus ad sensibilia inclinatam fuisse, quam in genere alias.

— *Neque miraculum morale eo tollitur, quod etiam splendidius cogitare quis posset.*

Secundum Salvianum *regnum Romanum saeculi quinti*, quod tamen christianum erat, *renovandum erat ipsis barbarorum moribus*. Ergone tam cito res mutabantur? — *a) Facile explicatur, cur in Christianis saeculi 5 multo plura mala inventa fuerint* quam inde a saeculo primo usque ad tertium. In causa erant: pax diuturna; ethnicorum plurima turba conversa, quorum emendatio a moribus ethnicis lento passu progrediebatur; turbatus omnis ordo frequentibus barbarorum incursibus, etc. *b)* Salvianus probare intendit, etiam Christianos a Deo iuste ob peccata sua affligi. *Bona eorum silentio premit.* Erant tamen iis temporibus plurimi sancti sacerdotes (Cf. v. g. Aug. de morib. eccl. cath. et Manich.); millia fortis simorum martyrum in ipsa persecutione Vandalorum; is populi christiani status, ut « *quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis (ethnicis),* tamen non usque adeo se a delictis putent alienos, ut nec temporalia pro iis mala perpeti iudicent dignos » (Aug. de civ. Dei l. 1 c. 9 n. 1). Erat is reipublicae christianae vigor, ut Christiani ipsos barbaras ad religionem christianam converterint. *c)* Caeterim Salvianus l. 3 c. 1 de Christianorum emendatione spem concipit; *quod vero paganis loquitur,* « *profuturum esse desperat* » (Similes difficultates De revel. christ. Lith. p. 51-6).

Constat de veritate philosophica et theologica huius mutationis.

Utramque hanc veritatem simul probamus *per modum unius.* — Et sane spiritum malum in hoc effectu producendo excludi, evidenter patet. Nam primo haec mutatio ex ipsa eius essentia ex integro *finibus mali spiritus opposita* est. Deinde ii, in quibus hae virtutes resplenduerunt, uti in vitis et moribus eorum gloriosis patet, *ad Deum verum recurrebant, ut robur* pro tali vitae et mortis genere *acciperent.* Unde probata veritate philosophica huius mutationis veritas eius theologica iam certa est.

Arg. I. — E refutatione causarum naturalium, quas adversarii afferunt.

A priori.

Omne phaenomenon historicum historice, i. e. e causis naturalibus *explicandum est.* — Obiectio nihil est nisi applicatio principii aprioristici « *Miracula fieri nequeunt* », ad ordinem miraculorum moralium.

*

E parte causae efficientis.

Unitas rei politicae atque *culturae* Romanorum plurimum ad religionem christianam propagandam conferebat. — Ut facilis redderetur *praedicatio externa,* c.; mutatio morum interna, n.

« Sufficiebat zelus apostolorum ». — *a) Unde* zelus ita purus, ardens, nisi ex influxu praeternaturali divino et veritate factorum, in quibus fides fervidorum apostolorum innitebatur? *b)* Zelus apostolorum id quidem explicat, motiva credendi et se emendandi multis fuisse *proposita,* non vero illud, plurimos difficillimam illam fidem et sanctitatem *amplexos esse.*

Ex parte religionis propositae in genere sumptae.

« Religio christiana *ob ipsam suam rationabilitatem tantopere omnibus placere,* tantopere omnes homines impellere debebat». — Responsum generale: *a) Unde ergo bellum* horrendum per saecula *contra religionem christianam? b)* Corruptis non placebant ea, quae de relinquendo Polytheismo, de castitate, de iustitia divina in aeternum puniente etc. docebantur. *c)* Aliud est aliqua complacentia in bono, aliud efficacia in prosequendo bono honesto, imo sanctitate quam maxime ardua. Falsam methodum arguit, tantum *partem materiae considerandae* oculis submittere.

Eandem difficultatem sub hac forma proferunt: Nihil magis naturale est, quam sequi veritatem. Atqui Christianismus continebat veritatem, v. g. de Monotheismo, sine molestis illis catenis legum Iudaicarum. Ergo debebat vincere. — Nihil magis naturale, i. e. secundum normam naturae rationalis, c.; secundum vires naturae, quae in hoc statu rerum normam naturae rationalis sequi non solent, n.

Corruptio iis temporibus quasi in infinitum aucta erat. Unde connaturaliter debebat *reactio* sequi, i. e. homines debebant se ad nobilia impulsos sentire. — *a)* N. *consequentiam.* Quo maior est corruptio, eo generatim difficilior fit conversio. Alias nullum esset medium securius ad conversionem, quam peccata peccatis cumulare. Id unum concedi potest, maximum quendam criminum gradum aliquando aliquid conferre ad eum effectum, ut miseria ex peccatis orta magis vivide sentiatur. At *cognitio miseriae,* experientia teste, *non dat robur emendationis,* quod habitu malo quasi exstinctum est, sed tantum solet esse dispositio ad id, ut auxilium aliunde oblatum suscipiatur. *b)* Aliud sane est, in genere *taedio* criminum affici, aliud determinatam *religionem christianam amplecti,* in ea se emendare atque magnum virtutum gradum adipisci.

Motiva quaedam determinata enumerantur, quae ad mutationem sufficientia fuerint.

Pauperibus eleemosynae, servis libertas promittebatur. — *a)* At pauperibus non dabantur eleemosynae, nisi *secundum mensuram prudentiae;* praecipue in eo insistebatur, ut manibus pro victu laborarent. Servis ab initio *non dabatur libertas,* imi insistit Paulus, ut ne desiderent quidem libertatem. *b) Status civilis* tum plurimas eleemosynas elargiebatur, tum multos servos liberos declaravit ob electiones politicas. *c)* Omnes eleemosynae atque dona externa id ad summum efficere poterant, ut homines *externe se aggregarent ecclesiae,* non vero ut interne crederent, vitam emendarent, imo saepe martyrium subirent, heroicam sanctitatem acquirerent. Sed haec ipsa in servis, in pauperibus visa sunt.

Divitibus offerebantur *dignitates ecclesiasticae,* uti episcopalis, sacerdotalis. — *a)* At *multo magis retrahebat necessitas obediendi* etiam episcopis humili loco natis. Haec obedientia ab omnibus continuo praestanda erat, dum dignitates paucorum essent. *b)* Retrahebant *pericula specialia,* quae clericis, episcopis tempore persecutionum imminebant. *c)* De facto *generatim episcopi boni* erant, quales esse non poterant, si ob motivum ab adversariis suppositum externe se ecclesiae aggregassent.

Veritates credendae cum aspirationibus hominum eius aetatis conveniebant.

Nova placebant; veteres formae ethnicismi taedium excitaverant. — Plurimae *aliae novae religiones* oriebantur vel in regno Romano propagabantur, uti cultus Mithrae cum suis tauriboliis etc.

Unitas Dei placebat. — *a)* At haec etiam a non paucis *philosophis* statuebatur; etiam a *Iudaeis* tenebatur. *b)* Ille unus Deus proponebatur *ut postulans fidem* in tot revelationes, in libros integros inspiratos, quae fides tot difficultates creabat; ut *iudex severissimus,* qui internam sanctitatem postulabat etc. Sub his aliisque respectibus cor humanum ab hac doctrina refugit.

Etiam Christiani habebant suum *Politheismum mitiorem!* Ergo habebant unum Deum et simul Polytheismum. Quid plus attrahere poterat? — Factum quod obicitur non ideo aliquid probabilitatis acquirit, quia recentissime quoque a quibusdam doctis asseritur. Essentialem differentiam statuebant inter angelos et sanctos invocandos, Deum vero adorandum. Pro uno Deo vindicando mortui sunt millia martyrum.

Doctrina *de immortalitate animae* placebat. Cui enim non placet, in aeternum vivere? — *a)* At etiam *aliae* religiones similia affirmabant. *b)* Porro docebatur immortalitas beata illa quidem pro bonis, *at malorum gravissimorum plena pro malis.* Cum maior pars male viveret, doctrina in concreto non placebat. *c)* Tandem ae-

ternitas vitae proponebatur *sub forma resurrectionis mortuorum*, cui doctrinae vel ut possibili vehementissime contradicebatur.

Christianismus *mysteria* proposuit. Mysteriosa autem semper placent, quam maxime autem iis temporibus accepta erant. Recordare mysteriorum Mithrae, Eleusinorum etc. — *a)* Curiosa eaque non omnibus communicanda, quae mysteria dicebantur, utique placebant; *doctrinae sublimes, quae* captum humanum superant, ob solum verbum Dei firmissime *credi debent,* superbiae humanae minime placebant. *b)* Si illa fides fuisset res tam naturalis, *unde tot haereses* cum tanto numero asseclarum? Iam eiusmodi doctrinae difficiles, quae sensu stricto mysteria non sunt, uti creatio, origo mali etc. tot haereses diversas excitabant. Cf. Gnosticismi formae, Manichaeismus. *c) Mysteria* stricte talia offendebant. V. g.: Homo pauper Iudaeus, a suis crucifixus, proponitur ut verus unus Deus, ut centrum totius novae religionis eiusque institutionum.

Magia iis temporibus attrahebat. Iamvero religio christiana in suis sacramentis magiam offerebat. — Etiam hoc, quamvis recentissime iterum iterumque dictitatum, non ideo sapientium est. Ethnici adamabant utique *externos ritus, qui, nulla supposita interna sancta animi dispositione, promittebant remissionem peccatorum* vel bona alia, terrena. At minime amabant illum peccati dolorem, qui ad sacramentum baptismi requiritur, illas praeparationes longas et duras, quibus Ecclesia Catechumenos praeparare solebat.

Religio christiana *afferebat doctrinam de moribus* eamque *sublimem.* Quomodo talibus mundus inhiaverit vides ex eo, quod tot homines Stoicismo adhaerebant. — *a)* Etsi placebat bene dispositis, displicebat male dispositis. Quorum maior erat numerus. *b)* Porro ipsa maxima sublimitas habebat, unde ipsos bene dispositos terreret.

Placebat *condonatio peccatorum* promissa, atque eo plus placebat, quo maius erat pondus peccatorum quo premebantur. — *a)* Dist.: In quantum promissa erat ipsa condonatio, c.; *in quantum* ut conditiones sine quibus non *postulabat fidem et veram conversionem,* n. *b)* Porro complacentia non dat efficaciam conversionis.

Neoplatonismus simillimus erat Christianismo. Quid ergo mirum, si eius asseclae Christianismum complectebantur? — N. antec. Erat doctrina *Pantheistica;* v. g. Plotini systema erat dynamismus pantheisticus. Concedebant, *deos esse venerandos* secundum morem patrium. Cur philosophi prae caeteris Christianismo resistebant?

Stoicismus simillimus erat Christianismo. — N. antec. Ea vera, quae Stoicismus proponit, tantum *ut probabilia* proponit. *Deum transcendentem non habet,* sed pantheisticum. *Deos venerandos* docet. Immortalitatem animae non admittit, sed ad summum quandam temporalem vitam post mortem. *Doctrinas morum plurimas falsas tradit,* v. g. honestatem suicidii, affectus non moderandos sed eradicandos esse. Etc.

Arg. 2. Ex unica causa mutationis ostensa, scilicet influxu divino.

1) Probatur specialis influxus divinus **in ipsa persuasione de veritate religionis christianae** formanda. — « Sine speciali illo influxu tot hominibus non fuisset persuasum, veram et amplectendam esse religionem christianam. Quoties enim agitur de obligatione, qua cupiditates refrenantur, gravia incommoda sensibilia et praesentia imponuntur, licet commoda futura et spiritualia promittantur, homo nihilominus ita comparatus est, ut quamvis obligatio illa argumentis solidis moraliter certa demonstretur, eam tamen saepissime non ut certam admittat, sed aut absolute neget, aut saltem aliquando in dubium vocet. Si fortasse dici possit, paucos quosdam rationis imperio ita esse submissos, ut veritatem, ubicumque affulget, percipiant, id tamen in plerisque locum non habet, praesertim quum agitur de negotio, quod gravissima secum vehit onera. Hinc fit, ut *voluntas in intellectum ita influat, ut eundem impediat* non tantum quominus veritatis propositae argumenta *perpendat*, sed etiam quominus veritati, quamdiu non est penitus evidens, *assensum praestat.*

At religione christiana praedicata non unus alterve, *non pauci tantum fecerunt, quod ab hominum consuetudine abhorret, sed quamplurimi.* Nullis videlicet incommodis internis et externis nullisque obstaculis impediti sunt, quominus rationes quibus religio vera demonstratur, perpenderent et veritati cognitae assensum praestarent firmissimum et constantem. Ergo simul cum rationibus illis alius influxus effecit, ut homines praestarent, quod alias non praestant. Manifestiora haec sunt e doctrina de gratia eiusque necessitate ».

2) Probatur specialis influxus **in voluntatis infirmitate roboranda et difficultatum horrore superando.** — « Etsi *sola argumentorum vi* persuaderi hominibus potuisset, ut veram crederent religionem christianam, tamen sola illa vi *induci non potuissent, ut eiusdem legibus se submitterent et omnia eius praecepta implere sedulo et constanter niterentur.* Homo enim suis viribus permissus experientia quotidiana edoctus merito repetit illud: ' Video meliora proboque, deteriora sequor '. Haec autem voluntatis infirmitas tanto maior est, quo remotiora a sensibus sunt bona, quae sectari et quo magis sensibus blandiuntur, quae aversari iubetur. Quum igitur homines religionem suscipiunt; quae non unum alterumve vitium, sed *quaecunque sunt mala* evitare iubet, atque ad hoconus subeundum *nonnisi spiritualibus et invisibilibus bonis propositis* invitat, manifestum est, eosdem divino auxilio adiutos praestare, quod natura humana sibi soli commissa praestare non potest ».

Iamvero vidimus *homines plurimos eiusmodi religionem suscepisse, professos esse, in vita sua expressisse*, idque *in difficultatibus maximis*, quae non tantum mensurandae sunt ex sublimitate religionis susceptae et infirmitate naturae humanae in genere, verum etiam ex plurimis illis difficultatibus, quae ex circumstantiis specialibus oriebantur, puta ex corruptione ethnicismi, ex pugna, quam pagani atque haeretici contra fidem movebant, quaeque Christianos cogebat, ut ad mortem usque certarent. Quas circumstantias particulares parte I exhibuimus.

Arg. 3. E persuasione apologetarum.

V. g. *S. Athanasius*, De incarn. Verbi n. 27-9, n. 53. « Quod argumentum non admittere idem prorsus est, ac si quis ex mundi operibus Deum eius opificem non cognosceret ». — Quam maxime huic argumento insistit *S. Chrysostomus*, Demonstr. adv. Iud. et gent., quod Christus sit Deus: Demonstrationem pro exsistentia Dei ex creatione ethnicos non ferre. » Quaenam igitur sunt ea, quae ipsum fecisse gentilis ipse fatetur, neque negare potest? Quod Christianorum genus ipse fundaverit, quod universas per orbem ecclesias condiderit. Hinc eius potentiae argumentum ducemus... » — Conc. Vat. 1794.

Constat de veritate relativa huius mutationis.

Arg. — 1) Vidimus parte secunda, adiutorium speciale divinum necessarium fuisse ad formandam ipsam persuasionem de religione christiana ut vera. Ergo aderat influxus divinus in ipsum iudicium credibilitatis et credentitatis efficiendum. Atqui *impossibile est, Deum miraculoso modo influere in falsam persuasionem producendam.* Ergo ea vera est; ergo ea, quae credit, obiective vera sunt.

2) *Virtutes exercitae* normas suas et motiva sumebant a persuasione de Christo ut legato Dei. Ab eius enim doctrina, in quantum habebatur ut divina, tota vita Christianorum dependebat. Id quod vidimus in Tract. De rel. christ. thesi 1. Atqui *repugnat, eiusmodi effectus dependere a persuasione falsa,* sive ii considerantur ut simpliciter boni, sive — id quod eos fuisse demonstravimus — ut miraculoso modo boni. Hanc argumentandi rationem valere demonstravimus Tract. De revel. in abstr. prop. 30.

Ob. — *Illa mira morum mutatio dependebat a cognitione unius Dei, damnationis aeternae pro peccatis gravibus aliisque singulis quibusdam veritatibus,* quas religio christiana proponit, non *vero a persuasione, Iesum* in omnibus doctrinis suis *fuisse legatum a Deo missum* ideoque universam suam religionem divinitus revelatam esse. Ego solae *eae singulae particulares veritates tali morum mutatione uti verae non autem uti revelatae demonstrantur, a fortiori non divinitas integrae religionis christianae.*

R. — N. antec. Mutatio illa dependebat et a robore in voluntatem divinitus immisso et ab influxu connaturali veritatum omnium principalium religionis christianae. Iamvero *a)* illud *robur petebatur a Christo Filio Dei,* exspectabatur mediantibus iis mediis quae ab ipso divinitus instituta esse credebantur. *b) Inter persuasiones maximi momenti* erant *mysteria,* uti Trinitas, liberaeque Dei actiones, uti inspiratio totius Scripturae qua regulae fidei, etc. Haec *nonnisi fide* teneri possunt. Caetera autem multa, quae per se rationi imperia non sunt, *in complexu suo* ab hominibus uti generatim sunt, in hoc ordine rerum *uti certa teneri non possunt, nisi ob revelationem* (cf. De revel. in abstr. prop. 11). Tandem positive scimus, Christianos ea omnia certitudine fidei ob Christi testimonium tenuisse (Cf. De revel. christ. prop. 2).

Etiam aliae religiones, uti *Ethnicismi* haec vel illa forma, *Buddhismus, Mohamedanismus celerrime propagatae sunt, idque ita, ut mores hominum mutarent.* Nihilominus negamus, ea morum mutatione eas religiones ut divinas probari. Ergo a pari mutatio morum in regno Romano ante Constantinum non probat divinitatem religionis christianae.

R. — *a)* Iam abstrahendo ab applicatione alicuius motivi credibilitatis positivi ad dictas religiones, constat eas esse falsas. Eae enim omnes *quaedam continent, quae ipsi religioni naturali adversantur.* Unde, si quid in earum propagatione invenitur, quod putas te viribus naturae humanae sibi relictis explicare non posse, habes *influxum praeternaturalem spiritus mali.*

b) Nego paritatem. Etenim nequaquam argumentati sumus e *celeri magnaque morum mutatione cuiuscumque generis illa fuerit,* sed e mutatione morum omnium *in melius, idque ea in mensura iisque in circumstantiis* illam mutationem in melius per se impedientibus, *ut haec mutatio vires humanae naturae sibi relictas superare censenda sit.* In istis vero religionibus amplectendis aliquando quidem habetur mutatio ab uno vel alio malo particulari ad unum vel aliud bonum particulare; aliquando a bono meliore in bonum minus; aliquando a bono in malum; aliquando a malo in peius; aliquando plures tales mutationes simul habentur. Patet autem, ad tres illas mutationes in deterius vel malum, humanam naturam, utpote ad sensibilia inclinatam, sibi sufficere. At neque ullum principium habetur, unde probetur, ad priorem mutationem ab aliquo malo in aliquod bonum particulare humanam naturam sibi non sufficere. Imo hoc e dogmate constat. — Accedit, quod *adiumenta externa* illis religionibus propagandis praesto erant. Inter quae non minimum locum occupare solebat favor principum atque arma.

Quaedam particularia. — *Ethnicismi* formae, si evolutio humani generis sub Ethnicismo constituti universim sumitur, gene-

ratim *in peius mutatae* sunt. Porro iis saepe mythi ac ritus, vix mores mutabantur. — *Buddhismus,* si eius prima institutio respicitur, non est religio, sed quoddam philosophicum *systema scepticismo atque nihilismo deditum.* In ea forma vero, in qua multos milliones asseclarum sortitus est, non est nisi quaedam Polytheismi forma. Mores populorum, qui ei se addixerunt, universim sumptos, non ad meliorem statum eduxit. — *Mahomedanismus,* in quantum populos antea *christianos* occupavit, est *mutatio a bono ad plurima mala.* In quantum vero apud nationes *antea paganas* propagatus est, *a) non* potest demonstrari, persuasionem de unitate Dei et quae cum ea essentialiter cohaerent, dependere, *a persuasione de legatione divina Mohamed in omnibus suis doctrinis proferendis;* unde ea legatio neque tali mutatione probari potest. *b)* Mores non tam interne mutati sunt, quam externe additis quibusdam observantiis. — Plura in Tract. De comparandis religion. (De revel. christ. Lith. p. 75-80).

DE ECCLESIA
UT INFALLIBILI RELIGIONIS REVELATAE MAGISTRA

Propositio. Falsae sunt rationes, quibus recentiores quidam probare intendunt, versus Mt. 16, 18 et 28, 19 ab initio non fecisse partem evangelii Mt. aut Christum ea verba non protulisse. — *Cf. v. I fasc. 1 p. 9-19.*

Quoad Mt. 16, 18.

Vanae sunt rationes ob quas negant, versum fecisse partem Mt. — *p. 9-12.*

Adv. — V. g. Harnack, Resch, Monnier, Reinach, Schnitzer etc.

Ob. — Versus inde ab a. 200-350 in sua forma fluctuavit. Nam Eusebius in 8, Epiphanius in 3 locis vocem primarii momenti « *ταύτην* » omittit. — *Origenes* et *Eusebius* semel *omnia verba textus* data opera *explicant*. Cyprian., Euseb., Tertull. textum cum « hanc » habent. Ubi Euseb. et Epiph. vocem omittunt, ratio firmitatis *ecclesiae in genere* premitur, non vero inculcatur, eam a Petro repetendam esse.

E modo quo Patres usque ad a. 200 versus 16-20 citant, sequitur, eos v. 18um ignorasse. Nam Iustinus, Irenaeus, Clemens Alex. proprie hunc versum omittunt. — Desunt conditiones pro argumento e silentio. *De aliâ re data opera agunt. Iustinus* in eo loco de Christo agit data opera, de Petro tantum incidenter. *Irenaeus* tantum vult probare eum qui passus est, eundem esse, qui fuerit Filius Dei. Id quod continetur v. 17-21. *Clemens* ideo solum v. 17 citat, quia de solo principio supernaturali gnoseos agit.

V. 18 *debetur prioribus documentis scriptorum Pseudo-Clementinorum* vel scripto *de aleatoribus*. — *a)* V. habebatur ante 200, *illa scripta vero e saeculo 3°* vel *4° sunt. b)* Illa scripta modum loquendi de re in hoc versu contenta obscuriorem habent; allusiones tantum sunt. *c)* Num omnes ecclesiae, versum 18 recipientes, iudaizabant, Petrum indebite extollere volebant? Cur, si ita esset, solus Mt. interpolatus est?

V. 18 *ante 200 notus non erat!* — *a)* At *habetur* tota pericope *in Diatessaron* Tatiani, cum inveniatur in duobus scriptis ab eo emanatis quae inter se non dependent; cum praeterea Ephrem, qui secundum Diatessaron citat, eum partim habeat, partim supponat. — *b) Agnitio universalis huius versus c. a. 200*, porro quod Origenes nullum dubium circa eum movet, supponit eum antea notum fuisse.

Nullae sunt rationes, ob quas negant, versum fuisse a Christo pronuntiatum. — *p. 12-16.*

Adv. — Loisy, Reville, Sabatier, Holtzmann etc.

Ob. — Christus nullam omnino dominationem instituit. Ait enim: « Principes gentium *dominantur* eorum; *vos autem non sic* ». — Commendatur humilitas, cuius virtutis Iesus in eodem contextu se ipsum ut exemplar proponit, cum tamen Dominus apostolorum sit.

Mt. 18, 18 *eadem potestas omnibus* apostolis datur. — Nego inter hos locos haberi oppositionem. Cf. quae postea dicenda sunt.

Versus turbat contextum immediatum. Nam quis locus pro commemoratione primatus inter v. 16 qui de divinitate et v. 21 qui de passione Christi agit? — Primatus qua Petro promissus est *praemium pro confessione divinitatis* a Petro facta.

Iesus v. 17 Petrum *laudat*, v. 23 eum *Satanam dicit*. — Quia v. 16 recta, v. 22 stulti quid dixerat.

Si Christus hunc versum protulisset, *Mc. et Lc. eum omittere non potuissent*. — N. *a)* Non requiritur *essentialiter ad doctrinam de dignitate et passione Christi*, quam Mc. et Lc. eo in loco praecipue premunt. *Mt.* eum habet, cum praecipue ipse in toto evangelio, pro Iudaeis scribens, *regnum Messianicum* multis describat.

Christo persuasum erat, *suam parusiam instare*. Ergo nullam organizationem instituit. — Error in ma. enuntiatus alibi refutatur.

Textus *modum loquendi Paulinum* redolet, speciatim vox « ecclesia » Paulina est; porro iam plura audet quam Paulus, cum loquatur de ecclesia *Christi*, dum Paulus tantum loquatur de ecclesia *Dei*. — *a)* Unde impossibilitas, quominus Christus hac voce in V. T. sacrata uteretur? Porro notio ipsa ecclesiae saepissime in Mt. invenitur. *b)* Ipse Mt. iam loquitur de regno *Christi*.

Textus factus est a *iudaizantibus*. — *a)* Nulla oppositio inter *doctrinam* Petri et Pauli de ritibus Mosaicis. *b)* Num evangelium Mt. quod tantopere reprobationem Iudaeorum premit, iudaizat?

Textus habet originem *e diversis formis ethnicismi*. Claves sunt attributum Dei solis. Mithras dicitur *θεὸς ἐκ πέτρας* etc. — *a) Scimus unde textus sit. b)* Sunt externae quaedam similitudines sine ullo influxu idearum. *c)* Generatim ab ipsis Rationalistis haec explicatio reicitur.

Quoad Mt. 28, 19.

Vanae sunt rationes, ob quas negatur, versum fecisse partem evangelii Mt. — *p. 17-8.*

Adv. — Pro hac et sequenti parte v. v. g. Conybeare, Loisy, Spitta, Schnitzer etc.

Ob. — *Eusebius* utitur ea forma textus Mt. 28, 18-20, in qua *deest v. 19*. — N. *a)* Quoad *Orientem. Eusebius ter v. 19* citat, idque in

contextu, in quo versus inservit ad dogma de Trinitatate stabiliendum, unde interpolatio excluditur. In 24 locis, in quibus mandatum de baptismo non ponit, de iis rebus in religione christiana agit, ad quas inculcandas illud mandatum non necessario commemorandum erat, v. g. de salute ut universali. *Origenes integrum textum habet. b)* Quoad *Occidentem.* Irenaeus, Tertullianus, concilium sub Cypriano etc. textum habent.

Alias in toto evangelio Mt. *Christus particularismum profitetur;* hic subito universalismum? — N. antec. Cf. Tract. de revel. christ. prop. 9-11.

Contra logicam est, *coordinari μαθητεύειν, baptizare, docere.* — Nego ea coordinari. Baptizare, docere *media* sunt pro « *discipulos facere* ».

Falsae sunt rationes, ob quas v. 19 Christo abiudicatur. — *p. 18-9.*

Ob. — *Verba* sunt Christi *resuscitati.* Atqui talia historice demonstrari nequeunt. — N. min. Demonstrantur historice, uti ipsa *resurrectio.*

Christus nunquam de evangelio gentibus praedicando cogitavit. At postquam multi e gentibus crediderunt, *ad Christum honorandum confingi* debuit, *tale mandatum ab eo profectum esse.* — Nego primum. Cf. partem priorem. — N. secundum, cum Christiani in re tanti momenti non mentiretur, nulla necessitas talis honoris fingendi subsisteret etc.

Si Christus tres personas in formula distinctim nominasset, formula sine iis *non fuisset per saecula priora in usu.* — N. factum; cf. tract. de bapt.

Si Christus hoc mandatum dedisset, Paulus 1 Cor. 1, 17, *non confessus esset: « Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. »* — N. Sensus est Paulum per se ipsum difficiliora, uti praedicationem, praestare debuisse, *per alios vero suo nomine agentes* faciliora, uti *baptismum*, administrare potuisse.

Propositio. **Tum verbis Scripturae tum testimonio ecclesiarum totius orbis e prioribus saeculis probatur, Iesum Christum Petro promisisse atque contulisse primatum iurisdictionis in gubernanda ecclesia.** — *p. 68-92.*

Qual. — [Petrum a Christo *accepisse* primatum iurisdictionis est de fide divina catholica definita; Vat. Denz. 1823. *Hanc doctrinam contineri in verbis Mt. 16, 18-9 et Io. 21, 15-7* mihi videtur esse veritas definita. Cf. Vat. D. 1826. Col. Lac. VII col. 275].

Adv. — Multi e schismate Graeco; Marsilius Patav.; Protestantes orthodoxi; Protestantes liberales et Modernistae, quia Christus

ideis eschatologicis deceptus, nullam organizationem instituerit. — *p. 68-9.*

St. qu. — *Iurisdictio* hic sumitur pro potestate obligandi subditos in ordine ad finem societatis. — *Primatus iurisdictionis* est potestas suprema gubernandi rempublicam ad finem societatis uni collata. — *Primatus honoris* est ius ad certa signa honoris deferenda ob aliam quandam excellentiam. — *Primatus ordinis* est ius ad ordinem efficiendum in consessu eorum, qui simul omnes supremam potestatem habent. — *p. 68.*

Praeparationis gratia considerantur ea ex historia, quae *abstrahendo a Mt. 16, Io. 21 de Petro habentur.* — *p. 67-8.*

Ante Christi ascensionem Christus nomen Petri mutat; diversa honoris signa ei dat, v. g. in eius domo habitat; Petrus (indole naturali) fide et caritate magna ad munus regendi disponebatur; saepe nomine aliorum discipulorum loquebatur.

Post ascensionem a scriptoribus Petrus in plenis vel partialibus catalogis apostolorum semper primus enumeratur. (Excipitur Gal. 2, 9); data opera dicitur « primus », caeteri vero quasi ut socii eius exhibentur. Multa in Act. de Petro narrantur. Petrus auctor est, ut novus apostolus eligatur; loquitur coram populo et principibus nomine caeterorum apostolorum; mirabilem poenam infligit; eminet miraculis; primus ethnicos in ecclesiam admittit; visitat ecclesias fundatas; ad neophytos in Samaria cum duobus apostolis mittitur; eius sententiae in concilio Hierosolymitano omnes adhaerent. Ad eum videndum Paulus venit. Fundavit ecclesias Antiochenam, Alexandrinam per Marcum, Romanam.

E Scriptura Mt. 16, 17-9; Io. 21, 15-7. — *p. 68-72.*

Soli Petro aliquid datur.

1) Saepe in iis locis vocatur nomine proprio. 2) Omnia in singulari ponuntur. 3) Eidem fit promissio, qui immediate postea solus reprehenditur. 4) Petro aliquid promittitur ratione personalis qualitatis, confessionis fidei, amoris. 5) Opponitur apud Io. caeteris apostolis « amas me plus his (caeteris) ? » 6) Consensus catholicorum, recentiorum Protestantium.

Datur potestas regendi vera.

Potestas regendi vera opponitur potestati tantum consilium dandi, etc.

Pasce (ποίμαινε) = Ps. 2, 9: « reges eos in virga ferrea »; Mich. 5, 2: « sit dominator »; Apoc. 12, 9: « recturus erat gentes ».

Claves regni caelorum. — Is. 22, 22 dicitur de vicerege: « Dabo clavem domus David »; Ap. 3, 7: de Messia « qui habet clavem David ». Ecclesia proponitur sub imagine domus, arcis, civitatis, unde potestas regendi ecclesiam aptissime sub imagine, quae exhibet potestatem administrandi palatium, arcem civitatem.

« Ligaveris, solveris ». — In loco paral. Mt. 18 certe haec expressio de potestate regendi, scilicet punitiva adhibetur. Similia alia ex eo tempore habentur.

Petra dat firmitatem aedificio: « Deus petra Israel »; non cadit domus « quia aedificata supra petram ». Mt. 7, 25. Iamvero aedificium hic est societas, ecclesia; ratio firmitatis vero in societate est auctoritas regendi; ergo ea hoc loco Petro datur.

Eaque suprema.

Potestas suprema ea est, qua nulla est maior in societate, cui nulla par.

1) Petrus, ut vidimus, *regit omnes oves* Christi. Atqui si ullus haberet auctoritatem parem Petri auctoritati, is a Petro regi non posset. — Petrus *sustinet qua petra totum aedificium* ecclesiae *claves* habet *totius regni caelorum*. Atqui qui sub eo non esset, ab eo ut petra non firmaretur, in eum Petrus non haberet claves. — Petrus habet potestatem *ligandi* et *solvendi omnia*. Atqui duae potestates eiusmodi aequales omnem ordinem in societate impossibilem redderent.

E Traditione. — *p. 72-7.*

E Latinis. Cyprianus: « Petro primum Dominus, super quem aedificavit ecclesiam, et unde unitatis originem ostendit et instituit, potestatem istam dedit, ut id solveretur [in coelis] quod ille solvisset ». — Ambrosius: « Quem cum petra dixit, firmamentum ecclesiae iudicavit ». — Leo I: « Nonnisi per ipsum dedit, quidquid caeteris non negavit principibus ».

E Graecis. Origenes: « Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, ut super ipsum velut super terram fundaretur ecclesia ». — Chrysostomus: « Caput illius familiae (apostolorum), orbis totius praefectus ».

E. Syris. S. Ephrem: « Tu es inspector eorum, qui aedificant mihi ecclesiam in terris (i. e. apostolorum); si quid reprobum aedificare velint, tu fundamentum reprime eos ». — In officio Syrorum separatorum: « Simon, caput apostolorum, fundamentum, rector, pastor et gubernator ecclesiae ».

Ex Armenis, in officio: « Caput electi coetus, petra fidei, caput apostolorum » (unice et continuo de Petro).

E libris liturgicis Slavorum: « pastor dominicus omnium apostolorum... pastor a Christo gregem accepit ».

Acta apocrypha apostolorum faciunt Petrum apostolis dividere orbem.

In Archaeologia. Petrus solet comparari cum Mose, duce populi Dei.

DIFFICULTATES E SCRIPTURA.

Argumenta contra potestatem regendi veram. — *p. 77-80.*

Principium ad solvendas difficultates: Ex usu aliisque circumstantiis eruendum est, quale tertium comparationis e plurimis per se possibilibus, is qui metaphoram adhibet, hic et nunc premat.

Ob. — Pascere Iudas 12, Apoc. 7, 17 significat solam nutrimenti largitionem. — Apud Iud. vi subiecti, quippe quod non sit diversum a pascente; Apoc. *vi status subiecti*, quippe quod sit in termino.

Βόσκειν = nutrimentum praebere. — *a)* etiam = regere. *b)* Io. etiam dicit *ποιμαίνειν*.

Regnum caelorum = eschatologicum. — N. cum sit sermo de stabili auctoritate exercenda, quae in caelo exerceri nequit.

Clavis = clavis scientiae Lc. 11, 52. — At clavis *regni* = auctoritas.

Clavis = merum *medium aperiendi;* ergo significatur sola potestas admittendi ad ecclesiam. — Dist. ma.: vi vocis c.; *vi usus* plus dicitur.

Clavis regni caelorum = potestas *admittendi ad caelestem beatitudinem.* — *Vi* formalis significationis, n.; vi *consequentiae*, c.

« *Ligare et solvere » est expressio in solis scholis rabbinicis usitata,* significans tantum potestatem *declarandi legem.* Ergo *a)* ab apostolis intelligi non poterat; *b)* non significat potestatem regendi. — *a)* Peto prob. asserti, eam expressionem fuisse solis Rabbinis notam, et probationem primae consequentiae. Erat expressio usitata. *b)* Mt. 18, 18, in loco parallelo a Christo in sensu regendi adhibetur cum ex ea ius puniendi deducat.

« Ligare et solvere » = *peccata condonare.* — Vi significationis formalis, n.; *vi consequentiae* in hoc ordine rerum, c.

Petra = fundamentum = principium aliquod = *aliqua ratio originis relate ad ecclesiam;* atqui haec ratio in Petro est, in quantum primus homines in ecclesiam admisit. — N. *Petra significat rationem firmitatis continuae,* quae est auctoritas (in tantum = fundamentum).

Mt. 20, 25-8: « Scitis, quia principes gentium dominantur eorum. Non ita erit inter vos.... », omnis dominatio ab apostolis removetur. — N., vetatur superbia: Cf. p. 76.

Argumenta contra potestatem supremam.

E rationibus diversis. — *p. 80-2.*

Ob. — Apostoli ea verba non *intellexerunt;* alias non quater inter se *disputassent, quis primatum habiturus sit.* — *a)* Defectus intellectionis hic et nunc, *sensum obiectivum verborum non destruit.*

b) P. prob., apostolos ea verba *non* intellexisse. Illi quatuor loci a quibusdam dicuntur intelligendi de possidendo regno coelesti, de aptitudine ad primatum etc. *c)* Forte apostoli ob reprehensionem Petri immediate in Mt. 16, 23 sequentem, putarunt, *promissionem esse conditionatam.*

« *Petra* erat Christus ». — I. e. = causa *ex qua aqua miraculoso modo* Israelitis proveniebat.

« *Fundamentum* aliud nemo ponere potest praeter *Christum* ». = *Veritates* praedicandae aliqua ratione ad eas, quae sunt *de Christo* vel *a Christo* propositae, reducendae sunt.

Trina confessione Petro *restituitur*, quod trina negatione omiserat, scilicet *apostolatus.* — *a)* Apostolatus non erat amissus; si vero fuisset amissus, iam restitutus fuisset verbis Io. 20, 21: « sicut misit me Pater, ego mitto vos ».

Petrus in profitenda fide repraesentavit apostolos; ergo in recipiendo praemio confessionis fidei. — *a)* Etiam in profitendo amore Io. 21, 15, cum tamen in eo e caeteris apostolis praefertur? *b)* Quoad fidem, Mt.: *a)* Peto prob. Petrum apostolos in fide repraesentasse; *β)* deputatus erat ab apostolis in *profitenda* fide, tr.; in *recipiendo* omni *praemio* loco apostolorum, n. Talis deputatio e parte subditorum repugnat libertati supremi regentis, Christi.

Speciatim ex aequalitate apostolorum, atque nominatim S. Pauli, cum Petro. — *p. 82-5.*

Principium solutionis difficultatum : apostoli erant *aequales* Petro sive *in potestate extraordinaria,* v. g. miracula patrandi; sive *in ordinaria*, sed *sanctificandi*, non imperandi; vel in potestate imperandi *vera*, at *non suprema.*

Ob. — Ephes. 2, 20 fideles dicuntur « superaedificati super *fundamentum apostolorum* et prophetarum ». — Fundamentum est *doctrina* apostolorum et prophetarum, qui utique qua tales iurisdictionem non habebant.

Apoc. 21, 14: « Murus civitatis habens *fundamenta duodecim* ». — Ecclesia fundata = *ad fidem collecta est per duodecim apostolos.*

Mt. 18, 18 Christus omnibus apostolis dicit: « quaecumque ligaveritis... », Ergo omnes potestatem supremam acceperunt. — Dist. antecedens: Dicit ea verba caeteris apostolis cum Petro, quibusque iam Petrum ut caput determinaverat, i. e. collegio ob caput, c.; caeteris sine Petro eoque ut capite, n. — Simili modo argumentandum est de Io. 25, 21-3: « sicut misit me Pater, mitto vos »; Mt. 28, 20.

Gal. 2, 8 Paulus ait: « Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, *operatus est mihi* inter gentes ». — Deus fructum dedit utrique in diverso campo immediato laborum suorum, c.; laboranti Paulo ut capiti, independenter a Petro, n.

2 Cor. 11, 28 Paulus sibi ascribit « *sollicitudinem omnium ecclesiarum* ». — *A se fundatarum:* dependentia a Petro aliunde scitur.

2 Cor. 13, 11: « *Nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum apostoli* ». — I. e. Maior sum pseudo-apostolis.

E silentio quodam aevi apostolici. — *p. 85-7.*

Si primatus exstitisset, *Actus Apost. eum commemorare deberent.* Atqui eum non commemorant. — *a)* Dist. ma.: Si hic liber constitutionem iuridicam ecclesiae exponeret, c.; si parvam partem historiae alicuius aetatis, p. pr. *b)* Dist. min.: Non ea habet, e quibus solis primatus concludi potest, tr.; eum non confirmat, n.

Si Petrus fuisset caput, eam dignitatem *in epistulis et catechesibus suis sibi ascripsisset.* Atqui primum non fecit, ut patet; neque secundum, alias Mc. primatum narrasset. — *a)* Dist. ma.: Aut ipse aut alii debebant primatum exponere, c., necessario ipse *in iis ipsis occasionibus*, n. — *b)* Conc. primam partem minoris; p. prob. secundae. Num Mc. omnia scripsit, quae Petrus docuit?

Si Petrus fuisset caput, habuisset *nomen muneris.* Atqui non habuit. — *a)* N. necessitatem absolutam nominis proprii pro munere. *b)* Habuit tamen: « Petrus ».

1 Cor. 14, 28 S. Paulus *intendit* enumerare omnia munera ecclesiastica. Atqui omittit primatum. — N. ma. Enumerare intendit tantum charismata extraordinaria, miraculosa neque ea omnia. Finis enim loci est hortari, ne dona miraculosa indebite appetuntur. Praeterea neque episcopatum commemorat, sed solum apostolatum.

Eadem dif. fit de *Ephes.* 4, 11-3. — *a)* P. prob. ma. Enumerat tria extraordinaria, unum ordinarium « pastores et doctores ». Exsistunt plura extraordinaria; unde probatur, eum voluisse commemorare omnia ordinaria *distincte? b)* Indistincte « pastores et doctores » continent etiam supremum pastorem.

E factis quibusdam positivis aevi apostolici. — *p. 87-9.*

Supremus pastor ad caeteros non scribit ut « *consenior* ». Atqui ita Petrus 1 Petr. 5, 1. — N. *Apte* premitur *aequalitas* in munere vere *regendi*, ut omnes pastores ad *similes virtutes* excitentur. Ob talem scopum inaequalitas premenda non erat.

Si Petrus fuisset caput, *ipse debuisset eligere novum apostolum* Matthiam. At sorte eum eligunt. — *a)* Peto prob. ma. Potuit aliis hoc demandari. Sunt qui putent, pro eo munere extraordinario decuisse recursum ad providentiam extraordinariam. *b)* Ad min.: id proponente Petro, qui totum negotium exorditur.

Saltem *Paulus non reprehendisset eos qui dicebant:* « *ego (sum) Cephae* ». — Si hanc formulam adhibuerunt sensu « Sum Cephae et *nego apostolatum Pauli* », quo sensu ecclesia scinditur, n.

Saltem Paulus *Petro non « in faciem restitisset*, quia reprehensibilis erat ». Gal. 2, 11. — Dist.: cum debita *reverentia*, e *iusta et gravi causa*, ne scilicet exemplo suo occasio esset erroneae sententiae, Ethnico-Christianos ad legem Mosaicam teneri, n. — Hebraismus « in faciem » dicit tantum « publice ».

DIFFICULTATES E PATRIBUS, PRAECIPUE E S. CYPRIANO.

— p. 89-92.

In archeologia *S. Paulus ad dexterum latus Petri* conspicitur. Ergo S. Paulus maioris dignitatis erat. — *a)* N. conseq. V. g. S. Agnes pingitur ad dexterum latus B. Virginis, similia. *b)* In maiore parte repraesentationum Petri et Pauli contrarium obtinet.

Patres, *praecipue postnicaeni, fidem Petri petram ecclesiae dicunt.* — Eam fidem rectam quae in unoquoque fideli inest, n.; aut *Petrum, quatenus confessione fidei* quasi *meruit* ut primatus potius sibi quam alii daretur; aut *Petrum ut in successoribus viventem, quatenus* ab eo recta *fidei praedicatio procedit*, c. — Ratio cur Patres relationem Petri ad fidem tantopere efferrent, praecipue sita esse videtur in bello quod praecipue Romani Pontifices contra Arianismum aliasque haereses felici cum successu sustinuerunt.

Patres saepe dicunt *Christum* petram ecclesiae. — Dist. negando rationem capitis visibilis in Petro n.; efferendo Petrum a *Christo*, capite *ecclesiae nunc invisibili*, habere suam *auctoritatem*, c.

Origenes *omnes fideles* dicit petram ecclesiae. — *Per accomodationem.*

Aug. affirmat « hanc petram » *non referri ad Petrum*, sed ad solum Christum. — Ut sententiam probabilem, in qua tamen *erravit.*

S. Cypriani explicatio Mt. haec est: Petrus *per aliquod tempus* (usque ad Mt. 18, 18, vel Io. 21, 15) *unicus* erat, *cui Iesus dederat* eam auctoritatem, quam (Mt. 18, 18, vel Io. 21, 15) *in omnes apostolos divisit*, et ideo pro omni tempore manet *typus unitatis* in corpore episcoporum, quo ecclesia gubernanda est. — N. *a)* Nihil Petro datum est Mt. 16, 18 sed tantum promissio facta; ergo esset promissio rei nunquam dandae. Ergo tota ratio primatus esset in eo, quod verba eandem potestatem futuram pluribus communem significantia aliquibus mensibus antea uni dicta sunt quam pluribus. — *b)* « De habitu virginum » Cyprianus eundem sensum statuit pro Io. 21, 15 atque pro Mt. 16, 18. Atqui Io. non habetur prioritas temporis in promittenda vel danda ea potestate, cum praecesserit Mt. 18, 18, Io. 20, 23, ergo potestas omnibus in priore loco promissa, in posteriore data. — *c)* Haec explicatio neque ante neque post Cyprianum data, neque ante Anglicanos ab ullo ei tributa est. — *d)* Repugnat sensui verborum Cypriani « *super quem* aedificavit ecclesiam ». — *e)* Repugnat ei influxui reali, quem Cyprianus Pontifici Romano qua successori Petri in primatu attribuit.

Cyprianus ait: Christus « ut *unitatem manifestaret,* unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit ». Ergo de solo signo, typo unitatis sermo est. — Dist. antec.: Sensus est: ut una *sit* realiter, et *consequenter* ut talis *manifestaretur*. Nam in sensu adversariorum *a)* nulla unitas ecclesiae a Petro incepisset, *b)* nullam « auctoritate » disposuisset Dominus.

Cyprianus ait: « quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam *parem potestatem* tribuat.... ». Sequitur Io. 20, 21-3. — Immediate antecedunt verba « Super unum aedificat ecclesiam ». Quae cum plus contineant, verba sequentia de paritate in potestatis generice sumptae (vel extraordinariae apostolicae) intelligenda sunt.

Cyprianus in libro qui « *de catholicae ecclesiae unitate* » agit, totam doctrinam de primatu *data opera exponere debuisset.* Quam pauca habet! — Liber scriptus est ut *proxime schisma in ecclesia particulari Carthaginiensi* contra episcopum particularem reprimeret. Unde magis premit *corpus episcoporum indivisum* esse, quam ut ultimam causam huius unitatis, primatum, multis evolvat. Non est tractatus completus dogmaticus de unitate ecclesiae.

Propositio. E Christi ipsius institutione Petrus successores habebit in primatu usque ad finem saeculorum. — *Cf. fasc. 2 p. 93-106.*

[Qual. — De fide divina catholica definita. Vat. 1824-5 « ex iure divino, ut Petrus habeat perpetuos successores »].

Adv. — *Protestantes* generatim, saltem eatenus, quatenus ad negationem primatus in ipso Petro, solent speciales rationes adiungere, cur, etsi ipse primatum habuisset, eum tamen successoribus tradere non potuisset. — *Graeci,* priusquam ipsum primatum Petri negare coeperunt.

St. qu. — Sensus theseos est: 1) Semper *ambitus iurium primatus* in ecclesia *remanebit,* isque uti *in uno* inhaerens. — 2) Is *unus,* qui hoc munus habebit, *illud semper habebit uti successor Petri* in primatu. I. e. Deus uno eodemque actu omnem potestatem supremam, qua ecclesia in aeternum regatur, ita concessit Petro, ut, si ille morte vel alia re quae regimen impossibile reddat, a regendo impediatur, alius in *eius locum legitime suffectus, eam ipsam potestatem,* quam habebat primus, ex eodem *iure divino accipiat.*

E Christi institutione, ergo ex iure divino. Id sane sequitur si Christus consideratur ut Deus. At idem sequitur, etsi quis eum interim tantum ut Messiam consideraret. Ut talis enim dat Legem Novam, quae non est imperfectior quam Vetus. Haec autem divina erat.

Usque ad finem saeculorum. — Sufficit continuitas moralis, quae non destruitur eo tempore, quo novus successor eligitur.

Sermo est de *successione in munus ordinarium Petri,* quale est primatus, non vero in munus extraordinarium, quale est apostolatus, vel in alia privilegia extraordinaria, qualia v. g. erant potestas miracula patrandi, donum inspirationis hagiographicae. — Hoc loco *munus ordinarium* illud dicimus, quod *ad eum ordinem pertinet, qui pro societate, de qua agitur, in aeternum stabilitus est atque proinde semper aderit; munus vero extraordinarium* illud, *quod ad talem ordinem in aeternum stabilitum non pertinet atque proinde non semper in ea societate erit.* Huiusmodi munera vel privilegia extraordinaria rationem habent in quibusdam necessitatibus transeuntibus. Ita ratio pro munere extraordinario apostolatus eiusque privilegiis erat in difficultatibus specialibus eius temporis, quando ecclesia primum in orbe propaganda erat. In munere extraordinario apostolatus neque Petrus neque caeteri apostoli successores habent.

Arg. 1. — E verbis Mt. 16, 18. — *p. 99-100.*

Secundum verba Christi Mt. 16, 18 ecclesia *ideo semper durabit* atque nunquam ab hostibus superabitur, *quia regitur auctoritate primatus, in quantum is in Petro residet.* Atqui ecclesia non regitur Petro, in quantum semper viveret ut persona physica, quippe qui mortuus sit. Ergo erit semper unus qui ei in eodem munere succedet.

Prob. ma.: Incisum prius « *Tu es Petrus* et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » a Domino proponitur *ut causa incisi secundi; « et portae inferi non praevalebunt adversus eam ».* Atqui, uti probavimus, incisum prius habet sensum: « tibi concedam primatum iurisdictionis »; incisum secundum habet sensum: « *ecclesia aeterna erit* ». Ergo.

Prob. hanc novam maiorem. — a) Evidentia ipsius imaginis. *b)* Mt. 7, 24-7 Iesus data opera ut causam firmitatis domus proponit, quod erat « fundata supra petram ». *c)* Alias sermo Christi inconcinnus esset. Cur prius de Petro, deinde de ecclesia, deinde iterum de Petro, nisi ut relatio Petri ad ecclesiam monstretur? — Unde « *et* » hoc loco aequivalet coniunctioni causali « *et ideo* ».

Illustratur loco Gen. 49, 10: « Non auferetur sceptrum de Iuda » i. e. de Iuda et de iis, qui ab eo descendent; Mt. 28, 20: « Ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi ».

Probo novam illam minorem. — Cf fasc. 1 p. 57-62. — **Duplex expositio.** Verba « et portae inferi non praevalebunt adversus eam » aut ita exponenda sunt: « *Et ideo ne vires quidem diaboli et consequenter nulla vis creata, ecclesiae inimica, eam destruet* ». Aut haec explicatio danda est: « Et ideo *regnum mortis, quod absolute insuperabile est, non erit magis insuperabile, quam ecclesia,* et ideo ecclesia erit absolute insuperabilis ».

Expositio prior. — « *Inferus* » *(Hades) directe significat civitatem diaboli.* — *a) Maior auctoritas* interpretum inde a tempore Patrum. *b)* κατισχύειν τινός solet habere *sensum activum,* qui melius applicatur ad *civitatem* diaboli quam ad regnum mortis. *c) Lc. 22, 31-3,* qui est locus parallelus, *pugna diaboli* premitur. *d) In genere in N. T. pugna Christi atque nostra contra diabolum* uti primaria a nobis sustinenda exhibetur. *e) Abyssus* ut *locus diabolorum* exhibetur. Solent vero concedere eam expressionem idem significare atque Haden.

« *Portae* » *inferi* significant *potentiam inferni* seu *ipsum infernum.* — *a)* Auctoritas. *b)* « Alta porta » Ottomanica. *c)* Infernus ut civitas exhibetur. Iamvero *vis tota civitatis e Scripturae usu et rebus militaribus antiquis* portis repraesentabatur.

« *Non praevalebunt* » habet *sensum activum. a)* Ita generatim *interpretes* etiam graeci. *b)* Multi lexicographi. *c) Usus praecipuus apud LXX. d)* Mt. 7, 25 procellae domum active destruere tentant.

« *Eam* ». — Quae vox non significat *directe* petram sed *ecclesiam.* — Hoc generatim assumitur. Vox ecclesiae immediate praecedit. Hostes directe civitatem aggrediuntur non petram in qua stat.

Secunda expositio. — « *Infernus* » *significat locum mortuorum.* — Ita quidam recentes theologi; *modus constans loquendi V. T.;* aptitudo imaginis, cum mortis regnum ut fortissimum consideraretur: « fortis ut mors dilectio ».

« *Non praevalebunt adversus* » habet sensum non activum. Hic enim primo saltem possibilis est. Secundo, ideo admittendus est, quia *portae non possunt concipi uti active aggredientes.* Unde sensus est: inferus non erit fortior quam ecclesia, i. e. etiam ecclesia erit insuperabilis.

Caetera in utraque explicatione fere eadem sunt.

Arg. 2. — E. Io. 21, 15. — *p. 100.*

Verba « pasce agnos meos » primo per se *apta* sunt *quae eas omnes oves in aeternum complectantur,* quorum Christus est pastor principalis. — Secundo, eum sensum *habent.* Nam congruit tempus, cum Christus in eo sit, ut *vicarium sui ante discessum ab hoc mundo,* connaturaliter usque ad adventum suum, constituat. Praecipue vero: locus *parallelus est Mt. 16, 18.* Hoc Petrus cum suis successoribus intelligitur. Ergo cum Io. 21, 15 verba et circumstantiae tam apta sint, ut hunc sensum exprimant, eum continere dicenda sunt.

Arg. 3. — E necessitate maiore primatus post Petri mortem.

Argumentum proponitur ut saltem *valde probabile.* — Christus eo quod primatum instituit, eximia ratione *unitati ecclesiae providere voluit.* — Nam primo id intendit, quod *natura rei* in se habet.

Iamvero forma regiminis monarchica magis unitatem fovet, tum *ob physicam unitatem regentis* tum *ob auctoritatem sapientum* id efferentium tum ob *testimonium populorum,* qui, quamvis forma regiminis non monarchica uterentur, tamen in temporibus difficilioribus haud raro *dictatores* eligebant. — Secundo *Patres* idem edicunt. V. g. S. Cyprianus « ut unitatem manifestaret ».

Atqui vivente Petro primatus ad unitatem ecclesiae conservandam minus necessarius erat, quam postea. Nam *viventibus apostolis ob eorum infallibilitatem personalem atque maximam virtutem periculá haereseon atque schismatum exclusa erant ex parte ipsorum et facilius vitabantur in fidelibus.* Postea vero haec periculo ex parte et episcoporum et fidelium caeterorum multum invaluerunt. Id quod historia testatur.

Ergo a fortiori Christus primatum pro temporibus post Petri mortem instituit. — Confirmatur argumentum e testimonio quorundam *Protestantium,* uti sunt Grotius, Leibnitz.

Arg. 4. — Ex auctoritate ecclesiae catholicae.

a) Directe. V. g. S. Leo: *Sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit ». — b) Indirecte.* V. g. Patres saepe efferunt, idque contra haereticos *sui* temporis, *finem primatus instituendi fuisse unitatem ecclesiae.* Ergo eum ut medium unitatis in hoc ordine essentiale exhibent.

Ob. — Dedecet Dei sapientiam, ecclesiam suam in *manu unius hominis relinquere.* — Postquam per *infallibilitatis et indefectibilitatis donum* efficaciter providerit, ne ulla ex rebus ecclesiae essentialibus ab illo perdi possit, n.

Deus *liber est,* ergo etiam constitutionem ecclesiae pro temporum opportunitate *mutare potest.* — Nisi *liberrime constituerit, se eam non mutaturum esse.* Unde videmus, eum mutationem non utilem iudicasse.

A libertate hominum pendet, num, mortuo uno papa, *alium eligere velint.* — Ipsa promissione aeternitatisprimatus continetur promissio Deum *efficaciter* curaturum esse, ut semper iterum eligant papam.

Christus rem tanti momenti clarius edixisset quam Mt. 16, 18. — Vere edixit Mt. 16, 18. Si necessarium fuit, etiam alio modo idem dixit. Non enim omnia scripta sunt, quae dixit.

Primatus Petro datus est *ut remuneratio pro eius fide.* Atqui haec *remuneratio non* magis *transmitti potest,* quam id pro quo data est remuneratio, scilicet fides personalis Petri. — Dist. ma.: *Ipsum munus primatus institutum est, ut sit remuneratio* pro fide Petri, *n.;* primatus *potius Petro quam alii* datus est ut quaedam remuneratio pro eius confessione fidei, c. Contradist. min.

Verba: « *vade post me Satana* » *non* pertinent *ad successores Petri,* sed ad solum Petrum. Ergo idem dicendum est de *verbis* eiusdem

contextus: « super hanc petram aedificabo ecclesiam meam ». — *N. par.* Ex *ipsis verbis de petra* eorumque relatione ad verba de ecclesiae firmitate demonstratur, *ea valere de Petro ut est persona publica.* Id quod de alio inciso non valet.

Munus apostolatus non transiit ad alios, ergo a pari non munus primatus. — Illud extraordinarium erat, hoc ordinarium esse probatur.

Privilegia personalia non transeunt. Atqui primatus erat privilegium personale. — Privilegia sensu stricto non transeunt, tr.; privilegia *sensu lato, n.* Contr. min. (*Privilegium sensu lato est « ius speciale ad praerogativas quasdam, etsi ordinario et communi iure alicui prae aliis conceduntur ». Ita dignitas regia* est privilegium sensu lato. Privilegium sensu stricto est « ius speciale permanens a superiore contra vel praeter ius commune in gratiam concessum »).

Propositio. Romanus Pontifex est Petri in Primatu successor. — *Cf. fasc. 2 p. 107-47; fasc. 3, 148 sqq. — Lith. v. I p. 288 363.*

[Qual. — Veritas definita a Conc. Vat. D. 1824-5].

St. qu. — Romanus Pontifex est is qui legitime creatus est episcopus dioeceseos Romanae. — Primatus intelligitur munus regendi ecclesiam universam. — Est i. e. « *historice loquimur* » (cum Conc. Vat.; cf. ep. Pie) = erat atque est; num semper futurus sit, hac thesi non deciditur. Nam solvere quaestionem, num Romanus Pontifex qua talis habeat primatum e iure divino eumque in aeternum habiturus sit, ad finem theologiae fundamentalis non necessario pertinet. — *p. 107-8.*

Arg. — 1) **Ex aeternitate Primatus et titulo successionis in solo Romano Pontifice.** — Constat, *adhuc vere exsistere successorem Petri in primatu,* idque eo modo, ut qua talis cognosci possit. Atqui evidentissime nemo praeter Romanum Pontificem ut talis cognosci potest. Ergo.

Ad ma.: Primatus in aeternum promissus est qua petra ecclesiae, ergo qua centrum regiminis, ergo ita ut cognosci possit. — Ad min.: Si quis alius ullum *titulum vel tenuiter probabilem* haberet, cum sive ob cupidinem regendi sive ob fervorem rectae fidei (« petra fidei ») *proferret.* Iamvero nemo primatum in orbem ut successor Petri in primatu sibi ascribere saltem audet, praeter Romanum Pontificem qui a circa 250 million. ut talis agnoscitur. — *p. 108-14.*

2) Ex **humana auctoritate Romanorum Pontificum** tum verbis tum factis profitentium, **ecclesiae** tum verbis tum factis agnoscentis primatum Romani Pontificis ut successoris Petri in primatu.

a) Adest auctoritas humana in hac re. Alias aut Romani Pon-

tifices in genere et universa ecclesia semper eiusmodi mendacii rei fuissent, quod iam per se ingens constitueret crimen. A quo crimine eos abhorruisse aliunde, ex cura eorum de recta christiana religione scitur. Aut ignorantia maxima statuenda esset in hac re quae quam maxime ex natura sua obvia est, scilicet de successione in regimine. — *b)* Sufficeret argumentum ex praescriptione v. g. inde a saeculo 4°. At quaedam etiam e saeculis anterioribus afferemus. — *p. 114-6.*

Clemens Romanus (92-101). Ecclesia Romana i. e. teste Irenaeo ipse Clemens Corinthiis scribit: « Si obedientes facti iis, quae scripsimus per Spiritum Sanctum ».

« Sin quidem non obtemperaverint iis, quae ille (Christus) per nos dixit, cognoscant, offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse; nos autem innocentes erimus ab hoc peccato ».

I. Ecclesia Romana sibi primatum ascribit.

a) Ecclesia epistulam scribit. Nam inscriptio: « Ecclesia Dei... ». Euseb.

b) Sibi *auctoritatem ecclesiasticam in ecclesiam Corinthiacam ascribit.* Ita docti quidam acatholici, ut Harnack; catholici. — Ita textus supra citati. Nam « scripsimus per Spiritum Sanctum » non potest significare inspirationem ad scribendum, sed tantum iussionem per Deum. Haec vero iussio divina non est praeceptum immediate divinum, quod, utpote extraordinarium, in epistula probandum esset, quod excluditur cura rebus Corinthiacis iam antea adhibita, caeteris quae de ecclesia Romana eius aevi sciuntur. *Cf. p. 125-7.* — Ita insinuat Irenaeus, qui in contextu l. 3 c. 3 n. 3 hanc epistulam ut exemplum exercitii « potioris principalitatis » habet.

c) Haec auctoritas est primatus. Ita quidam acatholici; catholici. Alia auctoritas cogitari nequit. Nam ecclesia Romana non fundaverat Corinthiacam; etiam Corinthiaca erat apostolica; non ob rationem patriarchatus Occidentis; adhuc vivebat S. Ioannes.

II. Ctemens sibi primatum ascribit. — *a) Clemens* epistulam scripsit. Ita Dionysius, Corinthi episcopus c. 170; ubi ea eo tempore adhuc publice legebatur; Euseb. — *b) Ut caput ecclesiae Romanae eam scripsit.* Nam ut episcopus; hic autem caput ecclesiae suae erat. Cf. epist. Ignat. Analogia Irenaei, qui scripsit nomine fratrum, « quibus *praeerat* in Gallia ». — *c)* Ut caput ecclesiae universalis. Cf. I. c).

Obiectiones. — Agitur de *correctione fraterna.* N. ass. et rationes additas, quae sunt hae:

Auctor generatim tantum graviter admonet, non formaliter imperat. — Hoc connaturale est, cum fere totam vitam christianam tractet. Cf. eandem indolem epistularum apostolorum etc.

Auctor tantum consilium dat. — Imponit, ut seditiosi a sedition cessent; suadet vero, ut sponte ex urbe secedant.

Auctor non intimat poenam ecclesiasticam. — N. consequentiam.

Romani se ipsos in hac epistula inter eos comprehendere solent, quos admonent. — Uti toties ipsi apostoli.

Auctor tantum edicit, Deo obtemperandum esse. — Auctoritative hoc dicit. Cf. argum.

Agitur de epistula quae forte vel certe a Clemente scripta est, sed non qua capite, sed qua instrumento ecclesiae Romanae, cui suberat. — N. ass. et rationes additas, quae sunt hae:

Ex sola epistula ne hoc quidem scitur, fuisse omnino aliquem episcopum Romae. — Num omnia ex eodem documento haurienda sunt?

Clemens non provocat ad Mt. 16, 18. — Non agebatur de inobedientia Corinthiorum erga caput ecclesiae sed erga suos immediatos superiores.

Clemens multa alia testimonia Scripturae profert. — Congruenter cum suo fine speciali, at fere omnes e V. T. (115 : 5 e N. T.).

Clemens facit mentionem Petri et Pauli, non vero primatus! — Martyrium eorum ut exemplar adducit.

Tantum ecclesia Romana nominatur, nunquam Clemens. — Ad hominem quoad Presbyterianos: Ergo neque Presbyterium exsistebat? Quoad omnes adversarios: Etiam postea, cum primatus evidenter iam exsisteret, idem modus loquendi erat. Ratio: actus episcopi sunt actus corporis moralis, ecclesiae, cui praeest; porro sedes Romana facta est sedes primatialis. Occasio tacendi nomen forte erat e periculis personae imminentibus. — *p. 119-32.*

S. Ignatius de ecclesia Romana haec habet: Incisum prius « *ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων....* » Incisum secundum: « *προκαθημένη τῆς ἀγάπης* ».

I. *Προκαθημένη* SIGNIFICAT: « REGIMEN HABET ». — *a)* Ita *in auctoribus* classicis, Patribus, literatura recentiori; praecipue in *literatura ecclesiastica de regimine ecclesiastico.* — *b) Προκάθηται*, uti conceditur, hanc significationem habet. Iamvero vox *προκαθημένη*, nonnisi per 6 epitheta ornantia divisa a *προκάθηται, idem verbum resumit atque explicat.* — *c) Modus loquendi S. Ignatii.* Magn. 6 idem verbum bis in significatione regiminis adhibet. — *p. 133-4.*

II. *Ἡ ἀγάπη* SIGNIFICAT ECCLESIAM UNIVERSALEM.

1) *Significat coetum, ecclesiam.* Nam *a) Ἡ ἀγάπη* significare *potest* ecclesiam. Etenim eo tempore saepe = convivium Christianorum. Apud Ignatium *σύνδεσμος ἀποστόλων* = Concilium apostolorum. In quatuor aliis locis Ignatii *ἀγάπη* hunc sensum non excludit, imo probabilius habet, uti eum habet Martyrium Colbertinum, quod modum loquendi Ignatii imitatur. — *b)* Hunc sensum *certo* habet. Nam *προκαθῆσθαι* non potest adhiberi nisi aut absolute aut cum addito loci aut coetus. Ego hic coetus significatur. — *p. 137-9.*

2) *Significat ecclesiam universalem.*

Argumentum primum e priore inciso. — *In priore inciso προκάθηται* adhibetur absolute, ita ut *ἐν χωρίῳ Ῥωμαίων* non significet territorium in quod dominium exercetur, sed tantum locum ex quo. Atqui si ita, supponitur, mente adici ecclesiam universalem ut subiectum in quod dominium exercetur.

Prob. ma. Hoc insinuat *a)* forma grammatica *ἐν*. *b)* Paritas cum inscriptionibus caeterarum epistolarum, ubi semper expressio analoga *οὔσῃ ἐν* tantum significat locum ubi sint istae ecclesiae. *c)* Defectus sensus congrui, si exhiberetur territorium in quod regimen exercetur. *Non* significatur *dioecesis Romana.* Cur enim de caeteris ecclesiis tantum dicitur, eas *esse* in loco, de Romana bis eam *regere* illum ipsum locum? *Non regio quaedam suburbicaria,* sive ea sumitur sensu quodam strictiore sive latiore. Num ea eo tempore habebatur? Porro aliae ecclesiae, uti Ephesina, talia vel plus habebant. Nihilominus etiam de Ephesina dicitur « *οὔσῃ* ». Tandem Ignatius de ecclesia Romana grande quid eloqui vult, uti ex indole inscriptionis patet. Ergo non tantum eiusmodi dominium significat. *Non Italia* vel *Occidens.* Nam certe non formabat unitatem ecclesiasticam ita notam, ut ea, quin exprimeretur, per se iam intelligeretur. Non *imperium Romanum qua tale.* Eadem est ratio (nisi in quantum quibusdam videtur supponere *pro ecclesia universali,* quippe quae maiore ex parte in imperio Romano propagationem suam haberet). — *p. 140-3.*

Caeterum etsi *προκάθηται* hic non positum esset sensu absoluto, sed *ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων* significaret territorium in quod regimen exercetur, tamen eadem esset consequentia ob easdem rationes, quibus argumentum secundum formatur. — *p. 143.*

Argumentum secundum ex inciso secundo. — In hoc ecclesia Romana dicitur praesidere *τῆς ἀγάπης.* Iamvero *a)* Nihil impedit, quominus hic *terminus* significet ecclesiam universalem, imo valde *aptus est* ad hanc significationem. Si enim ob vincula caritatis singularis ecclesia ita vocari potest, cur non universalis? Convenit articulus, modus loquendi Pauli qui articulo addito ad *ἐκκλησία* ecclesiam universalem significat. Idea ecclesiae universalis saepe ante mentem Ignatii versabatur: « catholica Ecclesia », « Episcopi per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt ». *b)* Alia significatio exclusa est. Cf. arg. primum n. c. — *p. 143.*

Confirmatio 9, 1: « Solus Iesus Christus illam (ecclesiam Antiochenam post mortem meam) reget et vestra caritas » — *p. 144-6.*

Obiectiones. — « *Προκαθημένη* » enumeratur inter *perfectiones morales.* Ergo non significatur munus. — Effertur munus et modus agendi muneri congruus.

In epistula *caritas Romanorum laudatur,* uti aliunde nota est. — Talia contra sensum aliunde stabilitum adduci nequeunt.

Προκαθημένη de munere intelligi posset, *si eiusmodi organizatio pro eo tempore iam aliunde constaret.* — Ergo nunquam novi quid e documentis disci potest?

Ignatii intuitus *nondum ultra limites communitatum singularum fertur.* — N. Cf. arg. 2.

In hac epistula *nullus episcopus Romanus nominatur,* cum Ignatius in caeteris nominet episcopum eius ecclesiae ad quam scribit. Ergo Romae eiusmodi munus ignotum erat. — At nominatur « ecclesia », quae sane « sine episcopo non nominatur ». In caeteris ad obedientiam et unitatem hortatur. Nomen forte ob periculum tacetur. — Dif. usque nunc positae v. *p. 146-7.*

Sensus incisi est: Ecclesia Romana « se distinguit caritate ». — N. ass. Nullum exemplum pro hoc sensu citari potest; non potest statui alius sensus pro *προκάθηται*, alius pro *προκαθημένη*.

Sensus est: Ecclesia Romana « protegit opera caritatis, unionem fraternam ». — N. ass. ob easdem rationes. Rationes vero ab Harnack allatae non valent. Sunt vero hae:

In Pseudo-Clementinis Iacobus dicitur *προκαθεζόμενος ἀληθείας.* Atqui impossibilis est alius sensus atque protegens i. e. defendens veritatem, scilicet contra haereticos. — N. E locis parallelis sensus est: praesidet coetui i. e. ecclesiae veritatis.

Προκάθημαι in literatura saepe habet sensum protegendi. — Semper cum addito loco aut saltem tantum de exercitu, quin significatio originalis militaris unquam amittatur. Porro haec significatio, etsi haberetur, tamen rara esset, nihilominus hic a significatione protegendi ad significationem procurandi translata esset. — Diff. haec *p. 134-6.* — Argumentum integrum e S. Ignatio *p. 132-47.*

S. Irenaeus c. 175-8. Contextus hic est: Contra Gnosticos agens, S. Iren. duas vias monstrat, quae ad doctrinam ecclesiae catholicae cognoscendam perducant. Unam esse inquirere, quid doceant aliae ecclesiae apostolicae; aliam, inquirere, quid doceat iam sola Romana. — Textus cum explicatione:

« Ad hanc enim ecclesiam [Romanam] propter potiorem principalitatem [= auctoritatem; ita alias semper vox in versione Irenaei adhibetur, uti de principatu Dei, Christi, animae in corpus].

necesse est [ex natura rei, i. e. ecclesiae et consequenter ex debito morali; vel simpliciter ex debito morali]

omnem convenire ecclesiam, h. e. eos qui sunt undique fideles [convenire aut consentire cum, uti saepe, aut convenire mediantibus legatis, literis, ad sententiam exquirendam, non vero materialiter, cum hoc sit physice impossibile].

in [= « per » quam, uti alias in litteratura ecclesiastica; vel « in communione cum » qua]

qua refertur ad ecclesiam Romanam, non ad « omnem eccle-

siam ». Nam *a)* ecclesia Romana, ab initio phrasis lecta, ideale totius phraseos centrum constituit; *b)* finis loci est, ostendere, quomodo fiat, ut etiam facilius cognoscatur traditio universalis ecclesiae, quam respiciendo ecclesias apostolicas, ergo a fortiori quam respiciendo iterum omnes ecclesias!]

ab his qui sunt undique, conservata est [eo quod iudicium suum magisterio ecclesiae Romanae, i. e. episcopi Romani conformant] ea, quae est ab Apostolis traditio ».

Proinde episcopus Romanus regit universam ecclesiam etiam in rebus fidei.

Obiectiones. — Intelligitur potior auctoritas *urbis Romae, in quantum erat caput imperii.* — Haec explicatio est contra contextum immediatum, cum tantum de *ecclesia* sermo sit; contra mediatum, cum Irenaeus in toto loco in eo sit, ut diversas *ecclesias inter se* conferat in ratione connexionis inter eas atque infallibilem traditionis praedicationem. Ergo aliquid in *ecclesia* Romana indicare vult.

Principalitas intelligitur *aetas maior.* — N. Secundum ipsum Irenaeum Hierosolymitana ecclesia est aetate maxima inter omnes. Etc.

Principalitas intelligitur *authenticitas orta ex apostolicitate.* — N. Comparat ecclesiam Romanam etiam cum ecclesiis apostolicis, quas antea iam nominaverat; adiungit, ecclesiam Romanam reparasse fidem ecclesiae Corinthiacae, quae apostolica erat. Etc.

Ecclesia Romana comparatur cum solis *occidentalibus* ecclesiis. — N. Data opera premit, omnes fideles cum Romana ecclesia convenire debere. Ut Orientalis scribit praecipue contra sectas orientales:

Incisum ultimum « in qua » etc., *diversis modis exponitur,* imo recenter diversae *lectiones* pro eo propositae sunt. — *a)* Transeat. Posset deesse, quin pro sensu de quo hic agitur, aliquid desideretur. *b)* Cf. exp., eo designari non ecclesiam universalem, sed Romanam.

Victor (189-99) mandat, ubique terrarum synodos episcoporum haberi; iubet episcopos Asiae Minoris sequi praxim Romanam in celebrando Paschate. Duce Polycrate priori mandato obediunt, secundo repugnant, at recognoscunt in genere ius imperandi: « Oportet Deo magis obedire quam hominibus ». Victor saltem minatus est excommunicationem inobedientibus.

Callistus (219-24). Ei crimini vertit S. Hippolytus quaecumque mala ecclesiam premunt. — Leges dedit de deponendis vel non deponendis episcopis, clericis.

S. Cyprianus cum Romanis Pontificibus sui temporis. Hortatur S. Cyprianus Romanum Pontificem, ut substituat episcopum cuidam deposito. — Ad eum *appellant* episcopi quidam Hispani. — Stephanus provocando ad Mt. 16, 18 se successorem Petri pronuntians, in Asia et Africa rebaptizari vetat. — Cyprianus fratri Antoniano

scribit: « Ut (Cornelius papa)... iam sciret, te secum, i. e. cum ecclesia catholica communicare ». — Infallibilitatem Romanae Sedis agnoscit: « ad quos (Romanos) perfidia non potest habere accessum ».

Difficultas: « *Episcopatus unus est*, cuius a singulis *in solidum* pars tenetur ». At sensus nequit esse, negare doctrinam alias statutam de suprema potestate Romani Pontificis. Videtur esse is: omnis auctoritas episcoporum cum ea, quae Romani Pontificis est, in unum auctoritatis organizatum corpus coalescit.

S. Dionysius (259-68). Apud eum S. Dionysius, patriarcha Alexandrinus accusatur ob doctrinam quandam de Logo. Qui apud eum rationem de ea reddit.

Facta iam ante Concil. Nicaenum saepius repetita, quae id quod diximus confirmant. — Romam accedebant religionis causa Polycarpus, Abercius « ut reginam videret », tot episcopi. Eo confluebant haeretici, ut influxu ecclesiae Romanae uterentur.

Iulius I (337-52). Ad eum appellat S. Athanasius, patriarcha Alexandrinus, alii ex Oriente, quos Iulius restituit. — De perturbatione ecclesiae Alexandrinae haec scribit: « An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur et hinc quod iustum est, decernatur? »

Innocentius I (402-17). Ad eum appellat S. Chrysostomus; rem fidei refert synodus Africana. — Scribit Africanis: « Quidquid quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum (Patres), nisi ad huius sedis notitiam perveniret ». — Decidit quaestionem Pelagianam. « Inde (Roma) rescripta venerunt; causa finita est, utinam finiretur et error ». Augustinus.

Leo I (440-61). Petunt Eutychiani ut abroget canones Concilii Epesini; petit Theodosius confirmationem patriarchae Const.; Marcianus convocationem concilii universalis.

Ipse mittit legatos suos, in quibus « praeerat concilio ut caput membris », qui iubent excludi Dioscurum, in qua re obeditur. Iubet subscribi suae epistulae dogmaticae ad Flavianum a multis aliis episcopis, a concil. Chalced., quin discussionem de ea ut dubia permittent. — Renuit approbare canonem 28 Concilii Chalced., qui proinde neque ab ecclesia Graeca susceptus est.

Ratio factorum haec est « in persona humilitatis meae ille (Petrus)... honoretur... » « Si quid cum eo commune caeteris voluit principibus, nonnisi per ipsum dedit, quidquid caeteris non negavit ». « Petrus per Leonem locutus est ». (Chalced.).

Gelasius I (492-6). Provocat pro cura universalis ecclesiae ad Lc., Io. — Proponit catalogum librorum, qui suscipiendi sint vel non. — « Sancta... Romana ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris

nostri primatum obtinuit: « Tu es Petrus... » « Vicarium Ch. te videmus, apostolum Petrum te videmus » (Acclamationes).

Hormisdas (514-523). Formula cui subscripserunt synodus Epiri, in Oriente2500 episcopi, Patres Concilii Constant. IV. In qua inter alia haec continentur: «... quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus... haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica citra maculam semper est catholica servata religio... sequestratos a communione ecclesiae catholicae i. e. non consentientes sedi apostolicae ».

Abû-Qurra (ad finem 8i, initio 9i) inter alia haec habet: « Sumus in omni casu aedificati super fundamentum S. Petri, qui direxit septem Synodos convocatas imperio episcopi Romae, metropolis universi, cui ecclesiae qui praesidet, mandatum habet ut cum concilio suo oecumenico se convertat ad filios ecclesiae, ut eos confirmet ». Agitur de via haeresibus resistendi. Provocat ad Lc. qui locus de omnibus successoribus sit explicandus.

Concilium Lugd. II (1274). Imperator Michael ut basim reunionis Graecorum obtulit formulam fidei, quam discuti Clemens IV non permiserat. Id quod neque ignorabatur ab episcopis Graecis, qui unioni adhaerebant atque affirmabant se doctrinae imperatoris adhaerere. In qua formula continetur: « Romana ecclesia *summum et plenum primatum*... ab ipso Domino in... Petro cuius Romanus Pentifex est successor, *cum potestatis plenitudine* recepit... quae de fide subortae fuerunt quaestiones suo debent iudicio definiri ». Ideo prae caeteris etiam defendere debet veritatem, etsi utique non sola.

Concil. Florentinum (1438-45). Definitum est: Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum. — Eum esse omnium Christianorum *patrem* et doctorem. — Eum habere potestatem plenam regendi et gubernandi universalem Ecclesiam. Eum esse successorem principis apostolorum, et *ipsi in beato Petro a Christo hanc potestatem esse traditam.*

Difficultas. Post definitam potestatem plenam in fine decreti additur: « quemadmodum *et* in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur ». — Falsum est, esse legendum « et » loco « etiam ». Nam « etiam » legitur in unico originali quod superest, in haud paucis apographis authenticis. Vox Graeca « *καί* » in hoc textu est versio vocis latinae « etiam ». Porro ex historia Concilii patet, eo inciso actum esse de *argumentis,* non vero de restrictionibus adiicendis. Denique Concilium non poterat definire velle restrictionem potestatis plenae a Christo concessae.

Concilium Vaticanum. Definitum est

I. *De institutione primatus in Petro.* 1) Collatum esse Petro primatum verae propriaeque iurisdictionis non vero tantum honoris; 2) in universam ecclesiam; 3) immediate et directe Petro, non

ecclesiae; 4) Petro « prae caeteris apostolis sive seorsim singulis sive omnibus simul ».

II. *De perpetuitate primatus.* 1) « Esse ex ipsa Christi institutione, ut beatus Petrus in primatu super universam ecclesiam habeat successores ». 2) « Romanum Pontificem esse beati Petri in eodem primatu successorem ».

III. *De vi et ratione primatus.* — Romanum Pontificem habere non tantummodo officium inspectionis vel directionis, verum plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; eum habere non tantum potiores partes, vero totam, plenitudinem huius supremae potestatis; hanc eius potestatem esse ordinariam et immediatam in omnes ac singulas ecclesias, in omnes et singulos pastores et fideles. Hanc potestatem non obesse ordinariae et immediatae episcopalis iurisdictionis potestati. — Sequi ex hac suprema potestate ius libere communicandi cum pastoribus et gregibus. Eam licite impediri non posse potestatis saecularis placito. Romanum Pontificem esse iudicem supremum fidelium. In omni causa ecclesiastica ad eius iudicium posse recurri. Eius iudicium a nemine fore retractandum. Unde ad oecumenicum concilium ut ad auctoritatem superiorem appellari non posse.

IV. *De infallibilitate Romani Pontificis.* Eum cum « ex cathedra » loquitur esse infallibilem.

Difficultates.

E variis factis historicis. — *Lith. p. 351-63:*

Secundum diversos Patres *Paulus simul cum Petro ecclesiam Romanam fundavit*, praedicando, aggregando membra ad ecclesiam; ergo simul cum Petro erat episcopus dioeceseos Romanae, ergo simul cum eo erat caput ecclesiae. — *N., consequentiam* a fundatione partiali ad munus episcopi Romani esse legitimam. Forte rexit Ecclesiam Romanam, in quantum *sub Petro* quaedam regiminis officia explevit. Neque plus asserunt Clem. Ign. Iren. Tertull. — Qui, ut Euseb. Epiph. *de successoribus eorum* (Petri et Pauli) *in sede Romana loquuntur*, uti ex doctrina alia sive eorum ipsorum sive aliorum scriptorum eius temporis *intelligitur, iuridice non sat accurate locuti sunt.* Nam *a)* semper docetur, duos episcopos unius civitatis esse non posse; *b)* ubi de titulo primatus agitur, ad successionem unius Petri recurritur.

Paulus dicitur *princeps apostolorum.* — Ob *eminentiam activitatis*, c. Romani Pontifices saepe imperarunt auctoritate Petri et Pauli. — Etiam auctoritate S. Annae, sanctorum 7 Conciliorum etc. Significatur aut sanctorum intercessio aut *plenitudo potestatis regendi.*

Scripta Pseudo-Clementina aliquando *Iacobum* prae Petro *caput ecclesiae* habere videntur. – Haec scripta, haeresibus plena, nullam auctoritatem habent.

Circumstantiae temporis a quibusdam, v. g. ab Harnack primatum *ecclesiae Romanae* formasse dicuntur. Sunt fere huiusmodi: Romana ecclesia prima inter omnes elementa catholicismi in se excoluit, v. g. auctoritatem definiendi, praecipue saeviente bello contra Gnosticos. Mundus assuetus erat ut leges (politicas) a Roma acciperet. Roma numero et divitiis fidelium excellebat etc. — N. ass. *a)* Positive probatum est, quomodo primatus Romanae Sedis ortus sit, scilicet e voluntate Christi Petro collatus, postea legitime cum Sede Romana coniunctus est. Cur facto opponis theorias? *b)* Ad rationes additas: In obiectione saepe effectus primatus cum causa eius confunditur. Non potest probari, facta quaedam prius Romae quam alibi locum habuisse, v. g. conscriptionem successionum episcoporum. Alia facta falsa sunt, v. g. tendentiam definiendi res ad fidem spectantes ortam esse e spiritu pagano.

Dignitas sedium de facto *sequitur dignitatem politicam urbium, quae erat:* Roma, Alexandria, Antiochia. Ergo praeponderantia politica erat causa primatus Sedis Romanae. — N. ass. Unde primatus Romanae Sedis ortus sit vidimus. Ad rationem additam: Quod continuo Antiochena et Alexandrina ecclesia secundum et tertium locum occuparunt, proxime e dignitate apostolica earum ecclesiarum et quam maxime ex *earum fundatione per Petrum* fluxisse videtur. Ipse vero Petrus conditione politica harum urbium saltem ex parte motus esse videtur, ut Antiochiae suam sedem figeret, Alexandrinam ecclesiam per Marcum fundaret.

Primatus ortus est saeculo quarto seu saltem in se ipso, in suis causis intrinsecis crevit. — N. ass. *a)* Inde a saeculo quarto plura novimus de actibus Pontificum. Nam generatim plura de ecclesiastica historia scimus. *b)* Ob mutatas scilicet circumstantias: ob haereses magis diffusas et periculosas; ob mutuam relationem inter ecclesiam et statum; ob maiorem populorum fiduciam ortam e beneficiis acceptis, etc., ipsi actus Pontificum in se plures et graviores erant.

Imperatores christiani primatum fundarunt. — Falsitas asserti e dictis patet. Imperatores tantum quaedam temporalia ecclesiae dederunt, sive in re iurisdictionis civilis sive in re dominii.

Saepe etiam *alii episcopi Romano episcopo aequales dicuntur.* — Dist.: aut ordinis potestate aut ratione regiminis in genere, quod scilicet regunt vere, scilicet partem ecclesiae sub Romano Pontifice.

Etiam quidam *alii episcopi*, uti v. g. S. Athanasius dicuntur leges *orbi* dedisse. — Dist.: in quantum constanter praedicarunt veram fidem, quae a Deo et suprema auctoritate ecclesiastica omnibus ut lex fidei proposita est, c.

Speciatim Canon 6 concilii Nicaeni I; 3 Constantinopolitani I; 28 Chalcedonensis nihil contra divinam originem primatus Romani Pontificis evincunt. — *Lith. p. 338-51.*

Concilii Nicaeni I. Canon 6.

Textus: « . . . Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem. *Quia et urbis Romae episcopo parilis mos est...* ».

Sensus est: Uti Romanus Pontifex habet iura patriarchalia in certas partes orbis, ita talia iura, quemadmodum huc usque erat, serventur episcopo Alexandrino circa certas partes Aegypti.

Probatur: 1) De patriarchalibus iuribus Alexandrinae Sedis est sermo. 2) Congruit occasio: Meletius provinciam suam ab obedientia episcopi Alex. avulserat. 3) Pergit decretum in iuribus aliis patriarchalibus vel quasi patriarchalibus diversorum episcoporum determinandis.

Obiectio ergo, hic negari primatum Romani Pontificis in orbem, est argumentum ex silentio falso applicatum, ac si probatum esset, in eo textu, ubi tantum de iuribus patriarchalibus sermo est, debuisse agi de Romano Pontifice ut capite ecclesiae. — Non esse hunc sensum canonis praeterea v. g. ex his constat: *a) Eo tempore* clare *agnitus* erat primatus etiam in ecclesia Graeca. Id quod probavimus. — *b)* Graeci *contra primatum ad hunc canonem non provocarunt. c) Leo M.* contra can. 28 Chalced. inculcat, *ut canones Nicaeni serventur.* Ergo intellexit hunc canonem de iure patriarchali, de quo etiam canon 28. Chalced. agit, nequaquam vero de negatione primatus.

Concil. Constant. I canon. 3.

Textus: « Constantinopolitanae civitatis episcopus habere oportet primatum honoris post Romanum episcopum, propterea quod ea sit nova Roma ».

Obiectio haec ex textu citato hauriri potest: Ideo locum secundum in hierarchia Constantinopolitanus patriarcha habeat, quia Constantinopolis est nova Roma. Ergo ideo Romae primum locum habebat quia Roma erat urbs principalis imperii, ergo non quia Romanus episcopus est successor Petri in primatu.

Responsum: 1) Valor dogmaticus huius canonis nullus est. Non est approbatus a Romano Pontifice, imo simul cum can. 28 Chalced., qui eum ut motivum adducit, reiectus est. — 2) Sensus tamen non est is, quem obiectio statuit. Nam continuo ut vidimus, ideo a Graecis quoque Romanus Pontifex agnitus est ut caput ecclesiae, quia agnitus erat ut successor Petri in primatu. Unde hoc canone innuitur, unam e causis, quibus Petrus permotus fuit ut primatum cum Romana Sede coniungeret, fuisse ipsam rationem politicam urbis. Id quod utique valde connaturale est.

Concilii Chalcedónensis can. 28.

Decretum duas habet partes: 1) Renovat canonem 3um Concil. Const. I. « Etenim antiquae Romae throno quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt *(ἀποδεδώκασιν)*. Et eadem consideratione moti 150 Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes, urbem quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam exsistentem ». — 2) Accedit determinatio illius potestatis, quae Const. Patriarchae conceditur in « Ponticae et Asiae et Thraciae dioeceses ». Unde hauriuntur hae:

Obiectiones.

1) Patriarchae Constantinopolitano tantum honorifica tribuunt, cum provocent ad Const. I canonem 3; ergo a pari Romano Pontifici tantum honorifica concedunt.

2) Patres dederunt primatum ecclesiae Romanae, ergo non e Petri vel Dei determinatione est, quod primatus cum sede Romana coniunctus est.

3) Aequalia privilegia habent Nova et Vetus Roma. Ergo aut primatus divisus est aut translatus a Roma Constantinopolim.

4) Ratio cur Romana Sedes habeat primatum est simpliciter magnitudo urbis.

5) Patres, non v. g. Petrus, primatum cum sede Romana coniunxerunt.

Responsum generale.

1) Constantinopolitanum primum esse inter patriarchas reiecerunt Romani Pontifices usque ad Innocentium III, qui id pro patriarcha Latino concessit; pro Graeco id concessit Concilium Florentinum. Quamvis hac ratione *determinatio* practica, quae in canone proposita est, tandem *approbata* sit, tamen motiva seu *doctrinae contentae nunquam approbatae* sunt. Nam canon qua talis reiectus est a Romanis Pontificibus inde a tempore S. Leonis. Ergo si quid plus diceret, quam mutationem in ordine dignitatis patriarchalis inter patriarchas Orientis et collationem magnae iurisdictionis pro Const. approbatus non est. Ergo auctoritatem non habet.

2) Attamen *nulla ex doctrinis illis falsis quae in obiectione positae sunt, in canone continentur*. Nam

a) Auctoritas ecclesiastica si doctrinas tam aperte falsas in canone vidisset, eum propter eas repulisset, cum etiam minores conatus contra vim saltem practicam primatus fortiter reprimeret. Iamvero Romani Pontifices, cum eum reiciunt, tantum alias ra-

tiones adducunt. Quales erant: eum obesse dignitati aliorum patriarcharum; eum ponere principium, secundum divisionem imperii sedes episcopales esse semper disponendas, cum tamen etiam aliarum rerum ratio sit habenda; praecipue eum obscurare honorem debitum ecclesiis apostolicis, ut Antiochenae, Alexandrinae.

b) Omnes eae doctrinae, quae in obiectionibus hoc canone negatae esse dicuntur, eo tempore in clara ecclesiae Graecae confessione erant. (Cf. antea probata).

Responsa specialia.

Ad 1) — Patriarcha, imperator, petunt confirmationem canonis 28 a Romano Pontifice. Ob eam non concessam canon 28 neque in collectiones graecas suscipitur. Quod sane aliud est atque tantum primatum honoris concedere.

Ad 2) — In Concilio Chalced. vera ratio primatus Romani Pontificis, scilicet successio in locum Petri, clare agnita est. Ergo in canone non de creatione muneris primatus agitur, sed de *ratione ob quam munus hoc potius cum Romana, quam cum alia sede* a legitima auctoritate coniunctum fuerit.

Ad 3) — Aequalitas relativa petitur. Scilicet: ut Romanus Pontifex est primus in orbe relate ad caeteras ecclesias, ita episcopus Constant. sit primus post eum relate ad caeteras. Congruit quod patriarcha Anatolius petiit participationem quandam e plenitudine iurium Romani Pontificis.

Ad 4) et 5). — E scopo decreti non est sermo de *causa efficiente quae coniunxit primatum cum Sede Romana*, sed eam ex alia doctrina praecipue de successione Romani Pontificis in locum Petri supponentes, Patres Concilii agunt *de motivo saltem partiali, ob quod*, ut ipsis videtur, *legitima auctoritas* (hic Romanus Pontifex, a quo confirmationem decreti petunt) decenter iura patriarchalia cum sede Constantinopolitana coniungere debeat, quippe cum etiam alia legitima auctoritas (quae qualis fuerit non exprimitur), ob simile motivum (saltem ut partiale) *primatum cum sede Romana coniunxerit*. — Neque obstat quod secundum canonem olim Patres privilegia Sedi Romana *tribuerunt*. Nam ipsi Romani Pontifices qui explicite negant, privilegia Sedis Romanae a synodis orta esse et rationem cur Romanus Pontifex prae alio ea habeat, e successione in locum Petri repetunt, tamen eandem expressionem adhibent *pro agnitione privilegiorum e parte Patrum*. Quae expressio praecipue apta est si agitur de agnitione, quae in decretis iuridicis auctoritativis continetur. Cf. Gelasius: « voluere deferri ».

Propositio. Potestas regendi ecclesiam Petro eiusque successoribus tradita est 1) plena; 2) tradita Petro eiusque successoribus immediate, non vero mediante Ecclesia in ratione subiecti inhaesionis; 3) immediata in omnes fideles; 4) episcopalis. — *Cf. fasc. 4.*

[**Qual.** — De fide divina catholica definita. Vat. 1826-31].

Adv. — In genere *Gallicani.* — Pro tertia sententia in specie Richeriani, Iansenistae, Febroniani.

Potestas Romani Pontificis est plena. — *p. 1-12.*

St. qu. — *Definitio:* Potestas plena hic intelligitur *potestas iurisdictionis tota simul, quae invenitur in illa societate,* de qua agitur. Opponitur ergo, in ecclesia ullam inveniri potestatem iurisdictionis quae non sit in Romano Pontifice. — *Vi theseos non affirmatur,* etiam omnem potestatem esse *a* Romano Pontifice. Hoc postea probatur. In qua probatione etiam ad hanc thesim recurritur. — Vi muneris papa *non* accipit ipsam potestatem *ordinis,* sed potestatem dirigendi etiam potestatem ordinis.

Arg. — 1) **E Scriptura.** Petro iam soli dictum est: « *Quodcumque ligaveris... solveris* ». Atqui alia determinatio horum verborum cogitari nequit, quam ut excludant quidem quae non sint ad finem ecclesiae, *includant vero omnes res ecclesiasticas.*

2) **E Traditione.** *Leo I:* « nunquam nisi per ipsum dedit, *quidquid aliis non negavit* ». — *Bonav.:* « solus habet *totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus ecclesiae contulit* ». — Conc. Lugd. II, Flor. « *plenam* ». — Vatic. « Si quis dixerit, eum habere *tantum potiores partes,* non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis, *a. s.* ».

Ob. — *Nemo eas vires physicas* habet, ut ecclesiam, quae totum mundum complectitur, solus gubernare possit. — Papa e lege divina, ad constitutionem ecclesiae pertinente, *episcopos* « *in partem sollicitudinis* » vocare debet.

Qui potestatem plenam habet, *necessitate morali in tyrannidem vel superbiam* deveniet. — Periculum remotum superbiae in omni praelatura invenitur. Periculum proximum vero hic *e providentia divina, generatim bono ecclesiae debita, excluditur.* Idem historia testatur.

Esset potestas *illimitata;* atqui soli Deo potestas illimitata est! — Est potestas plena regendi *secundum normas iuris divini revelati et naturalis.* Intra quod ius divinum etiam comprehenditur constitutio ecclesiae divinitus data.

Si potestas papae esset plena, *munus episcopale non esset necessarium.* — Dist.: non esset necessarium ad eum finem, ut haberetur in ecclesia potestas sufficiens ad eam regendam, c.; ut im-

pleretur voluntas Christi positiva, qui munus episcopale sapienter instituit, n.

Episcopi non essent nisi *vicarii papae.* — N. Habent potestatem suam *vi muneris stabilis et nomine suo.* Cui non opponitur, papam iam solum ea omnia vi muneris ordinarii posse, quae episcopi possunt.

Si habuissent potestatem plenam, papae *non toties explicite dixissent, se solos certa negotia ecclesiastica absolvere non posse.* — Negarunt, se ea *valide* conficere posse, n.; se *prudenter* procedere posse sine cooperatione aliorum, v. g. Concilii universalis, c.

Primatus evolutus est: ergo eius potestas non semper erat plena. — Dist. antec.: *Exercitium primatus* in quibusdam rebus magis perfectum factum est, c.; ipsa potestas primatus in se crevit, n.

Decreta Pseudoisidoriana plenitudinem potestatis Romani Pontificis introduxerunt. — N. *a)* Ea iam antea (ante saeculum 9) agnita erat. Ea vero singula iura quae iis decreta introducta esse dicuntur, *iam antea in usu erant.* In quibusdam paucis Pseudoisidoriana volebant introducere novum ius, v. g. etiam Concilia provincialia a Romano Pontifice confirmanda esse; at in his effectum non habuerunt. In genere id effecerunt, ut *praxis, quae iam aderat, quibusdam priscis papis ascriberetur, quibus de facto ascribenda non erat.*

Plena potestas Romani Pontificis includit, ut *e iure divino appellationes episcoporum* accipere possit. Atqui *hoc ius Concilium Sardicense canone 3-5 Romano Pontifici concessit.* V. g. can. 5. « Rem decident... aut episcopi finitimi ex commissione papae aut presbyteros iudices ipse mittat ». — C. ma. N. min. Rationes pro hac assertione allatae non valent. Sunt fere hae:

Agitur de *re temporaria,* scilicet de *re Athanasii* etc. perscribenda Iulio. — N. Hae res temporariae erant occasio canonum, uti toties fit.

Agitur de *re disciplinae* mutabilis. Nam utuntur termino « *Placet* », non vero « Credimus ». — *a)* N. suppositum, *obiectum canonum* esse ius divinum appellationis, *est modus unus e multis possibilibus, quibus Romanus Pontifex hoc ius divinum exercere potest. b)* Nego argumentationem e voce « Placet », quo etiam significari potest, placere ut de re fidei hic vel ille canon condatur.

Agitur de *re libera.* Nam: « *Si* vestrae dilectioni *placet,* Petri apostoli iudicium honoremus ». — Cf. resp. ad ult. diff.

Patres *pro lubitu statuunt formam appellationis.* — Condunt ius ecclesiasticum, quod ut valeat, approbatione Pontificis egebat.

Agitur de *re nova.* — *Forma* nova, qua ius non novum exerceatur.

Agitur de iure *pro solo Oriente.* — Canones *graece et latine scripti,* uti *ubique valentes* habiti sunt.

Non agitur *de vera appellatione.* — N. Novi iudices nomine papae; *ἐκκαλεσάμενος.* — *Difficultas de Conc. Sard. p. 36-8.*

Potestas plena data est immediate Petro eiusque successoribus, non vero mediante Ecclesia in ratione subiecti inhaesionis. — *p. 12-24.*

St. qu. — Sermo est *de modo* transmissionis potestatis Petro eiusque successoribus a Christo datae. — Subiectum *inhaesionis* est id, in quo est potestas; subiectum *utilitatis* id, pro quo seu in cuius utilitatem ea data est. Concedimus *subiectum utilitatis* potestatis plenae Petro eiusque successoribus datae esse *ecclesiam universalem;* negamus vero, inter Petrum eiusque successores et Christum fuisse vel esse *subiectum intermedium, quod prius quam Petrus receperit potestatem plenam, atque deinde eam Petro tradiderit.* Negatur ergo potestatem ecclesiasticam ita datam esse, sicut secundum multos Scholasticos potestas politica ab initio data est, scilicet immediate populo, per populum quibusdam aliis.

Concedimus utique, *in tantum ecclesiam ipsam esse subiectum inhaesionis* potestatis ecclesiasticae, *in quantum ideo S. Petrus accepit potestatem plenam, quia est caput ecclesiae.* Num forte, cum S. Petrus qua caput ecclesiae hanc potestatem accepit, ea statui civili, vel nulli societati data est? Quae caput qua tale habet, haec ea societas habet, cuius homo est caput. Etenim caput est primaria pars societatis, et quatenus est haec pars, homo hanc potestatem habet.

Adversarii differunt in statuendo subiecto immediato inhaesionis: Almainus aliquando Pistorienses statuunt omnes fideles; Dupin praelatos etc. Secundum hoc distinguuntur multitudinarismus, theoria conciliaris etc. — Adversarii ex sua theoria de facto deducunt, potestatem plenam non esse in Romano Pontifice sed in multitudine, Concilio etc., dependenter a quibus Romanus Pontifex suam potestatem exerceat (Caput ministeriale).

Arg. — **1) E Scriptura et ratione theologica.** — Potestas huic vel illi tradita aut e verbis conferentis aut e natura rei probanda est. Iamvero *solus Petrus* Mt. 16, 18-9; Io. 15, 21 ut subiectum potestatis *nominatur.* E natura rei vero non sequitur, eam esse immediate datam aliis, atque tantum mediantibus illis Petro. *Non e natura conferentis;* nam Christus dat potestatem uti eam habet, habet vero eam non a fidelibus sed a Patre. Non e natura *societatis* de qua agitur. Nam eos qui reguntur vel quosdam ex iis esse immediatum subiectum potestatis regendi non sequitur neque *a)* ex natura societatis *qua talis;* neque *b)* ex natura alicuius certae societatis *qua institutionis positivae;* neque *c)* ex natura societatis *publicae.* Nam *a)* num auctoritas regendi patris *prius residet in filio quam in patre? b)* prius *in milite quam in duce? c)* Neque ideo quidam Scholastici potestatem *mediante societate publica* v. g.

regibus initio collatam esse dicebant, ac si hoc e natura societatis publicae qua talis sequeretur, sed quia putabant, *Deum ipsum vel naturam nullum aliud subiectum initio determinasse.* At vidimus, in ecclesia Deum tale subiectum determinasse, scilicet Petrum eiusque successores.

2) **E Traditione.** Optatus Milev.: « Petrus *claves* regni coelorum *communicandas caeteris* solus accepit ». — Leo I « *nunquam nisi per ipsum* dedit, *quidquid aliis non negavit principibus* ». — *Damnatus est* a Congr. Rom. *Richer; Quesnell* per Bullam Unigenitus quoad potestatem excommunicandi D. 1440; *Pistoriensium* doctrina per Pium VI declarata est « haeretica » D. 1502; Conc. Vat. D. 1822 ad finem, 1823, collatum cum 1826.

Ob. — *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.* Atqui Petrus auctoritatem habet propter ecclesiam. Ergo illa eam habet magis. — Tr. ma. Dist. min.: Propter ecclesiam *ut causam finalem,* c., conferentem seu efficientem, n.

Quod datur parti datur toti. Atqui Petrus est pars ecclesiae. Ergo cum primatus ei datur, datur ecclesiae. — Dist. ma.: Id datur *toti ut subiecto saltem utilitatis,* c.; necessario ut subiecto immediato inhaesionis, n. V. g. intellectus homini datur; tamen in sola anima immediate inhaeret.

In caeteris societatibus primum subiectum auctoritatis est tota societas. — Dist.: In omnibus societatibus positivae institutionis, n.; e natura ortis, subd.: generatim, n.; in societate publica seu civili, iterum subd.: secundum omnes, n., secundum quosdam, iterum subd.: ob rationem societatis qua publicae, n., ob subiectum non determinatum, c. et n. hanc rationem in nostra re valere.

In *organismo physico potentia agendi singulorum organorum physice e toto organismo emanat.* — Ergo a pari. — N. par. Auctoritas in corpore ecclesiae immediate a Deo confertur.

Omne *corpus morale per caput suum ut ministrum* totius agit. — N. V. g. pater in familia!

Tertullianus: « Memento, *claves* Dominum Petro et per hunc *Ecclesiae* reliquisse ». — *a) Quid inde?* Ergo certe non Ecclesiae et per hanc Petro.

S. Augustinus: « *Quando claves (Petrus) accepit, Ecclesiam significavit* ». — In quantum caput societatis eam repraesentat. Premunt Patres similibus phrasibus contra Montanistas et Donatistas praecipue hoc, *Petrum et apostolos non qua personas privatas seu pneumaticas, sed ut personas publicas, atque consequenter etiam pro successoribus suis, potestatem peccata condonandi accepisse.* Cf. St. qu.

Ecclesia per papam agit! Ergo innuitur dependentia papae. — N. Homo per Deum miracula patrat! Tales phrases secundum doctrinam aliunde stabilitam explicandae sunt.

Act. 8, 14 « *apostoli... miserunt ad eos (Samaritanos) Petrum et Ioannem* ». Ergo Petrus sub apostolis erat. — Dist. ant.: missione *auctoritativa, n.* Expressio per se nihil dicit nisi influxum efficacem, qui potest haberi precibus, consilio etc., id quod etiam modo loquendi in vita communi constat. Fuisse apostolorum influxum auctoritativum aliunde exclusum est.

Si *faciunt papam qui eum eligunt.* Atqui eum non possent facere papam, nisi *eam totam auctoritatem, quam ille habebit, antea ipsi haberent.* — Dist. ma.: *Determinant personam,* c.; potestatem ei dant n. Hanc Christus immediate dat.

Si ecclesia non conferret ipsam auctoritatem, *nunquam esset certum, num Deus eam concederet.* Quis scit, num eam concedat *personae indignae,* quam electores determinaverint? — Hoc certum est quia Iesus 1) promisit, se super Petrum eiusque successorem ecclesiam fundaturum esse; quia 2) successori Petri reliquit determinandum modum legitimum eligendi successorem Petri in primatu.

Si ipsa ecclesia non immediate a Christo accepisset potestatem iurisdictionis, *mortuo papa nulla iurisdictio esset in ecclesia.* — Potestas suprema et plena mortuo papa non adest actu in ecclesiasticis superioribus, sed tantum ea subordinata et partialis quae requiritur ad regendas dioeceses etc. Haec autem data est *a Pontificibus defunctis.*

Thesaurus indulgentiarum non est thesaurus Pontificis sed tantum Ecclesiae. Ergo Pontifex non ut caput repraesentat Ecclesiam. — Dist. ant.: Quia in hac expressione non respicitur is, qui principaliter dispensat thesaurum, sed is a quo ortus est thesaurus. Ortus est enim ex meritis Christi et sanctorum.

Potestas tradita Petro est immediata in omnes fideles. — *p. 31-40.*

St. qu. — Quaeritur num potestas Romani Pontificis sit *immediata etiam in subditos episcoporum.* Immediatavero est, si ad id, ut obligationem in subditis episcoporum producat, non necesse est ut mediet voluntas episcopi sive imperantis sive permittentis.

Arg. — 1) **E Scriptura.** — Secundum Mt. 16, 19 *Omnis res ecclesiastica eo ipso quod a Petro solvitur vel ligatur in coelo solvitur vel ligatur*: « Quaecumque... ». Atqui eo quod aliqua res ecclesiastica invenitur in *aliquo subdito episcoporum, non desinit esse vere ecclesiastica.* Ergo. — Alia forma argumenti: e potestate plena.

2) **E Traditione.** Saeculo 5 *Zosimus* sibi potestatem ascripsit accipiendi *appellationem* etiam presbyteri; 6 et 7 iam habetur *exemptio* a iurisdictione episcoporum; 12 *reservatio* a quibusdam peccatis in legem evehitur a Later. II; 13 *S. Bonaventura:* papa

« non est tantum praelatus mediatus » fidelium, S. Thomas vero ex eo principio deducit, papam regularibus dare posse iurisdictionem ad confessiones fidelium audiendas; 14 Clemens VI: « *de omnibus* (personis) *iudicare* »; Conc. Vat. 1827.

Ob. — Si plures in eandem personam haberent potestatem immediatam, *haberetur essentialis deordinatio* in regimine societatis. — Si plures, quorum unus alteri est subordinatus, ita ut praeceptum subordinati eo ipso cesset esset validum, quod praeceptum superioris contrarium habetur, n. Cf. praecepta officialis et generalis in eundem militem.

Episcopi necessarii non essent. — N. Cf. Ob. ultima p. 101.

Ergo *papa semper plures causas ad se trahere potest, usque dum episcopis nihil remaneat,* quod ligent vel solvant. — N. Hoc excluditur e *voluntate absoluta, qua Christus munus episcoporum instituit.*

Si secundum ea, quae in solutione ultimae difficultatis dicta sunt, papa *non potest omnes res* eorum, qui episcopis subditi sunt, *ad se retrahere, haec potestas immediata inutilis est.* — N. Potest v. g. *partem ecclesiae,* uti hodie multas missiones, non per episcopos ordinarios sed *per vicarios apostolicos regere;* potest, *servato limite* qui in ambitu iurium muneri episcopali essentialium continetur, et *personas et res ad se retrahere;* potest leges universales dare, quibus *immedtate omnes fideles tenentur; appellationes* accipere etc.

Haec potestas immediata *detrahit muneri episcopali a Deo instituto.* — Destruit *falsum* conceptum de hoc munere, quem quidam sibi finxerant.

Moraliter necessaria est *imprudentia atque superbia* in tali munere administranda. — N. Cf. Ob. 1 et 2 p. 101.

Concilium Carthaginiense 16 a. 418: « Ad transmarina (papam) autem *qui putaverit appellandum, a nullo inter Africam in communionem suscipiatur* ». Ergo denegatur papae ius appellationes clericorum recipere, ergo potestas immediata in subditos episcoporum. — N. Canon edicit tantum, *exercitium huius iuris secundum canones ecclesiasticos tunc vigentes et ab ipso papa approbatos non competere papae, sed episcopis finitimis.* Tum a papa tum a Concilio ad solos canones ecclesiasticos, ad utilitatem respicitur; ius divinum appellationes recipiendi non tangitur. — *Haec ultima difficultas p. 38-40.*

Potestas tradita Petro eiusque successoribus episcopalis est. — *p.43-7.*

St. qu. — *Definitio.* — Sensus theseos est: papa habet talem potestatem in ecclesiam *universam,* qualem habet *episcopus* in dioecesim propriam, in oppositione ad talem potestatem, qualem habet *metropolita* in dioeceses episcoporum suffraganeorum. — Patet,

limitationes ortas ex natura potestatis episcopi, in quantum tantum *partem* ecclesiae regit, atque *supremo pastori subditus est, in Romano Pontifice inveniri non posse.*

Arg. — **1) Ex iis, quae de primatu demonstravimus.** — Potestas episcoporum ea est, qua suam quisque dioecesim regit *ut pastor proprius, ita ut directe et immediate attingere possit omnia membra dioeceseos in omnibus rebus quae a proprio pastore necessario dependent;* potestas vero metropolitarum tantum habet ius quoddam restrictum *inspectionis* vel in *quibusdam casibus aliquam iurisdictionem in greges non suos sed alterius.* Atqui probavimus, Romanum Pontificem priore modo se habere ad ecclesiam universam. Ergo.

2) E Traditione. — Quae usque nunc de potestate plena, immediata, ordinaria e Traditione probavimus, hanc thesim re continent. At quaedam testimonia adiciantur, in quibus etiam *ipsa vox* habetur. *Concilium Chalced.:* « universae ecclesiae episcopus ». *Bernardus:* « orbis episcopus ». *Mos subscribendi:* « ego... catholicae Ecclesiae episcopus », in oppositione ad « ego... Albanensis ecclesiae episcopus ». *Vat. 1827.*

Ob. — *Contra ordinem* est, haberi *plures episcopos in una dioecesi.* — *Si unus alteri subditus est, n.*

Terminus « catholicae ecclesiae episcopus » significat, *eum solum esse episcopum in Ecclesia catholica,* ergo nullos alios episcopos esse. — N. ma. Significat, eum solum habere potestatem episcopalem in *universam* ecclesiam, quo non excluditur, alios habere potestatem episcopalem in partes.

Potestas Romani Pontificis deprimitur, si episcopalis dicitur. — *Si* esset *coniuncta cum iis imperfectionibus, quae propriae sunt iurisdictioni episcopi particularis, qui insuper supremo pastori subditus est, c.;* si hae excluduntur, n.

Vox nova est. — *a) Transeat.* Novae etiam erant voces ὁμοούσιος, transsubstantialis. *b) N.* Cf. arg.

Gregorius M.: « Nullus (e Romanis Pontificibus) sibi *hoc temerarium nomen* arripuit ». — Eo sensu, quo patriarcha Const. sibi hoc nomen imponere voluisse videtur, ut scilicet « despectis fratribus, episcopus appetas solus vocari ». Agnovit Gregorius, Conc. Chalcedonense recte Romanos episcopos vocasse « antistites universales ».

Propositio. Iesus Christus apostolis eorumque successoribus in aeternum donum infallibilitatis contulit. — *Cf. vol. II fasc. 1 p. 1 sqq. — Lith. v. I p. 75-114.*

[Qual. — *Saltem de fide divina catholica. — Videtur* etiam *definitum esse* in Concil. Vat. 1839, cum definitum sit, Romanum Pontificem *ea infallibilitate* pollere, « qua divinus Redemptor *Ecclesiam suam*

in definienda doctrina de fide vel moribus instructam voluit ». Nam primo sermo est de Ecclesia docente, cum agatur de *definienda* doctrina ; secundo, de apostolis eorumque successoribus, quia semper in persuasione ecclesiae erat, eos ecclesiam docentem constituere].

Adv. — *Protestantes liberales et Modernistae omne donum infallibilitatis respuunt* atque respuere debent, cum nullam fidem infallibilem admittant, quae tamen est finis doni infallibilitatis. — *Protestantes orthodoxi* infallibilitatem apostolorum admittebant ; ecclesiae vero posteriori aut omne magisterium externum infallibile, aut saltem inde a 5 vel 6 saeculo abiudicabant. Quidam omne magisterium externum, etsi fallibile, removebant.

St. qu. — Supponitur *probatum, apostolos eorumque successores*, episcopos, a Christo *accepisse munus regendi in aeternum in ecclesia sub Petro eiusque successoribus*, eosque esse illud subiectum quod Iesus Mt. 28, 18-20 ; Mc. 16, 15-6 alloquitur. Cf. vol. I fasc. 5 et 6 de munere episcopali divinitus instituto.

Donum infallibilitatis in docendo non significat *tantum actualem absentiam erroris*, in doctrina proposita verum quandam *impossibilitatem* errandi quae ipsum actum docendi, quo vera proponuntur, antecedit. Quam impossibilitatem dicimus oriri ex adiutorio divino efficaci.

Obiectum infallibilitatis statuimus ea « *quaecumque Christus mandavit* » *doceri*, quin tamen ea hoc loco accuratim determinemus. — Cf. de ipsa essentia doni infallibilitatis ampliora vol. I fasc. 1 p. 32-7.

Arg. — 1. E Scriptura. — Mt. 28, 18-20.

Verba « *Ego vobiscum sum* » significant adiutorium efficax ad exsequendum mandatum quod datur. — *Cf. fasc. 1 p. 62.*

Verba « usque ad consummationem saeculi » significant « usque ad ultimum iudicium ». — *ib. p. 63.*

Mandatum autem hoc est, ut doceant, quaecumque Iesus docenda mandavit. Ergo cum Iesus auxilium efficax ad hoc mandatum exsequendum promiserit, certo certius ab iis quos alloquitur ea quae docenda mandavit, semper docebuntur, idque vi auxiliorum, quae ipse promisit.

Mc. 16, 15-6 : « Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur ».

a) Christus iubet omnes homines amplecti evangelium, prout ab apostolis proponetur. Atqui Christus nequit praecipere fidem in errores. Ergo id *quod apostoli praedicabunt sine erroribus erit.*

b) Agitur de *apostolis prout in aeternum vivunt.* Nam locus est parallelus Mt. 28, 20 ; officium credendi et baptizandi in aeternum obligat, ergo de praedicatione in aeternum durante sermo est.

Ob. — *Actus fidei*, qui Christianis obligatorius est, e variis rationibus *non necessario connexus est cum veritate eorum, quae creduntur,* seu cum veritate obiecti materialis fidei. — Rationes hae singulae data opera et exponuntur et refutantur in Tract. de Fide.

2. E persuasione antiquitatis christianae.

Singula quaedam testimonia. — *S. Irenaeus*, adv. haer. 4, 26, 2: « .... eis qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire, oportet, his *qui successionem habent ab apostolis,* sicut ostendimus; qui *cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum beneplacitum Patris, acceperunt;* reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocunque loco colligunt, suspectos habere vel quasi haereticos et malae sententiae ».

Origenes; De Principiis l. 1 n. 2: « Cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, *servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita* et usque ad praesens in ecclesiis permanens; illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione ».

Vincent. Lirin. c. 22: « Quis est hodie Timotheus, nisi vel generaliter universa ecclesia vel specialiter *totum corpus praepositorum,* qui integram divini cultus scientiam vel habere debent, vel aliis infundere ».

Persuasio et modus procedendi universalis. — Pontifices et episcopi ut successores apostolorum *continuo sibi vindicabant* potestatem infallibiliter docendi, sive in conciliis universalibus coadunati erant sive aliter in consensu docebant; *fideles vero* aut eos ut infallibiles veritatis doctores *audiebant,* aut, si non acquiescebant, uti haeretici habebantur. Ergo in omnibus persuasio de hac potestate vigebat.

3. Convenientia huius institutionis. — Sicut in V. T. per homines, in N. principaliter per Deum — hominem, secundario vero per apostolos revelatio *data* est, sicut in V. T. *per homines* suo modo conservata est, ita decebat, eam mediantibus hominibus continuo conservari. — Sicuti in Christo, in apostolis regimen in caeteris rebus cum infallibili magisterio coniunctum erat, ita decebat, *eandem hierarchiam* utraque potestate continuo ornari.

4. Confirmatio ex historia. — *Qui dicunt, se immediate* a Deo de vero sensu Scripturae doceri, continuo aperte inter se *contradicunt* atque plurima *aperte falsa* enuntiant. Unde certe is modus veritatis conservandae quem ipsi statuunt, non exsistit. — Qui *extérno magisterio successorum apostolorum adhaerent, nunquam falsitatis argui poterant.*

Corollarium. — In eo, quod de infallibilitate apostolorum probavimus, inclusum est, magisterium infallibile a Christo institutum in aeternum fore *externum humanum virum* quod infallibilitatem, habeat *e charismate* divino.

Magisterium dicitur *externum*, non eatenus, quatenus persona docens esset externa seu distincta a persona discente, sed *in quantum instructio personae docentis immediate et mere ad internos hominis discentis facultates dirigitur*. Patet ergo, homines in homines non posse agere magisterio mere interno.

Magisterium dicitur *humanum, in quantum ab hominibus ut causis principalibus suae locutionis procedit*; quo sane non excluditur, eos a Deo accepisse tum potestatem docendi tum infallibilitatem in eo munere exsequendo.

Magisterium dicitur *vivum, in quantum ab hominum actibus vitalibus* procedit; ergo aeternum est in ratione magisterii vivi, in quantum in aeternum ab actibus vitalibus hominum progreditur.

Multi Protestantes, uti Luther ante a. 1545, Anabaptistae, Quakeri, multi theologi Protestantes qui ita sic dictum testimonium Spiritus Sancti explicabant, coniungebant magisterium internum vivum Spiritus Sancti cum externo i. e. Scripturae, excludebant vero magisterium externum humanum vivum.

Magisterium Scripturae solius Catholici dicunt *mortuum*, in quantum *a)* Auctores eorum mortui sunt, neque — ex sententia Protestantium — adsunt homines viventes, qui uti quidam quasi vicarii auctorum mortuorum, mentem scriptorum explicare possunt, libri vero ipsi, utpote non viventes, se ipsos explicare, defendere, etc. non possunt. *b)* In quantum — contra id quod dicunt Protestantes — probari potest, Deum ipsum nequaquam suis actibus internis revelantibus vel alia ratione illuminantibus, hunc librum omnibus explicare. Unde, abstrahendo a magisterio vivo humano successorum apostolorum, quod Protestantes spernebant, Scriptura suo Esse quasi mortuo relicta dicenda esset.

Obiectiones.

Contra magisterium Ecclesiae qua externum atque humanum.

Infallibilitas est perfectio divina; ergo hominibus communicari nequit. — Si ad *omnes veritates* se extenderet atque *imparticipata* esset, c. — *p. 9.*

Sicut in genere *in causa salutis*, ita in specie in negotio fidei *nihil creati mediare potest.* — Nihil mediare potest *in ratione causae, quae obiectum revelatum sive primo proponat sive infallibiliter custodiat atque proponere pergat, n.*; nihil in elevatione hominis, subiectiva ad ordinem supernaturalem, subdist.: *nihil in elevandis ipsis actibus humanis, c.*; nihil in infusione habitus fidei mediantibus sacramentis, iterum subdist.: nihil in ratione causae principalis, c.; instrumentalis, n.

Textus multi V. et N. T. magisterium externum humanum reiciunt. — N. *a)* Magisterium externum docetur tum *in V. T. pro temporibus*

N. T., Is. 51, 16: « ponam *verba mea in ore tuo (Sion)* »; *Mt. 28, 20. b)* Eiusmodi textibus premitur aut illa proprietas N. T., vi cuius *praedicatio externa in N. T. universalior atque magis expedita* est in N. T. quam in V., aut ea proprietas, quod *vi solius N. T. habetur ea gratia interna, quae ad fidem salutarem necessaria est. c)* In locis ex epistulis apostolorum generatim in ipso contextu remittitur ad eam doctrinam, quam apostoli ore protulerunt. — *p. 14-5* (Lith. p. 105-8). — Singuli loci hi sunt :

Is. 54, 13 : « Ponam universos filios tuos doctos a Domino (discipulos Iahve) ». — I. e. : Qui sub N. T. vivent, magis universaliter doctrinam a Iahve propositam de facto efficaciter, Deo gratiam uberem concedente, amplectentur. — In contextu eminentia N. L. prae V. praecipue ex effectibus premitur.

Ier. 31, 33-4 : « Dabo legem meam in visceribus eorum... et non docebit ultra vir proximum suum, dicens : Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me... ». — In N. L. tam universaliter, tam *firmiter recta doctrina de Deo uno* in omnium cordibus haerebit, ut non necesse sit, unum hominem alium ad verum Deum agnoscendum hortari.

Mt. 23, 8 : « . . . . nolite vocari Rabbi... *unus enim est magister vester...* ». — I. e. : nolite *vano gaudio superbire de titulo magistri ;* a me enim omnia accepistis.

Io. 4, 23 : « Qui adorant eum, *in Spiritu et veritate oportet adorare* ». — Videtur sensus esse : in veritate, *non in falso cultu*, uti in Garizim ; in Spiritu, cum vi N. L. homines non tantum externas caeremonias habent, sed *gratiam, vi cuius cultus etiam externus suam perfectionem habet.*

1 Cor. 2, 15 : « *Spiritualis autem iudicat omnia* ». — I. e. : Qui Spiritu Sancto operante fidem in veritates ab ecclesia praedicatas accepit, *secundum haec principia, mediante magisterio ecclesiastico, omnia quae ad religionem spectant, diiudicare potest.*

1 Thes. 4, 9 : « Ipsi enim vos *a Deo didicistis ut diligatis* invicem ». — I. e. hoc a Deo *mediante ecclesiastica praedicatione* didicerunt.

1 Thes. 5, 41 : « *Omnia autem probate* ». — I. e. : *Revelationes privatas secundum principia fidei* vobis praedicatae iudicate.

I Io. 2, 20-7 : « *Unctionem habetis a Sancto* (Spiritu) *et nostris omnia...* ». — *In quantum* scilicet, eius gratia operante, *adhaeretis fidei ab ecclesia praedicatae.*

1 Io. 4, 1 : « *Probate Spiritus* ». — I. e. : *Omnes doctrinas religiosas secundum normam fidei* vobis praedicate iudicate.

Contra magisterium ecclesiasticum qua semper vivum.

Periret libertas dicendi falsum. — N. Dantur adiutoria efficacia, quae libertatem non laedunt.

Si continuo exsisteret magisterium vivum, *docti deberent doctri-*

nas suas mensurare secundum decisiones futuras incognitas talis magisterii. Atqui hoc impossibile est. — Debent tantum parati esse, *ut tunc actu doctrinas suas secundum decisiones infallibiles componant, quando hae factae atque cognitae fuerint.*

Si exsistit Scriptura inspirata, magisterium vivum inutile est; ergo in tali suppositione a Deo institutum non est. — N. Si Deus non vult singulos extraordinario modo illustrare vel alias vias extraordinarias adhibere, magisterium vivum infallibile *a) necessarium est,* ut *libri inspirati incorrupti custodiantur, dignoscantur, defendantur, veritates in iis contentae recte intelligantur,* evolvantur, applicentur. *b)* Praeterea *potest* esse, ut doctrina, illos libros inspiratos esse, atque diversae aliae singulae veritates publice revelatae atque credendae, *in Scriptura illa inspirata non contineantur.* Postea videbimus, hoc locum habere. *c) Duplex modus,* quo eadem veritas conservatur, *non est inutilis* (Lith. p. 101-2).

Contra magisterium ecclesiasticum qua charismaticum.

Si magisterium infallibile est vi assistentiae specialis vel charismatis, *continua miracula supponenda sunt.* — *a)* Non a priori ea reici debent. *b)* Miraculum in ordine scientiae est in serie universa actionum providentiae, qua Deus efficaciter ab errore universam ecclesiam praeservat (Lith. p. 111).

Patres saepe *ad auctoritatem humanam ecclesiae,* non ad Spiritum Sanctum vel donum charismaticum pro infallibilitate provocant. — *a)* Utrumque argumentum exhibent. V. g. Tertul., De praesc. c. 28: « Nullam (ecclesiam) respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem induceret ». « Si quid verisimile est, ut tot ac tantae (Ecclesiae) in unam fidem erraverint ». *b)* Tunc temporis adhuc auctoritas humana ecclesiae contra haereticos, qui veritates tam evidenter in traditione contentas negabant, speciali cum utilitate premi poterat (Lith. p. 110-1).

Propositio. Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, infallibilis est. — *Cf. v. II. fasc. 2 p. 1 sqq. per totum.*

[Qual. — De fide divina catholica definita. Vat. 1879 « revelatum dogma esse definimus.... »].

Adv. — Praeter eos, qui ipsum primatum atque proinde etiam hanc praerogativam primatus negant, praecipue *Gallicani.* Affirmabant, in fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, *nec tamen irreformabile esse eius iudicium,* nisi Ecclesiae consensus accesserit. Declar. 1682. Unde definitum est, definitiones Romani Pontificis « *ex sese,* non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse ». Denz. 1839.

Romanus Pontifex intelligitur is qui est *caput ecclesiae universalis.* — Intelligitur ergo Petrus atque *unusquisque* ex successoribus eius et consequenter tota series.

Vox locutionis « *ex cathedra* » desumpta esse videtur e Mt. 23, 2. 3 « super cathedram Moysi sederunt... » i. e. munus docentium loco Mosis sustinentes.

Conditiones obiectivae decisionis infallibilis a Conc. Vat. 1839 hae recensentur:

Causa efficiens: « assistentia divina ipsi in beato Petro promissa ».

Obiectum circa quod: « doctrina de fide vel moribus » ea in amplitudine, in qua « divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ». Quae amplitudo qualis sit, aliunde scienda est.

Subiectum ad quod: « universa Ecclesia », quam Pontifex aut materialiter aut formaliter totam alloqui debet.

Forma propositionis doctrinae: « tenendum definit » i. e. debet assensum irrevocabilem imponere. Quod tantum facere potest, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate agit. — Ergo *non sufficit* ut *a)* loquatur qua *doctor privatus,* vel *episcopus* v. g. unius dioeceseos; *b)* loquatur quidem qua pastor ecclesia, sed *silentium imponat,* vel *c)* aliquam *doctrinam* tantum *laudet,* vel *d)* eam *aliquo alio modo doceat, quam* ita ut pateat, eum *assensum irrevocabilem* in eam imponere velle. — *p. 2-5.*

Pars I. Arg. e Scriptura. — *p. 5-17.*

Arg. generale, e Mt. et Io.

E Mt. et Io. sequitur, Petrum eiusque successores singulos iam per se solos habere potestatem plenam ut omnia ea agant, quae auctoritative in ecclesia facienda sunt. Atqui antea vidimus, eos quibus Christus doctrinam suam docendam commisit, auctoritative imponere posse assensum irrevocabilem, eosque esse ipsos superiores ecclesiasticos. Ergo eandem auctoritatem iam habet Petrus solus eiusque omnis successor. Iamvero impossibile est, aliquem posse mandato Dei assensum irrevocabilem imponere, nisi Deus eum infallibilem reddiderit.

Argumenta specialia.

Ideo ecclesia *secundum nullam partem finis sui destrui potest, quia aedificata supra Petri auctoritatem.* Pars vero finis est recta fides conservanda. Ergo.

Claves i. e. regendi potestas ad omnia se extendit, quae secundum finem ecclesiae agenda sunt. Imo data opera dicitur « *quodcumque ligaveris* ». Atqui finis ecclesiae est recta doctrina proponenda. Ergo Deus ligat ad doctrinam quam Petrus proponit.

Pastor debet pascere secundum finem. Finis unus est vera fides conservanda. Ergo eam imponere potest. Ergo infallibiliter.

Arg. e Lc.

Abstrahimus in eo proponendo a diversis: a *contextu, significatione vocis « conversus »* (a peccato? — postquam alios a peccato converteris? — Vicissim? — converte te ad fratres tuos); a significatione vocis *aliquando;* num « *deficiat* » vi vocis significet defectum plenum an partialem; num vox « *fratres* » directe significet apostolos an omnes fideles.

Consideratur locus in **lumine aliorum textuum de primatu** iam propositorum, **et traditionis.**

I. Aliquid confertur **soli Petro.** Nomen in forma singulari; opponitur caeteris: « expetivit.... vos, rogavi pro te ».

II. Id quod confertur est potestas **firmandi in fide theologica,** non vero in fiducia per se solum sumpta. Non enim hanc sed illam generatim significat fides in N. T.; illam uti Scriptura in genere, ita in specie Christus in apostolis continuo premit; illam praecipue diabolus e cordibus evellere studet, utpote principium omnis bonae operationis. — Confirmat locus parallelus Mt. 16, 18, ubi fides inculcatur; consensus catholicorum, multorum Protestantium.

III. Haec potestas firmandi in fide theologica datur Petro **ut capiti ecclesiae** futuro. 1) « Si officium quodcumque, quod natura sua praepositum spectat, praeposito iniungitur, eidem qua praeposito iniungi censetur ». Wilmers. 2) Alias non habetur ratio sufficiens eius ordinis statuti, quod fides aliorum per Petrum servanda sit. Non enim merum factum, sed ratio ordinis stabiliti quaerenda est.

IV. Datur mandatum Petro, ut in fide theologica **universam ecclesiam** confirmet. Nam expressio « fratres » aut apostolos significat, ut in suis successoribus vivunt, aut omnes Christianos. Si primum, ergo mediate secundum includitur.

V. In mandato firmandi includitur **mandatum ut leges fidei ferat.** Etenim firmare debet ut caput ecclesiae. Capitis qua talis, est regere, ergo hic leges fidei dare.

VI. Christus rogavit ut **hae leges fidei a Petro dandae infallibiles** sint. *a)* Rogavit ne deficeret fides Petri in ordine ad eam doctrinam auctoritative proponendam, de qua sermo Mt. 28, 20 « quaecumque mandavi vobis », Mc. 16 « evangelium ». Atqui si unam doctrinam non rectam proponeret, talis fides deficeret; *b)* Rogavit ut hae leges fidei eiusmodi sint, quas obedientia fidei fratrum sequi possit, nam mandatum dat, eas ferendi. Ergo rogavit, ut infallibiles sint.

VII. Christus **impetravit** id quod petiit. Nam *a)* Christus dat *mandatum absolutum* firmandi in fide. Tale mandatum impossibile est, nisi supponitur precum exauditio. *b)* Ipsa infallibilitas doctrinae fidei est unum e *mediis necessariis ad finem ecclesiae.* Ergo Christus eam absolute petiit. Ergo (id quod in dogmate probatur) exauditus est.

Confirmatio e parallelismo cum Mt. 16, 18. Portae inferi = Satan; tu es Petrus = confirma tu; beatus es ob fidei confessionem = in fide confirma.

Alio modo argumentum e Lc. a quibusdam ita proponitur: Petrus confirmare debebat vi efficacium precum Domini. At non tempore passionis; nam tum cecidit Petrus. Non inde a resurrectione ad ascensionem; nam eo tempore firmavit ipse Christus personaliter praesens. Non postea usque ad mortem Petri; nam apostoli singuli infallibiles erant. Ergo alio tempore posteriore, ergo ut in successoribus vivens. — Porro semper pericula contra fidem exsurgunt; ergo semper confirmatio necessaria est.

Accedit suffragium traditionis quae textum ita interpretatur Cf. arg. seq.

Ob. — Christus Mt. 10, 22-3 *reprehendit verba Petri*: « Absit... ». — Quae *e cathedra proposita* sunt, *n.* Nondum erat caput ecclesiae.

Verbis Mt. 16, 18 non continetur *nisi Deum aliquod medium* daturum esse Petro, ut veritatem infallibiliter nuntiet. Atqui hoc medium potest componi cum eo quod *eius decisio iuridice dependeat a consensu episcoporum.* — Dist. ma.: eiusmodi medium, *ut iam in solo Petro sit vis firmitatis ecclesiae universae* in fide.

Christus Mt. 18, 17-20 docet se fore cum *duobus vel tribus;* ergo non cum solo Pontifice. — Dist. ma.: *relate ad exauditionem precum*, cum sint fusae in vinculo pacis.

Textibus Mt. et Io. *tantum* continetur *potestas regendi.* — Quae potestas *versatur etiam circa imponendum assensum fidei.*

Verba « *tu conversus* » non pertinent *ad successores* Petri, cum sane non omnes peccare debeant ut Petrus. Ergo a *pari neque* verba « *confirma* ». — 1) Suppositio, iis verbis significari conversionem a lapsu non est certa. 2) *Etsi hoc sumitur*, n. par. Nam conversio praedicta *non* se habet *ut obiectum* quod Petro ut capiti promittitur, sed ut *occasio*, *in qua* munus publicum ei datum est. — *De dif. his cf. p. 14-7.*

Pars II. Arg. e Traditione. — *p. 17-45.*

Usque ad aetatem Scholasticorum. — *p. 17-31.*

Ecclesia latina: *Irenaeus:* « Ad hanc enim *ecclesiam* propter potiorem eius principalitatem necesse est *omnem convenire ecclesiam* h. e. omnes qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio ». Cf. expl. p. 92-3. — *Cyprianus:* « *Romani*, ad quos *perfidia* (opponitur verae fidei ab apostolo eis praedicata) habere *non possit accessum* ». — Augustinus: « Inde (Roma) rescripta venerunt, *causa* (Pelagianismi) finita est ». — *p. 18-9.*

Ecclesia, graeca, syriaca, armena. — *Theod. Studita* ad Paschalem: « *petra fidei,* supra quam aedificata est catholica ecclesia ». —

Abú Qurra de verbis Lucae: « Evidens ergo est, haec verba designare *successores Sancti Petri, qui non cessant de facto firmare fratres suos* et nunquam cessabunt usque ad finem saeculorum ». — *Armeni* veteres Romanos Pontifices nuncuparunt « *canonem fidei* », fontem veritatis etc. *Iohannes Hierosolym.* saeculi 6: Sedis Petri « successores sani in fide, *infallibiles* secundum domini eam vocem (Mt. 16, 18) ». — *p. 19-22.*

Ecclesia Graeca et orientales simul sumptae. — *Formula Hormisdae* (Concil. Const. 4): Et quia *non potest D. N. I. Ch. praetermitti sententia* dicentis: Tu es Petrus.... Haec quae dicta sunt, *rerum probantur effectibus,* quia in sede apostolica citra maculam semper est catholica servata religio ». — Concil. Lugdun. II: « Si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo (Romanae ecclesiae) debent iudicio *definiri* » (p. 320). — Concil. Florent.: « Romanum Pontificem omnium christianorum patrem et doctorem exsistere ». — Concil. Vat.: « Eiusmodi Romani Pontificis definitiones (ex cathedra factas) *ex sese, non autem ex consensu ecclesiae irreformabiles* esse ». — *p. 23-28.*

Ob. — **E Patribus contra vim textuum Scripturae.** Antiquitus Patres e textibus Mt. et Io. *nonnisi potestatem regendi* deduxerunt. — N. Cf. form. Horm., Ioh. Hieros.

Patres *textum Lc. multis aliis modis explicant.* — Sensum a nobis statutum negant, n.; *etiam* alia, *quae e textu sequuntur,* efferunt, c.

Patres sensum a nobis statutum *silentio premunt.* — N. *a)* Gelas., Agatho, Stephanus Dorensis etc. *b)* Non erat specialis ratio hunc sensum inculcandi, quia infallibilitas non negabatur. Inculcabant tempore Pelagianismi ea, quae ex hoc textu de necessitate adiutorii divini fluerent. — *p. 28-31.*

Inde ab aetate Scholasticorum. — *p. 31-45.*

Theologos ante Concilium (Constant. et) Basileense tenuisse sententiam eandem testatur universim *Gerson, Tapper;* de Gallia *Duval.* — Eam docuit clare S. Thomas: ad Romani Pontificis « auctoritatem pertinet *finaliter determinare ea, quae sunt* fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur ». — S. Bonaventura horret vel cogitare, ecclesiam romanam « quae *magistra veritatis* hactenus exstitit, *de approbatione erroris* argui ». — Academia Parisiensis. — *p. 31-3.*

Post Concil. Basileens., v. g. S. Ioannes a Capistrano, S. Antoninus, Card. Turrecremata, Suarez, Bellarminus, Coeffeteau, S. Franciscus Salesius; in genere etiam theologi Galli, teste De Marca. Sixtus IV reiecit sententiam Petri de Osma: « Ecclesia urbis Romae errare potest ». — *p. 33-6.*

Etiam post declarationem contrariam partis cleri Galliae 1682, in caeteris terris vera doctrina remansit, v. g. ante exortum

Febronianismum eam docuerunt in Germania Universitates, B. Canisius, celeberrimi e Canonistis. — *p. 36-7.*

Ob. — **Contra genuinitatem textuum.** — *Ecclesia orientalis* per mille annos infallibilitatem *non novit.* — N., v. testimonia.

S. Thomas doctrinam de infallibilitate in scholas introduxit; ipse autem in monographia « Contra errores Graecorum » *collectione textuum spuriorum* e Patribus Graecis deceptus est. — *a)* Exsistebat sane doctrina haec antea. *b)* S. Thomas in Summa ad eos textus non recurrit; monographiam non ipse composuit, sed tantum correxit. De infallibilitate continet tantum *duos textus,* qui *non sunt simpliciter* spurii. — *p. 37-9.*

Auctores posteriores spurios textus adhibere solent. — Quosdam praecipue e Pseudoisidorianis, c.; maiore ex parte, n.

Contra sensum singulorum quorundam textuum. — Verba *Cypriani* de *morali certitudine* intelligi possunt. — Si simul cum doctrina Patrum et antecedente et sequente considerantur, n.

Augustini verba tantum dicunt, controversiam eatenus finitam fuisse, quatenus aut *a)* constiterit de *consensu episcoporum* cum Pontifice; aut *b) defensio* falsae sententiae *finita* fuerit; aut *c)* Augustinus *viderit* definitionem *convenire cum doctrina catholica.* — N. *a)* Consensus neque *expetitus* fuerat; *b)* « tota *dubitatio sublata* est ». Aug. *c)* « Utrum noster (rivulus).... ex eo, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, *hoc a te probari* volumus ». Aug.

S. Thomas tantum docet, papam eatenus posse condere symbolum, *quatenus convocat Concilium,* quod cum Pontifice condit symbolum. — N. « Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet *nova editio symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam* ecclesiam », uti v. g. congregare synodum.

S. Antoninus docet tantum, papam errare non posse, *in quantum* « *utatur concilio* (consilio) ». — Ponit *signum* aliquod ordinarium pro usu supremae auctoritatis. Alibi clarius opponit rem particularem, in qua papa errare possit, rei fidei, in qua errare non possit.

In Concil. Vat. episcopi a) non unanimi sententia, *b) non libere* decreverunt. — *a)* Primum non necessarium est. Caeterum 451: 2 (resp. 533: 52). *b)* Secundum falso dici, ipsi episcopi diversi ex minoritate post Concilium publice testati sunt. — *p. 39-45.*

Obiectiones contra ipsam doctrinam. — *p. 45 sqq.*

E conceptibus. — *p. 45-7.*

Infallibilitas *soli Deo* convenit. — Si versatur in *quibusdam* rebus, orta ex *auxiliis Dei* efficacibus, n.

Munus non *efficit* cognitionem veri. — Non efficienter physice, c.; non est titulus, ob quem Deus ob promissionem datam infallibilitatem non dare non potest, n.

Veritas non pendet a numero aurium. Ergo quomodo Papa fallibilis

est, si uni, infallibilis si omnibus fidelibus loquitur? — Pendet *ab auxiliis divinis* quae tantum dantur *ob bonum totius* ecclesiae.

Qui habet ius explicationis, *absurdissima imponere potest.* — Si probatur, eum infallibilem redditum esse, n.

Societati civili Deus *infallibilitatem* in veritatibus religiosis naturalibus conservandis et explicandis *non concessit.* A pari neque ecclesiae. — Primo, probavimus disparitatem de facto obtinere. Secundo, ratio est in diversitate finis utriusque societatis.

E rationibus essentiam ecclesiae spectantibus. — *p. 47-57.*

Ecclesia *debet sequi traditionem.* — Omnino vi infallibilitatis est, quod papa in veritatibus revelatis definiendis semper eam sequitur.

Infallibilitas papae est *dogma novum.* — In se erat semper revelata, accessit tantum definitio. Id quod in multis aliis veritatibus eodem modo accidit.

Sufficit ad finem infallibilitatis, *ut papa simul cum corpore episcoporum infallibilis sit.* — Quaeritur quem ordinem Deus de facto instituerit. Certe per infallibilitatem pontificiam finis facilius obtinetur.

Iam ipse consensus fidelium *coniunctus est cum infallibilitate.* — Consensus fidelium est effectus doctrinae auctoritatis ecclesiae, non vero causa eius vel conditio.

Infallibilitas data est corpori episcoporum. — Et soli Romano Pontifici et ei simul cum corpore episcoporum.

Est *distinctio inter sedem et sedentem.* Ergo fallibilis potest dici unusquisque sedens, infallibilis est tantum sedes, i. e. series sedentium. — Est distinctio ea, ut quicumque sedet non habeat omnia iura et officia sedis, n.; in aliis multis, c. Expl.: In omni regente distinguitur persona privata a publica. V. g. « corona » legem dat; at « corona » non comedit. Neque mortuo papa adest actu ambitus iurium et officiorum eius in ecclesia, sed tantum necessitas ut illud mox iterum adsit, eaque e lege divina.

Difficile est, cognoscere a) legitimitatem Pontificis; *b) decreti eius; c) alias conditiones ad definitionem* ex cathedra pertinentes, esse applicatas; *d) sensum* decretorum. — 1° *a)* et *b)* facilius cognoscuntur de papa solo quam de papa et concilio; *d)* non difficilius. 2° Non singuli fideles (v. g. rudes) in haec per se ipsos inquirere tenentur, imo hoc generatim ne possunt quidem, sed in episcopis et theologis atque per eos.

Aliquando dubium est, num aliqua pars decreti sit aliquid *obiter dictum* necne. — *Idem in decretis Conciliorum* obtinet. Adsunt *media,* ultimatim decretum novum Pontificis, unde dubium solvatur.

Non possumus scire, num Pontifex debitam inquisitionem praemiserit. — Papa peccat, si eam omittit, c., imo est conditio obiectiva sine qua non pro locutione ex cathedra c. vel tr.; est simul

signum necessarium pro ea dignoscenda, n. Certe providentia divina curabit, ut non definiat nisi quod verum est.

Nescimus cum vera certitudine, num Romanus Pontifex sit *legitimus*, num *qua sui compos*, num *libere legem tulerit*. — Primo, haec difficultas eodem modo pro confirmatione Concilii universalis valet. Deinde legitimitas papae saltem ex eius agnitione universali certo scitur. Eum caeteras conditiones obiectivas implevisse, ob specialem *providentiam circa ea quae in ecclesia necessaria sunt*, eo ipso scitur, quod *non habetur dubium fundatum* de contrario.

Si papa infallibilis est, *nulla est necessitas* vel *utilitas Conciliorum* universalium. — *a)* Simpliciter necessaria non sunt. *b)* Utilitas eorum est ex maiore numero decidentium, ampliore inquisitione, similibus etc. Haec utilitas tota remanet.

E silentio Patrum. — *p. 57-68.*

Haeresiarchae a Patribus *non reprehenduntur* ob spreta decreta Pontificum. — *a)* N. *Augustinus* propterea reprehendit Iulianum. *b)* Verba haeretici Pelagii ad Innocentium: « Sin autem haec nostra confessio apostolatus *tui iudicio comprobatur*, quicunque me maculare voluerit, *se* imperitum vel malevolum vel etiam *non catholicum*... comprobabit ». *c)* In plurimis haeresibus ob earum apertam oppositionem ad fontes fidei, papae neque intervenerant, *neque intervenire debebant*.

Patres in iis scriptis, *quae data opera de regula fidei* agunt, *non faciunt mentionem infallibilitatis* pontificiae. — P. pr. exstitisse scripta Patrum, quibus data opera de regula fidei tum remota (Sriptura et Traditione), tum proxima (omnibus modis infallibilis custodiae talis revelationis) agebant. — At obiciuntur singula quaedam scripta:

Tertulliani scriptum « *De praescriptione haereticorum* » eiusmodi opus est! — N. Tantum agit de una via ad cognoscendam unam qualitatem doctrinae catholicae, scilicet eius apostolicitatem. Quae via est testimonium ecclesiarum apostolicarum cuius auctoritas etiam humana iis temporibus haud difficile demonstrabatur.

Augustinus in tot suis scriptis nunquam recurrit ad infallibilitatem pontificiam. — *a)* Contra Manichaeos, Donatistas facile sufficiebat eiusmodi intellectio fontium theologicarum, qualis in ecclesia clare habebatur. *b)* In causa Pelagianismi ad Pontificem recurrit. *c)* Num ad Conc. universale provocat?

Vincentii Lirinensis utrumque commonitorium data opera de regula fidei agit, tamen infallibilitatem papae silet. — *a) Magna pars* Commonitorii secundi, ubi de partibus Romani Pontificis in Concilio Ephesino agitur, interiit. *b)* De regula fidei agens *tantum ea criteria* tractare vult, quibus haereses *statim atque oriuntur*, dignosci possunt. Statuit, eiusmodi criteria esse doctrinae univer-

salitatem, antiquitatem, consensionem ». *c)* Saepe premit magnam auctoritatem docendi Xisti, Coelestini.

Gennadii scriptum « de ecclesiasticis dogmatibus ». — Non agit de ipsa regula fidei statuenda, sed de *singulis veritatibus credendis* in oppositione praecipue ad haereses usque ad id tempus propositas.

E causa Honorii. — *p. 68-81.*

Honorius in *suis epistolis ad Sergium ex cathedra docuit,* non esse duas voluntates in Christo. — *a) Nihil ex cathedra* docuit, sed iussit, a termino « una vel duae operationes » abstinere. *b)* Docuit duas *voluntates physicas* « et divinam quidem, quae Dei sunt operantem, et humanam, quae carnis sunt exsequentem », at *humanam divinae obsecutam* in omnibus: « voluntas diversa non fuit aut contraria Salvatori ».

Honorius a Concilio universali Constant. III ut haeresim ex cathedra docens damnatus est. — Etsi Patres Concilii eum sub hac ratione damnassent, certe Leo II decretum ita confirmavit: « qui flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed *negligendo confovit* ».

Saltem ipsi Patres Concilii: episcopi Orientis 174 cum patriarchis duobus; tres legati Romani Pontificis; tres episcopi legati synodi Romanae; quidam episcopi italici, hi omnes Honorium ut haeretica ex cathedra docentem damnarunt. Nam dicunt eum haereticum; connumerant eum cum Sergio etc. Ergo saltem traditio infallibilitatem Pontificis eo tempore negavit. — *a)* Et antea in genere episcopatus graecus subscribendo formulae Hormisdae infallibilitatem Pontificiam agnovit; et tunc membra istius Concilii idem fecerunt suscipiendo epistolam Agathonis, in qua dicitur: « Dominus et Salvator omnium..... qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod apostolicos *Pontifices* meae tenuitatis *praecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum* »... Ergo non damnamus Honorium ut falsa e cathedra docentem. *b)* Remanet ut eum aut damnaverint quatenus falsa at minore, non suprema auctoritate rem definiens docuerit; aut quatenus imprudentia sua haereseos fautor exstiterit. Haec secunda sententia videtur esse praeferenda. Ea hodie communior est. Ea non repugnat evidenter modo loquendi temporis, qui vocem « haereticus » etiam modo latiore quam nos adhibuit. *c)* Omnes expressiones quas imperator, Patres adhibent possunt eo modo intelligi. Alias Patribus deberet ascribi error, Honorium falsa in epistulis docuisse. Porro diversitas inter Patres et Pontificem sine ratione cogente statueretur etc.

E quibusdam factis tempore Patrum. — *Lith. p. 432-9.*

Episcopi Asiae Minoris duce Polycrate resistunt Victori in praxi Quartodecimanorum de tempore celebrandi Paschatis. Iamvero hanc

praxim et ipse et Victor *pro re fidei habent.* Etenim ipsi pro ea provocant ad evangelium, Victor vero eos resistentes uti « heterodoxos » ab ecclesia separare nititur. — *a)* N., *rationes additas probare, rem uti fidei habitam esse.* Ad evangelium provocare poterant, ut praxim commendarent. Heterodoxi aliquando sensu latiori sumebantur. Victori forte periculum erroris iudaizantium in tali praxi latere videbatur. *b)* Si tamen rem ut fidei habebant, una ex solutionibus, quam pro re Cypriani damus, amplectenda est.

S. Cyprianus est testis fidei sui temporis. Atqui non se submisit Stephano in quaestione de rebaptismate decidenti: « Nihil innovetur », quae quaestio sane fidei erat. Ergo iis temporibus non necessarium habebatur, submittere se Pontifici decidenti res fidei. — *a)* S. Cyprianus, *cum, animo perturbato a caeteris sui temporis testibus et a seipso (cf. p. 115) dissidet, haberi potest ut testis fidei sui temporis, n. b) Probari nequit, Cyprianum habuisse decretum Stephani ut peremptorium.* Nam probari nequit, eum illud pluris fecisse quam in se erat. Iamvero probari nequit, illud in se fuisse peremptorium. Etenim ratio peremptorii *non* requiritur e *verbis* « *Nihil innovetur* ». Non *ex animo Stephani commoto. Non ex excommunicatione sic dicta minore, si tamen lata est;* imo ea excluditur eo, quod teste Augustino Stephanus Cyprianus in sua communione retinuit.

Aliae solutiones: 1) Documenta non sunt genuina. At haec solutio fere ab omnibus reicitur. Nullas rationes externas pro se habet. 2) *Decretum tantum habitum est ut disciplinare.* At, quamvis proxime disciplinae fuerit, tamen intime cum re fidei connexum est; insuper Cyprianus continuo contra illud argumentatur ex rationibus theologicis quibus probare nititur, illam praxim rectae fidei contradicere. 3) Sunt, qui putent, S. Stephanum sententiam suam retraxisse vel suspendisse. 4) S. Augustinus putavit, S. Cyprianum suam sententiam retraxisse.

Ex erroribus quos Pontifices e cathedra docuisse dicuntur.

Principia ad hac difficultates solvendas: Debet accurate videri, *a)* num documentum de quo agitur, genuinum sit atque non interpolatum; *b)* quem sensum fundet; *c)* num omnis conditiones ad locutionem e cathedra requisitae adsint.

Petrus negavit fidem in atrio Summi Sacerdotis. — Neque S. Petrus tunc caput ecclesiae erat, neque quidquam tenendum docuit.

Petrus ethnicos « coegit iudaizare ». — Qua Pontifex imponit omnibus iudicium irreformabile, se iudaicos ritus ut necessarios pro salute observare debere, n.; *exemplo suo occasio erat, cur quidam Ethnico-Christiani inciperent putare, melius esse observare tales ritus,* in quo iudicio periculum erroris contra fidem erat, c. — Falsa est solutio, eum Kepham, quem Paulus reprehendit, non fuisse Petrum.

Liberius subscripsit formulae haereticae. — a) Non constat, eum ulli formulae subscripsisse. b) Si cui subscripsit, subscripsit *tertiae Sirmiensi, quae haeretica non erat,* sed tantum vocem ὁμοούσιος omisit.

Hormisdas et Felix III (520-30) *damnavit formulam « Unus de Trinitate passus est », Iohannes II* (532-5) *eam approbavit. —* Hormisdas ob rationes prudentiae vetuit *usum formulae* imprudentem, uti postea fecerunt Urbanus VIII et Benedictus XIV. Felix reprobavit ipsam *doctrinam formula* contentam, si *sensu monophysitico* explicaretur.

Vigilii res cf. in thesi de infallibilitate ecclesiae in fontis dogmaticis.

Gregorius III (731-41) iussit, *eos qui a paganis baptizati erant, iterum baptizari. — a) Non erat definitio ex cathedra* sed rescriptum ad quaesitum Bonifatii. *b)* Ignorantur circumstantiae facti. Forte dubitabatur num recta forma adhibita fuerit.

Zacharias (741-52) *damnavit doctrinam, haberi antipodas. — a) Non est definitio ex cathedra.* Zacharias iubet aliquem, qui tale quid docuerat, puniri. *b)* Forte doctrina ita intelligebatur, ut *negaretur* eos homines *ab Adam descendere.*

Nicolaus I (858-67) *validum declaravit baptismum datum* « in nomine Sanctae Trinitatis vel tantum *in nomine Christi,* sicut in Actibus apostolorum legimus ». D. 335. — *a)* Responsum hoc ad Bulgaros de casu particulari *non potest demonstrari esse definitionem ex cathedra. b)* Probabilior est haec explicatio. Agitur de *dubio circa validitatem baptismatis orto e persona conferentis,* qui erat « Iudaeus, nescitis utrum Christianus an paganus ». Decidit Pontifex debere — supposita recta forma — inquiri de *intentione dantis,* num scilicet in nomine Christi agere, i. e. *christianum baptisma dare* voluerit. Unde verba « in nomine Christi » non significant formam baptismatis.

Stephanus VI 896 iussit *reiterari ordinationes a Formoso factas,* quia eum ut schismaticum consideravit. Ergo implicite docuit, ordinationes Schismaticorum esse invalidas. — *a) Hoc praeceptum particulare non est definitio ex cathedra,* etsi forte originem habuit e sententia Pontificis, eiusmodi ordinationes esse invalidas. Qualem sententiam postea multi tenuerunt. *b)* Possunt Pontifices, ut in re sacramentaria securius procedant, nihil decidendo, *interim alicui sententiae* theologorum praxim suam conformare, quamdiu adhuc probabilis est. *c)* P. pr., Stephanum iussisse ipsam reordinationem, non tantum *repetitionem caeremoniarum.*

Nicolaus III (1277-80) *docuit, etiam in rebus comsumptibilibus ius ad usum ab usu separari posse. Ioannes XXII* (1310-34) *hoc negavit. —* Neuter doctrinam e cathedra docuit. Uterque eam tantum proposuit *ut aliquod motivum pro decisione disciplinari.*

Nicolaus III docuit, *Christum verbo et exemplo, commendasse eam*

perfectionem, qua *etiam communitas* religiosa *se a proprietate abdicat*. Ioannes XXII definivit, esse *haereticum* dicere, Christum *nihil unquam* his in terris proprii habuisse neque in speciali neque in communi. — Nicolaus non dicit, Christum *nunquam* quidquam saltem in communi possedisse. Imo data opera concedit, eum loculos habuisse.

Ioannes XXII docuit, *animas, etsi ab omni peccato et poena peccati liberae sint, ante universale iudicium non videre faciem Dei. Benedictus XII* (1334-42) docuit eas *statim post mortem* visione beatifica frui. — *Ioannes* doctrinam non ex cathedra docuit, sed in *praedicatione in palatio apostolico*, etc. Imo ante mortem diserte *declaravit, se nihil peremptorie definire voluisse*.

Eugenius IV (1437-47) *in decreto pro Armenis* eam materiam sacramenti ordinis proponit, quae neque in antiqua ecclesia neque in ecclesia Graeca adhibita fuit. Ergo implicite docet eam invalidam fuisse. — *a)* Maior pars theologorum affirmat, Decretum pro Armenis *tantum esse instructionem practicam*, quem ritum Armeni, conformando se ritui Romano, abhinc sequi debeant. Quoad validitatem nihil neque pro postero tempore tali decreto determinari. Benedictus XIV. *b)* Quidam putant agi de definitione determinante materiam a Christo non secundum ultimum determinatam; at hanc determinationem pro diversis locis et temporibus diversam esse posse.

Sedes Romana 1571 declaravit, nihil posse asseri, « quod repugnet Vulgatae editioni, etsi esset sola periodus... vel sillaba iotave unum ». — *a)* Non est decretum Pontificis sed Congregationis Concilii. *b)* Haec Congregatio non erat competens in hac re dogmatica.

Sedes Romana doctrinam Galilaei de immobilitate solis (ut haereticam), et de motu terrae (ut erroneam in fide) damnavit. — Congregatio Sancti Officii, c.; Pontifex ex cathedra loquens, n. Pontifex approbavit decretum in forma communi.

Sixtus V in Bulla « Aeternus ille » 1590 *docuit, editionem Vulgatae a se factam, esse perfectam.* At multa menda habuit. — *a)* Docuit, eam non continere errores in rebus fidei et morum, c.; eam esse *perfectam secundum principia criticae textus, n.* Se impendisse talem curam « *ut fieri potuit* ». *b) Disputant* docti, *num Bulla publicata fuerit* atque proinde vim iuridicam habeat.

Patres Concilii Francofordiensis a. 794 putarunt, *Concilium Nicaenum II cultum superstitiosum sacrarum imaginum approbasse.* Ergo putarunt, ne tunc quidem Pontificem infallibilem esse, quando simul cum Concilio decidit. — N. min. Falso *putarunt, Concilium illud non esse approbatum a Romano Pontifice Hadriano.* Id quod ex eo patet, quod illud vocant « synodum Graecorum »; quod Hincmarus eandem sententiam habuit; quod infallibilitas Ponti-

ficis a libris Carolinis agnoscitur. Caeterum Patres Conc. Francof. falsis rumoribus de doctrina Patrum Graecorum decepti erant.

Episcopi quidam et theologi Parisiis a. 825 congregati (non erat Concilium) *putarunt, Hadrianum in sua epistula ad Irenem eiusque filium iussisse imagines « superstitiose adorari »*. — Uti ex Actis patet, *neque in aliis rebus ab erroribus* sat miris *liberi* erant. *b) Nullum argumentum* habetur, eos epistulam Hadriani, qua de Concilio Nicaeno II convocando atque de cultu imaginum agitur, habuisse *uti decisionem definitivam.*

E modo procedendi Conciliorum. — *Lith. p. 417-9.*

Si S. Petrus se infallibilem habuisset, solus in Concilio apostolico decretum tulisset. Atqui quae responsa sunt a Iacobo proposita sunt; praeterea forma decreti est: « placuit Apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros... scribentes per manus eorum... ». Cf. Act. 15, 5-31. — N. ma. Ex eo quod Romanus Pontifex *potest* iam solus decidere, non sequitur, eum non simul cum episcopis decidere posse.

S. Leo ad Theodoretum scripsit: « *Quae nostro prius ministerio (Deus) definiverat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu* ». Ergo decisio Pontificis tantum ideo irretractabilis facta est, quod assensu fratrum episcoporum firmata est. — N. Ideo assensus episcoporum dicitur irretractabilis, quia res iam definita erat. Unde « reiecta penitus audacia disputandi contra fidem..., nec liceat defendi, quod non licet credi... ».

E tempore Later. 3 formula definitionis conciliaris est: « *Ego (Romanus Pontifex) sacro approbante Concilio* ». Ergo sententia Romani Pontificis non est irreformabilis nisi ob approbationem Concilii. — N. consequentiam. Sequitur, eam definitionem esse infallibilem, in qua Pontifex et Concilium in unum actum conspiraverint, non vero tantum eiusmodi definitionem esse infallibilem.

Si Concilia universalia habuissent persuasionem, definitiones Pontificis esse infallibiles, eas *examini non submisissent.* Atqui submiserunt. — Dist. ma.: Eas non submisissent *examini dubitationem supponente,* c.; examini *approbativo,* mere methodico, seu examini inquirenti in rationes pro re certa, quodeum finem habet, ut haec decisio auctoritate accidentaliter maiore gaudeat, n. Crescit accidentaliter auctoritas ob maiorem numerum decernentium.

Ex aliis rationibus theologicis.

Si valeret argumentum, quod e Traditione pro infallibilitate Romani Pontificis proposuimus, semper fuisset agnitum ut fide divina catholica credendum, decisiones Romani Pontificis in re fidei ex sese esse irreformabiles. Atqui si hoc dicendum esset, sane *Gallicani iam ante Concilium Vaticanum haeretici fuissent,* id quod

nemo dixerit. — Dist. ma.: Ex argumento Traditionis sequitur, fuisse agnitum uti veritatem de fide divina catholica tenendam *illud principium, in quo infallibilitas dicta implicite continetur, c.;* fuisse agnitam illam *veritatem in se ipsa uti revelatam subdist.: a plurimis iam per multa saecula,* c.; ab omnibus, n.

Expl. Semper agnitum erat, idque ut veritas revelata, *omnes cum sede Romana uti petra fidei in re fidei consentire debere,* si quid sub conditione communionis Romanae credendum imponeretur. In qua necessitate agnita implicite tenebatur, singulos Romanos Pontifices infallibiles esse, idque vi ipsorum decretis insita. At quidam per aliquod tempus eam veritatem, quam omnes tenebant, ita explicabant, ut docerent, id valere de sede, et proinde de serie Pontificum non vero de singulis sedentibus; vel id de singulis Pontificibus quidem valere, at eo modo ut vis absolute obligans decretorum non esset ex ipsa auctoritate Pontificis sed ex consensu omnium episcoporum, sive is ut concausa sive ut conditio sumebatur. Qua in re effectum cum causa confundebant.

« Curandum est, ut *id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc est enim vere proprieque catholicum (Vinc. Lirin.) ». Atque sane *infallibilitas Romani Pontificis in se ipsa non ubique, non semper, non ab omnibus credita est,* ut dissensus Gallicanorum monstrat. Ergo non est veritas catholica. — Tantum id erat semper veritas *revelata et ab ecclesia ut talis proposita, seu dogma fide divina catholica ab omnibus explicite credendum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus explicite creditum est, c.; tantum id est veritas in se revelata,* quod semper et ubique et ab omnibus explicite creditum est, *n.* — Cf. de profectu fidei in hac veritate agnoscenda diff. praeced. — Alii aliquo alio modo Canonem. Vincentii explicant.

In Concilio Vaticano *Pius IX* « sacro approbante Concilio » *suam infallibilitatem definivit* (D. 1825); ergo ipse Pontifex suam infallibilitatem definivit. Iamvero ipse eam *non poterat definire, nisi iam prius agnita erat.* Ergo in definitione Vaticana habetur circulus vitiosus. — *a) N. suppositum, solum Pontificem definivisse.* Definitio erat actus moraliter unus totius *Concilii* (Cf. ob p. 124). Iamvero hoc sane iam notum erat, Concilium infallibile esse in suis definitionibus. *b) Etsi solus papa suam infallibilitatem definivisset, tamen non esset circulus vitiosus.* Etenim semper notum erat, omnes debere id credere, quod Pontifex sub conditione negatae suae communionis credendum imponeret. Imposuit vero suam infallibilitatem. Ergo. Cf. diff. paenultimam.

Si papa in Concilio infallibiliter doceret, *episcopi non essent iudices fidei.* Atqui sunt iudices fidei. — *a)* Difficultas tantum videtur locum habere, si statuitur, etiam in definitione Concilii papam

esse unicum subiectum immediatum infallibilitatis. A qua quaestione abstrahimus. Unde difficultas non est proprie contra hanc thesim. *b)* Etsi ita esset, *nego consequentiam.* In conceptu iudicis non includitur ut sit iudex supremus, atque iam per se solum rem ultimatim decidere possit. Sufficit ut unusquisque ex se *rem in tantum decidat, in quantum potest, ut autem ratio ultimi definitivi ex eo sit, quod actus iudicum subordinatorum cum actu iudicis supremi in unum actum moralem conspirent.* Cf. ampliora in Tract. de Concil. Lith. p. 5-6.

Si papa leges fidei daret, *ipse se obligaret ad credendum.* Atqui hoc impossibile est. — N. ma. In lege fidei ex natura rei ratio actus iurisdictionis tantum inesse potest erga subditos. Pontifex ponit conditionem, qua posita ipse legi divinae, quae unitatem fidei pro universa ecclesia vult, se submittere tenetur.

Propositio. Unanimis consensus Patrum est irrefragabile argumentum theologicum. — *Cf. Lith. v. II p. 21-37.*

Qual. — Veritas definita a Concil. Trid. D. 786 quoad res fidei et morum in Scriptura contentas; in aperta ecclesiae confessione quoad res fidei et morum in genere.

Adv. — Iidem qui in genere auctoritatem ecclesiae negant.

St. qu. — *Definitio Patris.* — Ad rationem Patris pertinet *a) Antiquitas* (usque ad S. Gregorium Magnum vel Bernardum). *b) Sanctitas* vitae. *c) Doctrina in genere ab ecclesia laudata.* — Non vero ad rationem Patris pertinet, ut sit episcopus.

Functio doctoris *publici* in eo est, ut Pater aliquid ex sua rata sententia *uti a Catholico qua tali tenendum* imponere intendat. Si illud proponit ut iam *actu creditum ab ecclesia universa,* habet rationem *testis* fidei sensu stricto. Si ut *tenendum,* sive proponendo illud ut in fontibus fidei contentum, sive explicando contenta vel ex iis concludendo, habet simpliciter rationem *doctoris* publici sensu strictiori talis. — Functio doctoris *privati* in eo est, ut Pater in re fidei et morum proponat aliquid ut suam privatam sententiam.

Thesis valet de Patribus in quantum respiciuntur ut testes sive doctores publici.

Conditio obiectiva infallibilitatis Patrum est, ut agatur *de rebus,* quae *obiective ad magisterium ecclesiae spectant.* Quae tamen non hac sed sequenti thesi accurate determinantur. Solent comprehendi formula « *res fidei et morum* ».

Haec formula certe *non* includit *res profanas, in quantum tales sunt.* Neque hac formula negatur, a Deo *revelatum* esse, *qui mores* in nostra vita resplendere debeant. Sed res morum opponuntur iis rebus revelatis, quae non opere complendae, sed tantum cre-

dendae sunt, uti v. g. est Trinitas. Cf. Tract. de ipsa theol. p. 21-3. — Sunt qui putent, hac formula explicite tantum sermonem esse de rebus revelatis; qui tamen non negant, eum, qui eas docere possit, vi consequentiae etiam res connexas docere posse. Alii putant, res fidei explicite *etiam dicere res cum revelatis connexas*. — Sunt, qui putent, hac formula etiam comprehendi res in Scriptura mere per accidens inspiratas: at generatim rectius statuitur, ea comprehendi tantum eiusmodi res, quae sunt per se revelatae vel cum iis necessarium nexum habent. Per se revelata autem sunt ea, quae ex natura sua serviunt ad iuvandum hominem, ut finem suum ultimum in hoc ordine consequatur.

Conditiones obiectivae et simul signa, quae ad infallibilem doctrinam Patrum notificandam sufficiunt, sunt haec: ut *a)* proponant rem a Catholicis qua talibus tenendam: *b)* idque in consensu. — Si haec signa adsunt, sequitur, id quod docent esse rem fidei et morum. Nequaquam vero ad eum finem, ut doctrina Patrum tenenda sit, requiritur, ut iam ante considerationem modi, quo doctrinam uti tenendam proponunt, ex ipso examine doctrinae eius in se spectatae constet, eam esse de re fidei et morum.

Pars I. Patres nonnisi in rebus fidei et morum infallibiles sunt.

Arg. — Patrum auctoritas non est nisi *quidam modus, quo auctoritas ecclesiae nobis applicatur.* Atqui Ecclesia non est infallibilis nisi in rebus fidei et morum. — Accedunt evidentes errores Patrum in aliis rebus.

Pars II. Requiritur ut Patres doctrinam proponant ut tenendam a Catholicis qua talibus.

Arg. — Quaecumque *ecclesia* infallibiliter docet, *nonnisi tali ratione docere potest.* Atqui auctoritas Patrum non est, nisi quidam modus quo auctoritas Ecclesiae nobis applicatur.

Pars III. Requiritur ut Patres loquantur in consensu.

Cum nulla specialis promissio divina infallibilitatis facta sit pro ipsis Patribus, videndum est, num habeatur connexio indivulsa inter doctrinam Patrum et doctrinam hierarchiae ecclesiasticae vel fidem omnium fidelium.

PER SE NON SUFFICIT ASSERTIO UNIUS PATRIS VEL ALIQUORUM.

Arg. — 1) E ratione interna. — Nulla ratio ostendi potest, cur dicatur, nullum Patrem unquam potuisse bona fide pervenire ad iudicium atque doctrinam, aut aliquid ab universa ecclesia credi, quod tantum in parte credebatur, aut aliquid esse in fontibus fidei contentum vel cum fide connexum, quod ita non se habebat.

2) Exempla. — S. Fulgentius docet, esse unum e 40 punctis certissime credendis, parvulos ante baptisma morientes in aeternum cruciari; S. Iustinus explicat Scripturae locos, quasi iis regnum Millenarium doceretur.

SUFFICIT UNANIMIS CONSENSUS.

Arg. — **1) E relatione Patrum ad fidem ecclesiae.** — Patres, utpote insigniores doctores sui aevi, erant quasi os *ecclesiasticae auctoritatis*, quae eorum doctrinae adhaerebat eamque laudabat. Unde « doctrinam, quam in materia fidei Patres unanimi et rato consensu docebant, necesse erat ab ipsis transire in fidem cleri et a clero in fidem totius *populi fidelis...* ».

2) E dolibus Patrum. *a) Mendacium* in re fidei et morum exclusum est ob sanctitatem eorum. *b)* Etiam error unanimis *exclusus* est. Nam multi erant; attenti, cum ageretur de re magni momenti. Si de fide actuali ecclesiae agebatur, res testificanda non valde difficilis erat. Si de conclusione theologica vel similibus, unanimitati erroris obstat diversitas indolis, regionis, formationis philosophicae etc.

3) E Conciliis universalibus. — Ea provocant ad consensum Patrum ut ad regulam fidei. — Ephes.: Sequendum esse, quod « *consentiens sanctorum Patrum tenuerit antiquitas* ». Nicaen. II. *Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, i. e. Traditio Ecclesiae catholicae* ». D. 307. — Trid.: Ne quis « contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam interpretari audeat ».

4) E persuasione scriptorum catholicorum. — Ita *August.* argumentatur. Enumerat pro peccato originali *demonstrando* undecim maioris nominis, « caeterosque socios.... et universam Christi ecclesiam, cui.... dominica cibaria fideliter ministrantes... ». — Medio aevo « *libri sententiarum* » i. e. Patrum colligebantur uti collectiones earum sententiarum, quae auctoritatem in theologia facerent. — Leo XIII in Encycl. « Providentissimus » de sensu testimoniorum biblicorum docet, ex Patrum « consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditam esse nitide eminet ».

Ob. — Scripta quae supersunt, *non exhibent imaginem priorum saeculorum.* Nam mala fide ecclesia posterior omnia destruxit, quae persuasionibus posterioribus contraria erant. — N. ass. et rat. additam, quae neque cum auctoritate humana ecclesiae catholicae aliunde certa, neque cum charismate infallibilitatis componi potest. Augustinus de omnibus scriptis praeter libros canonicos ait: « non *ideo verum putem, quia ipsi senserunt* ». — S. Thomas: « arguendo..., *probabiliter* tantummodo ». — Loquuntur de Patribus sive qua *singulis*, sive ita docentibus, ut aliquod aliud ex elementis ad infallibilem eorum auctoritatem requisitis desit.

Tot *errores* in rebus v. g. *physicis habent.* — Ea non imponebant a Catholicis ut talibus tenenda.

Eos errores a catholicis ut talibus tenendos docuerunt. Nam *secundum eas ideas explicabant Scripturas,* v. g. Hexaëmeron. — N., Patres tales explicationes ut a Catholicis tenendas proposuisse.

Patres antenicaeni docuerunt regnum Millenarium. — Eiusmodi regnum Millenarium, in quo a sanctis *serviretur voluptatibus carnis et ritibus Iudaicis,* quale haeretici quidam defendebant n.; *aliud,* in quo resuscitati cum Christo per mille annos in Ierusalem regnarent *sine his voluptatibus et ritibus,* subdist.: *ita docuerunt in consensu et ut rem ab Ecclesia creditam vel credendam, n.;* quidam et ut rem, de qua nondum in Ecclesia universaliter constaret, c. Erant fere 12, e quibus maior pars minoris auctoritatis. Oppugnabat eos v. g. Dionys. Alex. Quidam e defensoribus data opera concedebant, etiam aliam sententiam permitti. Ita v. g. Iustin., Iren. *Hilarius, Ambr., Chrysost, Aug., Bern. affirmant, visionem beatificam etiam iis animis, quae sine reatu culpae et poenae sunt, non concedi nisi post resurrectionem carnis. — a) Maior pars Patrum clare oppositum* docet. *b)* Ii ipsi Patres qui hanc falsam sententiam tradunt, *aliquando contrariam profitentur,* praecipue cum Sanctos celebrant; aliquando eam saltem *permittunt,*. V. g. S. August.: « quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt ». « De sanctis hominibus merito *quaeri* ». (Aliqui hos Patres benigniore modo explicant).

Patres locum *Hebr. 6, 4-6:* « Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, renovari ad poenitentiam », explicant de impossibilitate secundi baptismatis; *Is. 53, 8:* « Generationem eius quis enarrabit » de mirabili nativitate Christi sive e Patre aeterno sive e Virgine. Iamvero recentiores exegetae, permittente ecclesia, aliter hos textus explicant. — Patres has explicationes proponunt ut unice catholicas, n. V. g. in primo casu tota intentio est, ut absolute excludant haereticam explicationem, impossibile esse, peccata gravia post baptismum commissa remitti. Unde nequaquam reiecissent aliam, contextui magis conformem, apostatas difficillime converti. In secundo casu iam ipsi non unam solam explicationem habent.

Scholion. — De criteriis, secundum quae auctoritas Patrum cognosci possit.

1) Pater aliquis *ut testis fidei ecclesiae vel doctor publicus* aliquam veritatem tradere vult, si v. g. dicit: eam credi; eam revelatam esse; eam ab omnibus teneri; contradictoriam haereticam vel non - catholicam esse; eam a catholico tenendam esse; si pro ea ad traditionem apostolicam, ad magisterium eccl esia provocat; generatim si eam in praedicationibus inculcat. — *Non vero ita loqui intendit,* si eam tantum ut probabilem profert; si contrariam ut a fide non alienam habet; generatim si *tantum* scientifice argumentando sententiam statuit.

2) Patres *in consensu docere diversis modis* cognoscitur: *Aliquando iam sufficit, ut unus vel paucissimi considerentur*, si scilicit ii paucissimi erant *duces*, qui tota ecclesia plaudente, certum aliquod punctum doctrinae contra specialem quandam haeresim defendebant. V. g. ita Athanasius contra Arium divinitatem Filii defendit. — Sufficiunt *plures, si primo sunt plane insignes doctrinae laude, si secundo diversis locis floruerunt, si tertio loquuntur ut testes fidei praesentis in ecclesia coaeva.* Alias actum esset de fide ipsa historica. Cf. arg. quartum. — Si vero loquuntur non ut testes fidei praesentis, sed *ut doctores*, ut e doctrina plurium ad consensum caeterorum concludi possit, necesse est non tantum, *doctores* esse ex *insignioribus*, verum etiam illud *tempus* esse *sat longum et continuum, regionas diversas.* Etenim tantum si hae conditiones obtinent, ipse hic consensus talium plurium signum est quaestionis iam eliquatae, in qua proinde caeteri Patres non dissentiebant.

Quae etiam ex *modo* demonstrantur, quo *Concilia e Patribus vel posteriores Patres e prioribus* argumentati sunt.

Propositio. Magisterium ecclesiasticum infallibile est in docendis iis veritatibus, quae requiruntur ut revelationis depositum integrum custodiatur. In specie haec infallibilitas ecclesiae docentis etiam extenditur ad proscribendas propositiones absque nota haeresis et ad facta dogmatica. — *Lith. v. II p. 39-56.*

Conn. mat. — *Postquam consideravimus subiectum infallibilitatis, ab eo* accuratiora de obiecto infallibilitatis discimus.

St. qu. — Supponitur ut probatum (id quod probabitur in tractatu de Fide), revelationem *esse clausam.* Unde explicatur, esse sermonem de revelationis *deposito.* — Supponitur quoque probatum, ecclesiam infallibilem esse in tradendis veritatibus *per se seu propter se revelatis.* Quae constituunt obiectum *primarium* infallibilitatis. Quaeritur hic, num infallibilitas extendatur etiam ad eas omnes veritates, quae *sive per se sive saltem ratione adiunctorum connectuntur cum iis, quae per se revelatae sunt.* Quae veritates constituunt obiectum *secundarium* infallibilitatis.

Parte priore probamus *principium,* infallibilitatem extendi ad omnes veritates connexas; parte secunda et tertia hoc principium ad quosdam casus particulares *applicamus.*

Connexas dicimus eas veritates, quae sive per se sive ratione adiunctorum requiruntur, ut depositum fidei in mentibus fidelium credendo custodiatur integrum. In quo includitur, ut legitime explicetur atque contra adversarios defendatur.

In diversis partibus theseos argumentum *e praxi ecclesiae* docentis adducimus. Quod argumentum innitur in hac veritate probata: Christus Mt. 28, 20 promisit ecclesiae infallibilitatem *in omnibus quaecumque mandavit ut doceret.* Iamvero ecclesia non potest errare in doctrina de limitibus huius potestatis acceptae, quippe quae est doctrina de intelligendis verbis Christi seu de intelligenda ipsa revelatione. Iamvero sicuti erraret, si thetice proponeret, se habere mandatum docendi eiusmodi res, quas ut doceret praeceptum de facto non accepisset, ita etiam erraret, si practice continuo doceret tales res quales ut doceret mandatum non accepisset. Docendo enim continuo, implicite asserit, se accepisse mandatum docendi. Ergo ecclesia neque errare potest in praxi, qua certa genera veritatum docet.

Pars I. Magisterium ecclesiasticum infallibile est in docendis iis veritatibus, quae requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur.

Qual. — Contradictorium saltem est error in fide.

Arg. — 1) **Ex auctoritate theologorum.** — Conveniunt, ipsam assertionem a Catholicis ut talibus admittendam esse. Tantum disputant de gradu censurae. — Catalogus quidam auctorum apud Cardenas.

2) **E praxi ecclesiae.** — Ecclesia per decursum saeculorum saepissime res non revelatas ita decidit, ut irrevocabilem, infallibilem assensum in eas imponeret. Ergo agnovit hoc principium, se saltem tunc hac potestate gaudere, quando hoc ad finem primarium infallibilitatis obtinendum necessarium fuerit. — Ad min.: Vulgatam continere substantialiter Scripturam sacram. D. 784. Porro cf. partes sequentes huius theseos.

3) **E natura rei.** — Deus dedit ecclesiae potestatem ad omnia, quae necessaria sunt, ut fides in veritates per se revelatas in mentibus fidelium pure et integre permaneat. Atqui *infallibiliter decidere quaestiones, quae requiruntur ad depositum revelationis integrum custodiendum, se habet ut medium ad hunc finem necessarium.* Ergo.

Prob. min. per *exempla.* Qui affirmat, sententiam veritati revelatae mediate oppositam, non potest rationabiliter adhaerere ipsi veritati revelatae. Ergo ecclesia debet posse iubere, ut haec sententia ut falsa absolute interne relinquatur et opposita admittatur. Atqui hoc rationabiliter facere non potest, nisi sit infallibilis in his decisionibus. — Aliquod medium necessarium ad conservandum depositum fidei est, ut Scriptura in rebus fidei et morum incorrupta servetur. Atqui Scriptura originalis non iam habetur. Ergo ecclesia debet posse infallibiliter determinare, num haec vel illa versio res fidei et morum recte contineat.

Ob. — *Christus non promisit hanc potestatem.* — Non explicite, tr. cf. tamen Io. 16, 3: « omnem veritatem » i. e. necessariam ad finem ecclesiae »; non *saltem implicite*, ut medium necessarium ad obtinendum finem potestatis explicite concessae, ut scilicet possit res per se revelatas infallibiliter decidere, n.

Ecclesia ergo infallibilis est in *grammatica et critica* (cum agitur de textibus Scripturae vel Patrum), in philosophia etc.? — Quoad eas partes harum scientiarum, *quae requiruntur ad revelationem integre custodiendam*, c.

Quod non est revelatum, nequit definiri. — Nequit definiri *ut revelatum*, c.; non ut verum, n.

Etiam optimi theologi, v. g. Suarez, *tantum infallibilitatem* Pontificis (et consequenter ecclesiae) *in rebus per se revelatis proponunt.* — Designant obiectum *principale* infallibilitatis Pontificis, in quo ea inclusa intelliguntur, quae logice ex eo consequuntur. Ita agunt ubi data opera de subiecto infallibilitatis agunt. Ubi data opera de eius obiecto tractant, nostram thesim statuunt.

Pars II. Haec infallibilitas ecclesiae docentis extenditur ad proscribendas propositiones absque nota haeresis. — *Lith. p. 41-4.*

Qual. — Ut supra.

Adv. — V. g. Holden, Muratori, Klüpfel, Chrismann. — Plures Veteres-Catholici.

St. qu. — Proscribere propositionem dicit *actum auctoritatis ecclesiasticae, quo aliquam propositionem declarat fidei aliquo modo aut contrariam aut nociam.* — Contraria fidei dicitur aliqua propositio, eo quod habet oppositionem ad ipsam veritatem de qua agitur; nociva eo, quod aliud periculum pro fide in se continet.

Haeretica est ea propositio, quae *immediate opponitur* eiusmodi propositioni, quae *primo formaliter revelata est*, quae *secundo simul ut talis per magisterium ecclesiae sive solemne sive ordinarium clare proposita est.* — Ecclesiam esse infallibilem in ferenda censura haereseos, non hic demonstratur, sed per se in ea thesi, in qua probatur infallibilitas ecclesiae in definiendis veritatibus revelatis probatum supponitur. Quodsi enim definire potest aliquid esse conforme veritati revelatae, etiam debet definire posse, contradictorium esse difforme a veritate revelata.

Erronea est ea propositio, quae primo *obiective opposita est conclusioni ex dogmate* (vel veritati, quae saltem est conclusio ex dogmate), quae secundo simul ut talis clare non huic vel illi docto sed communiter in ecclesia nota est.

Haeresi proxima saepe dicitur eiusmodi propositio erronea, quae a multis iudicatur directe opposita veritati revelatae.

Temerarium dupliciter dicitur. *Uno modo*, quo non constituit notam distinctam ab iis quas iam diximus, dicitur *de omni propositione haeretica, erronea,* etc. in quantum omnis talis nota praeter obiectivam falsitatem *denotat despectum veritatis optime fondatae.*

Alio modo dicitur de propositione, *in quantum ea hoc solum in se habet, quod sine fundamento sufficienti a sententia communi recedit.* Directe non edicitur falsitas huius sententiae. Disputant auctores, num semper necessario sit falsa.

Male sonans dicitur propositio, quae verbis incongruis sensum verum enuntiat, atque propterea facile male intelligitur. Est exemplum propositionis tantum nocivae rectae fidei. — Sunt plurimae aliae notae.

Arg. — 1) **Ex auctoritate theologorum.** — Tantum disputant de nota danda negationi huius theseos.

2) **E praxi ecclesiae.** — Ecclesia censuras etiam infra haeresim fidelibus firmissime tenendas imposuit. V. g. *Conc. Const.:* « definit [ex articulis infrascriptis] plures esse erroneos, alios scandalosos, alios piorum aurium offensivos... ».

3) **E necessitate huius potestatis.** — Cf. arg. analogum partis praecedentis saltem quoad eas propositiones, quae habent oppositionem indirectam cum ipsa veritate tenenda.

Ob. — Sufficit *vetare, quominus libri, sermones, qui falsas sententias continent, legantur vel audiantur. — a)* Tr. Si ita esset tantum tertium, non vero primum vel secundum argumentum rueret. Disceremus, Deum ecclesiae concessisse non tantum necessaria, verum etiam utilia. *b)* N. ass. Si ecclesia non esset infallibilis in his censuris, posset approbare falsa, laudare nociva, atque ita fidem rationabilem impossibilem reddere, vel ei nocumentum afferre.

Ecclesia in censuris ferendis *aliquando damnat in globo,* i. e. dicit, aliquam e diversis censuris quae enumerantur, sententiis damnatis convenire, quin determinet, quae censura huic vel illi propositioni conveniat. *Ergo nulla utilitas* ex tali damnatione habetur. — *Non tanta quanta haberetur, si sua nota unicuique censurae daretur, c.;* nulla, n.

Pars III. Infallibilitas ecclesiae extenditur etiam ad facta dogmatica. — *Lith. p. 44-56.*

Qual. — Uti in prima parte.

Adv. — Praecipue Iansenistae.

St. qu. — *Definitio.* — Factum dogmaticum *sensu latissimo* intelligitur factum, quod necessariam connexionem cum dogmate habet. Intelligitur necessitas saltem consequens. V. g. legitimitas Concilii, alicuius oecumenici. — Sensu *latiore est sensus ab auctore intentus,*

qui de facto *in aliquo scripto dogmatico* inest. — Sensu *strictissimo* dicitur *sensus haereticus*, qui *e mente auctoris* in aliquo scripto invenitur.

Ratio cur praecipue sensus haereticus, qui de facto in aliquo libro haeretico inest, dictus sit factum dogmaticum, haec est: *Iansenistae* affirmabant, circa quinque propositiones damnatas Iansenii duas quaestiones moveri posse: unam, *quaestionem iuris*, num propositiones *spectatae* prout iacent, *seorsum a contextu libri*, sint haereticae, et in hac quaestione ecclesiam esse infallibilem; aliam, *quaestionem facti*, num hae propositiones, *prout in libro Iansenii ex eius mente invenirentur*, sint haereticae, et in hac quaestione ecclesiam non esse infallibilem. — Iansenistae concedebant infallibilitatem ecclesiae in decidendo, num sensus v. g. scriptorum Patrum e mente ipsorum auctorum sit dogmati conformis.

Explicatur ulterius ratio facti dogmatici. — Sensus auctoris vel ab auctore intentus intelligitur sensus auctoris *qua auctoris*, i. e. *ille sensus quem auctor expressit*, seu ille, quem verba, si *secundum usum loquendi hominum communem et secundum regulas rectas hermeneuticae* sumuntur, prae se ferunt. Qui sensus absolute *potest esse diversus ab eo sensu, quem auctor interne intendit et exprimere voluit.* Potest enim esse, ut quis alium sensum exprimere voluerit, alium, ob defectum v. g. attentionis in eligendis expressionibus de facto exprimat. — Ecclesia in damnandis propositionibus non respicit sensum internum, cum *sensus internus, qua reconditus, fidelibus nocere non possit*, sed sensum auctoris qua auctoris (vel aliquando sensum prout iacet).

Arg. — **1). Ex auctoritate theologorum**, qui rem ut absolute tenendam tradunt. Disputant tantum de nota quae thesi contradictoriae danda sit.

2) E praxi ecclesiae. — E multis pauca: *Patres Concilii Ephesini:* « *Nestorii* epistulam et dogmata anathematizamus ».

Concil. oecum. V: « Si quis defendit impia *scripta Theodoreti et non anathematizaverit* praedicta impiissime conscripta, a. s. ». D. 226. — Imo Concilium V tantum convocatum est ad decidendam quaestionem de damnatione *trium capitulorum: i. e. librorum Theodori Mopsuesteni, scriptorum Theodoreti contra Cyril. Alex., epistulae Ibae.* Agebatur de applicatione principii, ecclesiam scripta damnare posse, ad haec tria scripta. Ipsum principium ab universa ecclesia agnitum erat. Unde thesis nostra ut vera agnita erat fundamentum omnium, quae circa hoc Conc. et tria capitula acta sunt.

Martinus V « Utrum credunt, *libros* et doctrinas eorum (*Wicleff*, Hus...) fuisse perversos ».

Alexander VII 1556 declaravit et definivit, *quinque illas propositiones (Iansenii)* « in sensu ab eodem auctore intento damnatas fuisse ». D. 1098. Postulavit 1665 subscribi formulae: « . . . quinque

propositiones (Iansenii).... in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones sedes apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno et ita iuro ». D. 1099. — Clemens XI declaravit, his constitutionibus silentio obsequioso « minime satisfieri ». Eum sensum « *ut haereticum non ore solum sed et corde reici ac damnari debere* ». D. 1350.

3) Ratio interna. — Ex natura vel fine verborum « sequitur, absolute loquendo *veritatem* inter homines nullam communicari posse omnino nude, i. e. omni signo sensibili carentem ; ac proinde *in omni iudicio de veritate prolata contineri duplex iudicium, alterum directum de veritate in se spectata, alterum indirectum de veritatis vehiculo sive signo.* Itaque si Christus Ecclesiam instituit iudicem de doctrinis inter homines propagatis vel propagandis, simul eam instituit iudicem de signis, quibus transmittuntur ac proinde verbis et sententiis, quibus vestiuntur ».

4) Ex adversariorum concessione constat, ecclesiam de orthodoxia alicuius textus in sensu ab auctore intento infallibiliter decidere posse. Ego a pari.

Ob. — *Tantum veritates revelatae sunt obiectum magisterii ecclesiastici.* — *Primarium*, c. ; unicum n. Cf. pars I. Haec obiectio erat principalis Iansenistarum.

Facta dogmatica crederentur fide aut ecclesiastica aut divina. *Atqui fides ecclesiastica non exsistit ; divina nequit habere facta dogmatica ut obiectum*, cum Deus nihil dixerit v. g. de eo facto, quis sensus a Iansenio intentus sit. — *a) Certe credenda* sunt, cum ecclesia id postulet. *Num fide ecclesiastica, an divina, ulterior quaestio est. b)* Generatim fides ecclesiastica statuitur. A quibusdam tantum fides divina statuitur, quae sit ob auctoritatem Dei, qui revelavit potestatem ecclesiae infallibiliter decidendi de factis dogmaticis, et consequenter ea omnia approbavit quae ecclesia decidit. A quibusdam fides et ecclesiastica et divina statuitur. Quid tenendum sit, in tractatu de fide docetur.

Sensum alicuius scripti haereticum esse non poterat credi immediate postquam liber scriptus erat. Iamvero postea nihil *in* libro mutatum est. — *Circa* sententiam scriptam mutatio ea facta est, quod *Ecclesia eam postea ut haereticam iudicavit.*

Dogma tutum manet, dummodo haeretica doctrina damnetur prout iacet. Ergo nulla necessitas decisionis Ecclesiae de sensu ab auctore intento. — Veritas in se, porro eam esse revelatam, inconcussum manet c., imo hoc etiam inconcussum maneret in se, etsi ecclesia contradictoriam sententiam neque posset damnare « prouti iacet » ; prouti est credenda a fidelibus, n.

Si evidens est, sensum esse haereticum, non est necessaria decisio ecclesiae ; *si non est evidens, quaestio redit ad id ut sensus personalis internus auctoris examini subiciatur*, in quo tamen ecclesia

infallibilis non est. — N. utrumque assertum. Ad rationes additas: Etiam evidentia aliquando in sensum oppositum detorquentur. *Etiam sensus auctoris qua auctoris potest* per ulteriorem inquisitionem secundum regulas hermeneuticas *ex dubio certus fieri.*

Ecclesia eodem modo personas haereticas damnavit quo scripta eorum. Atqui in personis damnandis non est infallibilis Ergo neque in scriptis damnandis. Prob. ma.: Damnamus « Theodorum cum nefandis eius scriptis ». Conc. V., etc. — N. ass. Ad rat. additam: Concilia talibus phrasibus videntur considerare *homines qua haeresim in sensu ab auctoribus intento exprimentes,* non vero agere de quaestione, num ii subiective peccatum haereseos commiserint. Quodsi autem Ecclesia propter haeresim eos *punit,* tunc iudicium de *peccato* exercet, *in quo sibi infallibilitatem non ascribit.*

Doctrina haec *nova* est! — N. *Vox* « factum dogmaticum » pro re de qua agitur, nova est.

Concilium Chalcedonense tria capitula approbavit, Concilium vero V sub Vigilio ea reprobavit. — N. primam partem asserti. *Conc. Chalc. non reprobavit Theodorum Mopsuestenum eiusque scripta,* sed nihil de iis dixit; *orthodoxas declaravit personas: Theodoretum Cyrensem, Ibam, quia verbis ad scripta adiectis orthodoxam fidem amplectebantur.* Concil. V vero scripta eorum trium auctorum in sensu ab auctoribus expresso reprobavit. Ergo nulla oppositio inter Conc. Chalc. et oecum. V habetur.

Vigilius 547 in epistula ad Mennam *vituperavit damnationem trium capitulorum;* 548 *ea capitula per « Iudicatum » damnavit;* deinde in « Constitutum » *revocavit « Iudicatum »;* tandem per « Constitutum secundum » *revocavit « Constitutum » primum et tria* capitula *denuo damnavit.* Ergo Romanus Pontifex, et consequenter ecclesia, in factis dogmaticis *infallibilis non est.* — Aliquando Vigilius *ex cathedra* decidit, *aliquod scriptum haereticum esse,* aliquando ex cathedra decidit, illud haereticum *non esse,* n., imo neque minore auctoritate quam ea, quae in locutione ex cathedra habetur, eiusmodi sententias inter se contrarias docuit; *aliquando* ob rationes prudentiae decidit, *rem non esse tractandam, aliquando,* mutatis circumstantiis, *eam tractavit, semper tamen eodem modo* quaestionem de sensu ab auctoribus intento *decidit,* c.

Ad singula: In epistola ad Mennam Vigilius vituperat damnationem trium capitulorum, non quasi recta essent, quae in iis continentur, sed quia putabat, admittendam non esse praxim novam *damnandi scripta eiusmodi auctorum, qui in pace ecclesiae mortui erant, sub nomine eorum auctorum.*

In « *Iudicatum* », cum schisma Orientalium timeri posset si capitula non damnaret, novam praxim amplexus est, eaque damnavit.

In « *Constitutum* » *quod primum dicitur, vetat rem interim tractari.* Nam ex una parte quaedam partes Occidentis ob « Iudicatum » a

papa secesserant; ex alia parte imperator promiserat convocari Concil. oecumenicum quod de re ageret. Damnat vero ipsam doctrinam trium Capitulorum.

Interim Concil. V, cui imperator « Constitutum » papae non communicaverat, tria capitula sub nomine auctorum damnaverat. Vigilius vero, cum videret ex parte Occidentis schisma non iam imminere si acquiesceret Patribus Concilii, ex parte Orientis vero illud imminere, si non acquiesceret, tandem *solemni iudicio decreto Patrum Concilii adhaesit.*

E testimonio ipsorum Romanorum Pontificum patet, Conc. V non fuisse infallibile in decidendis factis istis dogmaticis. — N. ass. et rationes additas, quae huiusmodi fere sunt:

Pelagius II et Gregorius M. docent, in Concilio V *tantum de personis fuisse decisum.* — Sumendo expressionem « personae » ita, ut comprehendat omnia, quae non sunt id quod Iansenistae quaestionem iuris dicebant, proinde etiam sensum ab auctore intentum.

Pelagius II admonens, ut episcopi Istriae adhaerendo decretis Concilii ad pacem ecclesiae redeant, scribit: « Facile sentietis, quam sit periculosum pro *superfluis quaestionibus* et haereticorum defensione capitulorum.... ab universali ecclesia segregari ». Ergo quaestiones a Concilio tractatas superfluas habet. — Videtur dicere, inutile esse iam de sensu horum capitulorum quaerere, postquam res a Concilio definita sit. Forte inutiles quaestiones dicit eas de sensu interno, de peccato formali haereseos, etc. quae iis temporibus cum quaestione in Concil. V revera tractata saepe confundebantur.

Pelagius II in eadem epistula provocat *non ad infallibilitatem Concilii V, sed ad diligens examen rei* factam per Vigilium et ecclesias latinas. — *Unum aliud non excludit.*

Neque post damnationem trium capitulorum per Concilium V eorum defensores ab ecclesia separabantur. — Anathema dictum suspendebatur, usque dum omnibus *clare constaret, Concilium illud vere fuisse oecumenicum.*

Veteres quidam theologi uti Turrecremata, Bellarminus, thesim nostram negarunt. Nam admiserunt, Concilium V false *epistulas Honorii habuisse pro haereticis. — a) Tr.* Sufficit auctoritas theologorum unius aetatis. *b)* Bellarminus docuit infallibilitatem ecclesiae in factis dogmaticis diversis modis. Putavit vero, in casu dicto istos Patres solos, non vero Concilium uti a Romano Pontifice confirmatum, iudicasse Honorium *haereticum qua hominem.* Ergo sermo est *de facto non dogmatico.* Cf. De La Servière, Bellarmin. p. 121-4.

DE FONTIBUS REVELATIONIS

De Traditionibus divinis.

Conn. mat. — Ab ecclesia, quam ut infallibilem religionis revelatae magistram probavimus, discimus, qui sint fontes revelationis. Sunt vero tum *traditiones divinae a Deo non scriptae tum libri a Deo inspirante conscripti.*

Propositio. Revelatio continetur non solum in S. Scriptura, verum etiam in sine scripto Traditionibus.

Qual. — De fide divina catholica definita. Trid. D. 783.

Adv. — *Protestantes orthodoxi,* qui statuerunt, omnem revelationem in sola Scriptura contineri. Quam perfectionem Scripturae eius *sufficientiam* dixerunt.

Expl. term. — Traditio vi vocis et usu primario adhibetur **active,** pro **actu tradendi**. Ita « traditio instrumentorum ». — *Transfertur* in hac significatione activa primo *ad personas, quae actum tradendi exercent.* Ita traditio est *totum magisterium vivum* ecclesiae, quod doctrinas tradit. Transfertur secundo *ad media, quibus* illae personae utuntur ad doctrinas tradendas. Ita traditio sunt *v. g. decreta Pontificum.*

Traditio **passive sumitur pro re tradita,** *in specie pro doctrinis ab ecclesia traditis.* — Aliquando tota Scriptura sub termino traditionis subsumitur, cum ipsa quoque tota Scriptura Ecclesiae tradita sit, ut per eam transmittatur atque explicetur. At sensu technico doctrina dicitur tradita, in quantum aut non est scripta a Deo sed tantum alio modo ecclesiae tradita, aut saltem in quantum, etsi simul a Deo scripta et simul alio modo ecclesiae tradita est, tamen praecise iuxta hanc secundam formalitatem consideratur.

Traditio passive in hoc sensu technico sumpta secundum diversos respectus dividitur. Scilicet

Ratione originis: *Divina* = veritas a Deo dicta; *humana* = non a Deo dicta.

Divina dicitur *dominica,* si a Deo per Christum dicta est; *divino-apostolica,* si a Deo dicta est et per apostolos promulgata.

Humana dicitur *apostolica,* si ab apostolis dicta est; *ecclesiastica,* si ab ecclesiastica auctoritate post apostolos.

Ratione materiae: *Dogmatica* quae res credendas imponit; *disciplinaris,* quae res mere faciendas. Dogmatica dicitur speculativa, si est res mere credenda; moralis si est praeceptum revelatum.

Ratione extensionis localis in *partialem, universalem* in tota ecclesia.

Ratione habitudinis ad Scripturam: *Inhaesiva,* si exhibet id, quod iam clare in sola Scriptura invenitur; *declarativa,* si clare exhibet id quod in Scriptura continetur obscure; *oralis*, i. e. pure oralis, si ea veritas, de qua agitur, nullo modo in Scriptura continetur.

Hac thesi agimus de solis traditionibus obiectivis divinis pure oralibus.

Arg. 1. E Patribus.

Euseb.: Apostoli « quaecumque... a perfecto suo magistro (Christo)... praecepta fuerant, tradiderunt *τὰ μὲν litteris, τὰ δὲ sine litteris...* ». — *Aug.* De re dogmatica, scilicet de non rebaptizandis iis, qui ab haereticis baptizati sunt: « Sicut multa (alia) quae non inveniuntur in litteris eorum (apostolorum) neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur ». — Orig.: « Pro hoc et ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam *parvulis baptismum* dare ». — Epiphan. postquam de commemoratione defunctorum egerat: « *Deum partim scripto, partim sine scripto docuisse;* matrem vero nostram ecclesiam decreta quaedam habere penes se, quae dissolvi evertique nequeant ».

Arg. 2. Ex exemplis.

In Scriptura non continetur, *omnes libros ad canonem N et V. T. pertinentes* inspiratos esse; *infantes baptizari* posse (Aug.: « e Scriptura nonnisi coniecturam »). Atqui haec sunt dogmata divinitus revelata. Ergo.

Arg. 3. E definitione Tridentini.

Tridentinum, agens de veritatibus credendis definit, eas « contineri in libris (a Deo) scriptis et *sine scripto traditionibus* ». Eas esse « tamquam vel *oretenus* a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas et *continua successione in Ecclesia* catholica *conservatas* ».

Arg. 4. Ex indole generali Scripturae.

Argumentum proponitur ut saltem *probabile*, quodque praeterea Protestantes apertae temeritatis convincat.

Analogia V. T. — Primo, nullum argumentum habetur, omnes revelationes quae Patriarchis factae erant, contineri in Pentateucho vel caeteris libris historicis, quos solos Iudaei per saecula habebant. Porro inter Iudaeos tempore Christi erat fides in *inspirationem librorum canonis V. T.* Iamvero haec veritates in V. T. saltem integre non continetur.

Origo et indoles, praeterea verba quaedam N. T. — *Origo et indoles:* Libri N. T. *scripti sunt, occasione specialis cuiusdam necessitatis,* quae in fidelibus aevi apostolici occurrebat. Iamvero, quamvis per se non absolute repugnet, quominus Spiritus Sanctus ita direxerit et fideles in quaestionibus ponendis et apostolos in responsis dan-

dis, ut tandem corpus integrum doctrinae formaretur, id tamen non tantum non probatur, sed si res cursum suum naturalem sequuntur, improbabile est. Nam *tantum de quibusdam interrogare solebant.*

Verba N. T. — S. Paulus fere usque ad tempus martyrii sui (2 Tim.), *saepe et instanter pro complenda doctrina sua dogmatica in epistulis suis proposita provocat ad traditiones pure orales.* Iamvero non bene capitur, cur apostoli, eo tempore, quo traditiones obiectivae a Scriptura distinctae e sententia adversariorum iamiam periturae erant, tanta cum emphasi et toties ad eas remiserint. Potius hoc signum est, « eos praecognovisse, semper eam futuram esse habitudinem scripturarum ad traditionem, qualis est habitudo partis ad totum ».

Ad ma. — 1 Cor. 11, 2 « *τὰς παραδόσεις μου* tenete ». Post quae verba doctrinas etiam dogmaticas de matrimonio exponit. — 2 Thes. 2, 14 : « Tenete *τὰς παραδόσεις μου,* quas didicistis sive per sermonem sive per epistulam nostram ». Immediate ante agitur praecipue de rebus fidei, nominatim de revelationibus eschatologicis. — 1 Tim. 6, 20 : « Depositum custodi, devitans... oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt ». — 2 Tim. 1, 14 : « Bonum depositum custodi ». — Quo modo hoc fieri debeat, docetur : 2 Tim. 2, 2 : « et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus ».

Obiectiones.

E Patribus.

Patres sufficientiam Scripturae docuerunt. V. g. *Tertul.* : « Adoro Scripturae *plenitudinem* » : Aug. : « In iis, quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur *illa omnia, quae continent fidem moresque vivendi...* ». — D. ass. : Docent *sufficientiam* Scripturae *ad id, ut omnes veritates revelatae ex iis deducantur, n. ; ad alios fines, c.* — Docent Scripturam sufficere :

1) Sine *traditionibus haereticorum* sive oralibus sive scriptis. Ita Tert. Marcioni ait : « Non recipio quod extra Scripturam *de tuo* infers ». Porro *sine disputationibus ad rem non pertinentibus.* Ita Cyr. Hier. : « Haec enim fides, cui nostram salutem debemus, *non ex commentitia disputatione,* sed ex divinarum Scripturarum demonstratione vim habet ».

2) *Ad quaedam dogmata statuenda.* V. g. Tert. « Adoro Scripturae plenitudinem » i. e. relate ad veritatem de creatione mundi demonstrandam. Ita *praecipue, si in disputatione cum haereticis,* qui auctoritatem ecclesiae negant, agitur de veritatibus quibusdam e sola Scriptura haurienda. V. g. S. Aug. contra Donatistas : « Sunt certi libri Dominici, quorum auctoritati utique credimus,.*. ibi quaeramus Ecclesiam* ».

3) *Ad omnes veritates, in quantum ipsa Scriptura docet infal-*

libilitatem ecclesiae, quae ecclesia omnes veritates conservat. V. g. Aug.: « Facimus, quod universae placuit ecclesiae, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas ».

E ratione theologica.

Etiam falsae doctrinae e traditionibus haustae sunt, v. g. Chiliasmus. — E traditionibus falsis, quae sive fingebantur sive ob defectum sufficientis inquisitionis a quibusdam pro genuinis habebantur, c.; e traditionibus genuinis, n.

Traditiones multae orales *incorruptae persistere nequeunt.* — Cum assistentia divina, quam ecclesiae promissam esse probavimus, n.; sine ea, tr. Cf. Tract. de rel. revel. in abstr. p. 27-8.

E Scriptura.

Ezech. 20, 18: « In *praeceptis Patrum vestrorum nolite incedere* ». — Nolite secundum verba et exempla eorum *idola colere.*

Mt. 15, 3: « Quare transgredimini mandata Dei propter *traditionem vestram* ». — Sermo est de traditione humana atque falsa, c.; de divina, n.

Lc. 14, 19: « Habent Moysen et prophetas, *audiant illos* ». Ergo non traditionem. — Quia iam eorum doctrinae sufficiebant *ad poenitentiam agendam.*

Io. 20, 31: « Haec *scripta sunt* ut *credatis,* quia Iesus est Christus filius Dei, et ut credentes *vitam aeternam habeatis* ». — Ea sufficiunt ad finem proximum ab apostolo dictum, scilicet ad fidem in Christum Filium Dei, c.; ad propositionem omnium veritatum credendarum, n. Non dicit Io., fidem in hunc solum articulum iam sufficere ad vitam aeternam habendam.

Io. 5, 39: « Scrutamini Scripturas... et ipsae sunt, quae *testimonium perhibent de me* ». Similes loci. — Sufficiebant sane ad demonstrandam eam veritatem, de qua sermo est, Iesum esse Messiam.

Act. 20, 27: Annuntiavi « omne consilium Dei vobis ». Act. 26, 22: « nihil dicens, quam ea, quae prophetae locuti sunt futura esse et Moyses ». Ergo omni *consilium Dei manifestatur in Scriptura.* — *a)* Act. 20, 27 sermo est de consilio Dei tantum quoad poenitentiam et fidem. Porro non dicitur, hoc in sola Scriptura contineri. *b)* Act. 26, 22 sermo est de una occasione, in qua Paulus quaedam determinata obiecta, passionem et resurrectionem Christi atque universalitatem salutis, e V. T. suasit.

2 Tim. 3, 16, 17: « *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum...* ut perfectus sit homo Dei ». — Num idem est eam utilem esse, atque iam per se solam sufficientem esse?

Gal. 1, 8: « Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis *praeterquam quod (παρ' ὅ) evangelizavimus vobis, anathema sit* ». — I. e. = *contra quod....* Nam ita hodie catholici, ipsi acatholici; contextus, qui reprehendit doctrinas diversas ab iis, quas Paulus praedicaverat.

Apoc. 12, 18: « Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas ». — Si quis ad hunc librum inspiratum *aliquid, ac si inspiratum esset, adiungeret.*

Scripturae sunt testamentum. Atqui *testamentum continet ultimam voluntatem testatoris.* Ergo Scripturae ultimam voluntatem Dei. — *a)* Dist. ma.: Scripturae dicuntur testamentum, in quantum continent illa duo pacto specialia, ordinem stabilem providentiae divinae constituentia, quae Deus ad montem Sina et in Christo cum humano genere pepigit, quaeque « in sanguine dedicata sunt » Hebr. 9, 18, c.; in quantum omnia quae Deus *ut credenda* revelavit, in illis libris continerentur, n. *b)* Quoad min.: Testamentum continet quasdam dispositiones testantis, c.; per se omnes, praecipue omnia quae eius auctoritate credenda sunt, n.

Scholion. I. — De exsistentia traditionum, quae declarativae vel mere inhaesivae sunt, cf. Lith. p. 45-50.

Scholion II. — De *criteriis,* secundum quae *traditiones divinae ab humano-apostolicis vel ecclesiasticis distinguuntur. — p. 51-6.*

Criteria, quibus cognoscatur aliquam traditionem non esse divinam.

Si *de usu aliquo* agitur: si ille *non iam servatur;* si *diversus est in diversis partibus ecclesiae,* in quantum diversus est, divinus non est.

Si *de doctrina aliqua* agitur: si *tantum per aliquod tempus in aliqua parte ecclesiae* erat; si post mortem apostolorum ut *nova* apparet.

Criteria, quae non sufficiunt, ut negetur, aliquam traditionem esse divinam.

Si *aliqua doctrina ab initio tantum in aliqua parte ecclesiae inveniebatur,* a qua scilicet in caeteras propaganda erat.

Si *aliqua doctrina tantum post aliquod tempus in literatura scripta commemoratur;* nihil enim repugnat, quominus per certum tempus tantum viva voce praedicata fuerit.

Si aliquis *ritus non subito* introductus est, v. g. diaconatus. Tempus enim aptum erat exspectandum.

Criteria, quibus cognoscatur, aliquam Traditionem esse divinam.

Si *Patres vel theologi in consensu affirmant,* eam esse divinam.

Si aliquod institutum observabatur, *a) inde ab initio et universaliter, b)* idque *ita ut ex circumstantiis pateat, illud fuisse observatum qua divinum.* Non sufficere videtur primum solum nude in se spectatum, uti v. g. habetur in dignitate metropolitana. Inter circumstantias praecipue consideretur, num eo sensu observata sit res, ut manifestaretur persuasio de eius *immutabilitate.* « Fere sola norma, eaque tutissima, sensus, praxis et ubi exstat iudicium ecclesiae ». Franzelin.

Si *analogia fidei* hanc conclusionem permittit. V. g. si scitur, aliquem ritum gratiam conferre, scitur eum esse institutum a Christo.

Si *aliquo saeculo* universaliter habita est ut divina. Nam ecclesia semper infallibilis est. — Argum. praescriptionis.

De inspiratione Scripturae. — *Cf. Tract. VI fasc. 1-4 p. 1-205.*

Introductio. — *p. 3-18.*

De obiecto formali quod huius tractatus. — *p. 3-13.*

Definitio. — Obiectum *materiale* huius tractatus constituunt ii libri, *quos* ecclesia catholica in Concil. Trid. sess. 4 D. 784 *sacros et canonicos declaravit.* Obiectum vero *formale quod* huius tractatus *ea perfectio librorum sacrorum, quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem.*

Declaratio. — Notio auctoris libri duo elementa continet: Primo, auctor *mentem suam alteri manifestat;* secundo, hoc ipsum facit *per effectionem signorum, quae* non ore sed *scripto format.*

Quae notio est *genus,* quod *duas quasi species* sub se continet: auctorem, qui *non utitur alia persona ut causa instrumentali suae scriptionis,* auctorem, qui alia persona tali modo *utitur.*

Saepe in vita cotidiana vox « *locutio* », « *loqui* », quibus proxime exhibetur manifestatio mentis per signa *ore* prolata, etiam adhibetur pro manifestatione mentis per signa *scripto* prolata. Quando hoc locum habeat, praecipue e contextu iudicandum est.

Inspiratio *active sumpta* dicitur *ea actio divina, qua ipse Deus auctor librorum sacrorum per hominem exsistit.* — Inspiratio *passive sumpta* est motio illa divina, qua Deus librum inspirat, in quantum hominne scribente recepta est. — Inspiratio *terminative sumpta* est liber ipse, qui ab homine procedit, in quantum hic homo inspirationem passive sumptam recepit.

Potest etiam exsistere inspiratio ad loquendum ore. De qua tamen in hoc tractatu non agimus.

Vox inspirationis olim frequentissime adhibebatur, ex parte *adhuc hodie* adhibetur ad *multos alios actus significandos,* quam ad eum actum quo Deus homine uti causa instrumentali in scribendo libro utitur. Unde contextus consulendus est.

Relatio revelationis ad inspirationem. — In tractatu de revelatione in abstracto considerata definita est revelatio: *locutio Dei attestans. Hac definitione etiam influxus inspirativus comprehenditur,* quia hic influxus eiusmodi est, ut per eum homo in instrumentum divinum elevetur, *per quod ipse Deus caeteris hominibus* scribit. Non vero affirmatur, eum influxum esse eiusmodi, ut Deus vi huius influxus ipsi hagiographo loquatur. — *p. 8-10.*

Aliae voces pro homine inspirato et inspiratione. — Homo inspiratus qua talis saepe antiquitus dicebatur propheta, *non* eo sensu, quo hodie generatim propheta sumitur, scilicet *homo qui futura*

quae a Deo didicit, annuntiat; sed eo sensu, quem Patres et Scriptura ante oculos habere solent: *homo qui a Deo motus, nomine Dei loquitur* (προ = loco alterius, φη = loqui) — *p. 11-12.* — Inspiratio divina active sumpta saepe etiam dicitur **dictatio, suggestio.** Quae qualis sit, ex ipso tractatu determinandum est.

De obiecto formali quo huius tractatus. — *p. 13-7.*

Arg. — Lumen sub quo tractatus nostri est *verbum Dei revelatum et ab ecclesia catholica infallibiliter conservatum et explicatum.* — De facto enim Deus inspirationem librorum sacrorum revelavit hancque revelationem ecclesiae tradidit. Unde sicut de aliis veritatibus revelatis, ita etiam de hac veritate tractatus dogmaticus elaborandus est. Id quod valeret, etsi inspiratio etiam naturaliter cognosci posset. Accedit quod haec possibilitas cognitionis naturalis de facto inspirationis ab auctoribus negatur.

Verbum Dei e quo argumentamur, primario sumitur pro *verbo Dei tradito, quod in Scriptura non continetur, vel pro Scriptura in quantum revelationem refert,* quam prophetae, Christus, apostoli praedicarunt; secundario tantum pro Scriptura *in quantum est inspirata.* — Ratio prima est, quia traditio de hoc dogmate tum ampliora tum clariora continet quam Scriptura. Secunda, quia ad stabiliendum ipsum factum inspirationis Scripturae in genere sumptae non potest recurri ad Scripturam, in quantum est inspirata, sed solum in quantum infallibili veritate narrat eam revelationem, quam prophetae, Christus, apostoli praedicarunt. Potest tamen ad Scripturam qua inspiratam recurri ad eum finem, ut talia de inspiratione probentur, qualia sequuntur ex ea inspiratione Scripturae generatim sumptae, quae antea probata fuerit ex Scriptura. quando considerabatur, in quantum enarrat revelationes a prophetis, Christo, apostolis nuntiatas.

Ob. — *Methodus mox statuta aprioristica est.* Iamvero, cum de aliquo effectu stabiliendo atque explicando agatur, methodus aposteriori-stica adhibenda est. — N. ma. et min. Etenim divisio illa argumentationis in aprioristicam et aposterioristicam dividit eam argumentationem, quae est ex motivo rei intrinseco, scilicet e causa ad effectum vel ex effectu, qui quasi aliquod rei intrinsecum consideratur, ad causam. *Argumentatio autem nostra,* utpote e verbo Dei, *est* argumentatio *e testimonio,* i. e. *ex motivo rei extrinseco.*

Propositio. — Libri sacri, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem. — *Cf. 1 p. 19-58.*

Qual. — De fide divina catholica definita. Vat. D. 1787.

Adv. — *Manichaei et Neo-Manichaei* concedebant, totam Scripturam ab aliqua causa praeternaturali uti scriptore principali profectam esse. Hanc tamen inspirationem tantum pro maiore parte Novi

Testamenti Deo vero ascribebant, *pro caeteris fere partibus Deo malo vel etiam diabolo.*

Rationalistae, Modernistae, quidam liberales Protestantes et Iudaei omnem influxum praeternaturalem ab his libris removent, tum quoad ipsam scriptionem, tum quoad modum quo pars veritatum scriptarum ad humanum genus primo pervenit.

Catholici quidam aliquem influxum praeternaturalem divinum sive circa librum conscriptum sive circa eius scriptionem admittebant (Cf. thes. tertiam), at non eum, quem hic statuimus. — *p. 21-2.*

Expl. term. — Hac thesi demonstrandum est, tum Deum esse *auctorem*, Scripturae, tum eum esse auctorem *mediante inspiratione* (Cf. p. 143). *Non tamen omni textu totum hoc edicitur.* Aliquando directe primum solum, indirecte secundum, in quantum Scriptura vel Patres aliis locis passim docent, Deum *per homines* scripsisse. Aliquando in aliquo loco tantum docent inspirationem, quin eam in eodem loco clare ut eiusmodi actionem exhibeant, qua Deus fiat auctor librorum, id quod tamen aliis in locis faciunt. Aliquando utrumque clare exhibent.

Praecipue ea testimonia proferimus, in quibus *aut universa Scriptura* aut *narrationes historicae ipsorum hagiographorum, quam maxime si de rebus profanis* agunt, *ad Deum ut narrantem reducuntur.* In talibus enim testimoniis clare excluditur ea explicatio, agi de Scriptura eatenus, quatenus revelationes a Deo factas, at humanitus scriptas, contineret.

Inspiratio *Spiritui Sancto per modum appropriationis* attribuitur. Etenim inspiratio est donum extraordinarium. Dona autem extraordinaria Spiritui Sancto attribuuntur, quia ipse ex personali proprietate donum est.

Arg. e consensu Patrum. — *P. 22-36.*

Pars I. Patres affirmant, Scripturam esse inspiratam.

Clem. Rom. — « Inspexistis diligenter Scripturas, quae verae sunt et *datae per Spiritum Sanctum* ». Eas vocat « *divina eloquia* ». Sub solemni formula « scriptum est » *etiam historica* affert, uti de Kain et Abel.

S. Iustinus. — Cum longam precationem Iudaeorum refert, ait: quemadmodum « *per Isaiam clamat Spiritus Sanctus,* ut ex persona eorum dicens haec ».

S. Irenaeus. — « Si omnium, quae in Scripturis requiruntur, absolutiones (solutiones) non possumus invenire.... cedere.... haec talia debemus Deo,... rectissime scientes, quia *Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae...* ». — Agitur de contradictione ab omnibus locis Scripturae removenda.

Auctor cohortationis ad Gentes. — Hagiographos « puros seipsos divini Spiritus praebere operationi, ut ipsum *divinum e coelo delapsum plectrum, velut instrumento citharae alicuius vel lyrae iustis viris utens, rerum divinarum nobis et coelestium cognitionem revelaret* ». Unde recenset « divinas prophetarum *historias* », uti in genere praecipue de historicis partibus Scripturae agit.

S. Chrysostomus. — « Quemadmodum *calamus* non a seipso scribit, sed virtute manus eius moventis; sic et lingua prophetarum non a seipsa loquitur, sed ex Dei gratia ». Propheta ei est hagiographus.

S. Augustinus. — « Ista scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam ».

S. Gregorius M. — « Sed quis (homo) haec (librum Iob) scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen *auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur*. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda *dictavit*. Ipse scripsit, qui in *illius opere inspirator exstitit* ».

Pars II. Patres rata et firma sententia docent, hanc veritatem ab ecclesia aut credi aut esse credendam.

Anonymus saeculi 2. — « Aut enim non credunt, divino Spiritu scripturas esse conscriptas et sunt *infideles...* ».

Origenes. — « Quod iste Spiritus unumquemque Sanctorum vel prophetarum vel Apostolorum inspiraverit,... *manifestissime in Ecclesiis praedicatur* ».

S. Cyrillus Hieros. — Inter « *summa necessariorum dogmatum... capita* » habet illud « de divinis Scripturis », quae scilicet a Spiritu Sancto dictae sint.

Rufinus. — « Quae *secundum maiorum Traditionem* per Ipsum Spiritum Sanctum inspirata *creduntur* et ecclesiis Christi tradita... ».

S. Gregorius M. — Cf. supra.

Obiectiones. — *p. 30-6.*

Clemens Alex.: Verbum loquitur in rubo, « ipse Dominus in Isaia loquitur, ipse in Elia, ipse in ore prophetarum..., ipse Dominus tibi loquitur » qua incarnatus. Ergo *nullam distinctionem ponit inter alias revelationes et inspirationem*. — *Hoc loco,* in quo omnem formam locutionis divinae ad homines opponit cognitioni naturali, *distinctionem non premit*, c.; eam negat, n. Aliis in locis eam statuit.

Papias notitias ore prolatas praefert libris scriptis, in quibus de Christo sermo sit. Iamvero hi libri sunt *evangelia*. Ergo ea non habet inspirata. — Notitias ore prolatas, quae viris apostolicis debentur, opponit *scriptis eiusmodi, quae doctrinam Christi pervertunt*, qualia iam eo tempore exsistebant.

Iustinus id unum docet, *Spiritum Sanctum praedixisse vaticinia. Has autem divinas revelationes homines forte proprio Marte scripserunt.* — N. Cf. locum p. 145. Iustinus ideo praecipue *vaticinia affert*, quia in Apologia ex iis *divinitatem religionis christianae probat.*

Christiani ante medium saeculum secundum non agnoverunt libros inspiratos. — N. *a)* Argumentum *praescriptionis* inde a Iustino, Irenaeo, etc. Cf. pars II argumenti e Patribus. *b)* Arg. directum v. g. e *Clemente Romano.*

Clemens Alex. affirmat, quaedam *scripta ethnicorum* « ab illis afflatu Dei » scripta esse; diversi Patres etiam libros *apocryphos* ut canonicos citant; alii *seipsos* vel *alios pios Christianos inspiratos* putant. Ergo *notionem largiorem inspirationis* habent. — Iis locis aut sensu latiore terminum inspirationis ab iis adhibetur, aut, si aliquando sensu stricto adhibetur, hoc fit ab omnibus, n.; ab aliquibus, subdist.: atque, cum hoc facit, ille unus alterve errat in eo, quod extendit conceptum strictum inspirationis ad aliquos libros pios non inspiratos, c., *in eo quod negaret inspiratos esse eos libros, quos Ecclesia sacros vel canonicos tractavit*, vel negaret inspirationem librorum sacrorum esse eum influxum in hominem, vi cuius homo Deo ut principali auctori libri inservit, n.

E Patribus apostolicis nihil habemus, quam quod *verba Scripturae ut irrefragabile argumentum* citant. Atqui ex hoc non sequitur, verba esse a Deo scripta potius quam v. g. confirmata. — *a)* N. ma. Cf. Ob. 4. *b)* Etsi explicite tantum inerrantiam efferrent, tum e verbis apostolorum, quos sequuntur, tum ex testimoniis posterorum, qui magis explicita habent quam Patres apostolici, scire possumus, quae eorum mens fuerit. *Efferunt consequentiam aliquam inspirationis, scilicet absolutam inerrantiam, quia de argumentis pro fide nostra agitur.*

Patres *gradus in dignitate Scripturae statuunt.* Atqui scriptio divina gradus respuit. Ergo Scripturam non habent inspiratam. — Dist. ma.: Gradus admittunt in maiore vel minore sublimitate, dignitate *rerum quae scriptae sunt*, c.; ipsius scriptionis, n. V. g. in N. T. materia quae scripta est, magna ex parte constituitur e sermonibus Verbi incarnati, in libris historicis V. T. e factis populi Israelitici. Ita Origenes.

Patres unanimi consensu docent, *Deum hagiographis usum esse ut inanibus instrumentis.* Nam comparant hagiographos *lyrae, calamo* etc. Atqui in hoc errarunt. Ergo etiam errare poterant, docentes Deum per auctores istos scripsisse. — N. ma. *Nemo* ex iis hoc docet, uti iam quidam acatholici concedunt. Ex contextu ut tertium comparationis in imaginibus istis premitur *ratio perfecti instrumenti, non vero ratio Entis mortui* vel carentis actibus vitalibus, per quos auctori principali serviatur.

Patres *inspirationem simul affirmant atque negant.* Nam aliquando

Deum auctorem librorum celebrant, aliquando agnoscunt, auctores istos fontes humanos adhibuisse, etc. — N. ass. Ad rationem additam : Haec e sententia Patrum inter se non opponi habemus ex eo, quod continuo utrumque exhibent ; haec neque obiective inter se opponi, sequitur ex eo, quod postea ostendemus, aliud esse acceptionem notitiae rerum quae scribuntur, aliud scriptionem rerum quarum notitia ita accepta est. Acceptio illa naturalis esse potest, scriptio tamen divina.

Arg. e consensu theologorum. — *p. 36-8.*

Afferuntur quidam theologi diversarum aetatum et scholarum, quos caeteri facile sequebantur :

S. Bonaventura : « Perfectissimae auctoritatis est *Scriptura*... quia S. Spiritus *eius auctor perfectissimus*, nihil dicere poterat falsum, nihil supervacuum, nihil diminutum ».

S. Thomas : « *Auctor principalis S. Scripturae est Spiritus Sanctus* ». « *Homo fuit auctor instrumentalis* ».

Henricus Gandavensis (a. 1298) : « Firmiter credendum est, ab illo (uno Deo) esse *conscriptum et editum* Vetus Testamentum a quo et Novum ».

Rogerius Baco (a. 1294) : « Textus *de ore Dei et Sanctorum allatus* mundo ».

Armachanus (a. 1360) : « *Ex eadem fide tenes* et ex divinitate Spiritus Sancti, quod nulla contrarietas seu falsa assertio auctoritatis est in ista Scriptura primaria (originali), quia fides affirmat, quod nulla contrarietas et falsitas est *a Spiritu Sancto asserendo Dei hominibus inspirata* ».

Gerson : Omnis sententia Scripturae est *posita* « *per auctorem suum, qui est Spiritus Sanctus* ».

Bañez : « Habemus igitur conclusionem certam secundum fidem catholicam, *semper* sacros scriptores *Spiritu Sancto inspirante* scripsisse ».

Suarez : « Sicut ergo verba, quae loquitur lingua vel quae calamus scribit, a spiritu loquentis vel scribentis dictantur, ita *verba canonici scriptoris a Spiritu Sancto* ».

Arg. e Constitutionibus ecclesiasticae auctoritatis.

Statuta ecclesiae antiqua. — *p. 38-41.*

Episcopi ordinandi interrogabantur : « *Si Novi et Veteris Testamenti, i. e. legis et prophetarum et apostolorum, unum eundemque credat auctorem et Deum* ». Simili ratione Pontif. Rom., Lugd. II, Innoc. III.

Argumentatio directa.

Expressio 1) Novum et Vetus Testamentum » hic significat libros Scripturae, *non vero foedus ipsum.* Nam *a)* Hic iam erat modus

loquendi eorum temporum. Tertul.: « alterius *instrumenti* (= documenti), vel *quod magis usui est dicere, Testamenti* ». *b)* Expressio haec declaratur illa alia expressione « Lex, Prophetae, apostoli ». Etenim primo hae expressiones iis temporibus libros Scripturae exhibebant. Secundo, si eae non libros sed eas personas referebant, per quas foedus praedicatum est, cur omittitur persona principalis, quae illud praedicavit, scilicet Christus?

2) **Auctor significat conscriptorem.** Nam *a)* Ex literatura eorum temporum auctor *potest* significare conscriptorem. Cf. quoad profanos Forcellini. Porro v. g. Greg. M. Isid. Hispal. *b)* Hoc loco id *significat,* cum auctor librorum ex usu significet eorum conscriptorem.

Multi auctores ita argumentantur, inter quos theologi Concil. Vatic.

Argumentatio indirecta.

Expressio « Vetus et Novum Testamentum » comprehendit omnia eorum Testamentorum instituta; expressio « auctor » haec omnia ad Deum ut auctorem eorum reducit.

Iamvero inter omnia instituta Veteris et Novi Testamenti « certe *libri comprehenduntur*, quia ea formula professionis fidei facta est contra Manichaeos, Marcionitas, alios, qui libros V. T. utpote a malo spiritu inspiratos reiciebant ». Ergo Deus dicitur *auctor librorum* V. et N. T.

Atqui hic terminus « *auctor* » *ad libros* V. et N. T. *applicatus certe non aliter intelligebatur a Conciliis, atque a Patribus,* imo ab illis ipsis haereticis, contra quos tota definitio lata est, i. e. in *sensu conscriptoris.*

Concilium Florentinum. — *p. 41-2.*

Arg. — « Unum atque eundem Deum *V. et N. T. h. e. legis et prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem,* quoniam eodem *Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros* suscipit et veneratur ».

« *Locuti* sunt » hic significat « *scripserunt* ». Nam *a)* Si intelligeretur inspiratio ad loquendum ore, deberent tales sermones omnium hagiographorum ut obiectum narrationis in omnibus libris inveniri. Id quod falsum est. *b)* Sequitur immediate: « quorum *libros* suscipit et veneratur ecclesia ». Iamvero semper *inspiratio* librorum scriptorum habita est ut *ratio, ob quam ecclesia libros istos speciali modo veneratur.*

Concilium Tridentinum. — *p. 42-4.*

Arg. — 1) « Sacrosancta synodus, *orthodoxorum Patrum exempla secuta* omnes *libros* tam V. quam N. T., cum *utriusque unus Deus sit auctor,* nec non *traditiones* ipsas tum ad fidem tum ad mores

pertinentes tamquam oretenus *a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas* pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur... ». D. 783. Iamvero traditiones *illae a Christo vel a Spiritu Sancto dictae sunt. Ergo etiam integri Scripturarum libri* a Deo dicti sunt.

2) Concilium ait, se orthodoxorum Patrum *exempla sequi;* praeterea Deum dicit *utriusque Testamenti auctorem.* Iamvero Patres orthodoxi Scripturas ad Deum ut auctorem reducebant; Deum esse auctorem utriusque Testamenti in Traditione universa atque speciatim in Conc. Flor., ad quod in actis Concilii remittitur, ita explicatur, ut Deus *librorum* Scripturae auctor dicatur.

Ob. — *Dictatio est dictio quae tendit in scriptionem rei dictae nomine dictantis factam.* Atqui Traditiones, quamvis a Deo *non* cum ea intentione dictae sint, ut ab hominibus nomine Dei agentibus conscriberentur, *tamen dicuntur dictatae. Ergo vox « dictatae » in hoc decreto latiore sensu adhibetur.* Ergo ex ea, in quantum ad Scripturam applicatur, nequit concludi eam habere Deum auctorem sensu stricto. — Vox « dictare » *aliquando idem significat atque « dicere ».* Cf. Forcellini. Premitur, traditiones vere a Deo dictas esse, cum Protestantes hoc ipsum negarent.

Concilium *vocem « dictandi » ad solam Traditionem applicat.* — Grammatice, c.; *quoad sensum, n.*

Concilium Vaticanum. — *p. 44-5.*

« Eos vero (libros N. et V. T.) Ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem,* atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sint ». D. 1787.

« Si quis S. Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos S. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit ». D. 1809.

Encycl. « Providentissimus ».

Premit Leo XIII, « *Deum ipsum per sacros auctores* elocutum esse »; « Sanctum Spiritum assumpsisse homines tamquam *instrumenta ad scribendum* », ita ut ipse sit « primarius » librorum auctor. Imo ex eo quod Deus est « auctor Scripturae », per homines utique, Pontifex evolvit, quomodo influxus inspirativus concipiendus sit.

Ob. — Definitio Vat. « Deus est auctor Scripturae », habet sensum : *Unus atque idem* Deus *oeconomiam V. et N.* fundavit. Ergo nihil definitur de ratione, qua Deus se habeat erga Scripturam. — N. ma. Conc. Vat. non egit contra Manichaeos de universo V. et N. Foedere, sed, testibus ipsa definitione et Actis Concilii,

data opera occupabatur cum quaestione, quomodo Deus se habeat ad Scripturam sacram.

« *Auctor* » optime *potest* significare *fideiussorem* vel *causam in genere;* imo id significat, cum sensus « conscriptoris » sit figuratus. — *a)* Sensus « conscriptor » non est figuratus. *b)* Hic intelligitur « conscriptor », uti ex universa traditione atque ex ipsa definitione patet.

Arg. ex doctrina apostolorum et Christi in Scripturis contenta.

Arg. indirectum. E modo quo Dominus et apostoli Scripturam citant.

Deus dicitur *elocutus* esse *eas ipsas partes Scripturae,* in quibus *narrationes hagiographorum de Deo loquente vel agente, vel exhortationes hagiographorum* etc. continentur. Hebr. 4, 3-7: « *Dixit* enim *[Deus]*... de die septima sic: Et *requievit Deus*... Iterum *terminat [Deus]* diem quendam, Hodie, in David dicendo... si vocem *eius* [Dei] audieritis ».

Homo *qua scribens*, exhibetur *loquens in Spiritu Sancto.* — « Quomodo ergo *David in Spiritu vocat* eum [Christum] Dominum, *dicens* [utique in Psalmo, in Scriptura]: Dixit Dominus Domino meo ».

Cum agitur de revelationibus divinis, eorum *scriptio seu dictio in Scriptura ad Deum reducitur.* Id quod fieri non posset, si Deus quidem eas revelationes homini impertivisset, homo autem pro prio Marte eas conscripsisset. — « *Dictum a Domino per prophetam dicentem:* Ex Aegypto vocavi filium meum ». « Oportet impleri *Scripturam, quam praedixit* Spiritus Sanctus per os David de Iuda... ».

Argumenta directa e singulis quibusdam locis, quibus haec veritas formaliter edicitur.

2 Petr. 1, 20-1.

« . . . Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati [acti, φερόμενοι] locuti sunt sancti Dei homines ».

Propheticus sermo est omnis *praedictio* de Christo eiusque regno. Nam agitur de motivis credibilitatis; maior auctoritas exegetarum; Conc. Vat. D. 1790.

Sancti Dei homines *a Spiritu Sancto acti sunt, ut prophetias has eloquerentur,* non autem voluntate humana eae allatae sunt.

Hunc motum divinum illi passi sunt, *in quantum has prophetias in Scripturis consignabant.* — Haec est *communior interpretatio.* Hanc suadent *rationes internae. Generatim* Petrus in textibus Scripturae ait « *dictum est* », *loco* « *scriptum est* ». Hic vero idem obtinet;

nam in contextu Christiani iubentur *attendere prophetico sermoni;* e natura vero rei non poterant attendere huic sermoni nisi *ut scripto;* praeterea idem indicat *forma praesens « habemus » nunc,* in Scripturis, propheticum sermonem.

Haec motio Spiritus Sancti ad scribendum eiusmodi est, ut per *eam Spiritus Sanctus sit causa principalis scriptionis.* Nam Petrus negative excludit lubitum hominis, positive adstruit impulsum divinum.

Haec motio divina erat *in omnibus libris Scripturae conscribendis.* Nam e mente apostolorum *toti Scripturae eadem dignitas* ascribenda est.

[Alia interpretatio: 1) *Prophetia Scripturae* hoc loco dicitur in genere pro *Scriptura quae tota sit prophetia.* 2) *Propheta* autem notione generica sumitur pro *homine, qui nomine Dei loquitur.* Id erat ex usu temporis; praeterea id hoc loco insinuatur a Petro, quia dicit, Spiritu sancto locutos esse seu scripsisse Dei homines, idque generice, non tantum de vaticiniis affirmat].

2 Tim. 3, 14-7.

Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος...

Omnis Scriptura resumit certo modo expressionem anteriorem: « sacrae litterae ». Significantur proxime sacrae litterae Iudaeorum.

Hae Scripturae dicuntur θεόπνευστοι, idque sive haec vox sumitur attributive, sive praedicative. In priore casu sensus est: omnis Scriptura, quippe quae sit inspirata, est etiam utilis; in secundo casu: omnis Scriptura est inspirata et utilis.

θεόπνευστος. — Etymologice = a Deo inspiratus, non tantum active Deum spirans. Nam generatim adiectiva verbalia in *τος,* speciatim si cum *θεός* composita sunt, sensum passivum habent. Praeterea ita grammatici et lexicographi, forte uno solo excepto; Exegetae, praecipue etiam graeci.

Secundum rem significat eum *influxum divinum extraordinarium,* vi cuius Scripturae a Deo in hominem immissae vel afflatu Dei ortae sunt. — Quod *quam stricto sensu* a S. Paulo intelligatur, patet ex iis *citationibus* quas mox ex eo attulimus, scilicet ita, ut Deus *per hominem ea scribat, quae homo scribit.*

Confirmatio. — *p.* 54-7.

Iudaei Hellenistae. — Philo omnia quae in Scripturis leguntur habet « *oracula* » Dei. *Flavius Iosephus* omnes hagiographos *prophetas* sensu illo generaliori habet. — Apud *Talmudistas* inter se convertuntur: « Scriptura dicit », « Deus dicit ». — Iudaei Scripturis plurima studia impendebant (scribae), ei multos honores deferebant (v. g. « manus inquinabant »).

Protestantes initio suae defectionis vim Scripturae potius exaggerabant. Nam eam ut unicum fontem revelationis habebant; multi fere revelationem verborum admittebant.

Propositio. Inspiratio ad omnes et singulas sententias hagiographorum extenditur. — *Cf. fasc. 2 p. 59-126.*

Qual. — Negatio theseos est saltem error exploratus in fide.

Adv. — *Unum genus adversariorum* formant plurimi etiam ex iis praecipue acatholicis, qui *omnem inspirationem* Scripturae negant, quia eam *e specialibus rationibus a sententiis unius vel alterius generis removebant.* Imo hic secundus error erat via ad primum.

Aliud genus adversariorum formant ii, qui in genere quidem inspirationem Scripturarum admittunt, eam vero a certis partibus Scripturae removent. — Ita tempore Patrum *Manichaei, Anomoei* quoad quasdam dogmaticas sententias sibi ingratas. — Medio aevo *Neo-Manichaei.* — Inde a saeculo 16: *Erasmus* saltem non sat clare veram sententiam statuit. *Rohling* (1872) inspirationem restringit ad doctrinas religiosas et ea quae cum iis necessarium nexum habent; *Lenormant* († 1883) ad « doctrinas supernaturales ». *Newman obiter dicta,* i. e. « assertiones de factis, quae nullum momentum » pro rebus fidei et morum habent, ab inspiratione excludit. *D'Hulst* hanc doctrinam non reicit; referebat, suo tempore iam in quibusdam seminariis in Gallia inspirationem ad solas res fidei et morum extendi. — *p. 60-2.*

St. qu. — Probavimus, Scripturam in genere sumptam esse inspiratam. Quaerimus, num haec *extensio* inspirationis tam stricte sit intelligenda, ut omnes et singulas sententias comprehendat. Intelligimus *omnes sententias cuiuscunque generis.*

Agimus de Scriptura *originali;* de apographis vero et versionibus solum eatenus, quatenus aliunde constiterit, ea originali conformia esse.

Hic *non tractamus quaestionem de inspiratione verbali, quae pertinet ad quaestionem de essentia* inspirationis, quae in omni omnino loco inspirato inveniri debet

Premimus, etiam obiter dicta esse inspirata. Ergo a fortiori inspirati erunt *fusiores loci* de rebus per se nullius momenti pro rebus fidei et morum; *res connexae* cum doctrinis theticis vel factis ad *ordinem supernaturalem spectantibus;* ipsae tales *doctrinae vel facta.* — p. 59-60.

Arg. e consensu Patrum. — *p. 62-78.*

Patres affirmant, omnes et singulas sententias esse inspiratas.

Patres unanimi consensu *perfectiones* Scripturae, uti earum inerrantiam, utilitatem *ad omnes et singulas sententias* extendunt. Atqui eas *perfectiones ex inspiratione* deducebant. Ergo.

Irenaeus. — Cf. loc. p. 145.

Origenes. — « Non possumus hoc dicere, de Sancti Spiritus litteris,

quod aliquid in iis otiosum sit aut superfluum... ». Unde in exegesi omnia secundum hunc canonem explicat. Res parvi momenti, uti historiam de haeredite Ruben et Gad ad Spiritum Sanctum reduxit.

S. Chrysostomus. — De tempore mortis Oziae: « *Prophetarum* ora Dei sunt os: tale vero *os nihil dixerit obiter et praeter rem* ». In genere: « *Nihil scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias,* quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt ».

S. Hieronymus. — *Uti minima* a Deo creata *sint, ita minima quoque a Spiritu Sancto scripta esse.* Ita epistulam ad Philemonem, etiam res, quae ad scientias naturales spectent.

S. Augustinus. De Genesi ad lit. c. 21.: « *Quidquid autem* (ethnici) de quibuslibet suis voluminibus *his nostris Litteris,* i. e. catholicae fidei *contrarium potulerint,* aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione *credamus esse falsissimum...* ». Cur? De assertione ad physicam spectante respondet: « *Hoc enim verum est, quod divina dicit auctoritas,* potius quam illud, quod humana infirmitas coniicit ». ib. c. 9.

Patres firma et rata sententia docent inspirationem omnium et singularum sententiarum ut rem cum fide connexam.

Firma sententia. Nam nullam unquam dubitationem manifestant.

Ut rem cum fide connexam. Nam *a) Inerrantiam ut rem cum fide connexam proponunt. Hanc* autem *ex inspiratione* repetunt. *b) Inculcant contra Gnosticos aliosque haereticos ut principium ex quo in omni disputatione procedendum sit,* universas Scripturas « spirituales » existere et consequenter veras esse. Idem contra plurimas obiectiones *ethnicorum premunt. c)* Ipsam inspirationem rerum minimi momenti *ex apostolica traditione* repetunt. Origenes ait, *historiam de haereditate Ruben et Gad* inspiratam esse « sicut traditio maiorum tenet ». Gregor. Nyssen: « *edocti ab eo* qui in paradiso arcana ineffabilia didicit *(Paulo), quod quaecunque Sacra Scriptura dicit, Spiritus Sancti sint voces sive effata* ». — Inspiratio omnium sententiarum ideo est res fidei et morum, quia in concreto *Esse praecipui fontis fidei, Scripturae, determinat.*

Obiectiones. — *p. 70-8.*

S. Augustinus De Gen. ad lit.: « *Spiritum Dei,* qui per ipsos (auctores sacros) loquebatur, *noluisse ista (profana) docere homines,* nulli saluti profutura ». De Act. cum Felice Manich.: « *Non* legitur...: mitto vobis Paracletum, *qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat non mathematicos* ». Atqui si Deus eiusmodi profana per hagiographos elocutus esset, ea etiam docuisset. Ergo Deus ea non inspiravit. — Expressio « *docere* » ab Augustino his locis sumitur pro *serie actuum, quibus quis integram talem disciplinam* ut rem quam primario intendit, *per modum professoris eiusmodi disciplinarum* proponit.

Expl. — In priore loco Augustinus data opera dicit *de assertionibus de re physica:* « *quod divina dicit auctoritas* ». p. 154. In secundo loco probare intendit, *Spiritum Sanctum non esse missum a Christo ut omnia profana doceat,* id quod Felix implicite affirmabat.

Caeteri quoque Patres negant, hanc vel illam sententiam esse a Spiritu Sancto. — Dist.: Negant eam esse *scriptam* a Spiritu Sancto, n.; *illud obiectum,* quod in eo loco a Spiritu Sancto scribitur, *esse aliquam revelationem divinam,* c. Exempla celebriora haec sunt:

Tertullianus locum 1 Cor. 7, 39-40 ita interpretatur: « Cum veniam facit, *hominis prudentis* consilium adlegat. Cum continentiam indicit, *Spiritus Sancti consilium* affirmat ». — *a)* Hoc ipsum Tertullianus affert, ut ostendat apostolum sibi non contradicere. *Permissionem* non intelligi veram, sed *apparentem,* quasi formulam rhetoricam. *b)* Obiectum scriptionis divinae potest esse tum consilium humanum tum consilium divinum.

Origenes: « Sermo [Ionae de Ninive post 40 dies destruenda] *qui apud Ionam scriptus est et non factus, a Iona potius quam a Deo prolatus esse videtur.* — Secundum Origenem Ionas in prophetia illa *ore prolata* forte putavit se loqui nomine Dei, cum tamen falleretur. Caeterum affert etiam rectam explicationem, illam prophetiam fuisse conditionatam.

Origenes: Quaedam in epistulis Paulinis scripta non esse « secundum accuratam sinceritatem sermonum, qui sunt ex divina inspiratione ». — *a)* Textus non est integer servatus. *b)* Origenes multas partes V. T., quae ut obiectum scriptionis divinae continent revelationes divinas prophetis factas, opponit epistulis apostolorum, in *quantum ut obiecta scriptionis habent mandata, perpessiones apostolorum.*

S. Ambrosius: « Ostendit autem hic locus [de libello ripudii], *quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta* ». — Expressio dura esse videtur, at cum recta doctrina Patris aliunde nota componenda est. S. Ambrosius videtur opponere eam legem quam a Mose *propria auctoritate latam* putavit, ei legi, quam *auctoritate divina latam* putavit. Scriptio divina utriusque legis, et humanae et divinae, supponitur.

S. Basilius affirmat, *Spiritum Sanctum in Scriptura non sicuti homines « modo sua, modo quae Dei sunt »* eloqui, sed « *omnia Spiritus verba Dei verba* » esse. Ergo eae solae phrases, quae ut obiectum habent facta vel dicta divina a Spiritu Sancto scriptae sunt. — S. Basilius docet, Spiritum Sanctum ea obiecta scriptionis suae, quae *creaturae* propria sunt, uti v. g. plorare, non ita referre, ac si *suae essentiae* uti propria ascribi possint; e contra eum in Scripturis essentiae suae tantum perfectiones divinas ascribere. Ex quo facto divinitatem Spiritus Sancti probat.

S. Chrysostomus: « *Rursum (Paulus) humano modo disserit, nec semper gratia fruitur* » — Est sermo de verbis, quae Paulus Act. 23, 6-8 *ore protulit.*

S. Chrysostomus: « *Qui spiritu omnia loquitur non laborat* ». Iamvero labor hagiographorum manifestus est. — Sermo est de *prophetis strictiori sensu talibus,* qui scilicet *revelationes accipiunt,* in quantum hoc eorum donum sublimius est quam charisma doctorum N. T.

S. Gregorius M.: «.... *aliquando Prophetae* dum consuluntur, ex magno usu prophetandi *quaedam ex suo spiritu proferunt...* ». — Sermo est de sententiis ore prolatis.

Patres doctrinam de inspiratione singularum sententiarum *non proponunt ut firmam et ratam.* Nam *deerat illis occasio,* ut hoc facerent. Occasionem enim tunc tantum habuissent, si debuissent *confutare doctrinam, errores in Scriptura contineri.* Haec vero falsa doctrina *nostris temporibus* debetur, cum occasionem suam habeat in progressibus recentioribus in scientiis physicis et historicis. — *N. ass. et omnia quae in ratione addita dicuntur. a)* Ut res fidei et morum praedicentur, per se non necessaria est specialis occasio; dicuntur, quia traditae sunt. *b)* Semper ratio sufficiens erat ob argumentationem continuam e Scriptura, fonte fidei tanti momenti. *c)* Etiam tunc temporis plurimi errores contra Scripturam proferebantur. Cf. p. 154 locus Aug. in argumento citatus.

Arg. e consensu theologorum. — *p. 78-84.*

S. Bonaventura. — Cf. p. 148.

S. Thomas. — « Quaedam.... proponuntur in Sacra Scriptura ut credenda non quasi principaliter intenta, sed *ad praedictorum manifestationem :* sicut quod Abraham habuit duos filios... ». Homo debet esse « paratus.... *credere, quidquid divina Scriptura continet* ». In sacra Scriptura « *instruitur fides...* (etiam) *quantum ad accidentalia,* sicut sunt gesta patrum et alia huiusmodi *quae ad fidem pertinent, in quantum sunt divinitus inspirata et dicta* ».

Armachanus, Gerson, cf. p. 148.

Canus (contra Erasmum): « ... fateamur, *singula quaeque, sive magna sive parva,* a sacris auctoribus Spiritu Sancto ditancte esse dicta... Id... *ecclesia praesertim ipsa magistra et duce retinere debemus* ».

Bañez. Idem habet « confessionem *certam secundum fidem catholicam* ».

Suarez. « Scriptorem canonicum *nihil* scribere humano et proprio spiritu... ». Intelllgit etiam salutationes etc.

Bellarminus : « Postrema, eorum *haeresis* est, qui in ipsis B. Pauli epistulis *non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu Sancto,* sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce ».

Du Plessis d'Argentré : « *Quidquid in Scriptura continetur* [est] proprie verbum Dei ».

Arg. e Constitutionibus Ecclesiae. — *p. 84-92.*

Inspiratio non restringitur ad eas partes, quae revelationes divinas continent. — p. 84-5.

Arg. — Secundum « Statuta Ecclesiae antiqua », *libri sacri* Deum habent auctorem; secundum Concilium Tridentinum, libri integri *cum omnibus suis partibus* canonici sunt. Atqui sunt libri qui revelationes divinas sive nullas sive tantum in minima parte libri enarrant, uti v. g. Ruth, Genesis, Numeri; vel qui per integra capita historica quaedam narrant, v. g. Isaias.

Inspiratio non restringitur ad ideas religiosas thetice propositas aut e factis eruendas, quin ipsa series factorum historiae saltem sacrae inspirata sit.

Arg. — Maiorem partem Sacrae Scripturae format historia sacra vel cum rebus per se profanis permixta.

Inspiratio non restringitur ad res fidei et morum.

In definiendis rebus fidei et morum quaedam diversitas est. Definitio quae sub hac classe veritatum quam plurima subsumit, videtur esse haec: « Illa omnia, quae *quolibet modo faciunt ad notitiam vel speculativam vel affectivam finis (nostri in hoc ordine) et mediorum conducentium ad finem* ». Argumentatio nostra valet, si quis hanc definitionem sumit; a fortiori, si aliquam definitionem, quae pauciora sub rebus fidei et morum subsumit.

Arg. — **1) E Conciliis.** — Secundum Trident. *omnes partes* Scripturae inspiratae sunt. Iamvero *partes multae et sat longae res profanas continent.* Nam *a) Trid.* D. 786 vetans ne quis in rebus fidei et morum Scripturam contra sensum ecclesiae explicet, *supponit,* etiam alias res in Scriptura inveniri. *b) Exempla:* v. g. fere integrum caput 33 Num. *de singulis mansionibus filiorum Israel* in deserto; *genealogiae quaedam* v. g. earum personarum, quarum familiae cum rebus fidei et morum proxime non cohaerent.

2) Ex Encyclica « Providentissimus ». — Quoad res quae ad physicam, historiam, alias cognatas disciplinas pertinent, edicitur: « *nefas omnino fuerit,.... inspirationem ad aliquas tantum Scripturae partes angustare...* ». Praeterea reicitur ratio principalis, cur schola largior solas res fidei et morum inspiratas habeat, quippe cuius asseclae « *falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit* ».

Inspiratio ad omnes sententias Scripturae extenditur. — p. 88-9.

Arg. — **Ex Encyclica « Providentissimus ».** — Ultima eius pars data opera tum hanc doctrinam tum inerrantiam Scripturae tradit. —

a) Docetur ergo, *inspirationem consistere in ea supernaturali motione et assistentia*, ut « quae ipse (Deus) iuberet (hagiographi) et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent ». Iamvero *eam actionem divinam ita hagiographos movisse, ita iis adstitisse, ut « ea omnia eaque sola quae Deus iuberet » conscriberent.* Ergo nulla sententia a tali operatione divina vacua erat. *b)* Docetur, Patres unanimiter tradidisse « Deum ipsum per sacros auctores elocutum, nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse ». Hanc autem inerrantiam totius Scripturae eos ex inspiratione repetivisse.

Scholion. — Dissentiunt auctores num *vox « pars »* quae in definitione Trid. et Vat. occurrit, omnem omnino sententiam significet. — *p. 90-1.*

Obiectiones. — *p. 91-2.*

Tridentinum ut *finem* doctrinae, quae vi *inspirationis* data est, *res fidei et morum* affert. Ergo eo ipso dicit, solas res fidei et morum esse *obiectum* inspirationis. — *N. suppositum, Deum ad finem religiosum non posse eloqui res profanas.* Hoc eum posse facere, patet tum ex traditione, quae totam Scripturam inspiratam esse docet, tum e rationibus speculativis quas mox afferemus.

Finis decreti Tridentini de canonicitate Scripturae est confirmatio dogmatum et instauratio morum e Scripturis. Ergo definitio tantum respicit eas partes Scripturae, quae sunt de rebus fidei et morum. — Dist. ma.: Finis *ultimus*, c.; *proximus, et unicus*, n. Finis proximus erat, stabilire *doctrinam catholicam de fontibus revelationis*, i. e. de Traditione et Scripturis. Occasio quaedam huius definitionis erat, quod tunc temporis canonicitas quarundam partium a quibusdam negabatur.

Arg. e doctrina Christi et apostolorum in Scripturis proposita. — *p. 92-103.*

Pars I. Vi materiae quam continet, nulla sententia Scripturae ab inspiratione excluditur. — *p. 43-4.*

Quod cum probamus, *destruitur ratio praecipua* eorum, qui inspirationem omnium sententiarum Scripturae negant.

Arg. — Ea habentur ut inspirata, quae *sub solemni formula « scriptum est »*, vel simili adducuntur. Atqui Dominus et apostoli sub hac formula *adducunt sententias omnis generis.*

Prob. ma. — Uti propositione prima demonstravimus, Dominus et apostoli *dignitatem Scripturae propriam in eo reponunt, ut sit inspirata.* Iamvero, Dominus et apostoli, uti Iudaei omnes, hanc *dignitatem Scripturae propriam efferre volebant, quando aliquid efferebant sub formula « Scriptum est »* vel simili. Hac enim formula rationem reddebant pro ea absoluta auctoritate, quam sen-

tentiis in Scriptura contentis ideo ascribebant, quia in Scriptura continebantur.

Prob. min. — Sub formula « Scriptum est » vel simili afferuntur eiusmodi *sententiae theticae religiosae, quae ab hagiographo ad Deum ut revelantem non reducuntur.* V. g. « Non in solo pane vivit homo », sunt verba Mosis. — Afferuntur, quae pertinent ad *historiam sacram.* V. g. verba narrativa : « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam ». — Afferuntur *circumstantiae per se profanae.* V. g. : « Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera ». 1 Cor. 10, 7 : « *Sedit* populus manducare et bibere et surrexerunt ludere ».

Pars II. Omnes et singulae sententiae Scripturae inspiratae sunt.

Arg. 1. — E citationibus. — *p. 95-9.*

Secundum Dominum et apostolos *omnis sententia Scripturae est absolutae auctoritatis. Atqui haec* absoluta auctoritas e mente eorum *ex inspiratione* est. Ergo.

Prob. ma. — a) Ab iis citantur *loci c. 270, allusiones* fiunt *c. 3500.* Loci ii sunt *de veritatibus revelatis, aliis veritatibus theticis religiosis, historia sacra, aliis circumstantiis historicis,* quae non videntur habere nexum proximum cum rebus religiosis. *Nunquam ullum indicium* invenitur, aliquam sententiam Scripturae pro iis *non fuisse absolutae auctoritatis.* Ergo saltem fortissima praesumptio omnes sententias habitas esse absolutae auctoritatis.

b) Dominus expressis verbis « asserit : « . . . non potest solvi [irrita declarari] Scriptura ». Ergo quidquid scriptum est, absolute verum est. — Praeterea fere 100 locis asseritur, aliquid *ideo esse absolute verum, quia* « scriptum est ». Atqui haec formalitas in omnibus sententiis Scripturae invenitur. Ergo etiam hac ratione affirmatur, omnes sententias Scripturae esse absolutae auctoritatis.

Prob. min. — Uti iam vidimus, *formula « Scriptum est » vel similis, effert, id quod sub hac formula effertur, esse inspiratum.* Iamvero *a)* Dominus ait : « . . . . non potest solvi *Scriptura* », i. e. *nullus locus Scripturae* negari potest, idque ideo fieri nequit, quia est Scriptura. Ergo Dominus formalitatem eam, quae in inspiratione consistit, ad omnem sententiam Scripturae extendit. *b)* Saepissime asseritur, aliquam sententiam *ideo veram esse, quia « scripta est », i. e. quia in Scriptura tantae dignitatis invenitur.* Dignitas autem illa intelligebatur inspiratio. Ergo tota Scriptura inspirata supponitur. *c)* Iudaei nunquam ideam habuerunt, e mera assistentia, vel approbatione, vel similibus actionibus divinis ab inspiratione distinctis, inerrantiam Scripturae forte esse repetendam, sed semper tantum de Deo ut auctore Scripturae sermo est. *d) Saepissime singulae species veritatum formula « Scriptum est »* vel simili *ad Deum ut inspirantem reducuntur,* atque ita etiam quoddam induc-

tionis argumentum pro hac veritate habetur. Proponimus summa capita materiae:

Quoad vaticinia Messianica. — Saepissime. V. g. Dominus: « Omnes vos scandalum patiemini. Scriptum est enim... ». Petrus: « Scriptum est enim in libro Psalmorum: et episcopatum eius accipiat alter ».

Quoad veritates dogmaticas proxime theticas. — Continuo. Dominus: « Non legistis quod dictum est a Deo dicente *vobis* (de resurrectione) ». — Paulus: « Iustus autem meus ex fide vivit. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in eum, non confundetur ».

Quoad praecepta morum. — Dominus: « Scriptum est, non in solo pane vivit homo ». — Paulus allegat: « Non alligabis os bovi trituranti ».

Quoad historiam sacram. — Dominus ipse, non tantum quoad « lineas magnas » factorum, sed quoad minimas quoque: « Memores estote uxoris Lot ». — Apostolus Paulus v. g. c. 11 ad Hebr. plurima facta magna et parva enumerat.

Quoad facta, quae e natura sua cum factis religiosis vix nectuntur. — Cf. quae mox diximus.

Ob. — *Formula « scriptum est » tantum applicata invenitur ad res fidei et morum.* Ergo sequitur, tantum eas esse inspiratas. — *a) N. consequentiam.* Ratio pro auctoritate etiam harum sententiarum redditur in ea ipsa formalitate quod « scriptae sunt ». *b) N. ma.*

In dogmate argumentum absolutae auctoritatis ex eo desumitur, quod aliquid *in decreto alicuius Concilii* invenitur; nihilominus in iis inveniuntur *obiter dicta*, quae absolutam auctoritatem non habent. Ergo a pari. — N. primam partem antecedentis. Argumentum desumitur *ex iis, quae in decretis Conciliorum definita* sunt. Theologi criteria dant, quibus definita a non definitis in eiusmodi decretis distinguuntur.

Arg. e 2 Tim. 3 14-7. — *p. 99-103.*

Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν... — *Praenotanda sunt haec: καὶ* melius retinetur. — Neque internis neque externis rationibus videtur iam esse omnino decisum, num *θεόπνευστος* sumendum sit *attributive* an *praedicative,* num *πᾶσα distributive* (= ogni Scrittura) *an collective* (= tutta la Scrittura). *Probabilius* est, illud sumi *distributive.* Etenim e regula universali *πᾶς ante substantivum sine articulo significat « quilibet ».* Porro ab hagiographis non raro « *Scriptura* » *pro « sententia Scripturae »* exhibetur. V. g. Act. 8, 32 « incipiens ab ista Scriptura » = loco Isaiae. At *ab illa regula grammaticali inveniuntur etiam exceptiones,* si scilicet substantivum habet individualem determinationem, id quod forte in notione « Scriptura » obtinet. — Argumentum nostrum has quaestiones non supponit solutas.

Prior modus argumentandi: *πᾶσα* sumitur *distributive, θεόπνευστος attributive.* Habetur formaliter: omnis sententia Scripturae est inspirata.

Alter modus argumentandi. — Si *πᾶσα* sumitur *distributive* atque *θεόπνευστος attributive*, sensus est: « Omnis locus Scripturae inspiratus (= subiectum) est (= copula) utilis (praedicatum) ». Iamvero in hoc inciso terminus « inspiratus » adhibetur sensu *explicativo.* Nam eum adhibere velle *sensu restrictivo, esset contra contextum*, cum apostolus ea perfectione, quam exprimit voce *θεόπνευστος*, rationem reddat, cur « omnis Scriptura » sit utilis; *contra doctrinam Patrum*, omnem sententiam Scripturae esse inspiratam; *contra rationem theologicam*, cum neque in Scriptura neque in Traditione inveniatur norma, qua partes inspiratae a non inspiratis distingui possint.

Tertius modus argumentandi. — *Transmittitur, num πᾶσα sumatur distributive an collective.* Nihilominus, quia « in N. T. indiscriminatim citantur libri legales, historici, poetici, prophetici, didactici ut quoad singula dicta habentes auctoritatem divinam.... *valet argumentum inductionis.* Ratio vero, ob quam omnibus illis dictis tanta... auctoritas attribuatur, semper una et eadem est: ' Scriptum est ' ». Pesch.

Ob. — « *Inspirata* » *eodem modo afficit terminum* « *omnis Scriptura* » *atque* « *utilis ad... erudiendum in iustitia* ». Atqui *impossibile* est, *omnes locos esse utiles ad eum finem, si eos mathematice sumis.* Ergo *omnes loci* hic dicuntur ab apostolo inspirati, in quantum « omnes » sumitur moraliter, non vero in quantum sumitur mathematice. — *a)* Quidam negant minorem, cum omnes loci saltem *indirecte sint utiles*, v. g. ad magis vividam propositionem doctrinarum. Reponunt alii, ea in se esse utiles ad hunc finem, negant vero id hoc loco a Paulo edici. *b)* Aliud responsum: Ex natura rei subintelligi, utilitatem theologicam non affirmari de obiter dictis, qualia in omni libro inveniri subintelligatur.

Obiectiones.

Ex ipsa indole quarundam classium locorum Scripturae. — *p. 103-13.*

Quoad sententias assertivas.

Quidam hagiographi diserte dicunt, se non ut instrumenta Dei scribere. Ita Paulus: « Quod loquor, non loquor secundum Deum ». « Numquid secundum hominem haec dico? » « Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi ». — Dicunt, *obiectum scriptionis carere hac vel illa relatione ad Deum, quae secundum contextum determinanda est.* In priore loco S. Paulus docet, gloriationem propriam non videri esse secundum normam virtutis; in secundo argumentationem humanam quam affert, argumentationi e Scriptura opponit; in

tertio motivum terrenum in perferendis suis perpessionibus a se removet.

Hagiographi dubium vel ignorantiam confitentur. Ita Ioel: « Quis scit, si convertatur (Deus)... ». Prov.: « Penitus ignoro viam aquilae in coelo ». Paulus: « Sive in corpore (fuerim in tertio coelo) sive extra corpus, nescio ». — *Deus per hagiographos scribit, hagiographos hoc vel illud ignorare.* Ioel nescit, num Deus in hoc casu poenam determinatam temporalem iam hic in terris remittat. Paulus intimam essentiam status sui extraordinarii ignoravit. Quam ignorationem ipsorum hagiographorum scire utile est.

Hagiographi aliquando notitias indeterminatas ad nos dirigunt. V. g. Io.: « hydriae capientes singulae metretas binas vel ternas ». — Ea notitia *indeterminata vera est.* Hydriae neque minus quam binas neque plus quam ternas capiebant. Quae indeterminata notitia qua indeterminata, impellente Deo, ad nos dirigitur, quia *ad finem*, magnitudinem miraculi Christi aestimandam, *sufficit.*

Paulus confitetur, *ea quae in 2 Cor. scribit, insipientiam prae se ferre.* — Quidam ironiam assumunt. Quidam rectius putant, Paulum *e mente neophytorum* loqui, quibus gloriatio apostoli prima fronte imprudens videri debebat.

Hagiographi permittunt, ut ea, quae scribunt, ab hominibus libere diiudicentur. Ita Paulus: « Vos ipsi iudicate ». « Omnia autem probate ». Io.: « Probate spiritus ». Paulus: « Non dominamur fidei vestrae ». Iacobus: « In multis offendimus omnes ». — N. ass. *Quoad probationes:* In priore loco sermo est de *iudicio approbativo* eorum, quae Paulus scribit. In secundo, de probatione qua *prophetiae genuinae privatae ore prolatae a non genuinis recte discernantur.* In tertio de diudicandis *doctrinis a quolibet prolatis.* Quarto excluditur dominium *tyrannicum.* Quintus locus est de *magistris, in quantum neque sunt hagiographi neque dono infallibilitatis instructi.*

Hagiographi argumentandi gratia ad revelationes antecedentes, ad mandata vel verba Christi provocant. Cur non ad propriam inspirationem? V. g. Paulus provocat ad verba Christi pro misericordia in pauperes, pro debito subveniendi apostolis, contra scandalum infirmorum, pro institutione eucharistiae. — *a)* Ita *Deus in ipsis revelationibus* posterioribus relate ad proprias suas revelationes anteriores procedit. *b)* Hoc *utilissimum est pro iis, qui adhuc inspirationem ignorant. c)* Utile etiam pro iis qui eam cognoscunt, cum ita *diversa verba Dei ad eandem rem demonstrandam* habeantur. *d)* In locis tribus prioribus adductis *specialis prudentia pastoralis* commendabat ad Christum provocare. Quoad ultimum exemplum: *Num apostolus sacramenta instituere poterat?*

Hagiographi ut suis dictis fidem concilient, provocant ad auctoritatem humanam sive propriam sive aliorum, porro ad usum suarum fa-

cultatum, v. g. experientiam sensilem, inquisitionem historicam. V. g. Io.: « Qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius ». Prov. 4, 34 auctor sapientiam suam a patre suo repetere videtur. S. Lucas traditionem sive oralem sive scriptam pro suo evangelio interponit. In epistula ad Gal. Paulus ad auctoritatem caeterorum apostolorum pro sua missione provocat. — *a)* Ita discimus, Deum ad finem scriptionis inspiratae *non revelasse ea quae narranda erant. b)* Haec humana certitudo *pro iis, qui inspirationem ignorant, necessaria est. c) Etiam ii qui inspirationem sciunt*, e tali cognitione naturali multa tenere possunt, *quae ad praeambula fidei vel motiva credibilitatis, pertinent.* Cf. locum Io., qui continet testimonium de impletione prophetiae, locum Lucae, qui auctoritatem humanam evangeliorum fulcit. In loco Prov. secundum contextum tantum effertur *virtus docilitatis* erga doctrinas parentum. Paulus e *prudentia pastorali* ita egit.

Quoad sententias affectivas.

√ *Affectus spei, tristiae*, etc. quos hagiographi scribunt, *ad Deum ut causam principalem reduci nequeunt. — Affectus illi* ad Deum ut causam principalem reduci nequeunt, c.; *scriptio affectum,* quos hagiographi habuerunt vel actu habent, ita ut *affectus illi sint obiectum* scriptionis, n.

Innumerae preces ab hagiographis funduntur. imo Psalmi solent esse preces. Iamvero *Deus orare nequit. Ergo eiusmodi preces inspiratae non sunt. — Oratio est hagiographorum.* At *scriptio* orationis *ad Deum ut causam principalem, ad hominem ut instrumentalem* reducenda est. Ita Deus ipse dignatus est nos docere quomodo orandum sit.

Hagiographi subditis certa mandata iniungunt. Atqui *inconveniens est, statuere Deum talia iussisse.* Ergo ea inspirata non sunt. Ad min.: Ita Paulus: « Penulam, quam Troade reliqui,... affer. ». « Modico vino utere ». « Salutate... ». *Imo hagiographi efferunt, seipsos, non Deum talia iniungere.* V. g. « caeteris ego dico, non Dominus ». [Sequitur privilegium quod dicitur Paulinum]. « De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do. ». Deuter.: « Mandatum, quod ego (Moses) praecipio tibi hodie, non supra te est ». — *Mandata ipsa remanent in eodem gradu auctoritatis et eandem speciem obligationis pariunt, atque ea mandata, quae sub charismate inspirationis biblicae expressa non sunt. Scriptio vero eiusmodi mandatorum a Deo procedit.* Unde fide divina constat, ea ab hagiographo data esse. *Inter exempla* citata quaedam sunt *petitiones amici.* Illud de vino forte est mandatum *vi potestatis dominativae* factum. Qua auctoritate iubendi apostolus *in privilegio Paulino utatur, non una est doctorum sententia.* In ultimo loco Paulus *praeceptum Domini opponit consilio evangelico,* quod qua apostolus secundum spiritum Christi profert.

E rationibus theologicis. — *p. 113-26.*

E fine religioso Scripturae.

Ad finem religiosum Scripturae pertinet, ut *nihil* ex rebus profanis in ea inveniatur, *quod non directe referatur ad veritates propter se revelatas.* Atqui non omnia in Scriptura directe referuntur ad veritates propter se revelatas. — Dist. ma.: Ad finem religiosum Scripturae pertinet, ut nihil inveniatur, *quod non vere referatur,* c.; quod non *directe referatur,* n.

Expl. *a) In genere. — Intra ambitum finis sunt omnia, quae ad finem referuntur, sive immediate, sive mediate.* Referuntur autem ad res propter se revelatas aliae res dupliciter: *propter ordinem intrinsecum* quendam, plus minusve arctum, quem ad illas res prioris ordinis habent. V. g. *plagae Aegyptiacae* narrantur a Deo, quia erant *effectus et proinde signa iustitiae divinae. b)* Sine tali ordine, si tamen *propter circumstantias sive ipsarum rerum, de quibus agitur, sive hominum, pro quibus scribitur, conferre possunt ad aptam propositionem sive ipsarum rerum propter se revelatarum sive earum rerum, quae intrinsecum quendam ordinem ad eas dicunt. v. g. nomina regnorum,* quae a Deo ob peccata contra Israel puniuntur; *canis Tobiae.*

b) In specie quoad res, quae nullum intrinsecum ordinem ad res revelatas dicunt. — a) A pari. Eas v. g. *in vitis sanctorum* passim referunt scriptores qui prudenter scribunt. *Ipse Dominus* in suis sermonibus eiusmodi res attulit, v. g. adiungendo talia in parabolis. *β) Monstrantur quidam modi, quibus obiter dicta cum caeteris rebus connectuntur:* Quaedam generi literario qua tali propria esse possunt, v. g. epistulae; quaedam in concreto connectuntur, v. g. nomen regis cum eius persona; nonnulla iuvant ad genuinitatem librorum sacrorum vel ad motiva credibilitatis melius demonstranda, v. g. notitiae quaedam de Aegypto; quaedam etiam aliquod momentum religiosum in se habent, v. g. salutationes caritatem monstrant; quaedam rationem typi habent; quaedam tantum ad magis vividam narrationem conferunt.

Si inspiratio eorum, quae per accidens inspirata sunt, necessaria fuisset ad id, ut caetera, quae in Scriptura inveniuntur, apte proponantur, *a pari conservatio eorum necessaria fuisset* ad id, ut ea *continuo* apte proponerentur. Atqui hoc dici nequit; ea enim *amissa* sunt. — *a) N.* suppositum maioris, *inspirationem rerum per accidens inspiratarum stricte necessariam* fuisse. Utilis erat, praecipue pro primis lectoribus. Quae utilitas tamen pro nobis absolute aliis rebus suppleri posset. V. g. nos multos modos instructionis religiosae, multa motiva credibilitatis habemus, quae lectoribus V. T. deerant. *b)* Dist. min.: *Maior pars rerum per accidens inspiratarum amissa est, n.;* haec vel illa res, c. vel tr.

Ex obiecto fidei.

Quod non est revelatum, non est fide divina credendum. Atqui multa, quae in Scriptura continentur, non sunt revelata, v. g. Christum sub Pontio Pilato passum esse. — Dist. ma.: *Quod non est revelatum ipsi hagiographo,* hoc non est fide divina credendum, *n.;* quod non est revelatum saltem *per hagiographum uti instrumentum Dei nobis,* ad quos sermo Scripturae dirigitur, n. Revelatio est locutio Dei attestans. Cf. p. 143.

Continens latius patet quam contentum. Atqui *Scriptura continet verbum Dei. Ergo tota Scriptura non est verbum Dei.* — Dist.: Quod ut totum continet partem, hoc latius patet quam pars, c.; quod *ut signum continet res significatas,* hoc in ratione signi latius patet quam res significatae, n. Cotradist. min.: Scriptura continet verbum Dei ut totum continet partem, n.; uti signa *(verba) continent* rem significatum *(iudicia Dei per hagiographum ad nos directa)* c. Probavimus positive omnes sententias Scripturae esse a Deo.

Ergo singulae sententiae Scripturae essent *articuli fidei!* — N. Articuli fidei dicuntur *res propter se revelatae eaeque principaliores.*

Quod non directe pertinet ad fidem hoc non est dictum a Deo. Atqui *secundum S. Thomam plurima historica non pertinent directe ad fidem, sed solum indirecte,* in quantum eorum inspiratio pertinet ad fidem. — Dist. ma.: Quod non pertinet ad res quae credi possunt (fide divina), hoc non est dictum a Deo, c.; quod non pertinet ad « fidei disciplinam », i. e. ad eum complexum veritatum, quae ut singulae tali modo ab ecclesia propositae sunt, ut ne a rudibus quidem ignorari possint, quarum negatio proinde haeresim arguere solet, n. Inspiratio Scripturae ad talem « fidei disciplinam » pertinet; singula vero historica, praecipue per accidens inspirata, minime. Non enim singula historica in Scripturis contenta per ecclesiam ut explicite ab omnibus credenda proponuntur. Hic e contextu est sensus verborum S. Thomae.

Secundum S. Thomam et Thomistas *ea quae sciri possunt, credi non possunt.* Atqui *plurima in Scriptura contenta sciri possunt.* — *a)* Doctrina quae in maiore ponitur a *plurimus theologis negatur. b)* Ii, qui hanc doctrinam tenent, tantum affirmare solent *ea quae evidentia fulgent,* ab iis credi non posse, quibus haec evidentia affulget. A caeteris tamen ea credi posse. *c)* Quoad ea, *quae unicuique evidentia sunt,* uti v. g est sententia: « Est tempus nascendi et tempus moriendi », *eadem difficultas habetur quoad quaedam quae Christus ore protulit,* uti: « Lilia non nent ». E qua difficultate tamen nemo concludere potest, Christum eiusmodi phrases non dixisse. Unde difficultas generalis est, quae ad tractatum de fide pertinet. Quidam dicunt, eiusmodi phrases non ad eum finem dictas esse, ut in se ipsis credantur, sed ob alios fines, v. g. ut sint media demonstrationis ab omnibus concessa.

E relatione eorum, quae per accidens inspirata sunt, ad magisterium infallibile ecclesiae. — *p. 124-6.*

→ *Quidquid inspiratum est, pertinet ad magisterium infallibile ecclesiae.* Atqui res illae plurimae profanae, a fortiori *res obites dictae, non pertinent ad obiectum infallibilitatis ecclesiae.* — Quidquid inspiratum (et conservatum) est, pertinet ad obiectum infallibilitatis sive *ratione sui sive ratione alterius, c.*; necessario ratione sui, n. Omnia ad obiectum infallibilitatis pertinent saltem ratione inspirationis omnium sententiarum, quae est veritas ab ecclesia praedicanda. Cf. diff. ultima.

→ *Si etiam obiter dicta inspirata essent, ea omnia pertinerent ad depositum fidei.* Atqui hoc impossibile est, cum textus hodiernus Scripturae ita comparatus sit, ut *vix probabile* sit, *nos unquam verum sensum quorundam obiter dictorum adipisci posse.* — Dist. ma.: Omnia pertinent ad depositum fidei sensu stricto tale, i. e. ad veritates necessario conservandas, n.; *ad depositum fidei sensu lato tale,* i, e. ad complexum veritatum *circa quas, quandiu in Scriptura conservatae inveniuntur, vero quodam sensu infallibile ecclesiae magisterium versetur,* c.

Decretum Tridentini « *Praeterea* » de auctoritate ecclesiae in *explicatione Scripturae* se habet ut *consequentia ex canone de canonicitate Scripturae.* Atqui Decretum « *Praeterea* » *respicit tantum res fidei et morum.* Ergo *etiam decretum de canonicitate Scripturae* respicit tantum res fidei et morum in Scripturis contentas. — *a) N. consequentiam.* Potest fieri, ut ex aliquo dogmate interim tantum una consequentia trahatur, quamvis plures trahi possent. *b)* Tr. maior. Dist. min.: Decretum « Praeterea » respicit *solas res fidei et morum directe,* at simul *indirecte res profanas,* in quantum scilicet res profanae cum rebus fidei et morum cohaerent. Iamvero est *res fidei et morum, omnes sententias Scripturae esse inspiratas ac proinde infallibiliter* veras. Ergo ecclesia, quia infallibiliter decidere potest res fidei et morum, etiam eatenus decidere potest de sensu textuum qui res alias continent, quatenus hoc requiritur, ut haec eorum infallibilis veritas et divinitas horum textuum salvetur.

Propositio. Reiciuntur sententiae, quibus factum inspirationis negatur.

Reiciuntur sententiae, quae omnem influxum praeternaturalem tum a sic dicta revelatione in Scripturis contenta, tum ab ipsa scriptione, tum ab approbatione librorum sacrorum removent. — *p. 127-36.*

Qual. — Hae sententiae haereticae sunt.

Adv. — *Rationalistae,* quia omnem *influxum praeternaturalem* Dei in mundum *negant.* — *Modernistae,* qui omnem fidem divinam ne-

gant, ergo omnem influxum, quo aliquid sive hagiographo sive per hagiographum ut instrumentum caeteris reveletur. Solent inspirationem reponere in *aliquo sensu religioso, quo certae personae revelationem improprie talem vel naturalem plus minusve recte litteris consignent* aut experientias suas religiosas scribant.

Falsitas sententiarum evidenter patet ex iis, quae hucusque demonstravimus. Unde eas ipsas non refutamus, sed tantum *quasdam rationes* breviter *reicimus,* quas adversarii fere frequentius afferunt.

Rationes ex parte pseudo-philosophiae et pseudo-theologiae.

Omnis influxus praeternaturalis in mundum iam formatum impossibilis est. — Falsitas dicti patet e *demonstrata possibilitate revelationis, miraculi,* etc.

Ad maiorem partem Scripturarum conficiendam *sufficit notitia rerum naturaliter parta.* — *N. suppositum,* nos ad ipsam inspirationem requirere revelationem rerum scribendarum hagiographis factam.

Nullus homo, ergo neque hagiographus, *in re religiosa intermedius esse potest inter Deum* et animas singulorum hominum. — In elevandis actibus hominum ad ordinem supernaturalem, c.; in *proponendo obiecto credendo, n.* Cf. p. 110.

Iamiam omnes motus mentis ad causas naturales reduci possunt. — N. Probatum est, revelationes, miracula locum habuisse.

Omnes religiones historice explicandae sunt. — E causis naturalibus evolvendae sunt, n.; *motiva quaedam credibilitatis* pro ipsis *methodo historico-philosophica demonstranda sunt, c.*

Si Patres *causas et occasiones humanas pro Scripturis componendis* considerassent, nunquam ad theorias suas de inspiratione pervenissent. — *a)* Eas considerarunt. Cf. Intr. in Script. *b) Activitas vere humana,* non vero quasi automatica, *in instrumentum Dei elevatur.* Activitati autem humanae proprium est, suis motivis excitari.

Inspiratio activitatem intellectus et voluntatis suspenderet, unde *mantici* quid esset! — Patres contra Montanistas omnino hanc notionem reiecerunt.

Inspiratio *etiam hominibus peccatoribus conferri potest.* Ergo divina non est. — Est *gratia gratis data.* Generatim utique solis sanctis datur.

Rationes ex parte materiae in Scripturis contentae.

Fides non est nisi sensus fiduciae in Deum, haec vero fiducia in Dei perfectionibus, non in factis historicis innititur. Ad quid ergo Deus plurima facta nobis enarrat? — *a) Fides est assensus in veritatem a Deo revelatam.* Ipsa *revelatio et motiva credibilitatis facta sunt,* quae necessario innotescere debent ut fides possibilis sit. *b)* Caeterum etiam *opera divinae providentiae ad excitandam fiduciam* iuvant.

Errores in rebus singulis *totam Scripturam pervadunt.* Imo *tota religio V. T.* tum obiective tum subiective sumpta *irrationabilis et impia est.* — Errores isti in Scriptura originali non demonstrantur. Religio ea impia habetur quia *aut false intelligitur* aut *falsa principia de rebus religiosis* habentur.

Plurima religiosa maximi momenti in Scriptura *omittuntur, vel tantum leviter tanguntur,* v. g. *immortalitas in Pentateucho; maior vero pars rerum narratarum,* scilicet historia populi electi, *ad finem religiosum non multum confert.* Tam inconsiderate Deus non agit. — N. suppositum, Scripturam fuisse *unicum fontem revelationis* pro genere humano. Porro illa *historica praecipue pro iis utilia erant, pro quibus Scriptura magis directe* conscripta erat.

Deus tot res religiosas novas habebat, quas cum hominibus communicaret, ut non *pluries idem* cum iis communicare deberet, v. g. multa historica, inanitatem idololatriae. — Ratio, cur idem saepe inculcetur, est in *maximo momento rerum istarum:* in diverso aspectu sub quo aliquando idem narratur; in auctoritate humana pro factis, quae inde aliquando crescit, etc.

Reiciuntur eae sententiae, quae aliquem praeternaturalem influxum circa Scripturam admittunt, at non eum quem adesse probavimus. — *p. 136-53.*

Libri sacri non ideo ab Ecclesia pro sacris et canonicis habentur, quia revelationem sine errore continent. — *p. 130-4.*

Qual. — Sententia, quam proponimus, est de fide divina catholica definita.

Adv. — E *Protestantibus* haud pauci inde a saeculo 17, v. g. *Grotius,* statuunt, vaticinia et similia quae ut verba Dei in Scriptura referantur, esse quidem verba Dei; caetera vero quidem esse scripta cum pio motu, at esse verba pure humana. — E *Catholicis* idem docuit *Holden* 1625; ut videtur, etiam *Chrismann* 1745.

Arg. — 1) — Haec sententia ipsis verbis propositionis nostrae in *Conc. Vat. damnata* est. D. 1787.

2) Testibus *Scriptura, Patribus, Conciliis theologis,* libri sacri cum omnibus suis sententiis *auctorem habent Deum eumque per modum inspiratoris.* Atqui impossibile est, Deum esse auctorem i. e. Deum mentem suam ad nos dirigere effectione signorum scriptorum, eumque id facere mediante homine ut inspirato, eo quod aliquis homo proprio Marte scribens verba quae Deus aliquando edixit, *ut obiectum suae scriptionis mere humanae sumit.* — Exempl.: Minister regius omnes eos articulos ephemeridum scribit, in quibus de eius sermone in camera sermo est?

3) *Omnes sententiae Scripturae Deum auctorem habent.* Atqui *non omnes sententiae hagiographis sunt revelatae*, uti ipsi adversarii concedunt. Ergo ratio Scripturae non in eo consistit, ut Scriptura revelationes contineat.

4) Etiam *decreta Conciliorum sive ex toto sive ex parte revelationes sine errore continent.* Atqui ea non sunt Sacra Scriptura. Ergo. — Idem de plurimis aliis piis libris obtinet.

Ob. — *Non omnia asserta Scripturae sunt verba Dei.* — N. Cf. obiectiones singulas earumque solutiones p. 146-8.

Tridentinum nihil aliud docet, quam hoc, *veritatem salutarem contineri in Scriptura uti partem in toto.* — Docet veritates *per se revelatas* contineri ut partem in Scriptura, quae tamen etiam in aliis partibus inspirata sit, c.

Patres inspirationem non determinant. — Non docent, eam esse eum influxum, vi cuius id quod homo scribit, vere scribatur a Deo, n.; non explicite omnia docent, quae de essentia inspirationis quaeri possunt, c.

Ecclesia libros sacros pro sacris et canonicis non ideo habet, quod, solo humana industria concinnati, deinde ecclesiae vel Dei auctoritate sint approbati. — *p. 139-49.*

Qual. — Non sufficere approbationem ecclesiae, est de fide divina catholica definita; non sufficere approbationem Dei, est saltem conclusio certa theologica, ita ut contradictorium sit saltem error in fide.

Adv. — Haneberg 1850.

Arg. — **1)** Sententia, sufficere approbationem *ecclesiae*, *a Conc. Vat. damnata* est.

2) E *Scriptura Patribus, theologis, Conciliis,* constat, Deum esse auctorem sacrorum librorum eumque per modum inspiratoris, i. e. Deum talem influxum in hominem ut scribentem exercuisse, ut vi huius influxus, id quod scribit homo, tamen ipse Deus ut causa principalis scribat. Atqui approbatio libri ab ecclesia vel a Deo facta *a)* est actio Dei circa librum iam humanitus concinnatum, ergo non effectio libri per Deum; *b)* non est essentialiter actio Dei in hagiographum, cum approbatio v. g. possit fieri, etsi auctor iam mortuus est. Ergo ratio libri sacri non potest stare in approbatione libri humanitus concinnati per Deum vel per ecclesiam. — Exemplum: Num forte episcopus est auctor eorum librorum, quos ut vera continentes approbat?

Scholion. — Argumenta nostra independentia sunt ab eo, utrum dicatur, ea quae Deus *approbavit fide divina credi posse, necne;* utrum statuatur, *approbationem ecclesiae* fundare fidem tantum ecclesiasticam an divinam.

Ob. — Principaliter *Lessius et Bonfrère,* praeterea *Canus, Bellarminus, a Lapide, Mariana, Richardus Simon, Dupin, Calmet, Frassen hanc sententiam docuerunt. — a)* Si id fecissent, recessissent a traditione, ergo *relinquendi essent. b)* N. Omnes clare influxum divinum in scribendo statuunt. De Richard Simon res dubia est. Cum de Lessio et Bonefrère saepe contrarium affirmetur, haec breviter accipe:

Lessius docuit: *a)* librum aliquem approbatione Dei fieri *Scripturam sacram quoad auctoritatem* i. e. eum librum habiturum esse *eandem auctoritatem quam nostra Scriptura habet.* Ita mentem suam explicavit. *b)* Praeterea statuit impulsum divinum ad scribendum necessarium esse. *c)* Negat, talem casum in nostris libris haberi. — *Bonfrère* idem docet atque Lessius. Adiungit, hunc modum forte locum habuisse in eiusmodi sacris libris, *qui non iam habentur.* Falsum est, apud Bonfrère inveniri terminum vel notionem « inspiratio consequens ».

Rex eo quod subscribit epistulae, quam secretarius, sine mandato regis proprio Marte, conscripsit, fit auctor epistulae. Ergo *a pari* Deus approbando librum mere humanitus concinnatum fit auctor libri. — *a)* N. paritatem. Etenim cum *epistula natura sua sit sermo ad alios,* aliquis subscribendo facit eam suam, atque ita sermonem, qui epistula exprimitur, ad alios dirigit. Aliud vero est librum ab alio scriptum ut vera continentem confirmare, quo actu non ipse censor librum suum facit eumque ut talem ad alios dirigit. *b)* Transeat maior. Sunt enim qui respondent, *regem tali actione non fieri auctorem epistulae.* « Ut enim auctor sit, necesse est, ut saltem eam fieri iusserit et scribenda indicaverit ». Kleutgen.

Secundum quosdam, ut diximus, rex tali subscriptione fit auctor alicuius epistulae, quamvis eam secretarius proprio Marte conceperit conceptamque scripserit. Atqui ad dogma catholicum de inspiratione librorum sacrorum salvandum non requiritur plus, quam ut ex una parte Deus vere possit dici auctor libri, ex alia parte homo vere eum composuerit. Ergo *ad dogma catholicum de inspiratione salvandum sufficit ut statuatur, Deum se tali modo habere ad librum aliquem, sicuti rex se habet ad illam epistulam. — a) Transeat.* Difficultas haec *non est proprie contra hanc partem theseos,* quia in hac difficultate non est sermo de simplici approbatione, qualis in hac thesi reicitur. Potius in hac difficultate proponitur *alia quaedam nova sententia falsa. b) Transeat maior,* ut diximus. *c) N. minorem.* Dogma catholicum est, Deum esse auctorem librorum sacrorum *mediante inspiratione seu influxu supernaturali in hominem qua scribentem.* Eiusmodi vero influxus in tali sententia non habetur.

Ad rationem librorum sacrorum non sufficit eiusmodi Spiritu Sancti assistentia, cuius unicus effectus esset, ne hagiographi errorem conscriberent. — *p. 149-51.*

Qual. — Saltem est conclusio theologica universaliter agnita, ita ut contradictorium saltem sit error in fide.

Adv. — Chrismann. Iahn. (1802).

St. qu. — Ea assistentia ita concipi potest, ut Deus aut actibus in hagiographos exercitis *efficiat ne errent*, aut solum ita *ageret*, si ipsi errores commissuri esse *praevidentur*.

Arg. — 1) *Theologi* unanimiter hanc sententiam ut definitioni Vat. contrariam reiciunt.

2) Secundum *Scripturam*, *Patres*, *Concilia*, *theologos* Deus *ipse per hominem inspiratum libros sacros scribit*. Atqui Deus *a)* hoc sane non facit eo, quod tantum paratus esset, aliquid corrigere, si homo erraret. *b)* Neque eo quod errores ab auctore repellit. Nam aliud est, *efficere ut aliquis errores deponat, qui deinde conceptus suos erroribus liberos proprio Marte ad alios signis scriptis dirigit;* aliud est, per eum ut instrumentum conceptus proprios ad alios dirigere.

3) Etiam *definitiones ecclesiae* proponuntur *sub assistentia divina, quae omnem errorem praecavet.*

Ad rationem librorum nostrorum sacrorum non sufficit 1) Deum in genere inspirare hagiographis consilium scribendi certam historiam vel gnomas ad mores formandos; 2) eum in genere materiam ad tale scriptum suppeditare; 3) eum assistere, ne hagiographi in scribendo errent; 4) eum aliquando etiam aliqua e scribendis vera revelatione et inspiratione cum hagiographis communicare. — *p. 151-3.*

Qual. — Explicatio sat obvia ipsarum definitionum ecclesiae; unde oppositum est indubie falsum.

Adv. — Bonfrère 1625 hanc fere sententiam multis docuisse videtur.

Arg. — 1) Ex auctoritate *theologorum praecipue post. Vat.*

2) Secundum fontes theologicos Deus est auctor omnium sententiarum Scripturae per hominem inspiratum. Iamvero *is nequit dici auctor omnium sententiarum alicuius libri per alium ut instrumentum suum*, qui *tantum aliquas sententias huius* libri *ipse concipit et ut tales ad alios scribendo dirigit, alias* vero sententias, i. e. fere omnes vel maiorem partem libri, neque ipse concipit neque ut a se conceptam ad alios dirigit, sed *tantum causa est, ut*

alius consilium capiat scribendi de tali materia, materiam generatim addiscat, errores corrigat. — Cf. relationem docti praefecti bibliothecae ad non paucos auctores, qui e manuscriptis bibliothecae, ipso diversis modis iuvante, opera sua composuerunt.

Propositio. In locis authenticis Scripturae quidquam falsi contineri nequit. — *Cf. fasc. 4, p. 155-205.*

Qual. — Affirmare, errores *in rebus fidei* et morum inveniri, est *haeresis* (fasc. 4 p. 205); *in aliis rebus, saltem error exploratus in fide.*

Adv. — *Protestantes liberales et Modernistae etiam* quoad res fidei et morum errores admittunt. Quidam e *Schola largiore inter Catholicos ante Encycl. « Providentissimus »* errores in obiter dictis vel etiam in aliis rebus, quae non sunt fidei et morum, saltem ut probabilem sententiam admittebant (d'Hulst). Post Encycl. quidam praecipue quoad res physicas errores admittere videntur. Multi inerrantiam cum plurimis erroribus obiectivis in Scriptura assertis coniungere student per nova sua genera literaria. — *p. 157.*

St. qu. — *Loci authentici.* — Intelligimus *omnes sententias Scripturae originalis ;* versionum vero sententias eas, quas aliunde constiterit cum originali esse conformes.

Quidquam falsi. — *Non* dicimus *tantum, hagiographos non mentiri,* verum etiam eos *nihil falsi dicere. Falsitas est proprietas iudicii qua discrepat a veritate obiectiva.* — Removemus falsitatem a iudiciis sive directis sive indirectis hagiographi. Iudicium indirectum est in expressione affectuum, cum qua in homine non mendace coniungi videtur iudicium, hunc affectum vere in sua mente adesse.

Nequit. — Non tantum dicimus, *de facto* nullum errorem in Scripturis inveniri, verum affirmamus, *de jure* nullum inveniri posse, i. e. *methaphisice repugnare* quominus aliquis error inveniatur in Scriptura idque repugnare vi inspirationis. Quod ultimum v. g. Bonaccorsi negat.

Quid vero affirmet hagiographus, quid non, iudicari debet e regulis interpretationis catholicae. Principia particularia interpretationis hac nostra thesi non docentur. — *p. 155-6.*

Arg. e Patribus. — *p. 158-74.*

Arg. S. Irenaeus. Cf. p. 145.

S. Basilius: « manifestus a fide lapsus est.... si quis.... quidquam eorum, quae scripta sunt, reprobet ».

S. Chrysostomus: « Primum te scrire volumus, omnem Sanctam Scripturam non posse esse sibi contrariam ».

S. Augustinus. Cf. p. 146, 154. — Eius opus « De consensu evangelistarum ».

Ob. — *Patres* atque multi theologi plurimis locis *explicite docent, relinquendum esse sensum literalem, admittendum vero solum spi-*

ritualem. — Sensum literalem dicebant eam *falsam intellectionem metaphorarum*, ut quis eas non ut metaphoras sed ut locutiones proprias intelligeret. V. g. sensus literalis expressionis « incircumcisis auribus » secundum talem terminologiam esset : « habere aures corporaliter integras ».

Patres saltem implicite docent, sensum literalem esse relinquendum. Nam si sensus literalis difficilis est, eo non attento, ad allegorias, sensum typicum etc. recurrunt. — N. ass. Ad rationem additam : ita agunt ac si putassent, sensum literalem falsum esse posse n ; ex aliis rationibus, c.

Expl. — Primo *docent, omnem sensum a literali diversum supponere historicam veritatem.* V. g. Hieronymus : « Post historiae veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia ». Secundo, rationes cur Patres facile solum sensum alium, omisso literali, considerarent, hae fere sunt : *a) Obscuritas sensus literalis,* unde non facile accurate explicari poterat, maior vero facilitas sensus typici *generalis* vel consequentiarum moralium. Ita Augustinus fatetur, se hac ratione motum fuisse, ut explicationem literalem Geneseos abrumperet. Quae ratio praecipue movere poterat in praedicationibus vel scriptis pro populo. *β)* Si sensus literalis facilis erat, saepe aliae rationes erant, cur premendus non videretur. V. g. saepe, quia *nihil religiosi in se continebat ;* saepe, quia *in praedicationibus etc. non poterat semper idem sensus literalis premi,* qui tamen in plurimis locis Scripturae invenitur, v. g. ratio motivi credibilitatis in multis illis narrationibus de miraculis Christi ; saepe, *quia auditores allegorias etc. amabant. Etc.*

Patres ideo confidenter inerrantiam pronuntiant, quia difficultates contra eam iis notae non erant. — N. *Deducebant inerrantiam e principio dogmatico inspirationis omnium et singularum sententiarum.* Caeterum plurimas difficultates contra res fidei et morum movebant v. g. *Manichaei*, contra historicas et physicas ethnici, uti *Celsus, Porphyrius.*

Patres inerrantiam non docent ut rem fidei et morum. — N. Cf. v. g. Basil. Eam *ex inspiratione deducunt :* eam ut suppositum demonstrationum e Scriptura habent : docent, eam *a Catholicis contra caeteros absolute defendendam esse,* etc.

Difficultates speciales.

Origenes concedit, in Scriptura dari praecepta absurda, narrari facta quae locum non habuerunt. — N., e mente Origenis *secundum sensum a Spiritu Sancto et ab hagiographo intentum* ea praecepta absurda vel ea facta falsa dici posse. Potius Origenes docet *genus literarium non historicum,* quod *nos* non intelligentes, facile *putamus,* talia asseri.

↘ *Augustinus concedit lapsum memoriae Mt. 27, 9, ponentis loco nominis Zachariae nomen Ieremiae.* — *a)* Hanc permutationem nominum ita explicat — sive recte, sive minus recte — *ut tamen non adsit falsitas in assertione Mt.*, imo ut hanc data opera excludat tum ab asserto obiectivo tum a mente Mt. Putat nempe, unum nomen prae alio positum esse *ex directione Spiritus Sancti,* qui hac mutatione nominum significare voluerit, *unam eamdemque esse auctoritatem omnium prophetarum.* Praeterea asserit, Mt. cognovisse, se ad tale nomen ponendum a Spiritu Sancto motum esse, ideoque in eo non posse esse falsitatem. *b* Augustinus proponit etiam explicationem, quae exegetice unice vera esse videtur, scilicet Mt. et Ieremiae et Zachariae vaticinium in unum coniunxisse, tamen nomen unius tantum prophetae addidisse.

S. Hieronymus admittit « contradictiones insolubiles » in Scriptura. — Admittit eiusmodi *apparentes contradictiones,* quae usque ad id tempus *pro ipso insolubiles* remanserint. In eodem contextu concedit: « *cum videatur* Scriptura inter se esse *contraria, utrumque verum est,* cum diversum sit ».

S. Hieronymus quoad Mt. 27. 4 concedit: « Accusent apostolum falsitatis... quod *erret in nomine* ». — Sensus loci est: Auctores inspirati libere transtulerunt atque citarunt. Nihilominus *sensum semper eundem exprimunt, quippe cum, qua auctores inspirati, non possint non recte citare vel vertere.* Ergo rectum est principium, quod in versionibus meis sequor: « non verbum e verbo sed sensum exprimere de sensu ». *Ad hominem loquitur.*

S. Hieronymus etiam in aliis locis errorem Scripturae assumit. — N. Semper *aut ad corruptionem textus* aut ad *intellectionem nostram minus rectam per recta exegeos praecepta corrigendam* refugit. Potius explicationes in se improbabiles affert, v. g. Salomonem, quamvis tantum undecim annos natus fuerit, iam filium genuisse, quam ut errorem admittat.

√ *S. Chrysostomus Hom. 1 in Mt. concedit, differentiam in parvis esse novum argumentum pro veritate evangelistarum in rebus principalibus, uti crucifixione, resurrectione.* — Intelligit errores apparentes, c.; veros, n. Nam *a)* Utitur semper termino « differenter » loqui. Quem ita explicat: « Aliud est, diversa loqui, aliud pugnantia dicere ». *b)* Finis loci est, ut aliquam rationem reddat, cur Deus nobis non unum sed diversos evangelistas concesserit. Quam in eo esse, ut ex erroribus *apparentibus* pateat, evangelistas non ex condicto locutos esse, atque ut hac ratione eorum auctoritas humana crescat. *c) Quoad ista facta magna,* si substantiam eorum respicimus, *neque apparentem contradictionem* adesse.

Arg. e caeteris locis theologicis. — *p. 175-81.*

Auctoritas theologorum.

S. Bonaventura. Cf. p. 148.

S. Thomas. « *Scripturae enim divinae a Spiritu Sancto traditae non potest subesse falsum* ».

Armachanus. Cf. p. 148.

Gerson: « . . . *non stat cum fide,* ut aliquis dissentiat pertinaciter *alicui* contento in eadem Scriptura ».

Canus: « . . . *catholica fide docente* didicimus,... nullum [hagiographum] *nec in magnis nec in parvis* errasse ».

Ob. — *Quidam theologi post Concilium Vaticanum inerrantiam Scripturae negarunt.* — Antea theologi unanimiter inerrantiam ut rem fidei docuerunt. Ego res obiective ita se habet. Ergo qui postea aliter docuerunt, errarunt.

Decisiones auctoritatis ecclesiasticae.

Saeculis anteactis vix exsistebant qui affirmarent, errores cum ipsa inspiratione stare posse. Unde vix habentur actus solemnes ecclesiasticae auctoritatis, quibus veritas catholica in hac re inculcetur.

Ioannes XXII cum damnaret errorem, Christum nihil unquam proprii possedisse, rationem reddit, quia haec sententia « *Scripturae contradicat expresse* », *id autem* « *fidem catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam et incertam* ».

Benedictus XII ideo reicit aliquam sententiam Armenorum *de Kain,* quia ea innuat, « *Scripturam Geneseos quoad hoc esse falsam* ».

Leo XIII contra scholam largiorem: « Tantum vero abest, ut divinae *inspirationi* error subesse possit, ut ea per se ipsa non modo *errorem* excludat, sed *tam necessario excludat, et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse* ». Unde in *locis authenticis* librorum sacrorum nihil « falsi contineri *posse* ».

Pius X in Decreto « Lamentabili » reicit doctrinam: « Inspiratio divina *non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat* ». In Encyclica « Pascendi » vero docet, errorem hunc Modernistarum *rationem* suam habere in *perversione ipsius notionis veritatis,* cum autument « quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum ».

Doctrina Christi et apostolorum in Scripturis contenta.

a) P. 159-60 demonstravimus, e doctrina Domini et apostolorum *omnes sententias esse a) absolutae auctoritatis ; b)* idque *ideo quia* « *scriptae sint* ». *c)* Id quod e mente Christi et apostolorum Scripturae proprium est, est ipsa inspiratio. Ergo etiam docuerunt, in Scriptura ideo *nullum errorem inveniri posse, quia inspirata sit.*

Ratio theologica.

Probavimus propositione secunda, *omnes sententias Scripturae vere a Deo scriptas esse.* Evidens est tum e philosophia tum e theologia, *cum essentia Dei pugnare, ut Deus quidquam falsi dicat.* Ergo. — Quae ipsa impossibilitas metaphysica erroris, orta ex infinita scientia et veracitate Dei, continuo in ecclesia inculcata est.

CONFIRMATIO.

Iudaei eandem persuasionem habebant, tum *Hellenistae*, uti Flavius Iosephus: « nulla in scriptis est discrepantia », tum *Talmudistae*, qui saepe id quoque putarunt, omnem omnino veritatem e Scriptura demonstrari posse.

Haeretici quoque fere omnes inerrantiam Scripturae supponebant, at eam falso explicabant. Imo *plurimae haereses ex falsa interpretatione Scripturae ortae sunt.* — *Protestantes veteres* ipsam *sufficientiam* Scripturae ad omnem veritatem demonstrandam proclamabant.

Mores ecclesiae catholicae. — Inerrantia Scripturae erat *quasi anima omnis interpretationis.* — Opus Augustini « De consensu evangelistarum ». — Controversia de celebratione Paschatis supponebat hanc inerrantiam etiam in indicanda ratione temporis. Plurima similia.

Difficultates.

E rationibus theologicis vel philosophicis. — *p. 181-7.*

✓*Veritas absoluta in nullo libro inesse potest, sed tantum relativa.* Ergo. — Dist. ma.: *Nullus liber continere potest* veritatem omnem possibilem, c.; *vera non permixta falsis, n.*

Expl. Scriptura habet veritatem, quae dici forte posset relativa, ob has rationes: *a)* Liber Scripturarum *non est veritas increata* seu Deus. *b) Neque continet omnia quae sciri possunt. c) Neque* continet *omnia vera quae ipsi hagiographi scierunt,* sed tantum ea vera, quae ad finem religiosum putarunt scribenda. *d)* Hagiographi expressionibus suis *non semper exhibent veritatem determinatam vel minutam,* sed etiam indeterminatam vel summariam. Cf. p. 162. *e)* Expressiones Scripturae *non semper* significant *intimam naturam rei,* sed secundum leges loquendi humanas quaedam res, scilicet physicae, aliquando tantum describuntur secundum apparentiam. Cf. p. 181. *f)* Aliquando expressiones intelligendae sunt *cum addito restrictivo, quod explicite sive implicite insinuatur* v. g. in expressione: homines « ex omni natione, quae sub coelo est ». *g)* Iis *generibus literariis,* quae adhibita esse aliunde scimus, *ea veritas convenit, quae iis ex natura rei propria est.* Ita parabola sub forma historica veritatem religiosam illustrat. *h)* Vi inspirationis

non constat, ea vera esse quae hagiographus ab alio narrata esse affirmat. Aliunde id iudicandum est.

Non vero potest admitti ea ratio proponendi narrationes historicas, ut ea, quae e Traditione vel e criteriis internis ut historice dicta assumi debent, habeantur ut dicta non historice, sed ut merae illustrationes veritatum religiosarum.

↘ *Non potest plus exigi a scriptoribus inspiratis quam a caeteris scriptoribus veridicis et bonis.* — In sensu diviso ab inspiratione, c. vel tr.; *in sensu composito,* n.

↘ *Inter verum et falsum non distinguitur nisi sequendo praecepta artis criticae.* Atqui eo tempore quo hagiographi scribebant, nondum exsistebat ars critica. — Dist. ma.: Inter verum et falsum in rebus historicis *tantum distinguitur eo, quod quis reflexe sequitur regulas artis criticae in corpus doctrinae compositas vel saltem singillatim theoretice cognitas n.;* etiam eo quod quis saltem ob sensum naturaliter rectum et *praecipue ex speciali adiutorio divino implet finem, ob quem regulae criticae dantur, c.* Contradist. min. — Adiutorium illud divinum habetur *in ipsa inspiratione.*

✓ *Imperfectiones instrumenti ad solum instrumentum reducendae sunt, non vero ad causam principalem.* — Dist.: Imperfectiones instrumenti *qua instrumenti, n.;* in quantum non est instrumentum, c. Vidimus, inspirationem esse eiusmodi influxum, vi cuius homo *in omnibus quae scribit* Deo ut instrumentum inservit.

Homo sub inspiratione constitutus potest committere defectus contra grammaticam, ergo a pari contra historiam caeterasque scientias. — N. paritatem. Error contra historiam etc. est falsitas in *eo quod* dicitur; defectus contra grammaticam, est deviatio a modo dicendi secundum regulas grammaticae, *quin tamen affirmetur, hunc modum loquendi esse conformem grammaticae.* Unde in eo modo loquendi nulla falsitas invenitur.

✓ *Sicut Verbum incarnatum assumpsit omnes imperfectiones humanas, quin tamen eae in Verbum sint refundendae, ita Deus inspirans potest quasi assumere omnes imperfectiones humanas, quin in eum ut inspirantem sint reducendae. Ergo etiam errores.* — Verbum assumere *non* poterat *eas imperfectiones* humanas, *quae* sive immediate sive mediate *opponuntur ei perfectioni, quae per assumptionem humanae naturae ad personam Verbi cum humana natura communicatur,* uti v. g. est peccatum. Ita Deus inspirator *nequit quasi assumere eas imperfectiones,* quae *cum influxu inspirativo componi non possunt.* Iamvero influxus inspirativus eius est naturae, ut ab homine sub eo influxu constituto nonnisi iudicia Dei hominibus communicentur.

✓ *Scriptura non est inspirata, ut nos doceat quomodo moveatur coelum,* sed quomodo eatur ad coelum. Ergo in assertione de motu coeli et similibus falsitas inesse potest. — *N. consequentiam.* Metaphy-

sica *impossibilitas* erroris in Scriptura non deducitur ex fine scribentis sed e *perfectione scribentis Dei*, cui metaphysice repugnat error sive in re profana sive in re fidei et morum.

Difficile creditur, infallibilitatem societatis custodientis habere obiectum magis restrictum, quam infallibilitas thesauri custodiendi. Atqui Ecclesiae infallibilitas se extendit tantum ad res fidei et morum. Ergo. — N. ma. *a) Inerrantia Scripturae est ex inspiratione,* haec autem *ad omnes sententias* Scripturae extenditur. Inerrantia vero Ecclesiae est *ex assistentia*, haec autem tantum *quoad res fidei et morum* a Deo concessa est. *b) Ratio* vero, cur Deus de facto omnes sententias Scripturae etiam res obiter dictas ipse conscribere voluerit, ex eo est, quod, cum *ipse in libro a se conscripto, nos instruere volebat, id saltem convenienter aliter fieri non poterat.* Ratio vero, cur Deus ecclesiasticae auctoritati loquenti assistentiam tribuat tantum in rebus fidei et morum, in eo est, quod *haec infallibilitas ad finem ecclesiae sufficit.*

Infallibilitas *Vulgatae non extenditur ad res minimas.* Atqui nulla est ratio, cur textus originalis ampliorem infallibilitatem habeat. Ergo. — C. ma ; n. min. Scriptura originalis inspirata est in omnibus suis sententiis. Vulgata vero neque inspirata est, neque sub assistentia quoad omnes sententias conscripta est neque ita ab ecclesia approbata est, ac si in omnibus sententiis cum Scriptura originali conformis esset.

Ex erroribus, qui in Scriptura inveniri dicuntur. — *p. 188-205.*

PRINCIPIA GENERALIA.

Priusquam accusatio erroris contra Scripturam fieri possit, constare debet *a) De textu originali.* Iamvero textus in lingua originali quos habemus, et versiones approbatae non in omnibus, quae ad fidem et mores non spectant, conformes declaratae sunt. *b)* Quis sensus ab eius auctore intentus sit. — Regula Augustini.

PRINCIPIA GENERALIA AD QUASDAM CLASSES SENTENTIARUM APPLICANTUR.

Quoad res fidei et morum. — *p. 189-90.*

Qui Scripturam diiudicat, *necesse est ut sit liber a falsis ideis de Deo rebusque divinis*, quales v. g. habebant Manichaei, habent Protestantes, Rationalistae, Modernistae. Est enim liber religiosus.

Attendendus est *modus loquendi*, qui etiam in rebus divinis atque religiosis potest esse *anthropomorphicus : rhetoricus vel poeticus* (manna dicitur angelorum esca) ; *dictioni propheticae proprius,* si de rebus futuris sermo est.

Aliunde videndum est, num *hagiographus personis quas loquentes inducit, auctoritatem sacram infallibilem attribuat.* Hanc v. g. ex fide V. T. hagiographi tribuunt omni sermoni angeli, non vero

omni verbo prophetae, nisi constiterit eum qua prophetice loquentem induci.

Accurate attendatur oportet, quale sit *obiectum eorum iudiciorum*, quibus hagiographi *dicta vel facta aliorum laudant sive vituperant*.

Attendatur oportet *ad genus literarium*. V. g. in *parabolis* non omnia et singula ad rem parabola significatam transferri possunt. In *dialogo poetico* (Iob) non omnia, quae personae inter se disputantes edicunt, ab auctore approbantur.

Quoad res historicas. — *p. 190-2.*

Textus e natura rei facilius *corrumpitur* in numeris et nominibus propriis. — Si sensus respicitur:

Plurimae res in Scriptura narrantur, *de quibus nulli alii fontes* nobis notitias transmiserunt. Quod sane non sufficit, ut suspicioni pateant.

Res narratae saepe sat *diversae sunt ab iis, quae nos circumdant*. Unde apparentia erroris. V. g. tot « reges » in Palaestina.

Si hagiographus affirmat, *alios hoc vel illud locutos esse, eo ipso nondum dicit, id quod elocuti sunt, verum fuisse*.

« *Lex historiae* » est, ut saepe res ab historicis *significentur expressionibus iis, quae de facto in usu erant, etsi ex iudiciis falsis ortum habent*, dummodo aliunde pateat, quid de re sentiant. (Hieronymus). V. g. « *Reformatio* »; « *propheta* » loco pseudoprophetae.

Solutio non potest peti e generibus quibusdam literariis, quae ultimo tempore proposita sunt, quibus commune est, ut dicatur, hagiographos in pluribus vel paucioribus *noluisse ea ut facta exhibere, quae sub forma historica referunt*. Ea enim genera literaria uti suo loco probatur, et *Traditioni et ipsis Scripturis adversantur*.

Quoad res physicas. — *p. 192-205.*

Res physicas hic dicimus omnes, quae et in quantum sunt *obiectum earum scientiarum, quas hodie « naturae » dicere solent*. Opponuntur rebus fidei et morum et historicis.

Assertum I. *Apparentes errores Scripturae in assertis de rebus physicis solutionem habent partim e principiis quibusdam generalibus, quibus errores in caeteris quoque materiis excluduntur.*

Ponimus *principia solutionum*. Adiungimus exempli causa *eas difficultates*, quae fere frequentius afferri solent, earumque eam solutionem, quae melior videtur.

Aliquando factum physicum immerito falsum dicitur. Ita *quoad Iob. 39, 14: sthrutio* de facto aliquando ipse incubat, aliquando soli id negotium reliquit, ut pullos educat. *Quoad Sap. 7, 1:* de facto graviditas generatim *medio decimo mense* finiebatur; praeterea *sanguis matris* revera est materia quidem remota, unde ovum

maxima ex parte formatum sit, materia vero proxima, ex qua nutrimentum foetus absorbetur.

Aliquando immerito putatur, haberi aliquam assertionem ad res physicas pertinentem. Ita *Ecclesiastes 1, 4: « terra stare »* dicitur *in comparatione cum sortibus mutabilibus hominum,* qui in ea peregrinantur.

Aliquando agitur de mero *« translationis modo ». Ita Iob. 7, 6 « columnae terrae »* pro *causa firmitatis* terrae.

Aliquando, etiam cum de rebus physicis sermo est, *hyperbolae* adhibentur vel *locutio e circumstantiis intelligitur restricta ad res certi cuiusdam generis.* Ita *Act. 2, 5: « ex omni natione »* i. e. *hyperbolice,* idque de nationibus eo tempore *notis. — Granum sinapis* minus dicitur omnibus sive hyperbolice, sive *relate ad semina olerum, quae in hortis palaestinensibus seminari solebant.*

Aliquando classificatio rerum et consequens inde terminologia alia est populi, alia doctorum, *alia in hac aetate, alia in illa.* Unde diversa debent esse subiecta, quae in una, diversa quae in alia classe subsumuntur. Cf. « pauper » in vita cotidiana, in iure canonico. Ita *Lev. 11, 5-6* choerogryllus et *lepus* inter animalia *ruminantia,* 11, 14 *vespertilio* inter *aves* recte numerantur. Nam classificatio pro fine legis, ut scilicet facile inter animalia munda et immunda distingueretur, debebat esse *ea, quae erat in usu.* Haec autem bestias quae *eosdem motus maxillarum cum camelis... habent,* vocabat *« ruminantes »,* animalia *quae volant « aves ».*

Aliquando in descriptionibus poeticis quaedam genera entium uti terminus comparationis sumuntur, quae non exsistunt. Ita *Is. 14, 29 draco, 30, 6 regulus « volans »* inducitur. Caeterum secundo loco forte significatur quaedam species viperarum, quae *subito in altum se tollit* et ita a populo apte « volans » dici poterat.

Aliquando, praecipue in descriptionibus poeticis, effectus non causae sed phaenomeno cuidam attribuitur, quod intime cum causa connexum est. Ita *Iob. 20, 16 lingua viperae occidere* dicitur, quia, si aspis venenosus mordet, prius ipsa lingua aspidis saliva sua pingui carnem tangit. Caeterum num hagiographus omnia verba Sophar approbat?

Aliquando quaedam formulae loquendi omnium usu feruntur, « quae ortae quidem sunt ex erroneis de natura rerum opinionibus, quibus tamen nullatenus hae opiniones, sed aliquid aliud a veritate vel falsitate harum opinionum omnino independens affirmari intendatur ». Cf. hodierna expressio physicarum « calor latens », historiographorum « reformatio ». Ita *Ier. 17, 10 « scrutans cor et renes » = omnes hominis cogitationes et affectus penetrans.*

Narratio de creatione quibus diversis rationibus explicetur, cf. Tract. dogm.

Assertum II. — *Hagiographi saepe res physicas describunt secundum « ea quae apparent », quin affirment, hac describendi ratione earum intimam naturam exhiberi.*

Arg. — 1) Ex auctoritate theologica. — Ita *S. Thomas:* « Moyses... secutus est quae sensibiliter apparent. — *Fere omnes theologi recentiores,* qui non ad scholam largiorem pertinent. — *Leo XIII* hagiographos « potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere... aut quodam translationis modo aut *sicut communis sermo per ea ferebat tempora hodieque* de multis *fert* rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. *Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur, quae cadunt sub sensus...* ».

Ob. — *Patres tenuerunt systema Ptolemaicum.* — Ut rem scientificam, c.: *ut rem revelatam vel cum fide connexam,* n.

Theologi saeculo 17 docuerunt, systema Copernicanum Scripturae contrarium esse. — Omnes unanimiter uti rem certam hoc docuerunt, n.; undecim consultores Sancti Officii multique alii, c. Id non docuerunt v. g. Foscarini, Fabri etc.

2) Independenter ab auctoritate theologica. *a) Ipsi homines scientifici,* iique in *ipsis libris scientificis* tales expressiones adhibent. Atqui absonum est, eos omnes falsitatis arguere. Ergo tales expressiones nihil falsi continent. — Ad ma.: In omnibus libris astronomicis plurima talia exempla occurrunt. V. g. loquuntur de « aberratione lucis ». Cur non de aberratione telescopii? — Idem modus loquendi continuo in *vita cotidiana* adhibetur. Si qui navi vehuntur: « Litus paulatim recedit ».

b) Ratio intrinseca, cur in huiusmodi expressionibus error non insit: « Essentias rerum non intuitive cognoscimus, sed ex *earum qualitatibus et operationibus externis primam earum acquirimus notitiam,* ultra quam rudes non procedunt et *iuxta quam suas loquendi formulas effingunt...* Quae tum conceptui tum *rebus, prout se externe manifestant, adaequatae esse inveniuntur...;* de modo quo ista obiective eveniant, haud solliciti sumus ». Accedit, quod haec cognitio et ratio loquendi *pro finibus vitae humanae,* propter quos de his rebus loquimur, plane sufficit, ut scilicet sciatur, quando surgendum sit, etc.

Assertum III. *Dei sapientiam decebat, expressionibus, quae res physicas significabant « secundum ea, quae sensibiliter apparent », nequaquam alias substituere, quae intimam naturam rei exhiberent.*

a) Homines eius aetatis determinationes temporum etc., *non intellexissent, si modo technico astronomorum expressae fuissent.*

b) Finis religiosus Scripturae, describendo res physicas secundum earum apparentias, a) Vere obtinebatur. Nam etiam ita *idea omnipotentiae,*

sapientiae Dei habetur. *β) Melius obtinebatur.* « Nam non intima rerum natura *ad idololatriam seducebat,* sed *magnifica apparentia externa* ». Ergo res secundum hanc apparentiam descriptae ad Deum ut causam reducendae erant.

c) Non decebat evolutionem scientiae humanae revelatione intimae essentiae rerum physicarum *praeoccupari.*

Obiectiones.

Probatur, eas expressiones falsa continere.

Hagiographi, uti alii homines sui temporis, *falsas ideas de essentia rerum physicarum in mente sua habebant,* quippe cum nullam revelationem de ea acciperent. *Ergo eas falsas ideas in scriptis eorum etiam expressas habemus.* — Tr. vel c. antecedens. N. consequentiam. Etenim *exprimebant id quod expressiones ipsae edicunt.* Edicunt vero tantum *res secundum earum apparentias.*

E formulis hagiographorum concludi potest, eos habuisse tales ideas falsas. Ergo eas hic formulas *expresserunt.* — N. antec. Id concludimus *ex aliis fontibus,* e quibus scimus, *eo tempore homines in genere adhaesisse systemati Ptolemaico.*

Eiusmodi expressiones ortum habent e iudiciis falsis de intima essentia rerum physicarum. *Ergo eas exprimunt.* — *a) N. consequentiam.* Cf. p. 180. *b) Peto probationem antecedentis.* Videntur homines statim ab initio rerum ita loqui debuisse.

Qui ignorat systema heliozentricum, is formula « sol oritur » aliud edicit atque is, qui illud novit. — N. Per se *uterque idem* significat: *id quod apparet.* Si quis illa formula plus enuntiat, id per accidens est atque aliunde demonstrandum.

Hodie ideo nihil falsi his formalis edicimus, quia falsitatis earum conscii, eas metaphorice adhibemus. Atqui veteres eas ita non adhibebunt. Ego falsum iis pronuntiabant. — N. ma. Cf. dif. praeced.

Conceditur, eiusmodi formulas falsas non esse; at veritas earum modis non rectis explicatur.

Qui ad apparentias se limitat, non iudicat: qui vero non iudicat, is sane nihil falsi proferre potest. Atqui his formulis ad apparentias nos limitamus. — Qui ad apparentias se limitat, *non iudicat de intima essentia rei physicae,* c.; *non de mutatione obiectiva secundum ea quae apparent,* n.

Sicuti grammaticalia, orthographica, etc. non asseruntur, sed *sunt merae formae, quibus mediantis sententiae asseruntur, ita res physicae sunt merae formae,* quae non asseruntur, sed *quibus res fidei et morum, quae solae asseruntur quasi vestiuntur.* — N. paritatem. Grammaticalia, orthographica etc. se tenent *ex parte modi quo aliquid*

asseritur; *res physicae vero in se ipsae asseruntur*, tantum non propter se. Cf. p. 164.

Qui grammaticam componunt, aliquando sententias historice falsas sine falsitate dictionis afferunt. Ergo a pari, qui librum religiosum componit, sententias ad physicam pertinentes ita proferre potest. — Eo quod quis phrasim *ut merum exemplum pro regula grammaticali* affert, patet, eum per se hoc unum dicere: *Constat de rectitudine grammaticali talis phraseos.* At *phrasi: « venerunt ad monumentum orto iam sole », edicitur ipsum illud quod phrasi continetur,* non tantum rectitudo religiosa facti. Tempus affirmatur, quando aliquod factum ad religionem pertinens, locum habuit.

Nota. — De intima essentia inspirationis. — *Lith. p. 140-92.* — *Summa rerum*, quae in thesibus de intima essentia inspirationis probantur, haec est: Teste Scriptura atque Traditione scriptio librorum sacrorum est principaliter a Deo, instrumentaliter ab homine, ita ut omnes et singulae sententiae, quas homo scribit, Deus ut auctor principalis, homo ut causa instrumentalis conscribat. Sequitur:

1) *Vi inspirationis nullus modus acceptionis notitiae rerum, quae scribuntur, excluditur.* Possunt esse revelatae, auctoritate humana e fonte orali vel scripto haustae, experientia sensili acceptae etc. Etenim scientia rerum quae scribuntur non facit partem scriptionis, sed ei praesupponitur.

2) *Scriptio complectitur actus tres: in intellectu conceptionem rerum ut scribendarum; in voluntate volitionem scribendi; in facultatibus exsecutivis ipsam expressionem* rerum quae ut scribendae conceptae et volitae erant, mediantibus signis scriptis. Ergo debebat Deus ita hagiographos « *supernaturali virtute ad scribendum excitare et movere, ita scribentibus adsistere, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent;* secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae ». Encycl. « Providentissimus ». Declarationis causa haec breviter addantur:

a) Influxus in *intellectum* cum non sit ad infundendum notitiam, concipiatur necesse est uti lumen iudicativum divinitus datum.

b) Influxus divinus *in voluntatem immediate et physice voluntatem afficit, non tantum mediante eo influxu in intellectum* quem diximus. Etenim iudicium non movet voluntatem ex parte causae efficientis sed eo quod obiectum intellectui proponitur. Ergo nisi influxus physicus immediatus in voluntatem accederet, electio huius obiecti qua scribendi *procederet ex sola voluntate humana,* unde certe non esset a Deo ut causa principali et homine ut instrumentali. Ergo pars essentialis scriptionis esset mere humana.

c) Influxus divinus *in facultates executivas* eo ipso sufficienter

haberi videtur, quod illarum actiones dependent ab intellectu et voluntate qua supernaturaliter a Deo motis.

d) P. 170-89 tractatur quaestio, num vi inspirationis a Deo ut causa principali non tantum procedat, ut homo id quod divinitus ut scribendum concepit et scribere vult, exprimat signo externo apto, verum etiam ut id exprimat potius hoc signo apto prae illo quod etiam aptum est. Maior pars auctorum tantum priorem modum assumit.'

DE ECCLESIA UNIVERSIM SPECTATA

TRACTATUS DOGMATICUS

Distinguitur hic tractatus ab eo, quam de ecclesia ut infallibili veritatis magistra instituimus, propter duo. Primo, *obiectum* tractatus antea instituti erat id unum, *ecclesiam veritatem revelatam* et quae cum ea connexa sunt, certa ratione *infallibiliter custodire;* obiectum tractatus nunc instituendi sunt *omnia ea, quae de ecclesia secundum omnes eius respectus revelata sunt.* Secundo, *modus demonstrationis* in tractatu nunc instituendo est *plene dogmaticus,* i. e. qui procedit ex utroque fonte revelationis, traditionibus divinis et Scriptura qua inspirata, in quantum hi fontes ab infallibili magisterio ecclesiae proponuntur atque explicantur. Modus demonstrationis vero in tractatu antea instituto *talis non erat,* sed incipiebat a revelatione per Christum facta eaque ut historice demonstrata, adiungebat per decursum tractatus secundum eius naturam paulatim aliqua elementa demonstrationis dogmaticae, usque dum ultimatim ad demonstrationem inspirationis Scripturae perventum fuerit.

Qui tractatus dogmatici demonstrati supponantur. — Finis ecclesiae est, munera Christi perpetua reddere hominibusque applicare, inter quae praecipuum est munus redemptoris. Unde supponuntur in hoc tractatu de ecclesia tractatus de fine supernaturali humani generis, de eius restitutione per Christi redemptionem, de caeteris muneribus Christi, de institutione sacramentorum.

Limitatur materia demonstranda. — Pars materiae *in iure publico* demonstrari solet. — Ea materia, *quae in priore tractatu de ecclesia* proposita est, non iterum proponitur, cum non novae res ex hac materiae adiungendae sint, sed tantum modus demonstrationis dogmaticus supplendus sit. Quem tamen iam in tantum insinuavimus, in quantum iam in priore tractatu qualificationem theologicam thesium in parenthesi adiunximus. — Tractatus proprius *de notis atque universim de cognoscibilitate ecclesiae* sequetur. — Ex thesibus quae remanent, quasdam praecipuas seligimus.

PROPOSITIO. Membra ecclesiae non sunt soli praedestinati aut iusti, sed omnes et soli baptizati, qui insuper, si adulti sunt, publica professione fidei et subiectione legitimo regimini ecclesiastico praestita, cum ecclesia coniuncti, neque certa quadam ratione excommunicati sunt. — *Cf. Lith. II p. 37-79.*

Membrum societatis est is, qui omnibus vinculis socialibus societati essentialibus cum ea coniungitur. — Non applicamus scientiam de membris ecclesiae ad singulos homines in concreto.

Assert. I. Requiritur baptismus, isque validus.

Pars I. Abstrahendo ab eo, num requiratur baptismus valide susceptus, an forte sufficiat is, qui putative vel invalide susceptus sit.

Qual. — De fide divina catholica quoad paganos et hebraeos, qui non credunt vel catechumeni non sunt; quoad omnes credentes vel catechumenos scientifice certum.

Definitio Catechumeni. — Catechumenus est, qui audita praedicatione evangelii baptismum petit et sub instructione atque disciplina ecclesiae ad illud recipiendum se disponit. Cf. Liberius a Iesu, Controv. dogm. adv. haereses utriusque orbis, Pars I disput. 1 controv. 6 n. 12, tom. 1, ed. Romae 1701 p. 36.

Adv. — *Quidam recentiores Protestantes*, quibus baptismus res indifferens est. — *Secundum modum loquendi tantum, non vero secundum ipsam rem* huic thesi adversatur *Suarez*. Hic enim in modo loquendi quosdam locos Patrum quorundam atque communissimum usum loquendi veterum Scholasticorum sequitur. E quibus v. g. S. Thomas 3 qu. 8 art. 3 ad 3 ait: « Patres antiqui (in V. T.) pertinebant ad idem corpus ecclesiae ad quod nos pertinemus ». « Ecclesiam » ita intellectam Suarez definit De fide, disp. 9 s. 1 n. 3: « Haec Dei ecclesia est corpus quoddam politicum seu morale, ex hominibus veram fidem Christi (de Christo) profitentibus compositum ». Patet catechumenos ad ecclesiam ita intellectam pertinere. Praeterea Suarez l. c. n. 18 concedit, eos non pertinere ad « ecclesiam *Christi* », seu ad ecclesiam in quantum habet eas « particulares conditiones », quas Christus ecclesiae antea exsistenti superaddidit. Quae omnes sane ecclesiae Christi, in quantum ab ipso instituta est, essentiales sunt. — Nos hodie non iam ita loquimur, sed illam ecclesiam quam fundavit Christus, dicimus « Ecclesiam » sine addito « Christi », ecclesiam vero, prouti iam ante Christum exsistebat, dicimus « ecclesiam sensu magis universali », « Veteris Testamenti », vel similem aliam determinationem voci « ecclesia » addimus.

Arg. — 1) **Scriptura.** — *1 Cor. 12, 13:* « In unum corpus baptizati sumus ». In contextu intelligitur ea ecclesia, in qua externa charismata sunt; ergo societas ecclesiastica. Intelligitur porro ea, quae est corpus Christi, uti antea Paulus in eadem epistola docuit, quaeque dicitur *ἡ ἐκκλησία*; ergo ea societas, quae est ecclesia universalis. — Idem innuitur *Act. 2, 41-2:* « baptizati sunt et *appositi* sunt.... »; post quae verba enumerantur vincula socialia ecclesiae: doctrina apostolorum, communio, eucharistia, preces communes.

2) **Traditio.** — *Liturgiae* multae de catechumeno baptizando haec vel similia habent: « Ut fiat corpus et membrum ecclesiae ». — *Eug. IV.* in decreto pro Armenis docet de baptismate: « per quod de corpore efficimur ecclesiae ».

3) **Ratio theologica**: Secundum Trident. in impertitione baptismi ideo non est iudicium, quia in eos « qui foris sunt » (paganos vel iudaeos) nullum iudicium exerceri potest. D. 895. Ergo certe pagani vel iudaei extra ecclesiam sunt.

4) **Convenientia**: Baptisma in quantum est ritus, aptum est, ut aggreget societati externae; in quantum vero baptisma per characterem fideles conformes facit Christo sacerdoti et gratiam confert, aptum est ut aggreget ei societati, cuius finis proximus est exercitium religionis christianae, simpliciter ultimus vero visio beatifica.

Ob. — Ecclesia in traditione saepissime dicitur *societas fidelium*. Atqui etiam catechumeni credunt. — Alia terminologia in usu erat. *Fideles* dicebantur non omnes qui credebant, sed tantum *baptizati*. V. g. Chrys.: « Extraneus est catechumenus fideli ». Ratio huius nominis fortasse desumpta est ex solemni professione fidei in baptismate emissae.

Etiam *catechumeni* dicebantur *Christiani*. Atqui Christiani non possunt dici nisi ii, qui in ecclesia sunt. — C. ma; n. min. Erat alius usus loquendi atque nos hodie sequimur. Ratio huius modi loquendi is erat, quod etiam catechumeni profitebantur Christum.

Catechumeni dicebantur *concepti in utero ecclesiae*. Atqui si in *utero* ecclesiae erant, sane *in* ecclesia erant; si *in* ecclesia erant, *membra ecclesiae* erant. — In utero ecclesiae esse imago erat pro eo influxu ab ecclesia in catechumenos exercito, quo ii in futura membra societatis formabantur.

Forma ecclesiae est fides. Atqui *fides* habetur etiam in catechumenis. — Fides est illud totum quod iam solum omnia vincula socialia essentialia ecclesiae in se comprehendit, n.; est unum ex vinculis socialibus, subdist.: fides quaelibet etsi mere interna, n; professio fidei cum actuali dependentia obedientiae fidei sub hierarchia, cui quis per baptisma iam subditus effectus est, c.

Ecclesia tantum in membra potestatem habet. Atqui *potestatem* habet in *catechumenos*, cum iis v. g. disciplinam quamdam pro praeparatione ad baptisma praescribat. — Ecclesia potestatem *iurisdictionis* habet tantum in membra vel in eos qui erant membra, c. (cf. tamen ulteriorem explicationem, quae continetur p. 187 ob. 3); nullam aliam potestatem habet in eos qui non sunt eiusmodi, n. Titulus potestatis ecclesiae in catechumenos est tum mandatum divinum praeparandi eos ad baptisma, tum pactum implicitum quod catechumeni cum ecclesia inierunt.

Pars II. Requiritur baptismus validus, qui de facto characterem animae imprimit.

Qual. — Videtur mihi haec sententia scientifice certa esse dicenda.

Adv. — Quidam Catholici praecipue recentiores.

Arg. — 1) **Maior auctoritatis theologorum.**

2) **Ratio theologica**. — *a)* Ibi non habetur ratio membri, ubi

neque *capacitas* habetur, ut bona principalia societatis recipiantur. Atqui qui non est valide baptizatus, incapax est ad hoc, ut recipiat bona principalia societatis, sacramenta. — *b)* Si actus ad aliquem effectum requiritur, supponendum est, eum requiri qua validum, non vero sufficere putativum vel invalidum, nisi contrarium probatur. Iamvero rationes pro sententia contraria allatae valere non videntur.

Ob. — Innocentius II. (non III) c. 2 X 3, 45 supponit, *presbyterum non baptizatum salvatum fuisse.* — Quia *supponit, eum* etiam *actum caritatis elicuisse,* quippe qui in « sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit ». Remittit ad doctrinam de baptismo flaminis.

Homo qui videtur baptizatus, etsi baptizatus non sit, tamen habet *ius ad sacramenta.* Atqui qui tale ius habet, est membrum ecclesiae. — Dist. ma.: habet ius, *ne quis, quamdiu durat ignoratio, eum a sacramentis repellat,* c., obiectivum ius ad sacramenta, n. Contradist. min.

Est doctrina bene fundata, « *dubie baptizatos,* quamdiu dubium iuris vel facti perdurat, *legibus Ecclesiae* sive praecipientibus sive simpliciter prohibentibus in utroque foro *obligari*.... Quod vero spectat leges Ecclesiae irritantes, cum huiusmodi leges praesumptioni, quae factum ceu verum supponit, innitantur, hae, perdurante dubio, quoad dubie baptizatos in utroque pariter foro vim prorsus habere dicendae sunt ». Dom. Mannajoli, Supplem. ed. 5ae Sum. Theol. Mor. Ios. Card. d'Annibale, Romae 1909 p. 86. Atqui *haec subiectio explicari nequit, nisi* homines *per baptismum, etsi non obiective validum, membra corporis ecclesiae constituuntur.* Ergo. — N. min. Alia est ratio subditi ecclesiae, alia ratio membri, uti patet ex eo, quod haeretici notorii, uti mox probabimus, sunt subditi ecclesiae, non vero membra. Iamvero est bene fundata doctrina, homines fieri subditos ecclesiae « *vel vi baptismatis quod vere et obiective susceperint,* vel vi baptismatis iure divino ex possessione certo praesumpti, » ib. p. 88. Cuius rei ultima ratio haec esse videtur: « Nemo ambigit, quoslibet *regimini sociali eius societatis subiacere, cui externo ritu adscripti fuerint [vel cui eos adscriptos fuisse certo praesumendum est], donec illa adscriptio probetur invalida:* associatio enim externa ad externam societatem facta, quae praesumitur rite facta, certum et indubitatum ius tribuit auctoritati sociali in eos, qui tali modo erga eam se habuerint... ». Lehmkuhl, Theol. mor.[11] II n. 426. Alias bono societatis non satis provisum esset. Unde hoc principium generatim admittitur ab auctoribus quoad eos qui dubie matrimonio iuncti, ordinati, professione religiosa ligati sunt, Cf. Mannajoli o. c. p. 79-82, et in genere p. 76-107.

Si baptismus qua validus, ergo qua characterem conferens, requiritur, *ratio membri ecclesiae fit invisibilis.* — N. ob eam sententiam in

genere membra qua talia fieri invisibilia. Nam character invisibilis *ut plurimum visibilis redditur per materiam et formam sacramenti cum debita intentione,* quae intentio e *lege morali ut plurimum adest si ritus ponitur.* Hoc sufficit ad rationem visibilitatis ecclesiae, ut est aliquod corpus sociale. Ita in genere membra alicuius corporis visibilia fiunt.

Assert. II. Requiritur publica professio fidei sub magisterio ecclesiae.

Publica seu notoria i. e. in facie societatis. Rationem notorietatis disce a Canonistis. Unde haereticus etiam externus, sed occultus, manet in ecclesia.

Pars I. Haeretici notorii sunt extra ecclesiam.

Qual. — De fide divina catholica quoad haereticos notorios malae fidei.

Adv. — Multi *acatholici*, qui putant diversis ecclesiis, etsi opposita qua revelata docentibus, unam universalem ecclesiam constitui. — *Quidam catholici* haereticos notorios bonae fidei non clare excludunt.

Arg. — 1) **Tit. 3, 10-1:** « Haereticum hominem » — saltem ergo intelligitur haereticus publicus; « devita » — si autem esset membrum ecclesiae, deberet ab episcopo proprio curari; « cum sit proprio iudicio condemnatus » — ergo non tantum per excommunicationem aliquam sequentem condemnatur.

2) **E Patribus:** *a)* Suppositio in tota disputatione de rebaptismate erat, eos qui coetum haereticum formabant, esse extra ecclesiam. *β)* At non ea ratio redditur, quod eiusmodi haeretici coetum novum forment, sed ea quod « mortifera dogmata emendare nolunt ». Augustinus.

Difficultates.

E ratione theologica.

Haeretici notorii aliquando *excommunicantur.* — Ad manifestandam haeresim et ob quosdam effectus cum excommunicatione lege ecclesiastica (vel etiam civili) coniunctos.

Qui notorie in aliis materiis, etsi gravissime, peccat, ideo non fit extra *ecclesiam.* Ergo *a pari* notorius haereticus non fit extra ecclesiam. — N. paritatem. Plurima alia peccata non opponuntur vinculo *sociali.*

Ecclesia iurisdictionem *habet* etiam *in haereticos.* — Iurisdictio, uti positive probatur, habetur non tantum in membra, verum etiam in alios subditos; *haeretici autem subditi ecclesiae manent.*

Character baptismalis solus iam *sufficit* ad rationem membri. — In *infantibus,* in quibus eius effectus, scilicet aggregatio ad ecclesiam, nullo impedimento destrui potest c.; in adulto, qui tale impedimentum ponit, n.

E doctrina Scripturae.

Ager Mt. 13, 24-31 ecclesia est, *zizania autem in ipso agro inventa sunt haeretici.* — *Ager mundus* est; vel, si ager ecclesia est, zizania sunt mali qua mali.

Rom. 14, 1. « *Infirmum in fide* » i. e. *haereticum assumite.* — « Infirmi in fide » e contextu sunt *fideles cum conscientia erronea,* num aliqua res particularis licita vel illicita sit.

1 Cor. 3, 13. « Foenum, stipula », i. e. *haereses* aedificatae *sunt super fundamentum,* i. e. *Christum.* — Ex contextu hac expressione significantur non haereses, sed *doctrinae inutiles.*

2 Tim. 2, 20. « Vasa fictilia » in domo sunt *haeretici* qui sunt in *ecclesia.* — Intelliguntur haeretici qua occulti, vel melius omnes *mali.*

E factis.

Sadducaei in synagoga erant, quamvis *resurrectionem negarent.* — Si in muneribus constituebantur, doctrinae communi de resurrectione saltem publice *adhaesisse videntur.* Caeterum minus clare scitur, quae unitas fidei in synagoga essentialis fuerit.

Galatae putabant, eos Christianos, qui se circumcisioni subicerent, maiorem perfectionem assecutores esse; *Corinthii* quidam mortuorum resurrectionem negabant. Nihilominus a Paulo ut catholici habebantur. — Quia error eorum ex eo profectus erat, quod *praedicationem apostolicam* de his rebus *nondum* clare *intellexerant.*

Iansenistae reiciebant Bullam « Unigenitus ». Haec autem ab omnibus acceptata erat atque quasdam doctrinas ut haereticas damnabat. Nihilominus Iansenistae *ut Catholici considerabantur.* — Ita considerabantur postquam ita egerant, n.

Gallicani in ecclesia retinebantur — *N.* eos ante definitionem Vaticanam *fuisse haereticos.* Cf. p. 124-5.

Pars II. Haeretici occulti sunt membra ecclesiae.

Qual. — Scientifice certum.

Adv. — V. g.: Liberius a Iesu; Suarez (etiam ex alia ratione, quam ea, quam p. 186 retulimus), Murray, ut probabilius.

Arg. — **1)** Vinculum sociale est sola publica professio fidei.

2) Haeretici occulti retinent iurisdictionem, quam vi muneris habent.

3) Maior auctoritas theologorum pro hac sententia stat. V. g. Bellarminus, Tournely, Kilber, Sardagna, Antoine, Charmes, Perrone, Palmieri, Billot, Pesch, De San, etc.

Difficultates.

E ratione theologica.

Fides pertinet ad *formam ecclesiae.* — Interna, n.; professio publica fidei, c. In genere tamen professio publica ex fide interna procedit. Cf. dif. 3.

Corpus mysticum Christi non habet in se haereticos. Atqui ecclesia est corpus mysticum Christi. — N. ma. Corpus mysticum Christi est identicum cum corpore sociali ecclesiae. De influxu sociali Christi intelligendi sunt versus Ephes. 4, 15-6; Col. 2, 19.

Si haeretici occulti essent membra ecclesiae, *tota ecclesia ex iis conflari posset.* Atqui hoc est contra indefectibilitatem ecclesiae. — N. ma. Nam *a)* in genere homines id externe non profitentur quod interne non credunt. *b)* Providentia divina, contenta in promissa indefectibilitate ecclesiae, id permittere nequit.

E Scriptura.

Christus petendo *ut omnes « unum sint »*, petiit *efficaciter* unitatem fidei. — Internam fidem in singulis, n.; *unitatem socialem fidei* in suo genere perfectam, quae in maiore parte internam fidem includit, c.

1 Petr. 2, 4-10 omnia membra ecclesiae dicuntur « *lapides viri* » i. e. qui per internam fidem vivunt. — Denominatione sumpta a maiore parte membrorum, c.; a singulis membris, n.

E decisione ecclesiastica.

Pii IX ad finem Bullae « Ineffabilis » declarat, eos « ab unitate ecclesiae defecisse », qui contra doctrinam de immaculata conceptione B. V. « praesumpserint corde sentire ». — *a)* Haec verba non sunt decisio ex cathedra. *b)* Explicari possunt de unitate interna ecclesiae.

Assert. III. Schismatici notorii non sunt membra ecclesiae.

Adv. — Cf. fere Assert. II Pars II.

Qual. — Scientifice certum.

St. qu. — *Schismaticus* est qui *renuit subesse* legitimae auctoritati ecclesiae, non vero is, qui in pluribus ob motiva particularia non obedit. Praeterea is, qui renuit esse pars ecclesiae. Qui pertinaciter renuit se subicere auctoritati episcopi certe legitimi, renuit se subicere auctoritati papae, qui eum fecit.

Arg. — **1) Scriptura.** — Secundum Mt. 16, 18; Io. 21, vinculum essentiale ecclesiae est subiectio sub capite ecclesiae.

2) Traditio. — *Patres* apertissime rationem schismatis ponunt non in nova societate schismatica fundata, sed in « dissensione iniqua a fraterna caritate (sociali) ». Augustinus. — *Eug. IV.* D. 714.

Difficultates.

E ratione theologica.

Catholici sunt qui *recte credunt.* — Si simul unitatem ecclesiasticae communionis retinent, c.

Qui adhaeret Christo capiti, est membrum ecclesiae. Atqui *Christo*

adhaeretur per gratiam habitualem. — Dist. ma.: Qui adhaeret Christo ut capiti sociali ecclesiae, i. e. mediante capite visibili societatis visibilis, c.; qui tantum eatenus, quatenus Christus gratiam influit, n.

E Patribus et factis historicis.

Secundum Augustinum atque alios Patres haereticus et schismaticus « *in eo quod... ita vult agere, sicut in unitate agitur, in eo.... coniungitur* » cum ecclesia. — Ii Patres loquuntur de coniunctione cum ecclesia *secundum quid.*

Epiphanius *Meletium catholicum habuit,* quamquam is a communione cum legitimo patriarcha recesserat. — Ita iudicavit, quia ignoravit facta, quibus schisma constituebatur.

Decem tribus, quamvis a caeteris separatae essent, membra synagogae erant. — Quid essentiale fuerit ad constituendam rationem membri synagogae, *vix liquet.*

Qui *in schismate Antiocheno* saeculo 4° *uni ex episcopis diversis,* excepto utique ariano, adhaeserunt, considerabantur ut *Catholici.* — Quia ei in tantum adhaeserunt, *in quantum ab iis credebatur a papa* confirmatus.

In schismate magno occidentali *diversae obedientiae* diversis Pontificibus adhaeserunt. Atqui unam ecclesiam catholicam constituebant. — Unaquaeque obedientia adhaesit suo Pontifici ut putativo legitimo Romano Pontifici et capiti ecclesiae et ita diversis adhaeserunt *qua uni,* c. Alii aliter respondent. Sunt qui minorem negent.

Assert. IV. Qui certa quadam excommunicatione obstrictus est, extra ecclesiam est.

Qual. — Scientifice certum.

St. qu. — *Excommunicatio* est privatio communionis ecclesiasticae. Minor, quae non iam exsistit (S. O. 5 dec. 1883) privabat licito usu sacramentorum; maior etiam caeteris bonis ecclesiasticis privat. Minor non separabat: maior separat saltem ea, qua quis vitandus declaratur.

Adv. — Suarez, Liberius a Iesu, Bañez, alii. Maior tamen pars theologorum putat, eos extra ecclesiam esse.

Arg. — **1) Scriptura.** — *Mt. 18, 18* agitur de membro ecclesiae, nam agitur de eiusmodi homine, ecclesiae subiecto, qui simul *frater* dicitur; agitur de homine peccante per *aliud peccatum quam schisma vel haeresis* est; agitur de homine, in quem Christus dat ius ferendi sententiam auctoritativam, vi cuius considerandus est ut ethnicus i. e. *extra ecclesiam.* — *b) 1 Cor. 5, 13* agitur de membro ecclesiae, cum dicatur esse « intus », « frater » etc.; de incestu; de poena, quae fertur a potestate ecclesiae ordinaria, cum apostolus voluerit iudicium ab ipsa auctoritate ecclesiastica corinthiaca procedere; de poena quae separet a corpore ecclesiae: « Auferte malum a vo-

bis » (occidendo spiritualiter), « tradere satanae », in quo actu includitur expulsio in regnum Satanae, i. e. extra ecclesiam.

2) Patres dictos locos sic explicant. Ambrosius de loc. Cor.: « Separarantur a Christi corpore ».

3) Ecclesiae usus: Pontificale Rom.: « Ab ecclesiae corpore abscindamus ».

Scholion. 1) *Tantum notoria* excommunicatione separatio ab ecclesia fit, alia vinculum sociale non rumpitur. — 2) Saltem probabilius *etiam* ea excommunicatio notoria maior separat, *quae non declarat vitandum*. Nam Martinus V illa distinctione nova inter vitandum et non vitandum ipsis excommunicatis nullum favorem concedere volebat. Praeterea excommunicati notorii, etsi non vitandi, non retinent iurisdictionem ordinariam vere talem. Cf. Wernz² I p. 122; Hollweck, Strafges. p. 116. — 3) Non separat iniusta *et* invalida excommunicatio; num iniusta sed valida, controvertitur.

Difficultates.

E ratione theologica.

Secundum Augustinum « *iniuste excommunicatos coronat in occulto Pater* ». — Quia Augustinus supponit, eos *non esse sine voto pertinendi ad ecclesiam*.

Excommunicatio est poena saltem etiam medicinalis. Atqui *medicina non est, poni extra viam salutis*. — Dist. min.: si adest *possibilitas redeundi* ad viam salutis, n. Excommunicatur homo ad eum finem, ut saltem privatione bonorum ecclesiae terrefactus et impulsus desiderio ut iterum in via salutis inveniatur, petat solutionem ab excommunicatione. Quae non datur nisi sub ea conditione, ut ab eo peccato, propter quod excommunicatus erat, desistat.

E Patribus.

Augustinus loquitur aliquando de *excommunicatione quae non separat*. — Scilicet aliquando loquitur de excommunicatione *minore*. *Polycrates atque ii Asiani qui eum sequebantur*, erant *excommunicati;* nihilominus habebantur ut Catholici. — Non erant actu excommunicati excommunicatione maiore.

Assert. V. Praedestinatio et gratia habitualis falso asseruntur necessaria ad rationem membri ecclesiae.

Non soli praedestinati pertinent ad ecclesiam.

Qual. — De fide divina catholica definita. Conc. Constant. D. 627, 629, 631-2, 647.

Adv. — Wicleff, Hus; Calvin solos eos praedestinatos, qui fidem iam assecuti essent, habuit ut membra ecclesiae.

Arg. — **1) Scriptura.** *Mt. 13, 47-50: Sagena* = ecclesia continet pisces (membra), qui ad finem saeculorum non eliguntur (ad beatitudinem).

Traditio. — Augustinus: « Secundum praedestinationem.... quam multi lupi intus ». — *Concil. Const.* damnavit sententiam Hus: « Praesciti non sunt partes ecclesiae ». D. 629.

Difficultates.

E ratione theologica et Scriptura.

Praesciti non sunt membra Christi! — *Dum nondum damnati sunt*, non sunt membra Christi, quatenus est caput sociale ecclesiae, *n;* quando damnati erunt, non erunt membra Christi ut capitis ecclesiae, c.

Arca erat typus ecclesiae; iamvero (omnes et) *soli* salvandi in arca erant. — Dist. ma.: Erat typus, in quantum erat unicum medium ordinarium salutis, c.; sub aliis respectibus, n.

Christus secundum Eph. 5, 23 *salvat ecclesiam;* ergo qui non salvatur, non est in ecclesia. — Dist. ma.: Christus ecclesiam totam salvat *temporaliter*, eo quod, dans ei media salutis, influxum socialem in omnia membra exercet atque gratiam in quaedam infundit, c.; aeternaliter salvat membra ecclesiae, subd.: omnia, n., praedestinatos e membris ecclesiae, c.

Secundum *Io. 21, 15 omnia membra ecclesiae sunt oves Christi.* Atqui secundum *Io. 10, 27-8 omnes oves Christi sunt praedestinatae.* Ergo omnia membra ecclesiae sunt praedestinata. — Dist. ma.: Secundum *Io, 21, 15* omnia membra ecclesiae sunt oves Christi, i. e. homines *coniuncti per vincula socialia cum Christo* ut capite sociali societatis suae, quae est ecclesia, c.; coniuncti cum Christo *per donum perseverantiae*, n. Contradist. min.: omnes oves Christi, i. e. omnes homines coniuncti cum Christo per vincula socialia, erunt praedestinati, n.; omnes homines coniuncti cum Christo per donum perseverantiae c., at peto probationem hanc veritatem versu Io. 10, 27-8 edici. Quidam hunc locum de praedestinatis explicant, quidam de iis qui in Christum crediturі sint, quidam de aliis.

Secundum 2 Tim. 2, 19 *inscriptio ecclesiae* (?) est: « Cognovit Dominus, qui sunt eius ». — I. e. Deus omnes filios ecclesiae praedestinavit, *n.;* eos qua membra ecclesia *vinculis socialibus speciali modo secum coniunxit*, c.

E Patribus.

Patres *aliquando solos praedestinatos e membris vocant membra ecclesiae.* — Adhibendo vocem « membrum » sensu *antonomastico* pro membro perfectissime cum ecclesia coniuncto, vel vocem « ecclesia » pro ecclesia in statu coelesti, c.

Non omnes praedestinati pertinent ad ecclesiam.

Qual. — De fide divina catholica definita. Conc. Const. D. 627, 631-2, 647.

Arg. — 1) **Scriptura.** — *a) Petr. 2, 2-10:* « Aliquando non populus

nunc autem populus Dei ». Iamvero ex una parte « populus Dei » hic = ecclesia; ex alia parte, cum S. Petrus plurimis membris ecclesiae scribat, certe non supponit, neminem esse praedestinatum. Ergo e mente apostoli quidam e praedestinatis aliquando non pertinebant ad ecclesiam.

2) Conc. Const. — Damnavit propositionem Hus: « Praedestinatus semper manet membrum ecclesiae » D. 631.

3) Ratio theologica. — *Infantes post baptisma morientes*, ergo praedestinati, ante baptisma non erant in ecclesia.

Non soli iusti pertinent ad ecclesiam.

Qual. — De fide divina catholica definita contra Quesnel D. 142-8.

Adv. — Secundum quid Montanistae, Novatiani, Donatistae. Simpliciter Pelagiani, Hus, Iansenistae; multi Protestantes orthodoxi, ut Luther, saltem initio; Quesnel.

Arg. — **1) Scriptura.** — *Parabolae* sagenae, nuptiarum. — Mt. 18, 18. — 1 Cor. 5, 1-13: Excommunicandus propter crimen adhuc in ecclesia est. — Tim. 2, 20: Vasa fictilia in ecclesia sunt.

2) Traditio. — Inter *Patres* Augustinus contra Donatistas duos status ecclesiae disinguit: statum hic in terris, in quo ecclesia etiam peccatores in gremio suo habet, statum in coelis, in quo e solis iustis constat. Praeterea catholicitatem ecclesiae probat ad sola vincula socialia attendens, non vero ad sanctitatem membrorum. — *Contra Hus* statutum est, papam, etsi peccet, manere successorem Petri; cardinales, etsi peccent, manere in officio suo. D. 633-9, 646.

3) E ratione theologica. — Io. 20, 23 datur potestas remittendi peccata gravia in sacramento poenitentiae. Iamvero sacramentum poenitentiae ex una parte filiis ecclesiae destinatum est, ex alia parte eius effectus principalis est remissio peccatorum gravium, quae a membris ecclesiae commissa sint.

Difficultates.

E Scriptura.

S. Paulus *omnia membra ecclesiae sancta* vocat. — Omnes quidem filios ecclesiae vocat sanctos *destinatione et consecratione* a Deo in baptismo accepta, quosdam etiam habitu gratiae et actionibus, c.; omnes vocat sanctos ob gratiam habitualem qua ornati supponantur, n.

Omnes filii ecclesiae debent *Deum* dicere *Patrem*. Ergo supponuntur habere gratiam. — Deum Patrem habent professione sociali et destinatione.

Omnia membra ecclesiae *sunt membra corporis Christi, ergo Christi.* Iamvero qui non habet Spiritum Christi, is non est Christi. — Dist. ma.: Membra omnia ecclesiae sunt Christi ut actu santificantis per gratiam habitualem, n.; ut capitis socialis, c.

Secundum Eph. 5, 27, *ecclesia non habet rugam.* Ergo non habet membra in statu peccati gravis. — Dist. ma.: Ecclesia in terra non habet rugam in suis institutionibus (vel: in coelo non habet rugam in suis membris), c.; in terra non habet rugam in suis membris, n.

Secundum Eph. 4, 16 *Christus augmentum corporis sui facit in caritate;* ergo totum corpus mysticum Christi habet caritatem. — Dist. ma.: Intelligitur *caritas socialis,* uti e contextu patet.

1 Petr. 2, 4-10 fideles dicuntur *lapides vivi.* Atqui vita spiritualis est gratia sanctificans. — Cf. p. 191 ob. 4.

Secundum Paulum 1 Cor. 5, 11 cum Christianis fornicariis, avaris etc. *ne cibus quidem sumendus est.* Ergo ii qui ita peccant, supponuntur esse extra ecclesiam. — Dist. ma.: Supponitur, eos ob notorium crimen *excommunicatos fuisse,* c.; eos ob fornicationem iam ex natura rei extra ecclesiam fuisse, n.

E Patribus.

Praecipue Augustinus saepe dicit, *tantum sanctos esse in ecclesia.* — Adhibet in talibus locis vocem « ecclesia » sensu antonomastico.

E ratione theologica.

Ecclesia est *essentialiter sancta.* — Propter finem, media, multa membra, c.; quasi omnia membra essent sancta, n.

Peccatores *membra mortua* a theologis dicuntur, ergo non sunt membra vera. — Dist. ma.: Dicuntur utique membra mortua *propter defectum vitae* cuiusdam, at non propter defectum vitae socialis, sed propter defectum vitae *gratiae.*

Ecclesia *militans cum triumphante* facit unam. Atqui ecclesia triumphans non nisi membra sancta habet. — Dist. ma.: *ratione vinculorum eorumdem socialium,* n.; finis et capitis invisibilis, c. Qui finis in militante est possidendus, in triumphante possessus, idque vi mediorum, quae militanti concessa erant.

Non soli perfecti pertinent ad ecclesiam.

Qual. — De fide divina catholica definita. Cf. D. 1515. Porro cf. partem praecedentem.

St. qu. — *Perfectus* hic sumitur pro eo, qui ne venialiter quidem peccat.

Adv. — Anabaptistae; Pistorienses? D. 1515.

Arg. — Ut in parte praecedente. — Accedit, secundum hos adversarios tantum paucissimos posse esse in ecclesia.

Scholion. — *Infantes baptizati,* etsi ab haereticis oblati et ab haereticis ministris baptizati sunt, membra ecclesiae sunt, usque dum publica professione alicui haeresi vel schismati adhaereant

Lit. — *Turrecremata*, Summae ecclesiasticae ll. 4, l. 1 c. 54-60 ed Salmant. 1560 in fol. p. 94-110. — *Bellarminus*, Controv., De eccl. milit. l. 3 c. 3-10 ed. Ingolstad. in fol. t. II col. 1229-69. — *Suarez*, De fide disp. 9 s. 1 ed. Paris. tom. 12 p. 244-53. — *Dominicus a SS^a Trinitate*, Biblioth. theol. l. 3 s. 3 c. 5 t. III Romae 1668 in fol. p. 28-55. — *Liberius a Iesu*, Controv. dogm. pars 1 disp. 1 controvers. 1-9 t. I Romae 1701 in fol. p. 3-60. — *Tournely*, t. V, pars 1 qu. 4 ed. Venet. 1790 in 4° p. 246-80. — *Wirceburg.*, I disp. 2 a. 2 ed. Par. p. 87-99. — *Billuart*, De regulis fidei dis. 3 art. 2 ed. Atrebati in 4° 1868 p. 297-302. — *Passaglia*, De eccl. Ch. l. 3 vol. II c. 22-40 p. 380-800. — *Murray*, disp. 3 tom. I p. 143-213; disp. 7 s. 1 p. 670-700. — *Hurter*[12] th. 43-7 p. 268-84. — *Franzelin*, De eccl. th. 22-3 p. 379-402. — *Wilmers*, prop. 107-14 p. 619-48. — *Mazzella*,[2] prop. 26 p. 466-87. — *Billot*, q. 7 p. 281-366. — *de San*, pars 4 p. 257-321. — *Palmieri*,[3] § 11 p. 40-58. — *Mendive*, p. 131-50. — *Scheeben-Atzberger*, IV p. 310-6. — *Pesch*, I n. 328-32 p. 219-22.

PROPOSITIO. **Coniunctio cum corpore ecclesiae necessaria est ad salutem necessitate medii.**

Qual. — De fide divina cath. definita. Later. IV. D. 430.

St. qu. — *Corpus ecclesiae* = ecclesia qua societas. — *Anima* (sensu latiore = fides, spes, caritas, gratia santificans; sensu strictiore, ordinario) = gratia sanctificans. Relatio ecclesiae, ut est societas, ad gratiam cum relatione corporis nostri ad animam *sub diversis respectibus comparari potest*. V. g.: Ecclesia ad gratiam ut finem suum dirigitur; per gratiam membra ecclesiae eam perfectionem habent, quae in iis qua membris ultimatim intenditur; societas ecclesiastica visibilis est, gratia non. (Alius modus loquendi: anima ecclesiae = vita socialis ecclesiae in quantum multitudini materialiter sumptae opponitur. Hic vero modus loquendi hoc loco non attenditur.)

Necessarium necessitate medii dicitur id, « quod requiritur in ratione viae perducentis ad iustificationis finem »; seu « illud, quod per se ipsum, abstrahendo a praecepto, necessarium est, sive illud, quo animae aliquid confertur, sine quo salutem obtinere non potest »; seu: *id omne et solum, quod per modum causae ad iustificationem et consequenter ad salutem ducit*. Unde is, qui non habet tale medium vel talem causam, qua effectus obtineatur, is, etiam si sine culpa tale medium non habet, iustificationem non obtinet. Patet id in infantibus qui sine martyrio vel sine baptismate moriuntur. — Potest autem aliquid esse causa iustificationis diversimode, scilicet aut formalis, aut disponens aut efficiens vel ad modum efficientis. Causa *formalis* est gratia sanctificans. Causa *dispositiva* in adultis est gratia actualis, qua ad fidem aliasque

virtutes disponuntur, quae sive ad baptismum sive ad absolutionem sacramentalem necessariae sunt. Causa *efficiens* principalis est Deus qui solus eam in anima producere potest; causa meritoria gratiae atque causa institutrix mediorum gratiae est Verbum incarnatum secundum humanam suam naturam. Causa unica cui dispensatio mediorum gratiae concredita est, est ecclesia. Quae eius functio certe ad rationem causae efficientis iustificationis reducenda est. Instrumenta gratiae sunt ipsa sacramenta.

Necessarium necessitate meri praecepti dicitur id, quod non ideo necessarium est, quia ex natura rei ad iustificationem ut una ex eius causis requiritur, sed *quod tantum ideo ad iustificationem requiritur, quia ex una parte sub praecepto gravi praescriptum est, ex alia vero parte non-observantia praecepti gravis peccatum grave constituit, peccatum grave vero* cum gratia stare nequit. Unde is, qui sine culpa aliquod praeceptum non observavit, v. g. quia illud inculpabiliter ignoravit, ob hanc ipsam non-observantiam praecepti a iustificatione assequenda non impeditur. Etenim ex una parte ista ignorantia excusat a peccato. Ex alia parte res praecepta in se non erat aliqua causa gratiae; ergo praeceptum non observatum ex nullo capite gratiam impedit.

Quod est necessarium necessitate medii pro aliquo fine, hoc simul est necessarium necessitate praecepti, si finis ipse praeceptus est. Iamvero assecutio finis supernaturalis in hac oeconomia salutis praecepta est. Ergo ea quae in hoc ordine necessaria sunt necessitate medii, nunc simul necessaria sunt necessitate praecepti.

Necessitas medii distinguitur in absolutam et hypotheticam. Necessarium necessitate medii absoluta id est, quod per nullam aliam rem suppleri potest. Ita *sola gratia sanctificans* et pro adultis gratia actualis necessaria est. *Necessarium necessitate medii hypothetica* est id, quod *per aliam rem suppleri potest.* Ita *sacramenta, ecclesia,* suppleri possunt aliis rebus, uti actu perfectae caritatis, martyrio, at non sine voto pertinendi ad ecclesiam. — Caeterum cum de necessitate medii sive absoluta sive hypothetica loquimur, non est sermo de necessitate in ordine ad potentiam Dei absolutam, quam quaestionem omittimus, sed *in ordine ad potentiam Dei ordinariam et ad oeconomiam a Deo statutam,* quae e revelatione nobis nota est, quaeque certe naturis rerum valde conformis est. — De notione necessitatis medii cf. optime *Mazzella,* De virt. inf.[3] n. 852-5; *Franzelin,* De Eccl. th. 24, 2 p. 428-36.

Votum hic = *firma voluntas.* Votum dicitur explicitum vel implicitum, secundum quod cognitio ecclesiae volitae est explicita vel implicita. Dicitur ergo votum *explicitum,* si ecclesia in se ipsa cognoscitur; *implicitum,* si cognoscitur in quantum in alio cognito cognoscitur, scilicet in quantum cognoscitur, Deum disposuisse media ad salutem, inter quae media obiective invenitur ecclesia.

— Votum est *formale*, si habetur in se ipso; *virtuale*, si in actu, qui illud virtute continet, uti est v. g. actus perfectae caritatis. *Coniungi cum corpore ecclesiae* idem est atque esse membrum ecclesiae.

Thesis *omnes complectitur*, qui in nova oeconomia salutis salvantur. *Excipiuntur soli infantes non baptizati, qui ante usum rationis martyrium patiuntur.* Ii enim salvantur, quamvis ad ecclesiam neque re pertineant neque voto. Etenim re ad eam non pertinent, quia characterem baptismalem non habent; voto ad eam non pertinent, quia voti incapaces sunt, quippe qui nullum actum voluntatis elicere possint.

Adv. — *Quaedam sectae* (uti Zwingliani) notionem ecclesiae necessariae necessitate medii admittunt et ad se applicant. — *Plurimae* vero diversas « ecclesias » habent uti diversas formas unius religionis christianae, in quibus, uti tandem etiam in ecclesia catholica, Deo placere datum sit. — *Indifferentistae* alii (Syllabus Pii IX D. 1715-8) omnes religiones obiective sumptas aeque bonas habent. — *Modernistae* tantum statuunt necessitatem quandam moralem pertinendi ad ecclesiam, cum secundum eos hominibus extra societatem versantibus nimis difficile esset, experientias religiosas habere. At sane non statuunt necessitatem pro fine supernaturali, quippe cum talem finem non admittant.

Pars I. Abstrahendo, num aliquando sufficiat ad ecclesiam pertinere voto.

1) **Decisiones ecclesiae.** — *Later IV:* « Extra quam nullus omnino salvatur ». D. 423. Secundum contextum immediatum sermo est de ecclesia Romana in qua habetur eucharistia, in qua successores apostolorum inveniuntur. — *Eug. IV:* « Tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant ». D. 714. — *Pius IX* docet, « Notissimum dogma esse, catholicum neminem extra catholicam Ecclesiam posse salvari ». D. 1677. Encycl. *Quanto conficiamur.*

2) **Patres** continuo premunt in ecclesia rationem causae ad salutem: v. g. esse eam ut arcam Noe; si quis sit extra ecclesiam, ne martyrium quidem iuvare.

Arg. — 3) **Ratio theologica.** — *a) Ex ecclesia ut unica salutis oeconomia.* — « Salutis, hinc gratiae sanctificantis, sine qua nulla salus, non potest particeps fieri homo, nisi re aut saltem voto illam sequatur salutis viam, quam unicam Deus instituit. Atqui *Ecclesiam instituit omnibus unicam salutis viam* ». Ergo. — Prob. min.: In sola Ecclesia Iesus deposuit sacramenta, quibus solis gratia prima confertur atque amissa reparatur; deposuit veram doctrinam, quam amplecti est de necessitate medii. — Idem alio modo:

b) E subordinatione ad caput Christum ut necessaria necessitate

*

medii. — « Necessitate medii necessaria est subordinatio ad caput Christum, a quo solo esse potest salutis influxus. Ergo ex consequenti, eadem necessitate necessarius est subordinationis modus quem ipse praefixit. Sed modus subordinationis ab eo praefixus consistit in subiectione ad illam hierarchiam.... *quam instituit* ipse in ratione capitis ministerialis », *per quod influxus gratiae ad homines descenderet.*

c) E necessitate baptismi in ratione medii. — Necessarium est necessitate medii, recipere baptismum ob gratiam adipiscendam. Atqui qui baptizatur, natura prius per characterem ecclesiae adiungitur, quam gratiam accipit. Id quod in tractatu de sacramentis probatur.

Pars II. Si quis non potest pertinere ad ecclesiam re, sufficit ut pertineat voto.

A. *Non absolute necesse est, ad ecclesiam pertinere re.*

Arg. — Alias falsa esset doctrina Patrum etc. de vi iustificativa baptismi flaminis, sanguinis.

B. *Necesse est pertinere ad ecclesiam voto.*

Arg. — **1) Ratio theologica.** *a)* Illatio: Necessarium est pertinere ad ecclesiam (pars 1ª); non necesse est semper pertinere ad eam re (pars 2ª A); ergo saltem necesse est, pertinere ad eam voto. — *b)* Tantum ita ex una parte stat *voluntas Dei salvifica,* ex alia parte remanet *ecclesiae sua dignitas* necessitatis medii seu causae salutis. *Primum evidens est,* cum nemini negetur gratia perveniendi ad actum, in quo tale votum continetur et per quem iustificatio obtinetur, puta ad contritionem perfectam. At *secundum quoque patet.* Etenim homo in actu perfectae caritatis se conformat perfecte voluntati Dei, prouti ea obiective se habet. Iamvero e voluntate Dei ecclesia non est tantum praecepta, sed est statuta uti medium seu causa salutis. Ergo homo in actibus dictis eam ut tale medium seu ut talem causam salutis amplectitur. Ergo ecclesiae sua dignitas causae servatur.

2) Decisiones ecclesiae. — *Sixtus IV, Trident.* docent, reconciliationem cum Deo ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in ea includatur, non esse adscribendam. D. 742, 898.

Ob. — Secundum hanc doctrinam *damnantur adulti, si non pertinent ad ecclesiam, quam ignorant!* — Tantum damnantur, si non pertinent ad ecclesiam neque re neque voto saltem implicito virtuali.

Haec doctrina *reddit catholicos male securos,* superbos. — Si doceretur, sufficere ad salutem, pertinere ad corpus ecclesiae, c.; si simul ex doctrina ecclesiae necesse est vivere secundum spiritum ecclesiae, n.

Multi qui *ad ecclesiam non pertinent, boni sunt.* — Qui neque re neque voto ad ecclesiam pertinent, ii boni sunt, n.

Etiam *sectae habent media salutis, uti sacramenta, quasdam doctrinas.* — Ut sua n.; ut ecclesiae catholicae propria, c. Deus sacramenta ita instituit, ut etiam extra ecclesiam valide administrari possent. Quod ideo ita fecit, ut hac ratione melius consulatur saluti haereticorum bonae voluntatis. Doctrina sufficiens ad fidem supernaturalem cum debitis motivis credibilitatis etiam per haereticos proponi atque per Dei gratiam in iis suos fructus ferre potest.

Minister haereticus vel schismaticus, qui conficit sacramentum, id *conficit sine vera subordinatione ad ecclesiam atque quin ullo modo eius minister sit.* Ergo ecclesia saltem in eo casu nullum influxum in iustificationem efficiendam exercet. — Dist. ma.: Minister extra ecclesiam sacramenta dispensans ea conficit sine subordinatione *explicita,* c; vera etsi tantum implicita, n. *Expl.:* Qui extra ecclesiam aliquod sacramentum administrat, id *ne valide quidem administrat, nisi vult facere id quod facit ecclesia.* Etenim ne valide quidem administrat sacramentum, i. e. non coniungitur cum Christo in ratione ministri principalis sacramenti, nisi vult facere id quod Christus instituit. Iamvero id quod Christus instituit convertitur cum eo quod Ecclesia catholica facit. Nam huic soli demandatum est, ut sacramenta dispenset. Illa sola quoque ob Christi auxilium efficax, promissum apud Mt. 28, 20, tale mandatum indefectibiliter exsequitur. Secta vero neque ullum mandatum accepit, neque qua secta ullum exequitur. Porro si quid in ea, materialiter sumpta, fit conformiter cum voluntate Christi, id tamen neque indefectibiliter neque necessario conformiter cum voluntate Christi fit. Unde etiam eiusmodi minister haereticus quodam vero modo ipsi ecclesiae in administratione sacramenti inservit. Cf. *Billot,* De sacr. I[4] th. 16 § 3 p. 177-80.

Lit. — *Turrecremata,* l. 1 c. 21 p. 35-7. — *Liberius a Iesu,* I p. 95-103. — *Palmieri,* § 7 p. 15-21. — *Murray,* I p. 731-51. — *Wilmers,* th. 116 p. 652-60. — *Franzelin,* th. 24 p. 424-37. — *Pesch.,* prop. 37 n. 391-6. — *Billot,* th. 2 § 2-3 p. 121-7. — *Scheeben,* IV p. 335-7. — *Mazzella,*[2] prop. 21 p. 393-408. — *De Groot,* qu. 4 a. 3 p. 142-6. — *Mendive,* p. 238-45. — *E. Dublanchy,* in Dictionnaire de Théol. cath. tom. IV col. 2155-75. — De Patribus cf. multa apud *A. Seitz,* Die Heilsnotwendigkeit der Kirche, Freiburg 1903 p. 350-76.

PROPOSITIO. **Ipse Christus instituit ecclesiam uti societatem a synagoga distinctam.**

Qual. — De fide divina catholica.

St. qu. — *Institutor societatis* certe is est, qui et omnia essentialia, quae ad eam ut talem spectant, intellectu concepit condenda, et hoc iudicium practicum voluntate efficaci in effectum producit. Non excluditur, institutorem in hac exsecutione adhibere aliquod instrumentum, dummodo illud mere agat secundum determinatio-

nem acceptam ab ipso institutore. — *Propagator* is est, qui in societatem iam institutam alia membra suscipit.

Synagoga est ea societas politico-religiosa quam Deus, Moyse sequestro, condidit atque solis descendentibus ab Abraham idque per Isaac et Iacob, ingrediendam praecepit. *Superaddita est statui naturae* qui dicitur. Status naturae non est idem atque status naturae purae, imo vero significat eum statum naturae elevatae ad ordinem visionis beatificae, in quo statu illa natura elevata instructa quidem erat omnibus illis donis quae sequebantur ex tali elevatione, in quo tamen neque legi Mosaicae sive Veteri neque Legi Novae subiecta erat. Synagoga ergo intacta reliquit ea, quae hominibus e statu naturae elevatae obvenerunt, addidit vero ea quae ex lege Mosaica provenerunt.

Adv. — *Protestantes* quidam orthodoxi, qui solam ecclesiam « invisibilem » ad Christum reducunt. — *Rationalistae et Modernistae,* qui tradunt, Christum nullam societatem instituisse, sed eum tantum fuisse auctorem cuiusdam impulsus monotheistico-moralis, quem ad Iudaismum plus minusve expurgatum addiderit. Plurimae diversae *theoriae circumferuntur, quibus originem naturalem ecclesiae catholicae ex eiusmodi impulsu religioso-ethico deducunt.* Similes sunt iis, quas de origine episcopatus vidimus et refutavimus, De eccl. Vol. I fasc. V p. 69-75 p. 62-9. In quadam parte saeculi 19 schola Tubingensis celebris erat, quae principalem causam originis ecclesiae ponebat in oppositione inter Petrinismum et Paulinismum.

Arg. — 1) **Elementa essentialia ecclesiae,** quibus a synagoga distinguitur, **a Christo** originem habent. Ergo ecclesia, prouti a synagoga distinguitur, a Christo instituta est.

a) Finis ecclesiae est, exercitio religionis christianae ad santificationem animarum his in terris et per eam ad visionem beatificam perducere; Synagogae vero finis erat, exercitio legis Mosaicae conservare bona status naturae et praeparare adventum Messiae. Atqui is finis ecclesiae a Christo ei destinatus est; cf. Mt. 28, 20 de exercitio religionis christianae; Mc. 16, 16 de santificatione; 1 Cor. 13, 10-13 de visione beatifica.

b) Potestas ecclesiae *sanctificandi* per sacramenta ex opere operato gratiam confert. In synagoga potestas sanctificandi tantum sanctificationem legalem conferebat. Iamvero illa prior potestas ecclesiae a Christo data est. Cf. tract. de sacramentis.

Potestas docendi infallibiliter in ecclesia amplissimum habet obiectum, ut subiectum vero auctoritatem ecclesiasticam a Christo institutam. In synagoga obiectum eius minus amplum erat, subiectum vero saltem principale constituebant prophetae. Iamvero potestas illa ecclesiae, uti in tractatu de ecclesia ut magistra veritatis infallibili vidimus, a Christo ortum ducit.

Potestas regiminis in ecclesia directe ad solas res spirituales extenditur, in synagoga res spirituales et temporales directe complectebatur. In ecclesia potestas regiminis in rebus spiritualibus invenitur in Petro eiusque successoribus plene, in episcopis cum eo coniunctis per participationem; in synagoga vero alia erant subiecta potestatis tum temporalis tum spiritualis. Atqui quae de potestate regiminis diximus, a Christo instituta sunt. Id quod patet ex ea parte tractatus apologetici de ecclesia, quae inscribitur « de constitutione ecclesiae », et ex ea parte tractatus dogmatici, quae est de obiecto potestatis iurisdictionis ecclesiae.

Vincula essentialia socialia in ecclesia sunt baptismus, professio publica fidei et communio membrorum inter se sub actuali dependentia ab auctoritate docendi et regendi, quae pastoribus ecclesiae propria est; vinculum sociale saltem principale in synagoga erat circumcisio ut ritus religiosus vi legis Mosaicae receptus. Iamvero vincula socialia ecclesiae ad Christum reducenda sunt, uti in thesi de membris ecclesiae vidimus.

2) E disertis verbis Christi. — *Christus* ipse ait, se *aedificaturum esse* ecclesiam suam. Iamvero synagoga iam a saeculis instituta erat. Praeterea Iesus data opera effert, leges cultus in utraque societate diversas esse: « neque in Ierusalem adorabitis Patrem ». Io. 4, 21.

3) E doctrina apostolorum. — Secundum apostolos ecclesia a synagoga omnino distincta est. Atqui hanc ipsam ecclesiam a synagoga distinctam apostoli ad Christum uti causam efficientem reducunt. Ergo secundum apostolos ipse Christus ecclesiam uti a synagoga distinctam instituit.

Prob. ma. — Membra synagogae ad integram legem Mosaicam tenebantur. Iamvero secundum Ephes. 2, 14 *Iesus morte sua in cruce* « medium parietum maceriae subvertit », i. e. *legem Mosaicam abolevit.* — Praeterea apostoli decreto suo Act. 15, 29 *iis Christianis, qui ex ethnicismo conversi erant atque simul cum Iudaeis vivebant, nequaquam totam legem Mosaicam imponebant,* praecipue non ipsum ritum principalem legis, scilicet circumcisionem; sed tantum imponebant, « ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato », idque tantum propter rationes prudentiae ortas ex scandalo, quod a Iudaeis timebatur, atque tantum pro eo tempore in quo haec ratio subsistebat, non vero vi legis Mosaicae.

Prob. min. — *a)* Apostoli nunquam seipsos uti institutores ecclesiae exhibent, sed sibi ascribunt solum « locum ministerii huius et apostolatus » pro Christo, Act. 1, 24. — *b) Occasione data nunc hoc nunc illud elementum societatis ad Christum uti causam reducunt.* Ita *a) potestates* sanctificandi, docendi, regendi. Cf. thesim de potestatibus auctoritati ecclesiae datis. *β)* Ipsum *munus* « pa-

storis et doctoris » i. e. episcopi a Christo institutore repetunt. Cf. Eph. 4, 11 (De quo v. v. I fasc. 1 p. 87).

3) E Patribus. — S. Cyprianus, De unit. Eccl. c. 12: Christus « instituit et fecit ecclesiam ». — Eusebius, Demonstr. ev. l. 2 MG 22, 170: Christus est « novae.... reipublicae (in oppositione ad iudaicam) primus introductor et legislator ». — *Augustinus,* De civ. Dei l. 22 c. 17 ML 41, 778: « *Ut* enim *in exordio generis humani de latere viri dormientis, costa detracta, femina fieret,* Christum et ecclesiam tali facto iam tunc prophetari oportebat ». Qua imagine Scholastici continuo hanc veritatem exhibent. Item Conc. Vien. D. 480.

Difficultates.

Ii societatem formant, qui in eam *ingrediuntur.* — Dist.: *Eam formant ex parte materiae,* c.; causae efficientis, n.

E verbis et gestis Christi.

Christus ad id venit ut omnes institueret *ad perfectum amorem Dei.* — Dist.: Ad amorem Dei naturalem, n.; supernaturalem, eumque *adipiscendum per media supernaturalia* a se instituta eaque *socialia,* uti per fidem unam, sacramenta, c.

Christus solum *motum monotheistico-moralem inchoavit.* — N.; v. arg. *Radix erroris est aprioristica negatio ordinis supernaturalis,* qua inducti adversarii textus huic negationi oppositos ex historia removent.

Institutio ecclesiae probatur e *verbis Christi* resuscitati; atqui eiusmodi verba *non possunt historice probari.* — Dist. ma.: Institutio ecclesiae probatur e solis eiusmodi verbis, n.; etiam ex eiusmodi verbis, subdist.: Quae verba per resurrectionem historice probatam etiam ipsa historice probari possunt, c.

Difficultates e *doctrina Christi de regno coelorum, quasi illud e mente Christi fuisset mere internum vel eschatologicum,* v. De eccl. vol. I prop. 5 p. 43-9.

Difficultates *e sic dicto particularismo Christi,* quasi societatem novam *universalem* non instituisset, v. De rev. christ. p. 57 ob. 1, porro integra prop. 12 p. 80-3.

Christus Mt. 5, 17-8 dixit, se venisse *ut adimpleret legem veterem.* — Dist.: Veterem Legem in tantum implevit, in quantum *qua Messias in V. L. promissus revera ea omnia perfecit, quae in V. L. uti a Messia facienda continebantur.* Continebatur vero in ea, ut abrogaret caerimonialia (iudicialia), perficeret multis modis legem moralem, prophetias impleret eo quod faceret atque pateretur quae praedixerunt, atque praecipue novam oeconomiam salutis institueret.

E verbis et gestis apostolorum.

Act. 6, 3-6 *apostoli primos diaconos instituerunt.* Ipsi quoque, — si interim a quaestione de charactere episcopali abstrahimus — *primi erant, qui* ecclesiis singulis quibusdam primos episcopos « monarchicos » praefixerunt atque saltem hoc sensu *primos episcopos instituerunt. Atqui diaconi ad essentiam hierarchiae ordinis, episcopi, inquantum singuli singulis quibusdam partibus ecclesiae praesident, ad essentiam hierarchiae iurisdictionis pertinent.* Ergo quaedam pars essentiae ecclesiae ad apostolos ut institutores reducenda est atque proinde Christus dici nequit simpliciter ecclesiam instituisse. — Dist. ma.: *Apostoli ita egerunt instrumentaliter*, c., principaliter, n. Conc. min. Pariter dist. consequens.

Expl. Apostoli *non ut suum mente conceperunt* iudicium practicum, ordinem diaconatus et iurisdictionem episcopalem in ecclesia esse instituenda; apostoli praeterea illud iudicium practicum *non ut suum realizandum decreverunt;* apostoli denique tale decretum suae voluntatis *nequaquam nomine proprio exsecutioni mandarunt.* Sed sciverunt, Christum ex una parte dignitatem diaconi et iurisdictionem episcopalem mente *sua* uti instituendam concepisse; eum deinde decrevisse absolute, ut haec dignitas in ecclesia semper adsit; eum tandem hoc suum decretum absolutum manifestasse. Simul tamen sciverunt, Christum ex alia parte sibi, apostolis, reliquisse, ut sub ductu Spiritus Sancti tempus determinarent, quando hoc Domini decretum, utique uti decretum Domini, exsecutioni mandare deberent. Apostoli praeterea eo tempore quod opportunum putabant, hoc decretum Domini exsecutioni mandarunt. Iamvero in hac actione apostolorum non plus invenitur quam ratio instrumenti in manu veri institutoris talium dignitatum.

Res tota ita explicari potest uti fecimus, cum in relationibus quas habemus, nihil sit, quo indicetur, apostolos ea, de quibus agitur, nomine proprio instituisse. Res porro ita explicari *debet, quia e traditione scimus, ipsum Christum utramque dignitatem instituisse.*

Apostoli primis annis in sola Iudaea praedicabant; ergo ecclesiam nondum considerabant ut societatem universalem a synagoga distinctam. — C. factum, nego rationem additam. Ratio erat praeceptum Christi, quod ille ideo dederat, *quia Messias primo loco Iudaeis* promissus atque proinde iis primo loco nuntiandus erat.

Apostoli ipsi legem Mosaicam observabant. Ergo eadem conclusio. — Dist. ma.: Ut necessariam, n.; cum adhuc esset licita, apostoli eam observabant ob faciliorem conversionem Iudaeorum, si et in quantum cum iis conversabantur, c. Quidam Iudaeo-Christiani eam utique necessariam habebant, at erronee.

Apostoli Act. 15, 29 ipsis *ethnico-christianis* i. e. *ethnicis ad religionem christianam conversis legem Mosaicam imposuerunt.* — Eam *integram* omnibus ethnico-christianis imposuerunt, n.; quaedam e lege Mosaica quibusdam imposuerant, subdist.: *vi obligationis legis Mosaicae,* n., ex alia ratione, c. Cf. arg. 3.

Petrus cogebat gentes iudaizare. — Dist.: *Imponebat doctrinam, ethnico-christianos debere legem Mosaicam observare,* n.; *occasio* erat, ob quam ii ob praxim a Petro, capite ecclesiae, in casu particulari observatam at ab ipsis non rite intellectam, putare poterant, ethnico-christianos debere ritus Mosaicos observare, c.

Causa, cur ecclesia formaretur, erat *persecutio Iudaeorum* narrata Act. 8, 1-3. — N., vidimus quae causa fuerit. Persecutio erat *effectus odii contra ecclesiam iam exsistentem.*

Petrus ante visionem Act. 10, 11-7 *nondum scivit, legem Mosaicam esse abrogatam.* — N. Secundum ipsum textum visionis et narrationem modi conversionis Cornelii v. 18-48 eam excipientis, Petrus ea visione *didicit, sibi ipsi* in conversatione cum ethnicis, iamiam in ecclesiam suscipiendis, *esse abstinendum ab observatione legis Mosaicae.* Quam legem, etsi iam abrogata esset, tamen usque ad id tempus laudabiliter observaverat, quippe cum inter Iudaeos degeret atque Iudaeis evangelium praedicaret. Cf. v. 27-9; c. 11, 3-12. Cf. de vi totius capitis 10 Knabenbauer, Com. in Act. p. 180-1, 194-8, praeterea totam explicationem capitis 10 et 11, 1-18.

Apostoli soli fere eos omnes qui a Iudaismo convertebantur, certe simpliciter omnes qui ab ethnicismo convertebantur *christianos fecerunt;* Christus ipse vero paucos homines discipulos suos fecit. Ergo apostoli prae Christo institutores ecclesiae habendi sunt. — C. antec. N. conseq. Dicendi sunt *propagatores ecclesiae a Christo institutae.* Ad eam enim omnes christianos aggregabant. Cf. St. qu. — Idem valet de ecclesiis integris, quas apostoli e membris singulis collectis fundarunt.

Scholion. I. — **Quando ecclesia a Christo instituta fuerit.** — *Ecclesia* ante resurrectionem quidem a Christo tum in genere tum in multis ex suis singulis elementis praedicata atque promissa est. Praeterea eodem tempore saltem eucharistia iam instituta est, imo uti omnino videtur, etiam baptismus. Tandem iam tunc pusillus grex discipulorum per baptisma formatus esse generatim statuitur. Cf. Pesch, VI de bapt. n. 352-6. At perfecte ecclesia instituta tantum tum est, quando Dominus post resurrectienem suam, soluto iam pretio redemptionis, potestates omnes tum ad sanctificandum, tum ad docendum atque regendum, apostolis actu dedit. Id quod tribus illis apparitionibus notis praestitit. Quarum una erat octo diebus post resurrectionem; secunda ad lacum Tiberiadis; tertia in monte Galilaei. Etenim per solam collationem potestatis omnis ad gubernandam societatem ordinatae aliqua societas perfecte consistit.

Scholion II. — **De cessatione legum caerimonialium synagogae.** — *Leges caeremoniales synagogae obligatoriae* erant usque ad mortem Christi; *permissae* erant usque ad evangelii quandam divulgationem; *postea* vero factae sunt *illicitae* (mortiferae). Plura de hac re alibi.

Scholion III. — **Quando ecclesia sensu generaliori dicta inceperit.** — Si ea intelligitur coetus eorum, qui *cultu supernaturali Deum prosequuntur* (cf. *Franzelin,* p. 18), tunc incepit esse, quando *angeli ad ordinem supernaturalem elevati sunt.*

Si ea vero intelligitur coetus eorum qui *sub Christo, gratiam influente,* Deum supernaturali cultu prosequuntur, duplex responsio datur. Ii theologi qui putant, gratiam pro angelis quoque vel saltem pro protoparentibus, etiam prouti in iustitia originali constituti erant, e meritis Christi descendisse, ii ecclesiam sive ab elevatione angelorum ad ordinem supernaturalem sive saltem ab elevatione protoparentum repetere debent atque repetunt. Dico ab elevatione Adae *et* Evae; etenim in uno subiecto societas utique inchoatur at plene consistere nequit. Cf. *Suarez,* De fide disp. 9 s. 2 n. 2. Ii vero qui cum communiore sententia tenent, *tantum pro genere humano lapso gratiam a Christo dependisse, originem ecclesiae ab eo tempore repetere solent, quo Adam et Eva post lapsum Deum cultu supernaturali, utique e fide in redemptorem profluente, prosequi incipiebant.*

Erant utique, qui ecclesiae initia non in Adam et Eva sed in Abel collocarent. At sententia, quae *in Adam et Eva non vero in Abel originem ecclesiae ponit, variis rationibus commendatur. a) Pro ea stat maior auctoritas theologorum praecipue recentiorum. b) Connaturale* est, Adam et Evam vix non immediate post lapsum Deum eo cultu supernaturali quem iam diximus colere incepisse. *c) Multi loci Patrum* ecclesiam ad omnes Sanctos V. T. inde ab initio mundi extendunt. Cf. quosdam *Mazzella,* n. 431.

Ob. — *Rationes adversariorum* v. g. *Turrecremata,* l. 1 c. 25-7 n. 1-7 p. 41-7; *Tournely,* qu. 1 a. 1 concl. 2 recte priores partes Abel attribuunt. — Eorum rationes probant, Abel fuisse membrum ecclesiae *tempore primum, n., sub alio respectu primum, c.*

Accipe v. g. responsa ad singulas obiectiones *Tournely:* Ex eo quod Abel primus est, cuius sacrificium *Gen. 4, 4* refertur et ut Deo gratum laudatur, non sequitur, Adam antea nullum actum cultus posuisse. Refertur, *quia in ea occasione fata Abel et Cain deciduntur.* — Mt. 23, 35 Abel non dicitur primum membrum ecclesiae, sed *primus iustus, cuius sanguis* (violento modo) super terram *effusus est.* — *Hebr. 11, 4* non magis permittit argumentum e silentio quam Gen. 4, 4. Imo apostolus *in toto capite 11 tantum facta in Scriptura narrata refert.* — *Ratio typi* Christi et ecclesiae, quam quidam Patres vident in munere pastoris, morte violenta, virginitate Abel, certe *non importat prioritatem temporis* in ratione

membri. — *S. Augustinus*, Enarr. in Ps. 142 n. 3 ML 37, 1846 aiens : « Haec civitas initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas a Cain », *de ecclesia antonomastice, seu ut sancta* loquitur. Prosequitur enim: « Antiqua ergo ista civitas Dei, semper tolerans terram, sperans coelum... ». Est nempe Abel primum membrum ecclesiae, *cuius sanctitas nobis manifestata est quique in sanctitate decessit.* — *S. Gregorius M.*, hom. 19 in ev. n. 1 ML 76, 1154 in explicanda parabola vineae de *primo fructu* ab ecclesia ad aeterna horrea transmisso loquitur: « Qui habet vineam, universalem scilicet ecclesiam, quae, ab Abel iusto usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit ». — *Ratio convenientiae* ea adducitur, primum membrum ecclesiae, ad significandam sanctitatem nunquam defecturam in ecclesia, debuisse esse eum qui a sanctitate nunquam exciderit. Exciderunt vero Adam et Eva, non excidit Abel. At, omissis aliis quae dici possent, certe *contra factum* rite stabilitum *non est adducenda quaedam ratio convenientiae,* praecipue si ea ex typo petitur, qui neque e revelatione probatur neque a priori colligi potest.

Cf. sententiam quam stabilivimus *Suarez,* De fide disp. 9 s. 2 n. 1-5, 7, ed. Par. tom. 12 p. 253-5. — *Mazzella,* n. 431-4. — *De Groot,* qu. 2 a. 4.

Lit. — Haeretici veteres atque Protestantes orthodoxi concedere solebant, Christum ecclesiam instituisse; potius ex eius proprietatibus ostendere nitebantur, se ipsos esse illam ecclesiam, catholicam vero ab ea quam Christus instituit alienam esse. Unde etiam catholici *thesim sub ea forma, qua eam posuimus, potius supponunt vel breviter expediunt quam evolvunt,* atque mox ad proprietates atque notas ecclesiae se convertunt. — Cf. tamen v. g. *Dominicus a SS. Trinitate,* Biblioth. theol. l. 3 c. 3 n. V, tom. 3 p. 9-11. — *Liberius a Iesu,* I disp. 1 controv. 12 p. 70-3. — *Tournely,* qu. 1 a. 3 concl. 1. — *Passaglia,* l. 2 c. 1 p. 83-92. — *Hurter,* th. 37 p. 225-9. — *Palmieri,* § 2-3 p. 2-12; § 6 p. 14-5. — *Mazzella,* th. 18 p. 352-69. — *Mendive,* th. 1 p. 126-31. — *Wilmers,* th. 1-4 p. 28-49. — *Pesch,* th. 30 p. 202-9. — *Franzelin,* th. 6-9 p. 65-124. — *Scheeben,* IV § 327 p. 294-306. — *De Groot,* q. 2 a. 1 p. 45-53. — *Billot,* th. 1 p. 72-106. — *De San,* c. 2 p. 10-42. — *Ottiger,* II th. 4 p. 218-38.

DE FINE ECCLESIAE (1).

Finis completus ecclesiae consideratur, non vero partialis, uti factum est in tractatu de ecclesia ut magistra infallibili veritatis. Cf. p. 185 primum alinea.

Divisio finium. — Fines ecclesiae apte *distinguuntur secundum diversa bona*, quae Christus in fundanda ecclesia intendit. Scilicet ea aut pro *membris* ecclesiae aut pro *se ipso* aut pro ipso *Deo* intendit. Singulos fines singulis thesibus consideramus.

Qual. — Si non termini sed res ipsae respiciuntur, theses clare in Scriptura et confessione ecclesiae contineri ideoque de fide divina catholica dici posse videntur.

PROPOSITIO. Finis quem Christus in fundanda ecclesia pro ipsis eius membris intendit, unum statum habet in terris obtinendum, alium nonnisi in coelis adipiscendum, idque ita, ut prior sit via necessaria ad secundam. Finis his in terris obtinendus isque immediatus situs est in exercitio integrae religionis christianae in ecclesia et per ecclesiam, mediatus vero in sanctificatione et perfectione animarum per exercitium religionis christianae obtinenda. Haec ipsa vero sanctificatio et perfectio ad gradum visionis beatificae ei correspondentem uti ad finem ulteriorem dirigitur.

Expl. term. — *Religio* hic sumitur *obiective*, i. e. *pro summa veritatum quae credendae, mandatorum quae exsequenda sunt*, sive ea consistant in *praeceptis de mediis salutis*, uti sacramentis, ad se applicandis, sive *in aliis praeceptis* sive *in consiliis*. Quaedam mandata omnes respiciunt, v. g. praeceptum de sumenda eucharistia; quaedam tantum aliquos V. g. praecepta de regimine prudenter gerendo ad solam hierarchiam spectant.

Integra religio christiana curae ecclesiae demandata est, non tantum quaedam eius partes. Contra ideas quasdam, quae recentius aliquando insinuari videntur, praecipue premimus, ecclesiam *non* debere *tantum* curare ea, sine quibus vita aeterna obtineri ne-

(1) Abhinc in Repetitorio haud raro *ampliora de quibusdam thesibus* proponentur atque usque nunc fecimus. Ratio est, quia tractatus ampliores sive lithographiae sive typis expressi, ad quos Repetitorium remittit, partim exhausti partim nondum integre propositi sunt. Ita saltem aliquo modo praesenti necessitati occurri videtur. — *Ordo* vero quem in iis thesibus proponendis tenemus, non est semper is, qui ex natura rei enascitur, sed *saepe unice determinatur* necessitate practica, ut res impressae habeantur *secundum quod pro praelectionibus de diversis tractatibus hic et nunc inservire debebant.*

quit, i. e. *observationem praeceptorum gravium,* verum eam debere praeterea curam agere *perfectionis christianae.* Patet autem, eam curam non in eo consistere posse, ut haec perfectio per modum praecepti imponatur, sed eam alterius generis esse debere. Haec cura exercetur v. g. eo quod ecclesia ad perfectionem hortatur, quod circa eos, qui eam in proprio *statu* perfectionis excolunt, specialem providentiam exercet. — Virtus theologica caritatis ab omnibus e praescripto habenda est, idque sive habitum sive actum consideras. Unde perfectio christiana in quantum ab observatione mandatorum distinguitur non sita est in ipsa caritate nude sumpta sed in perfectione caritatis, seu in perfectione spirituali quae dicitur. Haec *perfectio caritatis consistit in alacritate acquisita agendi secundum regulam caritatis.* Quae alacritas includit haec duo: primo omnes virtutes alacriter exerceri, secundo raro Deum offendi peccatis vel venialibus. *Promovetur vero* perfectio spiritualis *speciatim observatione consiliorum,* quae termino technico evangelica dicuntur, i. e. paupertate, virginitate, obedientia ob servitium divinum electis. Haec enim tollunt impedimentum principale caritatis, scilicet immoderatam cupiditatem boni temporalis. C. Gent. l. 3 c. 103. — Cf. de perfectione spirituali appendicem sub hoc nomine ad tract. de virt. Pesch. VIII n. 622-91 p. 293-309.

Christiana religio a nobis intelligitur, i. e. ea *quam Christus a discipulis suis servari mandavit. Non* vero intelligitur *religio Christi, prouti ea a Protestantibus liberalibus et Modernistis explicatur.* Secundum eos religio Christi est complexus eorum, quae Christus ipse secundum beneplacitum Patris servavit. Iamvero quamvis ea beneplacita divina, quae naturam rationalem omnis creaturae sequuntur, essentialiter eadem sint relate ad nos atque relate ad Christum, tamen multa alia beneplacita divina positiva diversa sint necesse est, secundum quod scilicet dignitas naturae, status, officia eorum de quibus agitur diversa sunt. Ita ob dignitatem naturae Christi in eo repugnat poenitentia; nam ob unionem hypostaticam naturae humanae cum persona divina repugnat in eo peccatum. Ob statum Christi repugnat in eo v. g. fides, quippe quae in eo esse non possit, qui iam visionem beatificam habuit, haec autem Christo uti comprehensori iam propria erat. Ob officium redemptoris, quod ei incumbebat, ipse Christus inter alia ipse nomine proprio sacrificium offerre debebat. Nobis autem fides et poenitentia necessariae sunt, oblatio sacrificii vero nomine proprio facta vetita est.

Sanctificatio animarum intelligitur *coniunctio animarum cum Deo tum per actus caritatis atque aliarum virtutum,* quas Christus docuit, *tum per habitus earum ipsarum* virtutum atque *gratiae sanctificantis.* Intelligimus autem tum ea elementa coniunctionis cum Deo, quae *ad salutem aeternam obtinendam necessaria sunt,* tum ipsam *perfectionem christianam.* Cf. quae mox diximus. — Actus virtutum non intelliguntur ii solum, quos homines ponunt, in

quantum sunt personae privatae, verum etiam ii, quos ponere debent, in quantum uti personae publicae curam boni publici sive in statu sive in ecclesia habent. Haec enim omnia officia administranda sunt secundum normam quam virtutes christianae, docente ecclesia, exigunt.

Dicimus, *finem proximum* ecclesiae esse, ut perducat ad *exercitium religionis christianae* integrae, finem *mediatum vero ut perducat ad caritatem eiusque perfectionem.* Etenim Christus *nequaquam* rem ita instituit, ut *tantum finem mediatum, caritatem, hominibus praescripserit, modum autem tendendi ad eam iis determinandum reliquerit.* Verum primo mandavit, ut iis virtutibus ad perfectionem caritatis tendatur, quae cum institutione ecclesiae necessario coniunctae sunt, quales sunt v. g. obedientia erga legitimos superiores ecclesiasticus in iis quae ad religionem spectant, fides determinatae summae veritatum; secundo, quaedam instituit atque ecclesiae dispensanda tradidit, quae sunt vera media salutis, scilicet quae eam conferunt, imo sola conferunt. Cf. prop. de necessitate medii pertinendi ad ecclesiam.

Adv. — *Protestantes orthodoxi,* si tamen suo systemati stare volunt. Etenim secundum eos fides sola iustificat, fides vero secundum eos sub nullo respectu ab ecclesia pendet sed a solo Spiritu Sancto et Scriptura procedit. — *Protestantes liberales et Modernistae,* cum secundum illos nulla religio supernaturalis esse possit. Christus iis est tantum exemplar experientiarum religiosarum. — *Ii omnes* sive acatholici sive catholici, *qui hanc vel illam potestatem ecclesiae limitant,* non tantum quoad modum, quo se circa obiecta sua habet, verum etiam *quoad ambitum rerum, circa quas versatur.* De quibus adversariis in thesibus de potestatibus ecclesiae sermo est.

De fine ecclesiae qui in exercitio religionis christianae consistit.

1) E verbis Christi. Mt. 28, 20. — Iesus in ecclesia instituenda eum finem pro ipsis membris ecclesiae intendit, quem hierarchiae ecclesiae in eius membris curandum demandavit. Atque Iesus Mt. 28, 20 hierarchiae ecclesiae ipsum exercitium integrae religionis suae ut finem in membris ecclesiae curandum demandavit.

Ad min. — In eo textu agitur *primo* de *hierarchia* ecclesiae. Cf. Tract. de eccl. ut magistra infallibili veritatis v. I th. 6 p. 49-57. — Agitur *secundo* de fine, quem hierarchia *in membris ecclesiae* procurare debet. Nam agitur de eo fine ad quem apostoli *baptizatos* instituere debent; baptismus autem membra ecclesiae constituit, uti in propositione de membris ecclesiae vidimus. — Agitur *tertio de integra religione christiana observanda.* Nam religio christiana definitur *summa eorum, quae Christus credenda et agenda praecepit.*

Iamvero verbis quae retulimus Iesus apostolis mandavit, ut praedicarent omnia, quae Christus ab asseclis suis credenda et agenda voluit.

Prob. min. — *a) His verbis continetur primo* mandatum solemne comprehensivum, ut apostoli *ea omnia uti servanda praedicarent,* quae Dominus antea sive mandatis particularibus sive etiam praeceptis generalibus iis iam iniunxerat, ut qua observanda praedicarent. Etenim *phrasis* « docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis » e necessaria ipsorum verborum connexione *ita compleri debet:* « quaecunque mandavi vobis *ut doceretis eos servare.* » — Simili ratione Iesus iam antea apostolis mandaverat, ut omnia, quae illis qua praedicanda dixerat, fideliter denuntiarent. Etenim cum Io. 16, 20 in ultima coena sermo est de apostolis in doctrina Christi ad finem praedicationis instruendis, Dominus iis dicit: « Haec locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, *ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero [in graeco « dixi »]* vobis ». Si autem Spiritus iis omnia in memoriam revocabit, quae Dominus iis *ut praedicanda* iniunxit, ergo certo certius etiam ea omnia, quae uti ab omnibus *servanda* apostoli praedicare debent.

b) His verbis continetur *secundo* mandatum, ut apostoli ea omnia praedicarent *ut credenda, quae Iesus voluit praecipi ut credenda,* ut ea omnia praedicarent *ut opere complenda, quae ab iis praecipi voluit uti facienda.* Mandatum Iesu complecti, ut ea praedicentur facienda, quae Iesus iussit ut ab omnibus opere complerentur, certe nemo infitias dabit. Nam ipse terminus *τηρεῖν* saltem ea, idque immediate, significat, quae opere complenda sunt. At hoc quoque certum est, eo mandato vere etiam ea comprehendi quae Dominus praecepit ut *qua credenda* praedicarentur. Etenim

α) Verba Mt. 28, 20 consentientibus exegetis idem re continet quod edicunt *verba parallela Mc. 16, 15:* « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae ». Iamvero hoc loco *Dominus omnia, quae praedicari ab apostolis mandavit, comprehendit termino:* « *evangelium* ». Evangelium vero seu « bonus nuntius » *essentialiter complectitur veritates credendas,* id quod evidenter patet e verbis Domini immediate sequentibus: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ».

β) Dominus saepe significavit, officium omnium hominum, quod fundamenti loco pro omnibus aliis officiis sit, in eo esse, ut in se credant, ideoque apostolorum esse, ut imprimis fidem in Christum ab hominibus postulent. Imo Io. 15, 26-7 in hoc ipso *praecipuum munus Spiritus Sancti* praecipuumque officium apostolorum reponit: « Cum autem venerit Paraclitus... *ille testimonium perhibebit de me... Et vos testimonium perhibebitis* ».

2) E praxi et doctrina apostolorum. — Mc. post verba « praedicate evangelium omni creaturae » adiungit v. 20: « Illi autem

profecti *praedicaverunt ubique*, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis ». Atqui obiectum praedicationis est « evangelium », evangelium vero, uti vidimus, hoc loco significat summam eorum omnium, quae Dominus qua credenda et facienda ab apostolis praedicari iussit. Ergo ea omnia praedicarunt.

S. Paulus Rom. 10, 14-17 agit de via ordinaria fidei, quae est per praedicationem externam legitimam. V. 14-5: « Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt sine nisi mittantur?... » Unde fidem quam christiani conceperunt ita exhibet: « Ergo fides ex auditu [i. e. e *praedicatione*, scilicet apostolorum; cf. v. 16]; auditus *[praedicatio] autem per verbum Christi [i. e. per mandatum Christi* apostolos suos mittentis, *διὰ ῥήματος Χριστοῦ]* ». Cf. Cornely, Com. in Rom. p. 565. Id ergo praedicabant apostoli, quod Christus praedicandum mandavit.

S. Paulus saepe effert, *se « evangelium » nuntiare*. Iamvero si evangelium absolute, sine addito dicit, eo termino significat « *eum bonum nuntium, quem ut mundo annuntiaret Iesus Christus venit, eumque in tota sua amplitudine* ». F. Prat, La théologie de St. Paul II 1912 p. 58. Item Zorell, N. T. Lexicon graecum 1911 ad v. effert, hunc terminum ita verti posse « tota doctrina Christi, prout vel ab ipso vel ab apostolis praedicabatur », atque terminum « evangelii praedicatio » verti posse « hominum in rebus christianae fidei institutio ».

Difficultates.

Ex eo, quod media tali fini proportionata non sint.

Ecclesia ab initio *curavit pauperes* aliaque multa *humanitatis officia* hominibus *praestitit*. Atqui etiam sodalitia ethnica eiusmodi res temporales curarunt. — Ecclesia *tantum eiusmodi* docuit atque egit, *quae directe ad miseriam temporalem sublevandam spectarent*, n.; inter plurima alia, quae docuit atque egit, *etiam cura eiusmodi rerum* invenitur, subdist.: atque tunc haec cura exercetur uti merum naturaleque humanitatis officium, n.; *uti pars religionis christianae*, in quantum haec cura et ex amore supernaturali proficiscitur et ultimatim ad id dirigi solet, ut ii, qui necessitatibus corporalibus premuntur, bona spiritualia religionis christianae sive eam ipsam aut securius retineant aut facilius acquirant, c.

Ecclesia *media materialia* v. g. pecuniam etiam tunc *adhibet, quando ea ad pauperes sublevandos non referuntur*. — In quantum tamen haec media materialia *ad alios fines religiosos ecclesiae referuntur*. Tales fines sunt v. g., ut missiones apud exteras gentes sustentari possint: ut cultus publicus suo splendore non careat; ut ministri altaris habeant unde vivant.

E paritate cum fine status civilis.

Societates maxime distinguuntur secundum finem. Atqui *etiam status civilis eum finem habet, ut curet religionem, eamque in hoc ordine revelatam.* Ergo, si hic esset finis ecclesiae, ecclesia et status inter se identificarentur. — Dist. ma.: Societates distinguuntur secundum finem proximum et proprium, c.; ultimum et communem, n. Contradist. min. Nempe *proximus finis status qui proinde ei soli est proprius, est temporalis felicitas. Proximus autem finis ecclesiae qui proinde ei soli est proprius, est exercitium religionis christianae.* Indirecte utique status etiam religionem curare tenetur, at in hoc ordine rerum dependenter ab ecclesia. Cf. plura in iure publ. V. interim *Mazzella,* n. 475; *Tarquini,* Iuris eccl. publ. institutiones, [13] Roma 1890 n. 51 p. 47 cum nota.

Ex essentia religionis qua talis, qua christianae.

Religio (subiective sumpta et consequenter exercitium religionis) *est relatio quaedam hominis immediate ad ipsum Deum.* Ergo nulla creatura in negotio religionis inter Deum et homines singulos mediare potest. *Atqui si ecclesia haberet eum finem ut exercitium religionis curaret, sane mediaret inter singulos homines et Deum.*

R. *α) Quoad Protestantes orthodoxos:* Si difficultas ullum valorem haberet, sequeretur sane neque *humanam naturam Christi* in re religionis partes habere posse. Id quod ii ipsi non admittunt.

β) Dist. primam maiorem: Religio est relatio immediata singulorum ad Deum, *in quantum Deus solus immediate est obiectum unicum formale et primarium materiale quarumdam virtutum, scilicet theologicarum,* c.; in quantum Deus solus necessario esset *obiectum secundarium materiale virtutum theologicarum* et in quantum Deus solus necessario esset *causa efficiens eorum omnium quae ad religionem pertinent,* quin opera ullius creaturae uteretur n. — *Expl.* Sane *homo Christus,* adiutoria gratiae divinae, etc. sunt *obiectum materiale* secundarium virtutum theologicarum. Porro *multae aliae creaturae,* v. g. parentes nostri, sunt *obiectum primarium materiale aliarum virtutum, scilicet moralium,* quin ideo hi actus virtutum desinant esse religiosi, seu ipsi Deo delati. Ergo saltem a pari nihil impedit quominus ecclesia tali ratione ad actus nostros virtutis se habeat. Obiectum formale omnium virtutum moralium esse creatum quid, patet. — Praeterea evidens est, creaturas *multas partes habere posse in ratione causae efficientis nostrae religionis.* Nonne unus alium hortari potest, ut Deum propter ipsum Deum amet? Nonne iam dudum probavimus, Deum mediate revelare posse, i. e. eum posse uti creatura in ratione causae proponentis obiectum quod Deo loquenti credendum est? Cf. tract. II. th. 4. Religio ea, in qua exercenda ecclesia intervenit, christiana non est.

Etenim *religio christiana requirit relationem ad Christum.* Atqui in religione, prouti in ecclesia catholica exercetur, vinculum cum ecclesia quidem nectitur, non vero cum Christo. — N. ass. Ad prob.: Dist. ma.: Religio christiana requirit *relationem immediatam ad Christum in quantum Deus est*, intelligendo hoc secundum ea quae ad diff. ultimam dicta sunt, item relationem immediatam ad Christum hominem *in quantum redemit,* c.; in quantum *redemptionem applicat*, n. Imo ad essentiam religionis, prouti a Christo instituta est, *prorsus requiritur*, ut relatio ad Christum, quatenus redemptionem applicat, non habeatur nisi per ecclesiam. Contradist. min. Cf. plura in thesi sequente.

De fine ecclesiae, qui in sanctificatione animarum et correspondente ei visione beatifica consistit.

De sanctificatione in genere.

1) E verbis Christi. — Christus Io. 10, 10 declarat, se ideo venisse in hunc mundum, ut ii qui se Christo committunt « *vitam (scilicet gratiae) habeant* et abundantius [abundanter] habeant ». Iamvero, uti mox videbimus, Iesus suam missionem atque proinde etiam finem ultimum suae missionis, procurandum apostolis tradidit Io, 20, 21: « *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos* ».

Christus *salutem mox coniungit cum fide atque baptismo,* Mc. 16, 16: « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit »; mox *cum ipsa fide,* Io. 3, 16: « ut omnis, qui credit in eum, non pereat »; mox *cum hoc vel illo ritu sacro*, Io, 3, 5 cum regeneratione ex aqua et Spiritu Sancto, Io. 6, 59 cum manducatione cibi qui de coelo descendit: « qui manducat hunc panem, vivet in aeternum »; mox *cum observatione mandatorum*, Mt. 19,'17: « si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata ». Iamvero haec omnia Iesus *hierarchiae ecclesiae dispensanda atque urgenda commisit.* Ergo.

2) E verbis S. Pauli. — Eph. 4, 11-15: « Et ipse [Christus] *dedit* [ecclesiae suae] *quosdam quidem apostolos....* alios autem pastores et doctores *ad consummationem sanctorum...*, [ut] veritatem autem facientes [profitentes et amore prosequentes, *ἀληθεύοντες*] in caritate, crescamus in illo [illum, i. e. ita ut cum Christo capite coniungamur] per omnia, qui est caput Christus. Ergo finis ecclesiae est, ut mediante veritate caeterisque mediis ab Christo per ecclesiam acceptis caritatem habeamus, cum Christo intime coniungamur.

3) E Patribus. — *Ecclesia a Patribus inde a saeculo 2° frequentissime exhibetur uti mater*, quae membris suis ceu filiis vitam dat, conservat, auget. *Vitam autem intelligunt vitam gratiae.* Cf. inter plurimos S. Cyprianus, De unit. eccl. c. 4: « Habere non potest Deum Patrem, qui ecclesiam non habet matrem ». Multos eiusmodi textus e Tertulliano, Cypriano, Clemente Alex., Pastore

Hermae, enumerat Lebreton, in Recherches 1911 p. 572-3. — Frequentissime haec imago etiam in liturgia baptismatis recurrit, de quo usu quaedam v. Repet. p. 187 ob. 2; item in Archaeologia, uti v. g. ad Baptisterium Lat.: « Quos spirante Deo concipit, omnes parit ».

Difficultates.

E religione qua supernaturali.

Ecclesia *saltem in ratione causae efficientis intervenire non potest in gignendis atque augendis tum gratia habituali tum habitibus virtutum* sive theologicarum sive moralium. Etenim gratia habitualis et habitus virtutum, utpote supernaturales, tantum immediate a Deo sive infundi sive amissa restitui sive augeri possunt. — *Primo, potestas ecclesiae* est *causa instrumentalis* sub Deo ut causa principali in administrandis sacramentis. Iam vero solis sacramentis gratia habitualis et habitus virtutum via ordinaria primo infunduntur atque amissa restituuntur; imo etsi haec infusio sine sacramentis fit, uti mediante actu perfectae caritatis atque per martyrium, tamen etiam in tali infusione habetur respectus ad ecclesiasticam potestatem, uti in thesi de ecclesia ut necessaria necessitate medii docetur. Praeterea sacramentis gratia habitualis et virtutes valde augentur. *Secundo,* ecclesia plurima alia facit ut *exercitium virtutum floreat,* atque ita indirecte suum confert, ut ipse Deus habitus virtutum et gratiae augeat, quippe quod mediante exercitio virtutum faciat.

Ex eo quod diversae hominum classes ab influxu ecclesiae excipiendae essent.

Qui habet finem, medio non iam eget. Atque secundum ea quae diximus, finis ecclesiae est, ut caritatem atque gratiam nobis conferat. *Ergo qui caritatem habet, ecclesia non iam eget.* — Dist. min.: Finis ecclesiae est is solum, *ut gratiam primo nobiscum communicet*, n.; ut eam praeterea *conservet,* atque novis semper incrementis *augeat, usquedum in visionem transierit,* utque haec omnia praestet *mediante exercitio religionis christianae*, c.

Id non est obtinendum per ecclesiam, quod iam ante susceptionem in ecclesiam supponi debet. Atqui *catechumeni iam antequam in ecclesiam suscipiantur, sat magna virtute ornati sint oportet.* Scilicet iam debent credere, odisse peccatum super omnia. Imo saepe iam quaedam constantia in vitando malo requiritur. — Dist. ma.: Id non ecclesiae debetur, quod ante omnem activitatem ecclesiae supponendum est, c.; quod *tantum praesupponitur ei activitati ecclesiae, qua catechumenum sibi aggregat,* n. Contradist, min.: Catechumeni virtute quam diximus praediti sint oportet ante omnem activitatem ecclesiae circa eos, n.; antequam in ecclesiam

suscipiantur, c. Ea ipsa virtus Catechumenorum via ordinaria debetur tum praedicationi ecclesiae tum educationi sub disciplina ecclesiae.

Bona opera filiorum ecclesiae a sola gratia et personali libertate, ergo sine influxu ecclesiae procedunt. — N. antec. Dependent ordinarie a propositione infallibili veritatum credendarum, a praedicatione hortativa, ab organizatione vitae virtutum in sodalitiis, praecipue a frequentatione sacramentorum, etc.

De perfectione caritatis in specie.

1) E verbis Christi. — Iesus ipse non tantum caritatem essentialem postulavit, verum etiam ad perfectionem caritatis exhortatus est. Eam *in genere* commendavit Mt. 5, 48 : « Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est ». -- Quae verba pronuntiavit, postquam *in specie* ad diversas tales *significationes amoris inimicorum* adhortatus est, *quales* e doctrina ecclesiae a lege naturae *praescriptae non sunt*. — *Consilia evangelica* proposuit : Mt. 19, 11-2 virginitatem, Mt. 19-21 paupertatem. Quomodo consilium obedientiae contineatur in evangelio v. Arthur Vermeersch S. I., De religiosis I² 1907 n. 14-5 p. 9-12.

2) E verbis apostolorum. — S. Paulus Colos. 1, 10-2 Colossenses hortatur, ut sint « *in omni opere bono fructificantes,... in omni virtute confortati...* ». Ut aliquod exemplum speciale commemoremus, apostolus 2 Cor. c. 8 per totum exemplo Christi, « qui propter vos egenus factus est (v. 9) », Corinthios movere studet, ut se quam maxime *liberales in eleemosynis dandis* exhiberent. — *Virginitatem* commendat 1 Cor. 7, 7-8, 25, 32-5, 38, 40 etc.

3) E praxi ecclesiae. — E multis haec accipe : Ecclesia multis favoribus eos prosecuta est, qui ad devotionem hanc vel illam promovendam, ad hanc vel illam virtutem excolendam sodalitia inierunt. Speciatim vero ampla quadam legislatione eorum bono providit, qui votis statum publicum perfectionis profitentur.

Difficultates.

E speciali conditione eorum, qui via extraordinaria a Deo ad perfectionem ducuntur.

Finis ecclesiae nullo modo eos attingit, qui ab ipso Deo viis extraordinariis seu miraculosis ad perfectionem christianam ducuntur, sive eae viae extraordinariae consistunt in visionibus, sive in donis mysticis, quae sensu strictiori talia dicuntur (Cf. de hac distinctione Tract. de revel. in genere th. 27). Etenim eiusmodi homines *eo ipso quod a Deo extraordinaria ratione ducuntur, ab ordinario influxu ecclesiae* doctrinali, sanctificante, disciplinari *eximuntur*. — *N. ass. et probationem.*

Primo, *verba Domini* de fine ecclesiae vi sua insita *omnes ani-*

mas comprehendunt, unde potestati doctrinali, sanctificanti, disciplinari ecclesiae uti caeteri homines subsunt.

Secundo, *modus gubernationis divinae, quem circa tales animas tenet,* id omnino confirmat. Nam *a)* Deus ex sua parte tales visiones vel dona alia mystica non solet dare nisi catholicis; ea integra ad hoc dirigit, ut dogmata ecclesiae variis modis illustrent; iis desideria frequentandi ecclesiastica sacramenta non tantum non exstinguit, verum etiam multum augere solet; iis format fervidos apostolos disciplinae atque vitae christianae. *b)* Ii qui talem ductum divinum genuinum sentiunt atque magno animo sequuntur, ex sua parte quam maxime excellunt firma fide in dogmata ecclesiastica, obedientia et filiali docilitate erga ecclesiam, fervore disciplinae ecclesiae promovendae. Sancti ecclesiae, qui generatim talibus donis a Deo ornabantur, quam maxime erant genuini ecclesiae filii.

Tertio, si eiusmodi personae influxui ecclesiae subtractae essent, ob periculum errorum atque hallucinationum *via sterneretur fanatismo sectario atque horrendis vitiis,* quae teste historia illum comitari solebant.

Finis ecclesiae eiusque influxus eos, qui extraordinariis viis a Deo ad perfectionem adducuntur, saltem eatenus non attingit, quatenus ad perfectionem tendunt. Hic fere sensus est unius ex doctrinis sic dicti Americanismi: « Principio enim externum magisterium omne ab iis, qui christianae perfectioni adipiscendae studere velint, tamquam superfluum, immo etiam minus utile reiicitur: *a)* ampliora, aiunt, atque uberiora nunc quam elapsis temporibus, in animos fidelium Spiritus Sanctus influit charismata, *b) eosque, medio nemine, docet arcano quodam instinctu atque agit* ». Epistula Leonis XIII « Testem benevolentiae » ad Card. Gibbons 22 Ian. 1899, D. 1970. — *N. ass.* Porro missa ratione prima quae falso probationis gratia allata est (cf. ib.) sed ad nos hic non spectat, *n. rationem secundam.* Etenim *a)* « Verum quod etiam experiendo novimus, hae *Spiritus Sancti admonitiones et impulsiones plerumque, non sine quodam externi magisterii adiumento* ac veluti comparatione, *persentiuntur* », ib. *β) Doctrina ecclesiae infallibilis de essentia atque viis perfectionis* christianae etiam, imo quam maxime, tales personas respicit. *γ)* Ecclesia infallibiliter iudicare potest, num eiusmodi viae extraordinariae in concreto *quaedam contineant, quae sint contra fidem vel bonos mores. δ)* Doctrina practica seu *institutio practica* atque manuductio etiam eiusmodi personarum in via perfectionis, uti omnis educatio ascetica, *ecclesiae ductui subest.*

E verbis Mt. 28, 20.

Christus mandavit praedicare ea, quae observanda sunt. Atqui *ea quae ad perfectionem spiritualem spectant, non sunt observanda,*

quippe quae sine peccato etiam omitti possint. Ergo Christus non praecepit, ut apostoli praedicent perfectionem spiritualem. — Dist. min.: Quae ad perfectionem spectant *non sunt observanda e praecepto*, c., *non e consilio*, n. — *Expl.:* Terminus τηρεῖν primo ex usu ipso profano non necessario significat observare rem e praecepto stricto impositam, verum etiam observare res quae alio modo voluntati suggeruntur. (Bailly: pratiquer; Zorell: amplecti voluntate). Secundo, speciatim etiam in N. T. hac ratione adhibetur. Nam cum Christus Io. 17, 6 in sua oratione ad Patrem discipulos suos ei commendat, aiens: « sermonem tuum servaverunt », certe non tantum vult eos Patri commendare ob servata praecepta, excluso beneplacito Patris atque consiliis evangelicis, quae tanta cum promptitudine observarunt. Cf. Tolet. ad l.

Christus *iussit, ut apostoli eorumque successores tantum praedicarent ea, quae iis ipsis mandaverat.* Atqui ex una parte « mandare » idem est atque praecipere; ex alia parte Iesus certe ne apostolis quidem perfectionem spiritualem atque consilia praecepit, quippe quae quis sine culpa etiam non sequi possit. Ergo Christus non iussit apostolos docere perfectionem spiritualem. — Dist. ma.: Christus *iussit apostolos praedicare omnibus gentibus tantum ea, quae aut ab apostolis aut ab eorum successoribus vi praecepti divini opere complenda sunt*, n.; iussit eos ea praedicare, quae ipse omnibus in praedicatione proposuerat ut implenda sive qua praecepta sive qua consilia, c. *Contradist. min. Expl.* Praeceptum est de praedicatione, praescribitur autem ut obiectum praedicationis extendatur tum ad praecepta tum ad consilia. Vult enim Dominus, omnes fideles ad perfectionem sequendam invitari. Per se non includitur, eos qui praedicant, habere obligationem strictam, ut perfectionem sequantur. Cogita v. g. sacerdotem graecum uxoratum qui praedicando virginitatem suadet; sacerdotem latinum saecularem, qui ad statum religiosum amplectendum praedicando hortatur.

Contra assertum, ecclesiam his in terris perducere ad ecclesiam in coelis.

Inter finem et media debet esse similitudo. Atqui *inter ecclesiam in coelo atque ecclesiam in terra nulla similitudo est.* Ergo haec ad illam non se habet ut medium ad finem. Prob. min.: Alia sunt vincula membrorum, forma regiminis etc. in ecclesia his in terris, alia in coelis. — Dist. ma.: Inter finem et medium debet esse similitudo aequalitatis, n.; proportionis medii ad finem, c. Contradist. min. *Expl.* Haec similitudo proportionis inter medium et finem adest, uti probavimus. Imo hoc medium non tantum ideo aptum est ad finem consequendum, quia per externam ordinationem eius, cuius est finem concedere, ad eum consequendum ordinatum est, uti v. g. summa pecuniae ordinari potest ad emendum munus cum iurisdictione coniuntum. Sed *hoc medium* est intrinsecus elevatum

ad eundem ordinem supernaturalem, in quo est finis atque ita est *intrinsecus proportionatum fini* atque multa cum eo iam nunc communia habet. Quod cum breviter ostendimus, simul respondemus ad rationem in probatione minoris allatam.

Ratio membri principaliter constituitur per *characterem*, qui etiam in coelo ut signum gloriosum cohaesionis cum Christo sacerdote manet. — Professio *fidei* idem habet obiectum principale atque visio, scilicet mysteria; ipsa fides, quae externe profitenda est, atque omnes actus qui ex fide procedunt, eandem causam efficientem habent, scilicet Deum supernaturaliter agentem. — *Subiectio sub auctoritate ecclesiae,* manet quoad id quod est perfectionis purae in ea. Etenim ecclesiae obeditur in quantum vices gerit capitis invisibilis Christi; iamvero Christi providentiae in coelo indivulse adhaeremus. — Finis mediatus autem ecclesiae in terris, *caritas,* simpliciter eadem manet in coelo.

Propositio. Iesus in instituenda ecclesia pro se ipso intendit primo, ut in hierarchia ecclesiae sibi legatos constitueret, qui humanum genus ad exercitium religionis suae perducentes atque hac ratione illud santificantes, opus suae redemptionis suo nomini hominibus applicarent; secundo ut hac redemptione hominibus applicata, sibi ipsi gloriam nominis acquireret.

Pars I. De legatis a Christo loco sui ipsius instituendis.

Legatus alterius est, qui primo *potestatem et mandatum aliquid gerendi ab alio accepit;* qui secundo *in hoc negotio mandanti inservit, quippe in quo remaneat principalis potestas id agendi quod legato agendum mandat.* — Non sufficit ad rationem legati, ut is ab altero aliqua ratione potestatem acceperit. V. g. rex qui a rege praedecessore potestatem regendi transmissam accepit, non est eius legatus. Etenim parem cum praedecessore potestatem habet, nequaquam vero praedecessori uti principali regenti subservit.

Opus ad quod Christus a Patre missus est, docente ita Christologia, *in redemptione generis humani* consistit. — Quod opus redemptionis duas quasi partes habebat.

Pars prior operis redemptionis complectitur *acquisitionem atque quasi constitutionem* eorum bonorum supernaturalium, quae Dei consilio pro humano genere destinata sunt. Quae pars comprehendit satisfactionem in crucis sacrificio oblatam Deo; meritum eodem sacrificio acquisitum, e quo omnis gratia supernaturalis descendit; revelationem veritatum praecipue supernaturalium; certum quendam ordinem pro applicatione horum bonorum statuendum. Porro haec pars in praesenti oeconomia a solo Christo

in effectum produci poterat. Atque, supposito hoc ordine in quo Deus satisfactionem condignam pro peccato atque meritum infinitum voluerat, ea satisfactio atque illud meritum *per solum Christum Deum hominum immediate agentem* acquiri poterat. Ordo vero in bonis acquisitis dispensandis a Patre congruenter determinationi eius solius reservatus est, qui ea bona acquisivit.

Pars altera operis redemptionis amplectitur actualem *applicationem* bonorum supernaturalium, quae Iesus in vita sua mortali acquisivit, ad ipsos homines faciendam, idque secundum ordinationem quam ipse Christus dedit. Dicimus ergo, Iesum eum ordinem pro applicatione bonarum supernaturalium elegisse, quem in enuntiatione theseos exhibuimus.

Non dicimus, Iesum ex necessitate talem ordinem applicationis elegisse; attamen id fecit ex sapienti atque benigna disputatione. Cf. arg. 3.

1) Ex analogia fidei et verbis directis Iesu. *Mt. 20, 28; Io. 20, 21. — Ex una parte ipsa applicatio operis redemptionis* per propagationem religionis christianae et humani generis sanctificationem *vere ad Christum reducenda est.* Atqui *ex alia parte*, uti e verbis Christi explicitis patet, *Iesus potestatem ad applicationem dicto modo faciendam hierarchiae ecclesiae commisit.* Ergo Dominus in applicando opere redemptionis suae hierarchiam uti legatos suos adhibere intendit.

Ad ma. — E multis quae in Christologia proponuntur, pauca accipe: Is. 47, 6 Pater Christum ita alloquitur: « Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas; ecce *dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae* ». Quo textu continetur, ipsum Messiam salutem et lucem gentibus afferre debere. Cf. Knabenbauer ad l. p. 236. Atqui si ita est, sane ipse religionem suam, santificationem, opus redemptionis gentibus applicabit.

Io. 10, 16 Dominus ait: « Et *alias oves* [praeter Israelitas] habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas *oportet me adducere,* et *vocem meam audient*, et fiet unum ovile et *unus pastor* ». Quibus verbis Dominus effert, se ipsum esse, qui e praecepto Patris gentes conversurus atque ad ecclesiam suam aggregaturus sit. Cf. Tolet., Maldonat., Knabenbauer ad l. Praeterea illud quoque hoc textu edicit, se ipsum fore regem atque pastorem eorum, qui ex populo electo atque gentibus in ecclesiam suam congregati fuerint. Iamvero ad ecclesiam aggregare aggregatosque pascere sane ad opus applicationis redemptionis pertinet.

Ad min. — a) Iesus *Mt. 28, 20* hierarchiae ecclesiae *mandatum dat, ut religionem suam propaget.* « Euntes... ». Iamvero qui mandatum dat, natura prius *etiam potestatum* dat. Quae collatio potestatis ex eo confirmatur, quod Dominus, antequam potestatem tradit, ad eam potestatem provocat, quae in coelo et in terra ei data est. Loqui autem Dominus videtur de ea ipsa potestate in genus huma-

num qua redemptum, quam morte sua qua redemptor sibi acquisiverat. Cf. Maldonat. ad l.

b) Verbis Domini *Io. 20, 21 « Sicut misit me Pater et ego mitto vos »* continetur primo *traditio potestatis.* Etenim Pater ipsum Iesum cum potestate misit. Continetur secundo potestas non quidem ut perficiant ea quae ad constitutionem bonorum redemptionis spectant, *sed ut peragant ea quae ad eorum applicationem pertinent.* Cf. stat. qu. Continetur autem tertio *eiusmodi potestas applicativa universalissima.* Nam praeterquam quod verba ipsa textus in se *universalissima* sunt, ea ipsa inveniuntur Io. 17, 18 : « Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum ». Iamvero sicut in Io. 20, 21 Dominus ex his verbis v. 22-3 proxime colligit potestatem peccata condonandi, ita Io. 17, ea verba ut rationem addit, cur apostoli sive ad veritatem evangelicam docendam (Cf. Tolet. Knabenbauer) sive ad munus generale apostoli explendum (Maldonat.) sanctificandi sint. Ergo haec phrasis quasi principium continet, unde Dominus pro occasione diversas potestates eruit.

2) E doctrina apostolorum. — S. Paulus 2 Cor. 5 18 ait : « *Pro Christo ergo legatione fungimur* » i. e. loco Christi. Cf. Cornely, Belser ad l. Quamvis in hoc loco secundum contextum principaliter sermo sit de praedicatione redemptionis, tamen patet sententiam hanc generali modo intelligendam esse, ita ut ea quasi character generalis totius muneris apostolatus exprimatur. Etenim, uti in thesi de diversis potestatibus ecclesiasticis videbimus, apostoli aliis locis significant, se in usu earum omnium virtute a Christo accepta et eius loco agere.

3) E convenientia huius institutionis. — Iesus hoc consilio *homines honorat,* cum tam sublime opus iis demandet, eosque *amore* prosequitur, cum iis occasiones tot ac talium virtutum praebeat ; *suam ipsius vero humilitatem* manifestat, cum alios in partes et operis et honoris vocet. Etc.

Difficultates.

Secundum Hebr. 10, 13-4 Christus « in sempiternum sedet in dextera Dei.... *Una enim oblatione [i. e. sacrificio cruento crucis] consummavit [i. e. perfecte sanctificavit] in sempiternum sanctificatos* [i. e. eos qui sanctificantur *ἁγιαζομένους*]. Atqui si Christus actu unico, qui iam diu praeteriit, iam perfecte sanctificavit omnes qui sanctificantur, sane *nulla causa instrumentali iam uti potest ut eos sanctificet.* — Dist. ma. : Christus unico illo sacrificio in cruce oblato omnes perfecte sanctificavit, *in quantum actum posuit, qui est perfectus in ratione satisfactionis,* qua pro omnibus peccatis satisfecit, *et meriti,* quo omnes gratias, etiam sacramenta et ecclesiam nobis meruit, c. ; *in quantum eos omnes actus posuisset, qui illam satisfactionem illudque meritum animis singulorum applicant, n.*

Expl. Ad hominem erga Protestantes hoc observandum est : Si

revera secundum hunc textum omnis applicatio satisfactionis et meritorum Christi per actiones a sacrificio crucis distinctas repugnaret, sane etiam *repugnaret applicatio ad singulos facta per illam fidem iustificantem,* quam Protestantes singulis iustis tribuunt.

Ex natura rei. — a) In *contextu mediato* S. Paulus inde a c. 9 v. 25 *opponit sacrificia illa multa V. T., quibus nulla efficacia ad gratiam internam ex opere operato conferendam inerat,* cum sacrificio crucis, quod in hac oeconomia est *unica causa omnis satisfactionis et meriti,* vi cuius hominibus gratia iustificationis conceditur. Sequitur utique, nullam actionem inveniri posse, qua quidquam sive satisfactionis sive meriti ad illam plenitudinem satisfactionis et meriti addi possit, quae vi sacrificii crucis habetur. At id quoque sequitur, per hanc plenitudinem absolutam causalitatis sacrificii crucis quae ad iustificationem operatur in ratione satisfactionis et meriti, *nullam omnino causalitatem excludi, quae in alio genere causalitatis* inveniatur. Unde sua remanet causalitas *gratiae sanctificanti* pro iustificatione in ratione *causae formalis;* sua *gratiae actuali* in ratione causae *dispositivae;* sua *sacrificio missae* in ratione *applicationis valoris propitiatorii et impetratorii* sacrificii crucis; sua *sacramentis* in ratione *causae instrumentalis;* sua tandem *ecclesiae* in ratione societatis *dispensantis et applicantis* media salutis, praecipue sacramenta.

b) Eandem explicationem insinuare videtur *contextus immediatus* seu modus coniunctionis inter versum 13 et 14. Nempe *factum illud, quod Iesus iamiam consummavit una actione sanctificatos,* hoc a Paulo *ut ratio refertur, cur nunc iamiam sedeat gloriosus ad dexteram Patris,* i. e. cur non iam in statu viae atque passibilitatis his in terris degat atque degere debeat. Innuit ergo S. Paulus, illam actionem, qua Iesus consummavit in sempiternum sanctificatos, cum statu glorioso Christi componi non posse. Iamvero cum statu glorioso Christi sane componi non potest sacrificium in cruce oblatum, quippe quod supponeret, Iesum in statu viae atque passibilitatis inveniri; componi vero optime potest actio, qua Dominus aliis quasi instrumentis in applicatione meriti crucis utitur. Nonne « beatus et solus potens » Deus a summo coelo hominibus saepe contulit v. g. potestatem ut miracula patrarent? Nempe ex eo quod quis alio uti instrumento utitur, ad nullam imperfectionem in eo, qui tali modo alios adhibet, concludi potest. Cf. Trid. s. 22 c. 1 D. 938.

Qui per se ipsum et in se ipso causalitatem sufficientissimam habet, is sane *instrumento non utitur.* Iamvero Christus per se ipsum et in se ipso habet causalitatem sufficientissimam ut suam satisfactionem atque meritum ipse omnibus applicet. — Dist. ma.: Qui illam causalitatem sufficientissimam habet, is *non utitur instrumento ex necessitate, c.; non ex sapienti atque benigna dignatione,* n. Rationes cur Christus hierarchia uti instrumento utatur v. arg. 3.

Pars II. De gloria nominis a Christo acquirenda.

In genere, speciatim vero durante cursu saeculorum.

1) E fine operis. — Deus et Christus intendunt ea, quae ex opere quod per apostolos peragunt, connaturaliter sequuntur. Iamvero laus Christi ex aggregatione hominum ad ecclesiam connaturaliter sequitur. Etenim eam praedicare atque propagare secundum *Ephes. 3, 8*, idem est, atque *evangelizare omnibus atque cum iis qui convertuntur communicare « investigabiles divitias Christi »*.

2) E comparatione cum V. T. — Iam *V. T. propter Christum* institutum erat, secundum illud Rom. 10, 4: « Finis legis Christus ». Iamvero *N. T.* sane multo *arctioribus vinculis* cum Christo connexum est.

3) E diserta doctrina Christi. — Iesus Io. c. 17 atque speciatim c. 17, 10docet, *se in apostolis, in quantum ecclesiam repraesentant, esse glorificatum*. Atqui 17, 1 declaraverat, se *hanc ipsam suam glorificationem intendisse*. Ergo.

Ad ma. — *a)* 17, 9-10 Dominus ait: « Ego pro eis (apostolis) rogo. Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt, et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt — *et clarificatus sum in eis* ». Iamvero *primo in genere* in toto c. 17 Dominus pro apostolis orat in quantum ecclesiam repraesentant; id quod iam *ex ipso dono* patet quod praecipue a Patre pro iis v. g. v. 11, v. 20-22 implorat, quod scilicet situm est in *unitate* tum inter eos ipsos atque discipulos eorum, tum inter eos atque discipulos eorum cum Christo. Cf. Tolet. ad v. 9 versus finem. — *b)* Idem ex *proximo contextu* elucet: « Pro his ergo rogo, et meas preces nunc fundo, *iustaque petitio* est: *nam* a te electi sunt et tu dedisti mihi eos, et *clarificatus sum in eis, quia noverunt me*, credentes esse filium tuum verum, et ut talem *coluerunt et observarunt* ». Tolet. ad v. 10. Simili modo alii, quos v. Knabenbauer ad l. p. 506. (Quidam magis futuram apostolorum activitatem respici putant. Id quod pro nostra re perinde est). Iamvero quid hoc aliud est, quam cultores esse religionis christianae, in quo cultu divino finem proximum ecclesiae repositum esse docuimus?

Ad min. — Dominus 17, 1 petit: « *clarifica Filium tuum* ». Iamvero hac clarificatione certe eam significat, de qua in decursu orationis v. 5, 22, 24 agit. Haec autem aut connotat (v. 5) aut formaliter constituit *gloriam nominis* pro Christo, quae hic in terris incipit, in laude beatorum vero consumatur. Cf. plura in longiore expositione ad l. Toleti; porro Knabenbauer ad l. p. 500-1.

4) E diserta doctrina Pauli. — *a)* S. Paulus 1 Cor. 3, 22-3 docet, *simili modo se habere Corinthios, in quantum ecclesiae partem faciant, ad Christum, uti apostoli se habeant ad Corinthios*. Iamvero docet,

apostolos uti tales propter ecclesiam institutos esse. Ergo etiam ecclesia finem suum habet in Christo. Atqui sane nullum aliud bonum ecclesia Christo conferre potest quam gloriam nominis. Ergo finis ecclesiae est, ut Christum glorificet.

Expl. Textus hic est v. 20-3: « Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura; omnia enim vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei ». Quae verba ita breviter explicari possunt. *Nemo* ex vobis in futurum faciat id, quod hucusque hinc inde apud vos factum est atque schismatis periculum secum ferebat, scilicet nemo in futurum *in hoc vel illo inter eos qui vobis evangelium praedicant, nimium attendat ad dona quaedam naturalia,* v. g. sublimitatem sermonis, eloquentiam. Etenim primo non per talia placuit Deo evangelium propagare, sed per praedicationem veritatum revelatarum simplicibus verbis propositam, miraculis tamen confirmatam. Praeterea *omnes omnino apostoli, sine distinctione, uti tales a Deo in vestram utilitatem excitati sunt;* omnes divitiae veritatis et gratiae in ecclesia depositae, in vestrum utilitatem creatae sunt, simili ratione atque totus mundus materialis ad hominis salutem suo modo conferre debet. *Vos autem, in quantum membra ecclesiae facti eiusque Spiritu imbuti estis, Christum glorificare debetis, uti Christus ipse qua ecclesiae auctor et sanctificator Patrem clarificat.* Cf. Cornely ad l. p. 96-8; a Lapide, praecipue versus finem explicationis v. 23.

Speciatim in parousia.

Gloria Christi per ecclesiam obtenta *speciali modo* fulgebit *in eius parousia,* quem splendorem ipse Christus in parousia etiam intendit. 2 Thess. 1, 10: « . . . *cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt* ». Quae fides et sanctitas, uti aliunde patet, ordinarie in ecclesia et ab ecclesia perficitur. Unde apostolus subito v. 12 sententiam ad Thessalonicenses applicat (v. 10 ad finem, 12).

In coelo.

Ecclesia triumphans in coelo continuo « dabit gloriam sedenti in throno et agno ». Apoc. 5, 21-2.

Ob. — Saltem *ecclesia triumphans nullam laudem Christo dabit.* Etenim secundum 1 Cor. 15, 24-9 primo post resurrectionem pro beatis ipse « *Deus erit omnia in omnibus* » *illis,* atque proinde laus Christi hominis a laudum canticis, quae beati Deo soli persolvent, exsulabit. Secundo eodem tempore *Christus* « *tradit regnum Deo et Patri* »; iamvero regnum Christi est fundamentum gloriae nominis Christi. Ergo Christus in coelo gloriam nominis sui amittet. — *N. assertum.*

Ad rationem primam additam. Secundum ipsum contextum Deus erit pro beatis omnia, *in quantum a regno coelorum atque a singulis eius membris omnis potestas inimica Deo exclusa erit*, quippe quam Christus « evacuaverit »; in quantum porro *exclusum erit omne exercitium potestatis regiae Christi* quod ad id dirigeretur, ut beatitudo coelestis obtineretur: in quantum tandem *Christus qua homo non laudatur ut finis ultimus*, c.: in quantum non ita laudaretur, ut *eius laus referretur ad ipsum Deum*, « qui subiecit ei omnia », n.

Ad secundum rationem additam: Transmisso asserto, laudem defecturam esse si regnum deficeret, nego, regnum Christi simpliciter tale in coelo finem habiturum esse. Cf. thesim de aeternitate regni Christi in Christologia. V. g., Stentrup, De Verbo incarnato v. IV th. 168. Quod vero Christus regnum Patri tradet, ita explicandum est: Tradet Christus regnum suum Patri, *in quantum a se abdicabit omnem actionem qua hostes debellat atque suos ad finem perducet*, c.; *in quantum alia elementa regni evanescent*, n. Talia elementa erunt v. g. haec: Permanebit ipsa dignitas regia in Christo. Permanebunt subditi, cum affectu quo parati sunt, ut si imperia daret vel beneplacitum ostenderet, eius voluntati regiae se cum gaudio conformarent. Permanet fructus dominationis Christi his in terris, scilicet perennis beatitudo omnium. Permanet vinculum caritatis, quo omnes cives regni coelestis inter se intime coniuncti sunt. Permanet laus Christi qua regis in omnium mente atque ore ei continuo persoluta. Permanet in aeternum ille continuus actus, quo Christus regnum hoc beatorum cum gratiarum actione affert Deo, « qui subiecit ei universa », omnemque suorum membrorum gloriam ad laudem Dei etiam ex sua parte dirigit. Cf. lit. de hoc loco in thesi sequenti, praecipue Suarez.

PROPOSITIO. Finis ultimus, quem Iesus in fundanda ecclesia intendit, est specialis Dei gloria.

St. qu. — Uti notum est, *gloria Dei* distinguitur duplex, obiectiva una, formalis seu subiectiva altera. *Obiectiva* consistit in operibus Dei, in quantum e natura sua apta sunt ad Dei perfectiones manifestandas. *Formalis* vero consistit in actuali cognitione perfectionum divinarum in mente creaturarum rationalium atque in laude, quam propter eas Deo actu tribuunt. Gloria Dei tum obiectiva tum subiectiva tanto perfectior est, quanto plures atque sublimiores sunt eae perfectiones divinae, quae manifestantur, et quanto plures atque sub omni respectu perfectiores sunt ii actus, quibus hae perfectiones divinae cognoscuntur atque agnoscuntur.

De gloria Dei his in terris per ecclesiam obtinenda.

Arg. 1) **E natura operis.** — *Christus sane id intendit, quod ex natura ecclesiae sequitur, sive ea in se ipsa respicitur, sive in quantum consideratur constituta sub ea speciali providentia divina, sub qua e promissione Dei activitatem suam in mundo evolvit.* Iamvero sive sub illo sive sub hoc respectu ecclesiam consideras, in ea maxime gloria Dei tum obiectiva tum formalis invenitur. Ergo Iesus eam in fundanda ecclesia sua intendit.

a) *Quoad gloriam obiectivam.* — Tum *dogmata* atque *institutiones* ecclesiae tum *modus ille quo ecclesia a Deo provido propagatur atque ad finem suum perducitur, quam maxime perfectiones divinas manifestant.*

α) Si *ipsam essentiam* ecclesiae spectamus, ea primo est *societas supernaturalis,* quippe quae mediis supernaturalibus ad finem supernaturalem perducat. Iamvero ordo supernaturalis naturalem in immensum superat. Imo nullus ordo cogitari potest, qui supernaturali perfectior sit, quippe cum ad illud bonum perducat, quo nullum maius cogitari potest, scilicet ad visionem beatificam.

Si vero *eam oeconomiam supernaturalem spectamus, quae ante ecclesiam exsistebat,* scilicet statum naturae (i. e. naturae elevatae, cf. p. 202) cui postea synagoga superaddita est, ea ob multas rationes inferior erat quam ecclesia. — In *statu naturae* (elevatae) pauciores *veritates* atque *minus sublimes* explicite revelatae erant, quam in N. T. In eo *gratia* minus ubere concedebatur, in N. T. uberius. In N. T. gratia vi perfectionis N. T. datur, in statu naturae vero quasi a N. T. emendicabatur. In N. T. gratia per sacramenta uti causas eam continentes confertur, in statu naturae modo inferiore concedebatur. — Quantopere ecclesia *synagogam* superet cf. v. g. p. 202-3.

Post ecclesiam fundatam *nullam aliam oeconomiam* cum novis veritatibus seu etiam institutis divinitus datis secuturam esse, probatur in thesi de indefectibilitate ecclesiae.

β) Quam mira sit ea *providentia,* qua ecclesia gubernatur, praecipue ostenditur, *ubi est sermo de motivis credibilitatis* pro ecclesia catholica.

b) *Quoad gloriam formalem.* — Quam maxime filii ecclesiae Deo tributum *laudis ob eas divinas perfectiones* persolvunt, quae in ecclesia manifestantur. Est vero ea laus non tantum quasi speculativa, *in quantum scilicet filii ecclesiae eas perfectiones encomiis extollunt,* sed quam maxime practica, in quantum scilicet *eas virtutes excolunt ad quas excitandas veritates eae revelatae, institutiones eae factae erant,* v. g. fidem, caritatem obedientiam etc. Atque in thesi de sanctitate membrorum ecclesiae probatur, *filios ecclesiae sanctitate morum supernaturali multis modis atque plu-*

rimum eos generatim sumptos superare, qui extra corpus ecclesiae versantur.

2) **Scriptura** quoque hanc gloriam Dei ut finem ecclesiae extollit. — Etenim S. Paulus Ephes. 1, 12, finem quem Deus in propaganda atque omnibus modis excolenda ecclesia prosequitur, ita exprimit: « *ut simus in laudem gloriae eius* (Dei) nos..... ». Quae verba v. Henle, Ephesierbrief 1906 p. 74-5 hac ratione esplicat: « Apostolo, consideranti ultimum et supremum finem oeconomiae christianae, Christiani apparent uti opera perfectissima potentissimae gratiae divinae, uti opera, in quibus gloria Dei *(δόξα)* plus quam dici potest resplendet, quae proinde continuo ad claram Dei laudem excitant ».

Quae gloria Dei tanta est, ut ipsi angeli, tum si cognitionem eorum tum si gaudium eorum accidentale consideras, ea considerata multum proficiant. Etenim Ephes. 3, 11 apostolus docet, sibi datam esse gratiam hanc.... « illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit [ad eum finem], ut *innotescat principatibus et potestatibus* [angelis beatis] *in coelestibus, per ecclesiam* [prout nunc in terris propagatur] *multiformis sapientia Dei* ». Scilicet in ecclesia et per ecclesiam consilia divina de humano genere effectus eos consequuntur, quos ipsi angeli laetabundi admirantur. Cf. de hoc textu, in quo quaedam controversa sunt v. Henle o. c. p. 183-4, a Lapide ad. l. — Simili modo S. Petrus 1 Petr. 1, 12 docet, ea *dona*, quae filii ecclesiae, Spiritu sancto misso de coelo, acceperint, esse *tanta ut in ea (textu graec.)* « *desiderent angeli prospicere* ».

De gloria Dei in coelis per ecclesiam obtinenda.

Gloria *Dei omnis ad perfectionem adducetur, postquam finis huius mundi advenerit.* Tunc enim omnes *hostes* regni Christi debellati Deoque actu ita « subiecti » erunt, ut nihil iam moliri possint, quo filiorum ecclesiae perfecta sanctitas atque beatitudo inde consequens in periculum adducatur; ut praeterea poenas vindicativas a rege huius regni illis ob incursus contra illud illatos in aeternum in se persentiant. Tunc omnes *quotquot in coelo erunt*, ab omni aggressione diabolica omnique sequela peccati liberi, continuo Deum summopere laudabunt, quippe quem facie ad faciem videant atque amore huic visioni correspondente amplectantur, idque ita ut haec animae gloria etiam in corpus resuscitatum redundet. *Iamvero hic status, quo summa gloria Dei formalis continetur, per solam ecclesiam uti ordinarium medium salutis obtentus atque ab ipso Christo ut ultimus ecclesiae finis intentus est.*

Quae diximus S. Paulus textu sublimi at aliquantulum difficili 1 Cor. 15, 24-8 docet. Quem exhibebimus atque paucis explicabimus, secuti inter alios *Suarez*, in. 3 qu. 59 a. 6 disp. 58 s. 4 ed. Par.

tom. 19 p. 1119-20; *Stentrup,* De Verbo incarn. tom. 4 th. 108 p. 1115-21; praecipue vero *Cornely*, Com. in 1 Cor. p. 471-81, *a Lapide.*

« *Deinde* [post resurrectionem mortuorum erit] *finis* [huius saeculi et regni Christi militantis]; *cum tradiderit regnum Deo et Patri* [quando tradit, i. e. abdicata a se functione debellandi hostes suosque ad finem perducendi, regnum iamiam pacatum eiusque omnia membra iamiam in completa sanctitate atque beatitudine constituta Patri cum subiectione et gratiarum actione offert]; *cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem* [scilicet tradet regnum postquam omnem vim atque influxum diaboli atque asseclarum eius, detrudens eos in infernum, in aeternum excluserit].

Oportet autem [enim, *γάρ*] *illum regnare donec ponat* [Deus] *omnes inimicos sub pedibus eius.* [Scilicet actus eos regiminis, quibus hostes regni debellantur, eiusque membra ad finem adhuc obtinendum diriguntur, tantum usque ad illud tempus Christus ponere debet, in quo debellatis hostibus omnes electi finem suum actu iamiam consecuti sunt. Imo cum hic status rerum advenerit, eiusmodi actus regiminis ponere iam impossibile est].

Novissima autem omnium inimica destruetur mors. Omnia enim [Deus] *subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt* (« ei », quae vox in graeco deest) [i. e. Cum Christus Patri solemni attestatione dixerit *εἰπῇ*: « Omnia iam subiecta sunt », opus consummavi quod dedisti mihi, Io. 17, 4] *sine dubio praeter eum, qui subiecit ei omnia.* [Scilicet hic terminus « omnia » ita intelligendus est, ut vere omnia includat, attamen praeter eum, qui subiecit ei omnia].

Cum autem subiecta fuerint illi [Christo] *omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.* [Etenim quando Filius summam suam gloriam nominis adeptus fuerit, scilicet eo tempore, quo omnes hostes debellavit, quo omnes qui sibi ministraverant a mortuis resuscitavit atque ad regnum coeleste adduxit, in aeternum ab iis glorificandus atque novis semper laudibus extollendus, tunc ipse Filius nequaquam ad se ipsum ultimatim hanc immensam gloriam nominis referet, sed ipse qua homo atque qua caput ecclesiae, uti antea, regno nondum plene possesso, Patri subiectus erat, ita etiam postea, regno iamiam plene possesso, Patri in aeternum subiectus erit. Imo haec subiectio nota quaedam characteristica erit eius status rerum, qui post ultimum iudicium locum habebit. Nam antea rex ecclesiae etiam a coeli sedibus functiones externas circa regnum suum explere debebat, adhuc occupatus in inimicis debellandis eoque ordine in membris regni sui redintegrando, quem diabolus inde ab initio turbaverat. Tunc vero ab omni tali actu externo cessabit, atque consequenter in id solum incumbet, ut seipsum totumque regnum iamiam pacatum atque plene beatum in Patrem referat. Eiusmodi actum, quo omnia ad

Patris honorem dirigit, tum gloriam suorum, tum gloriam suam propriam, quo porro de omnibus beneficiis sibi suisque collatis infinitas gratias agit, uti putari potest, solemni modo coram tota curia coelesti maxima cum solemnitate manifestabit. Eum actum porro per totam aeternitatem ipse cum omnibus membris suis et pro omnibus membris suis qua caput eorum atque summus sacerdos continuo ponet. Atque ita, uti Suarez p. 1120 ad finem l. c. habet, regnare in Christo « nihil aliud erit quam seipsum totumque suum regnum summa concordia, summo gaudio, summaque vitae tranquillitate Patri subicere ». Tunc tandem finis ultimus creationis, gloria formalis Dei maximo in gradu obtinetur. Atque hunc quidem statum rerum Deus eo intenderat, quod omnia Filio suo subiecti. Subiecit enim ei omnia, uti Paulus concludit], *ut sit Deus omnia in omnibus* [i. e. secundum explicationem quam Suarez l. c. p. 1120 dat, « ut unus Deus in omnibus dominetur, et glorificetur, et omnes in Deo habeant, quidquid sancte et iuste amare possunt ac desiderare »]. — Cf. in eundem sensum Io. 17; Ps. 21, 25-32 quae optime pones in ore Christi se suamque ecclesiam Patr solemniter offerentis.

Lit. de fine ecclesiae. — *Passaglia* n. 45 p. 840-56. — *Scheeben* IV § 330 p. 331-4. — Praecipue *Franzelin* th. 17-8 p. 296-320; th. 20 p. 339-46. — *Wilmers* th. 6-8 p. 53-8. — *Mazzella* th. 20 p. 389-93. — *Mendive* p. 236-8. — *De Groot* qu. 2 a. 3 p. 53-61. — *Hurter* c. 2 a. 1 p. 239-41. — Auctores veteres doctrinam de fine ecclesiae potius sub aliis titulis habent, v. g. cum de Christo capite ecclesiae, de potestatibus ecclesiae etc. agunt.

TRACTATUS
DE INSPIRATIONE SCRIPTURAE

EA PARS QUAE EST

DE ESSENTIA INSPIRATIONIS

Cf. Lithogr. p. 138-92.

Quae hic sequuntur aliquo modo explicant ea, quae indicantur in nota, Repet. p. 183-4.

Divisio. — Capite primo quaeritur, quaenam ex una parte non requirantur ad essentiam inspirationis, idque sive in intellectu sive in facultatibus exsecutivis, ex alia parte tamen cum ea non pugnent. Capite secundo quaeritur, qualis influxus ad inspirationem requiratur, idque sive in intellectu, sive in voluntate sive in facultatibus exsecutivis.

Caput I. Quid non requiratur ad inspirationem.

PROPOSITIO. Ad essentiam inspirationis non requiritur, ut hagiographi ea quae scribunt sive revelatione sive scientia infusa didicerint. — *p. 140-9.*

Qual. — Scientifice certissima. Communis theologorum.

St. qu. — *Revelatio* intelligitur sensu stricto talis seu locutio Dei attestans. *Scientia infusa* est scientia quae per species intelligibiles miraculoso modo homini communicatas acquiritur.

Dicimus, ad essentiam inspirationis *non requiri,* ut hagiographi res scribendas revelatione vel scientia infusa acquisiverint. — *Non negamus iis saepe ea quae scripserunt revelatione* communicatas esse. — *Imo* hoc, teste Scriptura *evenit saepe,* v. g. in iis, qui vaticinia sibi ipsis primo communicata, nobis scripserunt. *Semper* porro *aut revelatio aut scientia infusa* hagiographis *concedenda* erat, *si* ii id quod Deus per illos scribere volebat, ex una parte *nondum sciebant,* ex alia parte vero Deus eos non ad id adducere volebat, ut id naturaliter discerent.

Arg. 1) E theologis. — *Recentiores theologi* rem ut omnino certam dant. Cf. v. g. *Marchini,* pars 1 art. 5; *Denzinger,* II p. 234; *Franzelin,*[2] 1875 p. 723; *Crets,* p. 130-1: *Cornely,* Comp.[6] p. 665; *Zanecchia,* p. 120-1; *Billot,*[2] p. 48-53, 50-60; *Schiffini,* p. 238-41; *Pesch,* p. 813-21.

E theologis saeculi 16 quidam rem ut certam, quidam forte tantum ut probabilem proponunt. — *Caietanus* in Lc. 1, 2: Ex hoc loco

« *clare apparet*, Lucam scripsisse ex auditu ab apostolis et non ex divina revelatione sibi immediate facta... ». — *Canus* quoque De loc. theol. l. 2 c. 18 eamdem rem ut certam habet. — *Bañez*, in qu. 1 a. 1 hos duos modos acceptationis rerum scribendarum distinguit: « *Primo modo*, quia res ipsae de quibus scribendum est, *occultae erant scriptori*, et Deo revelante illi innotescunt.... *Altero modo*, quoniam *res, quae scribitur, nota quidem erat scriptori, tamen quod animum ad scribendum impulerit, Deo* specialiter movente atque *inspirante factum est*.... Sit ergo prima conclusio: Sacra Scriptura, de qua loquimur, ex divina revelatione habetur interdum primo, interdum secundo modo. Haec conclusio *certa* debet esse apud omnes Catholicos... ». — *Bellarminus*, Controv., De Verbo Dei l. 1 c. 15: « Aliis auctoribus (praeter prophetas, i. e. eos hagiographos, qui futura vaticinabantur) Deus *non semper revelabat ea quae scripturi erant*, sed excitabat ut scriberent ea quae viderant vel audiverant, quorum recordabantur... ». — *Suarez*, De fide disp. 5 q. 3 n. 5: « . . . in reliquis permittendo, ut scriptor sua memoria *et suis speciebus.... utatur* in scribendo... ». — *Lessius*, in Respons. ad censuram assertionum de Scriptura, in *Gerh. Schneemann*, Controv. de div. grat. Friburgi 1881 p. 467: « . . . suffecisse ut Spiritus Sanctus peculiari modo illos excitaret et impelleret *ad scribendum ea, quae vel audierant vel viderant vel alio modo cognoverant*... ».

Medio aevo S. Thomas rationem prophetae in hagiographo qua tali ita describit, De verit. qu. 12 a. 12 in corpore: « *Quandoque* igitur in prophetia *non est aliqua supernaturalis acceptio (specierum)*, sed iudicium tantum supernaturale... ». Cf. ad ampliorem explicationem praeterea in eodem art. 12 ad 6, ad 10. Item 2, 2 qu. 174 a. 2 ad 3.

2) E Patribus. — Patres *saltem implicite idem docent*, cum ex una parte traduut, omnes sententias Scripturae inspiratas esse, ex alia parte efferunt, hagiographos quasdam sententias scripsisse, quin eas ex alio fonte quam naturali didicerint.

S. Augustinus quaerit, cur eosdem sermones quidam evangelistae fusius, quidam brevius retulerint. Inter alia haec respondet, De consens. evang. l. 2 c. 66 n. 128 ML 34, 1139: « *Ut enim quisque meminerat et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est* ». — Inter solutiones, cur S. Mt. loco Zachariae nominaverit Ieremiam, hanc affert, ib. l. 3 c. 7 n. 28 col. 1174: « Potuit... fieri, ut animo Matthaei evangelium conscribentis pro Zacharia Ieremias occurreret, ut fieri solet, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret, *recordationi suae, quae Sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen* prophetae, nisi quia ita Dominus scribi constituit ». Quae de nova

manifestatione divina sermonum habitorum et rerum omnium scribendarum difficile intelliguntur.

S. Hieronymus quaestioni, unde factum sit, ut auctores librorum N. T. textus V. T. saepe aliis verbis citarent atque in V. T. leguntur, respondet, In Gal. 3, 8-9 ML 26, 353: « Hoc autem in omnibus paene testimoniis, quae de veteribus libris in Novo assumpta sunt Testamento, observare debemus, quod *memoriae crediderint evangelistae vel apostoli*, et, tantum sensu explicato, saepe ordinem mutaverint nonnunquam vel detraxerint verba vel addiderint ». Quodsi memoriae haec diversitas ascribitur, revelationi vel scientiae infusae ascribenda non est.

Generatim omnes ii Patres idem censuisse dicendi esse videntur, qui *hagiographis fontes naturales pro libris suis scribendis assignant. Qui haud pauci sunt.* V. g. asserunt *Marcum* scripsisse evangelium suum secundum id quod Petrum praedicantem audierit, *Lucam* vero secundum praedicationem Pauli. Porro certe eadem sententia eorum erat, qui *diversitatem narrationum evangelistarum ad eorum memoriam, fines sibi in scribendo praestitos reducunt.* Id quod praecipue in Io. faciunt, quem evangelium suum ideo composuisse aiunt, ut synopticorum narrationem magis somaticam complendo, evangelium spirituale conscriberet. De quibus rebus cf. Intr. in Ev., ubi de fontibus atque fine singulorum evangeliorum agitur.

3) E Scriptura. — Sacra Scriptura tota cum omnibus suis sententiis inspirata est. Iamvero *secundum ipsius Scripturae testimonium multi hagiographi multa quae narrant non perceperunt e locutione divina vel e scientia infusa (vel visione beatifica), verbo, ea non receperunt ex ullo fonte praeternaturali.* Ergo talis revelatio ad essentiam inspirationis non requiritur.

Ad min. Sacra Scriptura non per modum propositionis ipsam hanc minorem docet, sed ea facta affert, unde haec doctrina *fluit.*

a) Quidam auctores sacri *minime ad divinam revelationem provocant ut ad fontem, unde notitias* in ordine ad scribendum hauserint, sed ad experientiam, auctoritatem humanam. Talia facta inter alia haec sunt: *Libri regum* provocant *ad annales regnorum* Iuda et Israel ut ad fontes suos. Ita v. g. 3 Reg. 14, 19, 29. — *Libri Paralipomenon citant 16 diversa genera documentorum,* unde notitias suas hagiographus sumpserit. Cf. de citationibus ll. 3 et 4 Reg. et Paralip. Cornely, Comp.[6] n. 317 et 327; Introd. II n. 100, 112. — *Auctor libri 2i Machabaeorum Iasone* ut fonte usus est, 2 Mach. 2, 24. — *Lc.* pro fontibus usus est iis « *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* ». Iamvero si ad scriptionem inspiratam necessarium esset, res scribendas ex locutione divina attestante vel ex scientia infusa discere, non capitur, cur hagiographi *notitiam rerum qua scribendarum* ad alios scientiae fontes reduxerint.

b) Accedit quod auctor libri 2[i] Machabeorum 2, 27 *magnum suum laborem in libro suo conscribendo testatur:* « Et nobis quidem ipsis qui hoc opus *breviandi causa* suscepimus, *non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris* assumpsimus ».

Qui labor in hoc fuisse videtur ut materiam scribendam ex opere magis voluminoso Iasonis hauriret. Cf. v. 24 et 32 : « Ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare.... *Brevitatem vero dictionis* sectari et executiones rerum vitare brevianti concedendum est ». Iamvero hic labor *in seligenda materia ut scribenda* ex opere Iasonis non videtur stare cum acceptatione ipsius notitiae rerum ut scribendarum divinitus facta sive per locutionem sive per scientiam infusam.

Cor. 1. — Aliud est, aliquid ad essentiam alicuius rei non pertinere, aliud, aliquid in concreto ob circumstantias quasdam semper obvenientes cum ea re semper coniungi. V. g. ad essentiam hominis sane non pertinet, eum in hoc nostro globo nasci, de facto autem omnes homines in eo, ut generatim putatur, nascuntur. Iamvero ex argumentis, quibus thesim probavimus, *non id tantum* patet, *ad essentiam inspirationis revelationem vel scientiam infusam rerum scribendarum non requiri,* sed illud etiam evidens est, eam de facto *in concreto nequaquam semper cum inspiratione fuisse coniunctam.*

Cor. 2. — Ergo *vi inspirationis* non possumus affirmare, aliquid, quod ab aliquo hagiographo affirmatur, ei esse revelatum. *Ergo vi inspirationis non excluditur ulla via naturalis, qua hagiographus ad eas cognitiones pervenerit quas proponit:* non *ratiocinatio* naturalis, non *experientia*, non *traditio oralis*, non traditio *scripta.* Unde v. g. ex hac parte nihil ostat, Moysen ea, quae de patriarcharum vitis narrat, sive e traditione orali sive e documentis etiam profanis hausisse.

Si quid autem tale e rationibus considerationibus dignis aut cum certitudine aut cum probabilitate statuendum videtur, id sedulo curandum est, ut *sarta tecta maneant tam ea, quae de absoluta inerrantia omnium sententiarum S. Scripturae antea docuimus*, quam ea omnia, quae de *indole historica librorum historicarum Scripturae* tum e traditione ecclesiae tum ex indole ipsorum librorum sacrorum colliguntur atque a Com. Bibl. diversis decretis iam inculcari coepta sunt. Cf. Cornely, Comp. n. 635 p. 515.

Scholion. — Num secundum 2 Mach. v. 20-32 dicendum sit, auctorem *libri 2[i] Mach.* non tantum in eo componendo librum Iasonis uti fontem quendam adhibuisse, verum etiam *eum integrum suum librum e libris amplioribus Iasonis excerpsisse*, v. expositum praecipue apud Pesch n. 421 p. 427-31, qui cum ea sententia quae nunc communior esse videtur, id affirmandum esse putat. Schmid n. 109 p. 104-7 rationes proponit cur id neget.

Difficultates.

Patres et theologi vocant Scripturam revelatam. Atqui revelata nequit esse nisi ipsis hagiographis revelata est. Ergo. — Dist. ma. : Vocant Scripturam *revelatam nobis* per hagiographos, c.; *ipsis hagiographis, subdist. : quoad quasdam partes* Scripturae, *c;* quoad *omnes, n.* — Cf. arg. e Patribus.

Patres hagiographos qua tales vocant prophetas. Atqui prophetae id quod eloquuntur e revelatione discunt. Ergo. — Dist. ma.: Patres hagiographos qua tales vocant prophetas *sensu generaliori,* c.; *speciali,* n. — De sensu generaliori prophetae cf. De insp. fasc. 1, 1911, p. 11-2. Propheta sensu generaliori dicebatur is, qui *a Deo motus nomine Dei loquitur,* sensu speciali vero is, qui ea futura, quae a Deo didicit, annuntiat.

Ex probatis sequitur, Deum notitias suas ab hominibus haurire. Nam Deus per hagiographos agit. Atqui hoc indignum est. Ergo.

R. *N. antec. — Ad rationem additam. Actio quae principaliter a Deo, instrumentaliter ab homine fit, non est acceptio notitiae, sed directio notitiae acceptae ad alios.* Unde ex thesi id tantum sequitur, hagiographos notiones earum rerum, quas Deus per ipsos hagiographos aliis scribit, ab aliis hausisse. Iamvero hoc non tantum non repugnat sed sapientiam Dei positive decet. Ita scilicet Deus utitur hominibus in iis, quae ipsi homines subministrare possunt. Porro ad auctoritatem humanam Scripturae multum confert, quod auctor historicus fontibus usus esse ostenditur.

Quod quis aliquam notitiam ex uno fonte scit, non excludit, eum eandem etiam ex alio fonte scire. Ergo falsissime ex eo quod hagiographi in quibusdam locis ad memoriam suam vel fontes historicos provocant, conclusimus, eoseasdem res non hausisse ex revelatione vel scientia infusa. — Antecedens illustratur facto in theologia certissimo, Iesum multas res historicis scivisse ex propria experientia, e scientia infusa, e visione beatifica.

Videtur mihi ita esse respondendum: *N. suppositum, nos directe et immediate ex illis locis hagiographorum conclusisse, eos eas res ex sola experientia novisse. Directe* id solum ex iis conclusimus, quod pro nostra thesi unice ex iis eruere voluimus, scilicet, *eos in scribendo sacram Scripturam processisse e scientia, quam e memoria, e fontibus historicis etc.* hauserant. *Scriptio* eorum enim cum inspirata esset, sequitur pro *ipsa scriptione inspirata* rerum non requiri fontem a naturali distinctum, e quo illae res hauriantur. Immediate vero et in directe ex iis locis solis nequaquam conclusimus, hagiographos de iis rebus quae scripserunt, non habuisse aliam scientiam, haustam e revelatione vel scientia infusa, quae tamen relate ad scribendam sacram Scripturam se habuerit mere concomitanter.

Aliunde autem in genere constat, eos auctores ea quae nobis in talibus locis scribunt, *nullo fonte praeternaturali* scivisse. Etenim *primo* eiusmodi *fons praeternaturalis non supponendus*, sed, uti quoad Christum, e specialibus rationibus probandus est. Tales vero rationes in nostris auctoribus deesse solent. Secundo, *theologi* generatim talem fontem in iis non admittunt. *Tertio*, Pesch n. 410 p. 415 addit: « *Provocassent* autem ad divinam revelationem, *si eam accepissent*, ut ostendunt exempla prophetarum, Ioannis in Apocalypsi, Pauli defendentis apostolicam suam missionem ».

Propositio. Ad essentiam inspirationis non requiritur, ut ille qui inspiratus est, ipse materialem scriptionem conficiat.

Arg. — 1) **Ex evidenti facto historico.** — *S. Paulus* non ipse propria manu epistolas suas scripsit, sed eas generatim amanuensi dictavit. Epistola ad Rom. materialiter scripta est per amanuensem Tertium. Cf. Rom. 16, 22: « *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino* ». — Tantum *unam vel aliam phrasim* S. Paulus *propria manu* adicere solebat. V. g. 1 Cor. ad finem 16, 21 ipse sanctus Paulus, exceptionis gratia adiecit: « *Salutatio mea manu Pauli* ». Finem unum talis subscriptionis propria manu factae indicat 2 Thes. 3, 17: « *Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo* ». Erant enim qui epistolas tamquam a Paulo missas falso conficerent. Item recentiores plerique tenent, nonnisi ultimos versus ep. ad Gal. inde a c. 6 v. 11 ab ipso Paulo eosque grandibus litteris esse scriptos, quibus versibus summam totius epistolae inculcat. Cf. de his versibus *Cornely*, Comment. ad Gal. totius p. 604-5.

S. Petrus in fine primae epist. 5, 12 habet: « *Per Silvanum* fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi ».

Caeterum mos per amanuenses scribendi tempore apostolico valde usitatus erat.

In V. T. *Ieremias* uti c. 36 v. 32 scribitur, *quasdam partes libri canonici composuit per Baruch ut amanuensem, cui eas dictavit.* Quae sint ipsae hae partes cf. libri introductorii.

2) **E ratione theologica.** — Inspiratio in eo est, ut Deus per hominem unum aliis hominibus scribat. Ergo *sufficit* ad rationem inspirationis — suppositis caeteris supponendis — *ut homo vere scribat.* Iamvero vere scribit, etsi amanuensi aliquo utitur. Id quod patet primo ex *persuasione communi hominum.* Cum enim quaerimus, quis sit auctor alicuius libri, omnino non attendimus, num quis per secretarium, cui librum dictaverit, an per se ipsum eum scripserit. Id patet secundo *ex analysi conceptus scribendi.* Etenim scribere est dirigere conceptus suos ad alios mediantibus signis scriptis. Iamvero haec *directio* conceptuum propriorum ad

alios mediantibus signis scriptis *vere* habetur, sive quis ipse materialiter signa ex hac intentione efficit, sive alium iubet, ut ea nomine mandantis efficiat atque ille deinde de facto vi huius imperii signa illa efficit, eaque qua signa, quibus, uti instrumentum mandantis, cogitata mandantis, non vero sua ad alios dirigat. Ultima ratio in eo est, quod quis vere id facit, quod per alium uti instrumentum facit.

3) **E decisione Commissionis Biblicae** 27 Iuni 1906 de authentia Pentateuchi. In ea enim haec thesis suppositum est tum interrogationis ulterioris tum responsionis datae.

E TRACTATU DOGMATICO DE ECCLESIA

DE CATHOLICITATE ECCLESIAE

In quantum est proprietas

VOX ET NOTIO CATHOLICITATIS, QUAM STATUIMUS.

Vox « catholicus » *etymologice* est a graeco *καθ' ὅλον* (per totum). Quae vox per se apta est, ut significet universalitatem quandam relate ad locum, tempus, doctrinam, secundum quod scilicet totum illud, de quo agitur, cogitatur aut universa summa doctrinarum aut complexio omnium temporum aut universus orbis terrarum.

Usus vocis de facto quoque triplex erat, ita ut ecclesia aliquando propter tria diversa dicta sit catholica.

1) Ecclesia dicta est catholica, quia *omnes doctrinas* tenendas docet. Ita Cyrill. Hier., Catech. 18 n. 23 MG 33, 1044. — S. Pacianus, ep. 1 ad Sympronianum n. 4 ML 13, 1055. — S. August., agens de modo loquendi Donatistarum, ep. 93 (alias 48) ad Vincentium n. 23 ML 33, 333. — Si catholicitas hac ratione intelligitur, re idem est atque apostolicitas doctrinae.

2) Aliquando *ecclesia etiam ideo* dicta est catholica, *quia ea tenet, quae ubique, semper, ab omnibus credita sunt*. Ita v. g. Vincentius Lirinensis, Commonitorium c. 3 ML 50, 640.

3) Generatim dicitur catholica *relate ad locum*, idque directe relate ad ipsum locum, *indirecte relate ad homines in loco versantes*. Significatur ecclesiae *quaedam diffusio per orbem universum, ita ut ubique sint, qui ei adhaereant*. Quae diffusio qua determinata ratione concipienda sit, postea latius exponetur. — Ita iam usus *generatim apud Patres* habebat. Exemplo sit explicatio vocis, quam Catholici in collatione cum Donatistis anno 411 mense iunio tertio die eius collationis dederunt, c. 3 n. 3 ML 43, 624: «...et quia *Ecclesiae toto orbe diffusae* cui testimonium perhibet Scriptura divina, ipsi, non Donatistae, communicant, *unde catholici merito et sunt et vocantur* ». Hanc significationem vocis, quae hodie unice adhibetur, in sequentibus usurpabimus.

Declaratur notio catholicitatis de qua agimus.

1) Solent distinguere *catholicitatem formalem, materialem.* — *Materialem* catholicitatem habere dicuntur *ii, qui per orbem diffunduntur, ita tamen ut non constituant eiusmodi unitatem, qua in societatem vere unam colligantur*, quibus proinde forma societatis deest. Patet eos tamen habere aliquam aliam unitatem, quae in iis supponitur dum diffusi dicuntur; alias nulla ratione in unum aliquem conceptum colligi possent. Tali ratione v. g. Protestantes omnes simul dicuntur diffusi per orbem. Nullam sane constituunt unionem socialem, sed ea unitas in iis attenditur, quod v. g. omnes eae diversae societates quas formant, historice aliquo modo sive mediate sive immediate descendunt a Reformatoribus saeculi 16.

Scimus Christum ecclesiam suam in forma verae societatis instituisse. Unde de catholicitate mere materiali in thesibus nostris sermo esse nequit.

Catholicitas formalis dicitur ea diffusio, in qua ii qui diffunduntur, coniunguntur forma verae societatis. Quae forma est conspiratio stabilis, quaeque auctoritatem unam exigit atque actu habet. Patet nos *de tali catholicitate sola* loqui. — Unde in conceptum catholicitatis ecclesiae haec eius unitas necessario ingreditur.

2) Distinguitur catholicitas primo *facti*, secundo *iuris*, tertio *efficaciae seu aptitudinis.* Catholicitas facti est ea diffusio per orbem, quae actu, de facto, in aliqua societate adest; catholicitas iuris est ius in societate, ut se per orbem diffundat; catholicitas efficaciae seu aptitudinis est aptitudo, vis societatis ut se propaget. Quae catholicitatis quasi species per se una ab alia separari possunt. Potest esse diffusio actualis, quin adsit ius ad eam, uti v. g. in diffusione sectae massonicae videmus. Potest esse ius ad se diffundendum, quin adsit actualis diffusio, uti erat in ecclesia, quando erat tota quasi collecta in coenaculo vel in finibus Palaestinae. Potest etiam esse in aliqua societate ius ad se diffundendum v. g. a statu civili alicui associationi civili concessum, quin adsit vis vitalis societati inhaerens ut se diffundat. In ecclesia catholica hae omnes quasi species catholicitatis nunc coniunctae sunt; semper in ea inveniebatur catholicitas iuris et aptitudinis; non vero absolute semper in ea inveniebatur catholicitas facti.

3) Distinguitur catholicitas *physica, moralis. Physica* ea intelligitur diffusio per orbem, *qua aliqua societas occupet omnino totum*

orbem habitatum, i. e. omnia et singula orbis loca. Sunt qui addant, et omnes homines in iis habitantes. Non refert qui ex his duobus explicandi modis eligatur, cum eiusmodi diffusio ad rationem proprietatis ecclesiae certe non requiratur. — *Moralis* catholicitas ea intelligitur, quae est talis non physica, *sed latiore quodam sensu intellecta.* Qui sensus latior quid comprehendat postea magis determinatur.

4) Distinguitur catholicitas in *simultaneam et successivam.* Distinctio sumitur secundum tempus, quo diffusio per orbem obtinetur. *Si diffusio illa eodem tempore per totum orbem locum habet, dicitur simultanea*, quia partes diffusionis universalis simul tempore coexsistunt. — Dicitur vero *successiva, si diffusio ista ideo tantum dicitur universalis, quia societas illa, de qua agitur, nunc quidem hunc locum occupat; postea, amisso primo, secundum;* deinde amisso etiam secundo, tertium, *et ita porro; ita ut tandem* tempore ultimi iudicii *possit dici*, eam locum post locum possidendo, *migravisse per totum orbem*, non vero unquam totum orbem moraliter sumptum simul obtinuisse.

5) Catholicitatem illam facti, quam ut proprietatem ecclesiae defendimus, ita intelligimus, ut debeat esse et *diffusio per orbem cum numero non spernendo asseclarum, et simul eiusmodi diffusio, quae multum superet diffusionem earum singularum sectarum christianarum*, quae ut singulae aliquam societatem formant. E solo conceptu diffusionis per orbem etiam cum numero non spernendo asseclarum non videtur quidem repugnare, quominus talis diffusio per orbem inveniatur in pluribus societatibus religiosis, etiam singillatim sumptis simul eodem tempore atque proinde etiam in pluribus societatibus, quae se dicunt christianas. Diffusio enim illa moralis per orbem sat et spatii relinquit et hominum, ut etiam plures aliae per se hanc eandem diffusionem moralem habere possint. At aliud est, quid vi conceptus diffusionis moralis universalis in genere non repugnet, aliud quid cum ea diffusione universali morali stare possit, quae in documentis revelationis de ecclesia catholica praedicatur. Dicimus ergo, in fontibus revelationis ut proprietatem verae ecclesiae statui eam diffusionem actualem moralem per orbem, quae et in se magnum numerum asseclarum habeat, et simul multo maior sit, quam singularum sectarum christianarum. Statuimus ergo quandam *catholicitatem et absolutam et simul comparativam.*

Non vero dicimus, catholicitatem verae ecclesiae debere superare

eam diffusionem materialem, quam omnes sectae simul sumptae forte hodie obtinent vel brevi obtinebant. Quae sectae omnes simul unam societatem religiosam sane non efformant. Cf. Suarez, Def. fid. l. 1 c. 16 n. 13 ed. Paris. tom. 24 p. 81-2.

CAPUT I. De catholicitate destinationis et efficaciae.

Assertio. Ecclesiae essentialiter convenit catholicitas iuris atque destinationis.

Cum de re aliunde iam evidentissima agatur, argumentum e traditione omittemus.

Arg. 1) — **E verbis Mt. 28, 20.** — Iis verbis Iesus hierarchiae ecclesiasticae mandatum divinum dat, ergo etiam destinationem atque ius concedit, ut omnes homines usque ad finem saeculorum baptizet. Atqui per baptismum quis ecclesiae aggregatur. Ergo.

Prob. min. — *Primo* sermo est *de omnibus hominibus* baptizandis. Etenim terminus « gentes » significat omnes homines omnium nationum. Quaeritur quidem inter quosdam auctores, utrum terminus « gentes » directe significet omnes nationes, incluso populo Iudaico (atque Samaritano), an directe tantum omnes nationes ethnicas, a populo iudaico distinctas. At pro nostra re nihil inde pendet, quam solutionem praetuleris. Etenim primo ex loco parallelo Mc. 16, 15 « omni creaturae » patet, sensum etiam huius loci esse universalem. Secundo, si eligis significationem « omnes populi » res sane evidens est. At etsi praefers significationem « omnes populi ethnici », res non minus clara est. Etenim in tali casu id supponitur, quod aliunde Dominus saepius dixerat, quodque immediate ante ascensum in coelum repetiit, scilicet apostolos debere prius esse sibi testes atque religionem suam propagare « in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et (postea) usque ad ultimum terrae ». Act. 1, 8. Cum autem ius et mandatum ecclesiae datur ut omnes populos baptizet, intelligitur, *omnes omnino homines* omnium populorom esse baptizandos. Id quod inter alia iam ex eo patet, quod ex una parte, uti in alio tractatu docetur, Dei voluntas salvifica omnes omnino homines complectitur; ex alia parte, uti in tractatu dogmatico de ecclesia iam ostendimus, ecclesia sola media salutis habet. — *Secundo*, sermo est de omnibus hominibus *usque ad finem saeculorum* baptizandis. Etenim Dominus adiungit, se usque ad id tempus apostolis in mandato suo exsequendo la-

borantibus auxilium suum praestiturum esse. — Cf. quoque Mt. 24, 14. « Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus ». Cf. De eccl. ut magistra verit. vol. I n. 57 p. 62-3.

Arg. 2) — **Ecclesia est unicum medium ordinarium salutis,** uti demonstratum est in thesibus de fine ecclesiae et de necessitate medii pertinendi ad ecclesiam. Iamvero Deus, considerata eius *voluntate salvifica universali simulque eius sapientia in ea voluntate exsequenda*, non potest non dare ius et destinationem et mandatum ut unicum medium salutis ordinarium hominibus applicetur.

Corollarium. — Ergo pro hierarchia ecclesiae non est res consilii sed *stricti officii, ut curam habeat conversionis ethnicorum.*

Scholion. — Ex eo consilio divino, quo ecclesia toti mundo omnibusque temporibus destinata est, *nova lux aspergitur ei ordinationi divinae, qua ipse Christus lege perpetua tam pauca sive ad constitutionem iuridicam sive ad cultum divinum in sacrificiis et sacramentis pertinentia ipse determinavit,* sed plurima pro locis et temporibus congruentia ecclesiae determinanda reliquit. Atque ideo tot ac tam amplae potestates ei tradidit. Cf. theses de potest. eccl.

Ex eodem consilio nova lux affulget iis quae Iesus *ad unitatem ecclesiae fovendam* tanta cum cura providit, praecipue vero institutioni potestatis plenae in Romano pontifice tum in dogmatibus definiendis tum in disciplina statuenda. Ea enim facilius cavetur, ne corpus ecclesiae in partes dissolvatur.

Assertio 2. Ecclesiae essentialiter convenit catholicitas efficaciae.

Intelligitur *efficacia in actu primo.* Qualis futura sit haec efficacia in actu secundo, in sequenti thesi videbimus.

Arg. 1) — **Ex auxiliis promissis.** — Postquam Dominus mandatum de propaganda ecclesia in toto orbe dederat, adiungit: « et ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculorum ». Iamvero his verbis saltem continetur collatio auxiliorum in actu primo efficacium. Cf. v. I l. mox citato.

Arg. 2) — **Ex elementis singulis, e quibus haec efficacia in actu primo consistit.** — Quoad homines ad ecclesiam *aggregandos:* Adest in ecclesia *vis sufficientissima persuadendi*, se esse veram Christi ecclesiam. Id quod in tractatu de notis atque de motivis credibilitatis pro ecclesia catholica ostenditur. Adest ecclesiae praedicationi uti comes,

potentissima *divina gratia interne in mentibus hominum operans.* Haec enim ex una parte necessaria est ad id ut credant et ecclesiae sese aggregent, ex alia parte ob sapientiam divinam praecipue cum praedicatione eorum coniungitur, qui soli ordinaria via a Deo ad conversionem gentium mittuntur. Adest ecclesiae multiplex *disciplina*, catechumenorum fragilitatem fortiter et benigne adiuvans.

Quoad homines iam conversos *in ecclesia retinendos:* Crescit in iis qui sua officia christiana bene explent, *persuasio de ecclesiae veritate*, idque tum mediante meliore cognitione motivorum credibilitatis atque universae doctrinae christianae, quam sub magisterio continuo ecclesiae addiscunt, tum mediante intima experientia sanctorum effectuum quos religio catholica in asseclis suis producit. — Ecclesia per praedicationem imperium, sacramenta, manuductionem practicam ad omnes virtutes *quam plurimas vires humanis voluntatibus addit, ut* tum in genere officiis suis *satisfaciant*, tum in specie expleant gravissimum officium remanendi in unica via salutis.

Arg. 3) — **Ex indiciis mirae efficaciae.** — Sane miro modo efficacem se praebuit ecclesia in asseclis sibi aggregandis *die Pentecostis*, Act. 2, 42. Mirabilis quoque erat *propagatio ecclesiae usque ad regnum Constantini.* Quale argumentum saltem pro iis valet, qui concedunt, ecclesiam catholicam eius temporis fuisse veram Christi ecclesiam. Similia de *tot epochis historiae missionum catholicarum* dicenda sunt. — Iamvero pronum est concludere, societatem, quae eiusmodi impedimenta superare potuerit, eam eiusmodi viribus a Deo donari, quibus ubique atque semper propagare se possit. Cf. Wilmers p. 540, 4.

Scholion. — *Synagogae* se adiungere non tantum *non erat praescriptum omnibus* hominibus, verum etiam quaedam stirpes, uti Ammonites et Moabites (cf. Deuter. 23, 3-4) e lege divina ab ingressu in synagogam impediebantur. — Ipsae quoque plurimae institutiones synagogae eiusmodi comparatae erant, ut clarum esset, eam *pro toto genere humano institutam non esse.* Cf. cultus publicus, qui ad unum locum restrictus erat; leges plurimae divinae v. g. iudiciariae, quae certas circumstantias loci et temporis supponunt; lex de tot cibis vetandis, quae maceriem quandam inter Iudaeos caeterosque populos exstruebat. Cf. Ottiger I p. 445-8, 516; Wilmers, De relig. revel. prop. 52, 1 p. 191-2.

CAPUT II. De catholicitate facti.

Propositio. E fontibus revelationis soli verae ecclesiae Christi convenit diffusio per orbem cum numero in se magno asseclarum, eaque actualis, moralis, simultanea, maior quam caeterorum coetuum si singuli sumuntur, perpetua inde a praedicatione evangelii in orbe.

St. qu. — In hac thesi data opera non probamus, singulos textus quos e prophetis Messianicis adducimus, esse vere messianicos. Sed hanc indolem messianicam locorum e tractatione vaticinorium Messianicorum supponimus. Porro supponimus demonstratum, regnum Messiae, de quo toties in prophetis sermo est, esse ecclesiam Christi. Inquirimus vero hoc loco, quid in iis vaticiniis de Messia atque ecclesia ab eo instituta speciatim de catholicitate ecclesiae verae contineatur. — Per partes singulas determinationes catholicitatis probamus.

I. Ecclesia Christi diffundetur per orbem universum.

E Vetere Testamento.

Per Abraham, in eius filio Messia omnes gentes felicitatem a Deo iis determinatam consequentur: « *in te benedicentur omnes cognationes terrae* », uti legitur Gen. 12, 3. — Ps. 2° regnum Messiae describitur. Cuius extensio exhibetur v. 8: « Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et *possessionem tuam terminos terrae* ». ' Termini terrae ', consentientibus interpretibus, significant universam terram eius terminis quasi inclusam, seu universum orbem ab uno eius termino usque ad alium. Cf. v. g. Laur. Reinke, Die messianischen Psalmen, I Giessen 1857 p. 39-41, 87-9; Rationalista Bernh. Duhm, Die Psalmen, Freiburg 1909 p. 9. ' Gentes ' hoc loco utique ponitur sine articulo; nihilominus significat omnes gentes, tum quia haec expressio hic parallela est expressioni: ' Termini terrae ', tum quia totus versus eandem extensionem regni Messianici exhibet, quam Ps. 71. — Ps. 71, 8-11, 17 b, hanc extensionem pluribus describit: « Et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine (Euphrat) usque ad terminos orbis terrarum... Et adorabunt eum omnes reges terrae, *omnes gentes servient ei* ». — Isaias 66, 23: « Et erit, mensis ex mense et sabbatum ex sabbato veniet *omnis caro*, ut adoret coram facie mea (in Ierusalem, typo ecclesiae), dicit Dominus ». I. e. totum genus humanum in ecclesia novi foederis Deo serviet. Cf. Knabenbauer Is. II p. 521.

E Novo Testamento.

Mt. 28, 20. — « Christus cum Apostolis imposuisset mandatum: ' Euntes docete omnes gentes ', continuo addidit: ' Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi '. Hisce verbis Apostolis eorumque successoribus promittitur efficax auxilium ad mandatum explendum et finem consequendum. Mandatum autem spectabat non tantum ut doctrinam puram servarent, eamque omnibus gentibus praedicarent, verum etiam ut gentes Christi discipulos facerent *(μαθητεύσατε)*. Ergo qaemadmodum ex auxilio promisso concludimus, doctrinam puram servatum iri usque ad finem saeculi, ita *ex eodem auxilio concludimus, omnes gentes usque ad consummationem saeculi* fore discipulos Christi. Id autem non fieret, si Ecclesia desineret esse catholica sive diffusione latissima unquam careret ». Wilmers n. 329.

Cum de re evidenti agatur ulteriora sive e Scriptura sive e Patribus addere non iuvat.

II. Haec diffusio per orbem erit simultanea.

Erant quidam qui, ut videtur pressi difficultatibus ortis e defectione Protestantium a vera ecclesia, putarent, diffusionem simultaneam non requiri, sed sufficere successivam. Ita Driedo († 1535), De Scripturis et dogmatibus ecclesiasticis ll. 4, 1543, l. 4 c. 2. — Canus, De locis theol. l. 4 c. 6, Resp. ad 13, ed. Patav. 1739 p. 141. — Bellarminus, l. 4 De notis c. 7 ed. Ingolstadt. col. 1311. — Forte Pichler, Theol. polem. Pars 1 contr. 3 c. 2 art. 5 n. 3, Augustae Vindelicorum 1733 p. 583-4, si hic numerus cum n. 4 comparatur, eandem sententiam proponit. — At communissime haec sententia reicitur; eamque reiciendum esse ex argumentis apparebit.

E Vetere Testamento.

1) *Innaturalis esset modus loquendi*, imo potius videretur inventus ad illudendum vel iocandum, si quis factum hoc, aliquem *unam domum post aliam dimissam* acquisivisse ita exprimeret: « *possidebat universam urbem* ». Cf. Murray II disp. 9 s. 2 n. 54 p. 84-7. Ergo a pari eiusmodi explicatio de Christi regno in orbe terrarum universo, quod mox demonstravimus, explodenda est.

2) Eiusmodi explicatio etiam magis reicienda esset, si quis *tali*

modo divitias hominis ut plane singulares, a nemine unquam possessas *extollere* vellet. Ac si phaenomenon saeculare esset, aliquem unam possidere domum! Iamvero quae de dilatatione regni Christi per orbem a prophetis praedicantur, ideo extolluntur, ut singularem plane rationem dominii Christi etiam in ipsa magnitudine regni, non tantum in sublimitate, sanctitate praeceptorum etc. efferant.

3) Data opera *excellentia illa regni Christi, quae dilatationem respicit, a prophetis saepe distinguitur ab illa excellentia, quae ad durationem per tempus longum spectat, atque utraque eius perfectio splendidissime celebratur.* Ita v. g. in Ps. 71, versibus 5, 7, 19 ^{a}, ubi aeternitas regni Messianici premitur; versibus 8-11, 17 ^{b}, 19 ^{b}, ubi eius universalitas extollitur. Simili ratione eodem in capite 54 Isaiae v. 1-5 amplitudo ecclesiae celebratur, v. 9-10 eius indefectibilitas. Caeterum res e vaticiniis Messianicis notissima est. — Iamvero in suppositione adversariorum haec distinctio non apte explicatur. Etenim parvum angulum terrae possidere usque in aeternum, iam sub ipsa praedicatione aeternitatis regni sufficienter contineretur.

4) *Aliquando etiam data opera* haec simultanea extensio in Scriptura effertur.

Apud Malachiam 1, 11 legitur: « Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda ». Agitur hoc loco, uti v. g. probatur Ottiger I 520, « de tempore novae legis sive Ecclesiae Christi. Iam vero qua ratione vere praedicari potuit, celebrationem illam nomini Dei *ab* ortu solis *usque* ad occasum locum habituram esse, si Ecclesia non in maiore saltem parte terrae inter solis ortum et occasum exsisteret Deique nomen celebraret, sed modo in una regione, modo, ea relicta, in alia esset? Et quomodo in *omni* loco dici possit Deo sacrificari (qua ratione id fieri debeat, spirituali an alia nostra hic nihil refert), si non simul in maiore saltem orbis parte, sed in paucis tantum locis revera hoc aut illo tempore sacrificandum esset? ».

Daniel 2, 31-45 continetur vaticinium de ecclesiae aeternitate eaque eius extensione, quae evidentissime simultanea est. Erat enim Nabuchodonosor in visione ostensa statua magna, ex auro, argento, aere, ferro testae misto. Quam percussit percussamque in pulverem redegit lapis; « lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus et implevit universam terram » v. 35. Quam visionem Daniel inter alia his verbis interpretatur: « ... suscitabit Deus coeli regnum

quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum ». *Sicut ergo illa quatuor regna sane simultaneam habebant extensionem, ita certe etiam illud regnum, quod loco ipsorum erit*, imo in montem magnum excrevit universamque terram replevit, simultaneam eamque vastissimam extensionem habebit.

5) Accedit, id quod mox demonstrabimus, *magnitudinem imperii induci ut extraordinarium quoddam praemium Christi.* Iamvero hoc sat commune est religionum fundatoribus, eos in diversis partibus orbis, ex uno loco expulsos, alium per aliquod tempus occupare potuisse.

E Patribus.

Patres evidenter hanc nostram explicationem supponunt. Etenim vaticinia Scripturae in diffusione universali ecclesiae sui temporis impleta vident, tum ex universalitate a prophetis promissa immediate concludunt, haereticos ob ipsam suam restrictionem ad unum locum non posse constituere veram Christi ecclesiam. Pro qua doctrina loci plurimi Patrum habentur. E quibus paucos accipe:

Eusebius, in Ps. 71 v. 6-8 MG 23, 804: « Dictum (de quo agit, scilicet: ' dominabitur a mari usque ad mare ') autem impletum noveris, si perpendas Dei ecclesias ubique terrarum Christum eius dominum praedicare ».

S. Augustinus, ep. 49 ad Honoratum n. 3 ML 33, 189 quoad Donatistas haec ait: « Quaerimus ergo, ut nobis respondere non graveris, quam causam forte noveris, qua factum sit, ut Christus amitteret haereditatem suam, per orbem terrarum diffusam, et subito in solis Afris, nec ipsis omnibus, remaneret ».

In eundem sensum S. Hieronymus Dial. adv. Luciferianos n. 15 ML 23, 168 haec habet: « Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est. Et si Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, barbaras nationes et totum semel mundum possidet satanas, quomodo ad angulum universae terrae crucis trophaea translata sunt? ».

Idem ex hac consideratione confirmatur: Inde a primis ecclesiae temporibus cognomen ' catholica ' ecclesiae uti proprium atque distinctivum addebatur. Iamvero ecclesia praecipue catholica vocabatur, quia per orbem diffusa erat uti e modo communiore patet, quo Patres hanc vocem explicant.

III. Ecclesia, prouti per orbem diffusa est, numerum in se magnum asseclarum habebit.

1) Vidimus, Messiam secundum prophetas *dominaturum esse gentibus, ipsas nationes ei servituras esse.* Iamvero esset modus loquendi valde innaturalis, si quis hanc ipsarum nationem subiectionem eo explicaret, quod pauci ex singulis nationibus Christo adhaesuri sint.

2) Id quoque vidimus, *regnum Messiae esse loco illorum quatuor regnorum*, quae ut magna atque vasta describuntur, idque *ea ipsa in magnitudine atque maiestate superaturum esse.* Id quod evidenter cum numero parvo asseclarum stare non potest.

3) *Data opera ipsa multitudo eorum, qui e gentibus Christo eiusque ecclesiae servient, extollitur.* Etenim ex una parte praedicitur, Christum plurimos sibi adsciscere; ex alia parte edicitur, hos plurimos esse praecipue ipsas eas nationes, quae antea diis servierant. Id quod paucis videbimus. In versione litterali adducenda sequor praecipue Knabenbauer, Com. in Isaiam v. I-II 1887; Condamin, Le livre d'Isaie, Paris 1905.

a) Christus plurimos asseclas habebit. — C. 53, 12 legitur: « ... in scientia sua *iustificabit* ipse iustus servus meus multos... Ideo (i. e. quia laboravit anima eius, Messiae), *dispertiam ei plurimos*, et fortium dividet spolia ». Condamin p. 323 vertit: « C'est pourquoi je lui donnerai, pour sa part, *des multitudes;* il recevra *des foules* pour sa part de butin ». Eandem versionem atque explicationem primi stichi, quam habet Vulgata, contra quosdam acatholicos stabilitam vide a Knabenbauer ad l. II p. 324-5. Secundum stichum Knabenbauer vertit: « validos distribuet (Messias sociis suis uti) praedam », id quod in similem sensum recidit, atque is est, qui in primo sticho continetur.

b) Hae multitudines e gentibus totius orbis constituuntur. — Etenim capitibus sequentibus hae plurimae turbae a propheta e gentibus ad Ierusalem confluere describuntur. Iamvero hac descriptione ea declarantur, quae antea 57, 11-12 dicta erant: « videbit semen, iustificabit multos ». « Ipso nexu interno et serie oraculorum indicatur gloria Messiae quae in opere eius relucet et ex opere et effectu in ipsum Messiam refunditur ». Knabenbauer ad. 59, 1 p. 338.

E multis, quae c. 54-66 in hunc sensum inveniuntur, haec pauca accipe: C. 54: 1-3: « Lauda sterilis, quae [nunc, quando propheta

vaticinabatur] non paris; decanta laudem et hinni, quae non pariebas. Quoniam multi [erunt] filii desertae magis quam eius quae habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui...; ad dexteram enim et ad laevam penetrabis, et *semen tuum* [53, 10 filii Sionis messianicae, per quos gentibus salus affertur] *gentes haereditabit, et civitates destructas inhabitabit* [felices reddet gentes quas possidebunt] ». Cf. Knabenbauer p. 340-1.

C. 60 fere totum versatur in aggregatione gentium celebranda. — V. 1-2: « Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce *tenebrae operient terram* (*integram*, excepto populo iudaico) et caligo populos (omnes); super te autem orietur Dominus et gloria eius in te videbitur ». Sermo est de initio temporis Messianici.

v. 3-5: « Et *ambulabunt gentes* [legitur vox cum articulo] in lumine tuo [*ad lumen quod in te fulget* ut ad pharum convolabunt] *et reges* in splendore ortus tui [*ad splendorem ortus tui* uti ad solem et centrum mundi accedent]. Leva oculos tuos in circuitu et vide: *Omnes isti* [*populi et reges,* qui antea in tenebris fuerant] congregati sunt, *venerunt* tibi [*ad te*]; filii tui [Israelitae secundum carnem] de longe venient, et filiae tuae de latere surgent [ad latus, super latus, uti parvuli a nutricibus gestabuntur] ».

v. 5-9. At *non tantum ipsae nationes venient, verum etiam divitias suas*, omnia quae habent, *Iahve atque ecclesiae dedicabunt.* In quibus divitiis cum sint signum subiectionis gentium, iterum continetur, non paucos, sed plurimos e gentibus ecclesiae se addicturos esse. « Tunc videbis et affluues [splendebis], et mirabitur et dilatabitur cor tuum; quando [etenim] *conversa fuerit ad te* multitudo maris [*opulentia regionum maritimarum et insularum*], fortitudo [opes, divitiae] gentium venerit tibi [ad te] ». Sunt inter recentiores quoque qui hunc terminum ' fortitudo ' etiam de numero explicent. At generatim id hodie non fit. At pro nobis perinde est; « nam semper gentes simul cum suis opibus intelligi patet ». Knabenbauer ad l. p. 420. « Quidquid erat egregium aut in regum principunque opibus aut in prudentia ingenioque sapientum, qui Christi doctrinam et fidem amplexi sunt, id totum divinae gloriae et honori servivit ». Sanctius in 53, 12. Sequitur descriptio divitiarum, quas gentes afferunt tum in agminibus tum in classibus.

Postquam autem ab oriente (v. 6, 7) et occidente (v. 8, 9) vene-

runt populi, *ecclesiae servient:* « Et aedificabunt filii peregrinorum muros tuos et reges eorum ministrabunt tibi ».

v. 11. Neque hinc inde tantum talis erit affluentia ethnicorum. Imo vero *continua erit haec affluentia, continuoque augmento crescet:* « Et aperientur portae tuae iugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo [divitiae] gentium; et reges earum adducantur [duces sint agminum, quibus ipsi populi exhibentur] ».

v. 14. *Quam late denique patebat olim in nationibus despectus Ierusalem,* tam *late patebit eo tempore summa eius veneratio atque studium.* « Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te et adorabunt vestigia pedum tuorum *omnes qui detrahebant tibi* et vocabunt te civitatem Domini, Sion Sancti Israel ».

IV. E sententia optimorum Scripturae interpretum erit aetas, quando tum omnes gentes sive integrae sive saltem pro maiore membrorum parte, tum ipsa quoque natio Iudaeorum, sive integra sive saltem pro maiore eius parte, in ecclesiam intrabunt.

S. Paulus Rom. 11, 25-6 haec habet, quando de consilio Dei in permittenda incredulitate populi Israelitici sui temporis lectores instruit: « Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non [ne] sitis vobis ipsis sapientes), quia [quod] caecitas ex parte contigit in Israel [obduratio ex parte Israeli contigit], donec plenitudo gentium intraret [τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν intraverit i. e. in ecclesiam, in regnum Messianicum], et sic [mediante hoc facto, καὶ οὕτως] omnis Israel salvus fieret [fiet, σωθήσεται] ».

« *Plenitudo gentium, universitas gentium,* seu omnes nationes gentiles, designari dicendae sunt *in oppositione ad singulos illos ethnicos, qui ex variis gentibus iam tempore apostolico Ecclesiam ingrediebantur.* Quem in sensum bene S. Thomas: ' Plenitudo gentium, i. e. non solum aliqui particulariter ex gentibus, sicut tunc convertebantur, *sed vel pro toto vel pro maiore parte in omnibus gentibus* '. Cf. Hervaeus, Caietanus etc., [multi alii catholici et Protestantes recentiores] ». Cornely Com. in ep. ad Rom. ad l. p. 614. Omnis Israel autem opponitur ei paucitati Israelitarum, quae tunc temporis conversa erat, quando natio qua tota Christum reiecerat ita « ut iuxta nostrum loquendi modum, qui ad paucorum voluntarium discessum non attendit, [in illa periodo] totus Israel Christus subiectus dici possit. (Cf. Toletus, Estius, a Lapide,...) ». Ib. p. 615. Inter ingressum autem omnium gentium atque ingressum totius nationis Iudaicae

« praeter temporalem... etiam causalem quendam nexum Apostolus significare voluit; omnium enim gentilium nationum ingressus non tantum universae nationis israeliticae conversionem et assumtionem tempore praecedet, sed ad illam etiam aliquid conferet, quum gentium fides Iudaeos cunctos, qui tum superstites erunt, ad aemulationem provocatura sit » ib. p. 613. Id quod apostolus iam docuerat v. 11. Cf. ib. p. 590-1.

V. Hoc regnum, simultanea per orbem diffusione extensum, in ratione huius diffusionis erit perpetuum.

Sensus huius partis theseos is est: hoc regnum non ita diffusionem suam habebit, ut per saecula parvum sit, vel mox forte magnum, mox parvum. Neque tantum in fine saeculorum per illam periodum, de qua mox egimus, diffusione actuali erit dilatatum. Dicimus ergo, ecclesiam moraliter loquendo continuo, sine interruptione, simultaneam diffusionem habituram esse.

1) *Regnum Messianicum* in Scriptura *exhibetur ut ex ipsa natura sua* praeditum duplici excellentia: *universalitate et aeternitate.* Ergo semper habet universalitatem.

Maior ex his deducitur: *a)* Hoc regnum praedicatur universale in sua oppositione ad Vetus Testamentum. In oppositione ad influxum restrictum in orbe, quem vetus Ierusalem exercuit, de novo praedicatur Is. 60, 3: « Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui »; 15: « Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generationem et generationem ». — *b)* Uti vidimus, regnum in gentes exhibetur ut praemium Christi ad gloriam eius nominis pertinens. Ergo cum haec ratio semper valeat, semper hoc praemium permanebit.

2) *Dan.* 2, 44 de regno Messianico docetur, destructis quatuor regnis Assyrico Babylonico, Persarum, Alexandri Magni, Romanorum succedere ipsum, quod repleat orbem. « Comminuet autem et consumet universa regna haec et *ipsum stabit in aeternum* ». Ergo *ut magnum* aeternam durationem habebit: « Et regnum eius alteri populo non tradetur ».

3) Explicatio de deficiente interdum catholicitate ecclesiae excluditur eo modo procedendi *Patrum,* quem iam antea in parte praecedente attulimus. Etenim, uti mox vidimus, Patres, quin aliud considerent

quam oppositionem ad promissiones Christo factas de orbe terrarum possidendo, ex ipsa restrictione haereticorum ad locum concludunt, eos veram ecclesiam Christi constituere non posse. Id quod evidenter supponit, eos eiusmodi periodos, in quibus ecclesia, postquam semel diffusa erat ad unum locum restringeretur, omnino impossibilem habuisse.

V. Haec perpetua universalitas simultanea non erit physica, sed moralis.

1) S. Paulus Rom. 11, 25, 26 vaticinia v. g. Deuter. 32, 21 ita explicat, ut doceat, *Israeliticum populum qua talem seu integrum, non se conversurum esse ad Christum, usque dum plenitudo gentium in ecclesiam intraverit.* Ergo usque ad id tempus semper Iudaei plurimi non erunt conversi ad fidem.

2) Aliunde probatur, *lupos rapaces*, de quibus apostolus Act. 20, 29-30 episcopos congregatos monet, esse *haereticos*. Qui praedicantur ab apostolo post discessum suum gregem discerpturi esse. Haereticos autem extra ecclesiam esse alibi probatur.

3) *Ex Apocalypsi* constat, multa bella in futurum contra ecclesiam gerenda esse ab eiusmodi adversariis Christi, *qui bestiam adorent.* Ergo certe iis temporibus de quibus Apocalypsis agit, non habebitur physica ecclesiae universalitas. — Quod argumentum utique diverso modo probat secundum diversam sententiam, quam quis tenuerit de illo tempore, quod Apocalypsi nobis exhibetur. E sententia magis probabili ultima tempora ecclesiae directe exhibentur.

4) *Patres* ex una parte *catholicitatem* iam *pro suo tempore statuebant.* Ex alia parte sibi conscii erant idque *premebant, non omnes gentes iam suscepisse evangelium.* V. g. S. August., contra Cresconium l. 4 c. 61 n. 74 ML. 43, 589 : Ecclesia « ad multas etiam barbaras gentes extra orbem Romanum crescendo perventura est ». Ep. 199 n. 46 ML. 33, 922: « Sunt apud nos, h, e. in Africa barbarae innumerabiles gentes, in quibus nondum praedicatum esse evangelium... nobis addiscere in promptu est ».

5) Idem docet *eventus.* Certe enim, ut antea e locis claris probatum est, adhuc exsistit vera ecclesia. Iamvero nullus coetus Christianorum habet universalitatem physicam. Ergo vaticinia de catholicitate physica intelligi nequeunt.

6) Idem tandem commendat *sapientia divinae providentiae.* Etenim si physica universalitas ad essentiam ecclesiae pertineret atque proinde statim ab initio ecclesiae inhaerere debuisset, hoc tantum

ita effici potuisset, ut et ubique subito sive per angelos, sive per homines praedicaretur, et omnes ubique homines evangelio praedicato subito adhaererent illique nunquam renuntiarent. Iamvero primum multa miracula in ordine physico supponit; secundum addit, non utique vim veram illatam voluntati, sed innumera miracula moralia. Neuter providentiae extraordinariae modus, nisi positive probatur assumendus est, neuter quoque congruit illi ordini providentiae, secundum quem et ante Christum et tempore Christi mundum regi vidimus.

VII. Determinatur mensura eius diffusionis simultaneae moralis cum magno numero asseclarum, quae semper adesse debet.

SI EA DIFFUSIO SPECTATUR ABSOLUTE.

1) Ecclesia inveniri non potest in regionibus, quae non habitantur. Etenim religio dicitur esse in loco propter homines qui in loco sunt.

2) *Non inveniatur necesse est ecclesia in iis locis, quae moraliter adiri non possunt.* Intelligimus impossibilitatem ne certae regiones adeantur, ortam ex conditionibus externis scientiae experimentalis naturalis in genere humano. Propter tales conditiones per saecula utique Australia Europaeis cognita non erat. — Intelligimus etiam eam difficultatem, quae neque zelo animarum superatur, quae oritur v. g. ex legibus status, quibus efficaciter impediebantur exteri, quominus certa quaedam regna ingrederentur. Tali modo per aliqua tempora regnum Sinense moraliter inaccessibile erat.

3) Requiritur *ea mensura, ut illa diffusio moraliter loquendo sit aliquid magnum, dignum quo universus mundus haereditas Christi constituatur,* quo simul ecclesia in universo mundo splendorem accipiat et ubique facile noscatur. — Primum sequitur immediate ex vaticiniis, secundum ex fine catholicitatis, ut sit nota ecclesiae. Suarez, Defens. fid. l. 1 c. 16 n. 10 ed Paris. tom. 24 p. 80: « Licet non possint certo designari termini huius amplitudinis, nihilominus dicere possumus, post sufficientem Evangelii praedicationem necessarium fuisse, Catholicam Ecclesiam habere in mundo *splendorem quendam universalem, quo posset eius dignitas et maiestas cognosci et ab haereticorum turbis discriminari* ». Cf. n. 19 p. 83.

4) *Certe non requiritur plus quam* ea catholicitas, quae in ecclesia catholica inveniebatur tempore v. g. *Augustini.* Etenim Patres eius temporis generatim in ea catholicitatem agnoscunt. Plura n. VIII.

SI EA DIFFUSIO SPECTATUR COMPARATIVE.

Assertum: Ecclesia vera diffusione sua plurimum superet necesse est societates sive haereticas sive schismaticas si spectantur singulae.

In ea periodo olim futura, quam n. IV huius theseos descripsimus, ecclesia saltem maiorem partem omnium hominum in omnibus populis in suo gremio continere videtur. Ergo evidenter ecclesia in illa periodo maior erit tum numero tum diffusione quam omnes religiones falsae simul sumptae, sive paganae illae sint sive haereticae sive schismaticae. At quaeritur, quid statuendum sit de mensura catholicitatis ecclesiae *iis temporibus, quae illam periodum praecedunt*, quam nondum advenisse evidens est.

Dicimus ecclesiam veram diffusione sua semper superaturam esse omnes haereses vel schismata. Id ita intelligimus, ut transmittamus quaestionem, num aliqua secta aliquando, spectato solo numero asseclarum, qui tamen uno in loco vel una in regione collectus nequaquam per orbem extenderetur, veram ecclesiam aequare vel superare possit. Negamus, unquam ullam sectam *tum numero tum diffusione per orbem simul sumptis* verae ecclesiae aut parem esse posse aut maiorem. Idque ponimus uti *scientifice certum.*

E Scriptura.

1) Quae Scriptura de universalitate regni Messiae habet, rationabiliter intelligi nequeunt, nisi admittatur, hoc regnum vere praedominari prae *omni alio coetu religioso per orbem forte diffuso, qui ob confessionem christianam quam prae se fert, ei similis esse videtur.* Dicitur enim illud regnum prout semper exsistit, moraliter « omnis orbis », ipse rex salutatur ut rex, cui totus mundus subditus sit: « et redemptor tuus sanctus Israel Deus omnis terrae vocabitur ». Is. 54, 5. — Iamvero tales locutiones explicari nequeunt, nisi haec una societas, hic unus rex in orbe prae aliis eiusmodi regnis praedominetur.

Sume exemplum: Si duo imperia coexstitissent inter se aequalia extensione, v. g. Romanorum atque Medorum, a nemine, qui utrumque cognovisset, unum potuisset vocari universus orbis. Ad hanc enim locutionem explicandam necesse est, unum illud regnum alia omnia tantopere superare, ut moraliter possit videri universus orbis. Maiorem enim partem saepe decenti quadam hyperbola totum vocamus. — Patet vero considerari ab hominibus tantum illud totum, quod cognoscunt,

quod considerare solent. Unde Romani suum regnum vocarunt orbem terrarum, quia orbis sibi cogniti maiorem partem occupabat. — Tali modo argumentari accepi Harent S. I., professorem in Coll. Orplace.

2) Diffusio illa regni sui per orbem cum numero magno asseclarum *promissa est Christo* uti *gloria nominis* digna vero Filio Dei et sanctissimo humani generis summo sacerdote, *digna quae sit praemium* pro praeclarissimo illo virtutis opere in passione exercito. Ergo nisi gloriam nomini Christo soli ob specialissimas rationes promissa, homini fundatori falsae sectae concedere vis, nulli unquam fundatori alicuius coetus religiosi regnum tam diffusum cum tanto asseclarum numero proprium erit. Cf. Stapleton Contr. 1 l. 2 c. 2 p. 45-8.

E ratione theologica.

Vera ecclesia Christi etiam in sua amplissima diffusione retineat necesse est *eam unitatem, quae ecclesiae verae Christi* propria est. Atqui *impossibile est*, eiusmodi unitatem *in regno tam numeroso atque in universo orbe tam late diffuso inveniri nisi illud regnum fuerit vera Christi ecclesia.* Ergo nulla secta habere potest illam universalem diffusionem, quae a Christo ecclesiae suae promissa est.

Prob. min. — Unitas illa verae ecclesiae propria, seu unitas fidei et regiminis, in tanta hominum multitudine eaque per orbem universum dispersa *effici quidem potest per eas causas, quae in ecclesia vera agunt atque ecclesiae verae homines aggregant; non vero effici potest per eas causas, quae in aliqua secta agere eique homines adiungere possunt.* Ergo.

Prob. min. — In adducendis hominibus ad eiusmodi societatem religiosam nonnisi hae causae agere possunt: *Veritas,* sive obiectiva sive apparens, qua intellectui persuadeatur, societatem illam de qua agitur vere esse talem, qualem se esse affirmat; *bona* quaedam, quibus hominum voluntates in toto orbe ad fidem atque ingressum in ecclesiam moveri debent; influxus earum *personarum*, quae talem societatem cum suis iuribus humano generi annuntiant; *gratia Dei interna,* quae lumen et robur largiatur ad ea cognoscenda et agenda, quae in hoc toto conversionis negotio cognoscenda et agenda sunt. Iamvero hae causae in sola ecclesia vera agere atque in hominibus ad solam veram ecclesiam aggregandis suam causalitatem explicare possunt, aut saltem in sola ecclesia vera atque in hominibus ad eam aggregandis ita agere possunt, ut effectum tam universalem, de quo

diximus, efficere possint. Ergo eiusmodi unitas in sola vera ecclesia cum tali universalitate consistere potest, qualem in ecclesia vera necessariam esse probavimus.

Quod ita demonstrabimus, ut *singulas causas percurrendo eos effectus, quos hae causae in vera ecclesia producere possunt, cum iis comparemus, quos in sectis efficere posse videntur.*

Rationes intellectui propositae.

Efficienda est ea *universalis in orbe persuasio*, societatem, de qua agitur, esse *a Christo institutam;* eam ab eo hanc et hanc *determinatam formam vivi magisterii* recepisse; hanc et hanc *determinatam summam veritatum* ob propositionem huius vivi magisterii credendam esse; eam societatem *ingrediendam esse*, ut deinceps eius potestati iurisdictionali, qua tum res fidei tum omnes alias res religiosas determinet, obedientia atque subiectio praestetur. Atqui eiusmodi persuasio effici quidem potest per eas rationes quae ecclesiae verae ad persuasionem efficiendam suppetunt, effici vero nequit per eas rationes, quae ad eum finem obtinendum in secta inveniri possunt.

Etenim *ecclesia vera* habet *rationes sufficientissimas*, quae omni intellectui abunde probent, ea omnia esse credenda, quae mox commemoravimus. Habet scilicet ecclesia multa atque clara, *obiective vera motiva credibilitatis* pro sua divina institutione atque pro veritate omnium doctrinarum quas sua auctoritate docendi credenda imponit.

Secta autem plane *nullam rationem obiectivam* habet, qua suam veritatem probet. Unde pro ea non remanent nisi *apparentiae veritatis.* Iamvero *eiusmodi apparentiae in toto mundo* atque in ingenti hominum multitudine *persuasionem universalem* de veritate talis sectae eiusque divinis iuribus *producere nequeunt.* Id quod e duabus rationibus patet. Prima est, quia *eiusmodi apparentia universaliter ne exsistere quidem* potest; secunda est, quia, *etsi exsisteret, efficaciam illam universalem habere nullo modo posset.*

Quoad rationem priorem. — Apparentia illa veritatis pro una determinata secta atque pro omnibus veritatibus, quas credendas proponit, necessario requirit, missionarios omnes talis sectae in toto mundo, per tale tempus quale ad praedicationem atque conversionem tum universalem in hoc ordine providentiae divinae necessarium est, *omnino unanimes esse tum in veritate suae sectae eiusque iurium asserenda tum in singulis veritatibus proponendis.* Atqui quod Suarez,

Defens. fid. l. 1 c. 17 n. 20 ed. Paris. tom. 24 col. 84 proxime ad coetus haereticorum applicat, id e paritate rationis etiam ad eos ipsos oxtendendum est, qui talem sectam annuntiant. Ait autem: non potest non fieri ut « ... qui concordiam cum Ecclesia deserunt, *inter se concordes non sint;* quod etiam (ut supra dixi) provenit ex defectu fundamenti [pro fide sua] quia *cum in credendo non nitantur regula a Deo tradita sed proprio iudicio et opinione,* necesse est, ut si aliquantulum durent vel multiplicentur, statim *in varias sectas descindantur...* ». Cf. quoque Stapleton, Contr. 1 l. 2 c. 5 Opera omn. I p. 40 ante primum alinea. — Ottiger II p. 446-8.

Quoad rationem secundam. — At etsi per impossibile supponis, eandem sectam atque easdem omnino veritates per illam vivam auctoritatem in toto mundo proponi, tamen *haeresis*, uti iterum dicit Suarez l. c. n. 19 p. 83 « *numquam potest universaliter persuaderi* tamquam vera et indubitata fides ». Etenim persuasio illa universalis non habet rationem obiectivam in natura vel origine istius coetus (neque, uti patet, in aliqua apparentia sensibili universali, e qua error ex parte oriebatur, v. g. error universalis de motu solis). Ergo *ea persuasio causam habere nequit nisi in dispositionibus subiectivis intellectus et voluntatis.* Atqui tales dispositiones praecipue consistunt in ideis philosophicis, ethicis, religiosis, quibus homines religionem novam iis propositam diiudicant, atque in inclinationibus voluntatis, quae eiusmodi ideas sequi solent. Iamvero hae ipsae dispositiones subiectivae primo *in se diversissimae sunt* secundum diversam hominum indolem naturalem atque culturam, praecipue vero *secundum illas diversissimas gentes, populos, nationes,* quae orbem terrarum incolunt. Id quod praecipue quasi ad oculos demonstrat historia religionum, quae tot fere in mundo religiones detegit, quot historia generalis detegit gentes, populos, nationes, imo potius etiam plures. Secundo *hae ipsae dispositiones subiectivae diversissimae in plurimis rebus etiam ad actum procedent.* Etenim cum de religione christiana suscipienda vel repudianda agitur, plurimae atque diversissimae veritates diiudicandae sunt, quae iis dispositionibus subiectivis prorsus opponuntur. Ergo iudicium omnino universale, quo omnino eaedem plurimae veritates religiosae, quae a secta suscipiuntur vel repudiantur, in toto orbe eadem ratione susciperentur, vel repudiarentur, neque oriri neque subsistere potest.

Id quod luce clarius est, si supponimus, praedicatores non tan-

tum motiva credibilitatis pro sua secta verum etiam singulas veritates quas proponunt, examini positivo eorum quibus praedicant submittere. Hoc autem facile eveniet, cum missionarii sectae, relicta infallibilitate ecclesiae, sibi ipsis infallibilitatem ne audeant quidem ascribere. Cf. Ottiger II p. 447. Id quod hodierni missionarii plurimi Protestantes sua ratione praedicandi confirmant. — At idem quoque valeret, si missionarii istius sectae huic suae sectae mediantibus motivis credibilitatis potestatem docendi auctoritativam divinitus datam ascribere niterentur. Etenim error universalis etiam circa tale motivum vel talia motiva credibilitatis nude in se ipsis spectata e rationibus quas iam diximus, oriri atque subsistere non posset. Crescit vero difficultas, si motiva credibilitatis spectantur in concreto, in quantum scilicet missionarii iis mediantibus auctoritatem conciliare studerent illis plurimis veritatibus christianis, quae tum intellectui tum voluntate difficillimae sunt. Etenim cum animi eorum quibus praedicant ex una parte ab illis veritatibus in se sumptis ob earum difficultatem abhorreant, cum ex alia parte illa communis ratio, ob quam credibiles apparere dicuntur, non possit rata atque firma esse, necesse sane est, ut intellectus hominum etiam circa eas ipsas veritates singulas diiudicandas secundum suas dispositiones diversissimas iterum quam maxime dissentiant. Imo etiam ex hac ratione ipsa motiva credibilitas nova bella in dies sustinebunt atque semper magis suam debilitatem ostendere cogentur.

Bona vel mala voluntatibus proposita.

Bona illa vel mala *aut religiosa sunt atque praecipue quidem aeterna, aut terrena.* Ad terrena reducuntur etiam vis et imperium principium, similia. Etenim vis et imperium in tantum agunt, in quantum bona vel mala ab iis qui iubent vel vim inferunt sperantur vel timentur. — Modus, quo bona et mala in hoc negotio conversionis hominibus applicari possunt, aut cum natura horum bonorum atque cum natura unitatis fidei et regiminis efficiendae convenit aut non. Convenit, si bona ad id adhibentur, ut voluntatem impellant, ut iubeat intellectum hominis attente considerare motiva credibilitatis iisque perspectis assensum fidei ponere; si praeterea voluntatem ad id permovent ut homo, ob hanc firmam persuasionem de veritate coetus de quo agitur, in eum ingrediatur in eoque permaneat. Non convenit, si ad id adhiberentur, ut hominem impellerent, ut sine in-

terna persuasione actum fidei eliceret atque sine persuasione de veritate coetus de quo agitur, eum, ac si divinitus institutus esset, amplecteretur atque in eum ingrederetur.

Iamvero *omnia illa bona diversique modi quibus in voluntatem agere possunt, nequaquam diffusionem sectae parem vel maiorem efficere possunt,* atque ea diffusio est, quae verae ecclesiae attribuenda est.

Etenim omnia illa bona, *in quantum adhibentur prout naturae eorum atque naturae effectus producendi convenit, primo,* activitate sua in voluntatem, quam descripsimus, *ea omnia immutata relinquunt, quae mox statuimus de impossibilitate, ut in secta omnium una atque eadem persuasio oriatur.* In quantum enim haec bona voluntatem impellunt, ut intellectui attentam considerationem motivorum credibilitatis imperet, in tantum sane id efficere nequeunt, ut aut ipsi praedicatores sectae in sua praedicatione iam unanimes vel saltem minus discordes fiant, aut illae plurimae differentiae dispositionum secundum quas diversissimae nationes, in orbe terrarum diffusae, res religiosas diiudicant, ex eorum intellectibus atque voluntatibus removeantur. In quantum autem ea bona directe ad fidem atque ad ingressum in societatem religiosam, ex interna persuasione proficiscentem, impellerent, in tantum iam supponunt, motiva credibilitatis persuasionem eandem in omnibus effecisse. Iamvero mox vidimus, id in secta locum habere non posse.

Secundo, bona religiosa in ecclesia vera multo efficacius voluntatem trahunt atque in secta. Etenim in vera ecclesia ob eius infallibilitatem et recte proponuntur et generatim secundum naturam quae iis propria est atque negotio conversionis convenit, applicantur; in secta vero utrumque semper magis deficiat necesse est. Accedit alius modus, quo apostoli et Deus se habent ad illum influxum bonorum in voluntatem, si agitur de vera ecclesia; alius, si de secta. Id quod mox videbimus.

In quantum autem bona vel mala terrena contra naturam suam atque effectus obtinendi ad id adhiberentur, ut hominem ad id impellerent, ut sine persuasione interna mere externe fidem profiteretur, ut porro sine persuasione de divina institutione coetus nihilominus in eum qua divinitus institutum ingrederetur, *in tantum nullo modo eam unitatem efficere possunt, quae ecclesiae verae propria est.* Etenim primo repugnat, quominus homines ab ecclesia vera generatim ad tale quid impellantur; in secta vero incitatio ad tale quid utique non repu-

gnat. Secundo, id quod missionarii sectae per talem applicationem bonorum temporalium obtinerent, id nullo modo esset professio eiusdem fidei externa, eaque generatim e vera fide interna procedens, sed esset *universalitas confessionis mere externae* sine ulla unitate fidei interna. Quodsi autem putares, universalitatem confessionis ex fictione procedentis distingui non posse ab universalitate confessionis procedentis ex unitate fidei internae, hoc omnino negandum esset. Etenim e moribus hominum fictio in uno vel alio casu particulari vel mea pace in aliqua regione particulari quodam restricto tempore abscondi utique potest. *Fieri vero nequit ut fictio, si in universim subsisteret, se generatim non clare atque aperte manifestaret.*

Accedit quod *aliquod bonum ordinis naturalis, quod omnes nationes summopere appetere solent, in secta insuperabilem difficultatem contra unitatem praecipue regiminis creat, in vera ecclesia autem talem non creat.*

Est autem haec difficultas in eo, quod singulae fere nationes *ab influxu caeterarum nationum in suis rebus ordinandis liberae esse volunt.* Id quod non tantum de rebus terrenis valet, verum etiam si de rebus religiosis, de fide atque actionibus, sermo est. Quae difficultas quanta sit, iam ex eo videre potes, quod ea nationum indoles in ipsa ecclesia catholica magnas turbas excitavit.

Atque haec quidem difficultas evidentissime subsistit, si assumis, *corpus regentium in illa societate ex una natione formari*, caeteris nationibus exclusis. Crescit praeterea si eam ipsam unitatem efficiendam consideras quam Christus in sua ecclesia instituit, ut scilicet omnes se deberent uni homini submittere, qui iam solus habet potestatem plenam regendi in rebus tum disciplinae tum fidei. At neque tolleretur haec difficultas, si assumis, corpus illud regentium e diversis nationibus constitui. Etenim etiam in ea suppositione verum manet, fere omnes nationes eo corpore regi, cuius fere omnia membra ad alienas nationes pertinent.

In vera ecclesia haec difficultas certe superatur, cum Deus unitatem et universalitatem ecclesiae suae absolute promiserit. Superatur vero tum eo, quod ii qui ecclesiae se aggregare volunt atque ecclesiae filii clare *vident, hanc ecclesiae unitatem a Deo ipso esse volitam;* tum ex eo, quod *gratia divina speciale robur dat*, ut haec tanta difficultas voluntates ab officio suo implendo non removeat. In hominibus au-

tem ad sectam aggregandis hae causae agere nequeunt. — Cf. de hoc argumento Wilmers, De religione revelata thesis 137 integra; Billot, qu. 5 § 2 p. 239.

Homines qui societatem illam religiosam annuntiant.

Influxus eorum *diversus* esse potest. Quemcumque autem influxum exercent, is certe *in secta impar erit* ad eum effectum, ut eius universalitatem efficiat; *in ecclesia vera* autem plurimum *ad eam late propugnandam conferet.*

Missionarii eius societatis de qua agitur, possunt *motiva credibilitatis et ipsas veritates credendas proponere.* — At primo, hic influxus ad eum *reducitur*, qui in ipsa obiectiva veritate talium motivorum vel in apparentia veritatis situs est. Unde cf. ea quae de hac re diximus. Secundo, etsi admittis multos homines bonae fidei inter missionarios alicuius sectae inveniri, tamen ob sanctitatem verae ecclesiae generatim *in ecclesia vera multo maior fervor in docenda veritate divina invenietur.*

In quantum missionarii virtutibus praediti sunt, *ipsi perfectionibus sibi inhaerentibus sive partem quandam alicuius motivi credibilitatis sive integrum aliquod motivum credibilitatis formare possunt.* Considera v. g. illud motivum credibilitatis, quod in auctoritate humana consistit, vel illud, quod in miraculo morali situm est. — At primo, etiam hic influxus ad influxum motivorum credibilitatis *reducitur.* Quare v. quae mox diximus. Deinde impossibile est, talem auctoritatem humanam haberi pro secta, qualis habetur pro vera ecclesia; impossibile est, ullum miraculum morale ad sectam probandam vere relatum esse; *impossibile est, missionarios verae ecclesiae in genere non plurimum superare mores missionariorum sectae.*

Missionarii praeterea ostendere possunt, *quae bona cum fide et ingressu in societatem religiosam coniuncta sint.* — At primo hic influxus ad eum *reducitur*, qui est ipsorum bonorum, quae influere dicuntur, atque proinde iudicandus est secundum ea quae mox disputavimus. Secundo *bona coelestia atque religiosa*, quae ex natura sua in hoc negotio principalia sunt, ob sanctitatem ecclesiae *multo maiore fervore inculcantur a missionariis verae ecclesiae quam a missionariis sectae.* Bona vero terrena ratione illegitima urgere generatim ecclesia non potest, secta utique potest. At iam vidimus, ea ratione fidei verae unitatem effici non posse.

Possunt tandem missionarii atque generatim membra hierarchiae disciplina *catechumenos apte ad baptismum praeparare*, *baptizatos* tum sanctis institutis tum sanctae vitae exemplo *apte ad fines ab ecclesia intentos dirigere*. At primo haec omnia ut cum fructu fiant, *iam supponunt persuasionem* de legitimitate societatis, de qua agitur. Secundo ob sanctitatem ecclesiae *haec omnia*, ut minimum dicamus *multo melius fiunt in ecclesia vera quam in aliqua secta*.

Gratia Dei interna.

Gratia Dei interna tum lucem internam intellectui confert ut homines iudicium credibilitatis et fidem in veritates *prout a magisterio ecclesiae verae praedicantur*, concipiant, deinde ecclesiam *veram* ingrediantur atque in ea permaneant. Nullo autem modo gratia divina ad id trahere potest, ut motivum credibilitatis et fidem *in sectam* atque in veritates *uti ab ea praedicatas* concipiant, ut porro sectam ingrediantur atque in ea permaneant.

E theologis.

Theologi plurimi hanc sententiam, eamque quantum videre possum uti certam docent. Cf. v. g. *Stapleton*, Controv., Controv. 1 qu. 4 a. 3, item Relectio Scholastica, contr. 1 qu. 3 a. 3. — *Suarez*, Defens. fid. l. 1 c. 16 n. 19-24, ed. Paris. tom. 24 p. 83-5. — *Billuart*, De reg. fid. diss. 3 a. 4 § 2 n. 3. — *Murray* II p. 69-71. — *Hurter* th. 60 in ipsa enuntiatione theseos. — *De Groot* qu. 5 art. 4 II p. 173. — *Wilmers* n. 333 p. 353-4. — *Mazzella*[2] n. 701 p. 545. — *Tepe* p. 342. — *Mendive* p. 160 Scholion. — *Billot* th. 7 § 2 p. 237. — *Ottiger* II p. 445-7 « si non plane certum, maxime tamen probabile ». — *De San* n. 163-6 p. 122-5.

VIII. Ea diffusio, quae ecclesiae verae propria est, in ea inveniatur oportet inde ab eo tempore, quo inter gentes annuntiabatur.

Ecclesiae *catholicitas facti minime* ascribenda est *inde a primo momento eius exsistentiae*. Etenim Dominus *vetuit*, apostolos *primis annis extra fines Palaestinae praedicare*. Iamvero ecclesia per apostolos propaganda erat. Ergo Iesus catholicitatem facti, quae etiam eo tempore ecclesiae suae inhaereret, mente sua non concepit. Ergo tantum id quaeri potest, utrum catholicitas facti statim a praedicatione evangelii in orbe ecclesiae ascribenda sit, an nonnisi posteriore

quodam tempore. Rationes, cur priorem sententiam sequamur, hae sunt :

1) *E Scriptura et ratione theologica.* — Primo, certe catholicitas illa *relativa,* quam mox descripsimus, nunquam verae ecclesiae deesse potest. Etenim et e natura rei et aliunde vidimus, nullam sectam unquam tum numero tum diffusione simul sumptis veram ecclesiam aut aequare aut superare posse.

Secundo, at res non ita concipi potest, ac si ecclesiae in orbe diffusae initio deesse potuerit numerus *absolutus* consideratione dignus, dummodo numerus asseclarum sectae etiam minor fuerit. Etenim eae quoque rationes, quas antea pro fructu *Christo vere digno* attulimus, universales sunt, haustae e natura rei, non vero e consideratione certi cuiusdam temporis. Patet autem, numerum in se considerabilem *dimetiendum esse secundum difficultatem operis*, quod complendum est. Unde certe adest, si talis numerus habetur, qualis spectatis circumstantiis omnibus, quae conversioni obstant, magnum miraculum morale aestimatur.

Age nunc, *iam ipsi apostoli* in universum mundum exierunt ; iam iis praedicantibus eiusmodi numerus credidit, ut S. Paulus Colossensibus 1, 6 scribere posset: evangelium « in universo mundo est et fructificat et crescit sicut in vobis ». Unde *nulla videtur esse ratio, cur ea universalitas actualis*, quae verae ecclesiae propria est, *ipsi aevo apostolico negetur.*

2) *Patres* ideo id quod diximus *confirmare* videntur, quia iam inde ab initio saeculi secundi ecclesiam ob ipsam eius actualem diffusionem catholicam dicunt.

S. Ignatius ep. ad Smyrn. c. 8 ed. Funk I [2] p. 283 : « Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo erit, quemadmodum, ubi fuerit Christus, ibi catholica est Ecclesia ». Hoc textu, in quo primo vox « catholica » ad Ecclesiam applicatur, « *ecclesiis singulis universa ecclesia opponitur* ». Ita recte Funk l. c. Unde sicut in priore membro textus ecclesia singularis cum sua actuali multitudine exhibetur, ita in secundo membro ecclesia tota cum sua actuali diffusione intelligenda est. Ergo ecclesia uti actu diffusa est, dicitur catholica. — Aliunde quoque scimus, S. Ignatium iam suo tempore diffusionem ecclesiae usque ad terminos orbis terrae statuisse. Ait enim Ephes. 3, 2 : « *episcopi per tractus terrae constituti* » *κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες,* quam expressionem Funk ad l. p. 217 ita explicat : « episcopi

in partibus extremis vel in orbe universo ». Quae explicatio etiam eruitur ex S. Ignatii ep. ad Rom. c. 6: « Praestat mihi in Iesu Christo mori quam finibus terrae (*τῶν περάτων τῆς γῆς*) imperare », ib. p. 259.

In martyrio S. Polycarpi c. 8 n. 1 ib. p. 321, 323 legitur: « Cum autem (S. Polycarpus) precationem tandem finiisset, in qua mentionem fecerat omnium, qui aliquando cum ipso versati fuerant, parvorum quidem et magnorum, clarorum et obscurorum *totiusque per orbem terrarum catholicae ecclesiae...* ». In hoc textu primo terminus « catholica » sane idem significat atque expressio « tota per orbem terrae »; secundo haec diffusio per orbem concipitur ut actualis, cum in eadem linea ponatur atque illi magni et parvi, clari et obscuri, qui omnes, prouti actu exsistebant obiectum orationis Sancti Martyris formare dicuntur. — Saeculo tertio synodus contra Paulum Samosatenum collecta decretum suum mittit « Dionysio et Maximo... et *universae ecclesiae catholicae, quae sub coelo est* ». — S. Fructuosus Martyr († 259) hoc effatus est: « In mente me habere necesse est *Ecclesiam catholicam ab oriente usque in occidentem diffusam* ». — *Pastor Hermae* l. 3 simil. 9 c. 17 n. 3 ed. Funk[2] p. 611: « *Omnes gentes, quae sub coelo habitant, postquam audierunt...* ». Quibus ecclesiam formari eodem in loco n. 4 edicit. — *S. Irenaeus* adv. haer. l. 1 c. 10 n. 1 MG 7, 350: « *Ecclesia per universum orbem usque ad terminos terrae disseminata...* ». Item n. 2 — *Tertullianus,* contra Marcion. l. 5 c. 19 ML 2, 519 haeretico haec opponit: « ... si iam tunc (tempore apostolorum) traditio ubique manaverat, quanto magis nunc! Porro si nostra (traditio) est, quae ubique manavit, magis quam omnis haeretica..., nostra erit apostolica... Eam enim et sic constabit esse, quae *prior mundum replevit...* ». — Textus de aetate Patrum posteriore cf. p. 247, 252.

3) *Theologi* quidam actualem diffusionem ob efficax auxilium divinum in ecclesia inveniendum nonnisi inde a saeculo quarto vel quinto repetere videntur. At forte plures illam iam tempori anteriori ascribunt.

Appono quaedam iudicia theologorum. — *Bellarminus,* De eccl. mil. l. 4 c. 7 ed. Ingolst. col. 1311: « tempore apostolorum in toto mundo fructificare coepit,... tempore Irenaei erat sparsa per totum orbem ». — *Suarez,* Defens. fid. l. 1 c. 16 n. 9 eam diffusionem videri ecclesiae ascribendam iam saeculo 2°, certe autem saltem saeculo 5°. — *Murray* II p. 62: « summe probabile et fere certum » esse, eam locum

habuisse iam tempore apostolorum, at « saltem medio et labente » saeculo 2°. — *Hurter*[12] p. 309: « iam saeculo 3° ». — *Mazzella* n. 698 Suarez sequitur. — *Wilmers* prop. 92 II censet, ecclesiam adultam fuisse sub Constantino; cf. tamen prop. 96. — *Mendive* n. 141 putat, quodam modo imperfecto hanc catholicitatem adfuisse tempore apostolorum, simpliciter vero tempore Augustini. — *Billot* q. 5 § 2 p. 225 eam inde a praedicatione universali apostolorum statuit. — *Ottiger* p. 450: ecclesia « non solum relativa, sed pro temporum ratione etiam absoluta fere catholicitate tribus primis iam saeculis poliebat ».

Nota. — Uti postea videbimus, pro *nota* catholicitatis statuenda atque probanda nihil inde pendet, utrum actualem catholicitatem ecclesiae pleno sensu iam primo an secundo saeculo, an v. g. tantum tempori S. Augustini attribuas.

Propositio. Immerito multi pervertere nitebantur eam notionem catholicitatis ecclesiae, quam e sacra Scriptura ut proprietatem verae ecclesiae deduximus.

Generatim *sectae et nomen et aliquam notionem catholicitatis ecclesiae verae* Christi tribuebant.

Iam *antiquitus*, teste Augustino, De utilit. cred. n. 19 ML 42, 78 omnes sectae « catholicum nomen ambibant », Christiani « omnes se volunt catholicos videri ».

Idem erat modus agendi *Protestantium* isque diversarum partium inter eos.

Catholicam esse ecclesiam declarat *Confessio helvetica* n. 14, ed. H. A. Niemeyer, Coll. Confes. in ecclesiis reformatis publicatarum, Lipsiae 1840 p. 109. — Conf. *scotica* n. 16, ib. p. 349. — Conf. *belgica*, art. 27, ib. p. 379. — Item *Apologia Confessionis Augustanae* art. VII et VIII n. 10, ed. I. T. Müller, Die symbolischen Bücher der evangelisch.-Luther. Kirche[3] 1900 p. 153, quamvis ipsa Apologia Augustana vocem omiserit, ib. p. 40. — Ecclesia *Anglicana* in suis articulis 39 quidem catholicitatem ecclesiae non nominat, at tum ex symbolis, quibus utitur, tum ex liturgia eius mens evidenter patet. Cf. William Palmer, A Treatise on the Church of Christ[3] Part. I v. I London 1842 c. 7 p. 123.

Neque *Graeci* aliter procedunt, uti e locis quos mox afferemus, patet.

At omnes sive hoc sive illo modo illam *notionem catholicitatis pervertunt*, quam e fontibus revelationis hausimus.

Quidam ad unam ex illis speciebus catholicitatis improprie talis confugerunt, quae nullam relationem ad diffusionem sive iuris sive facti dicit.

Ita Rogatista Vincentius suam sectam catholicam dixit « ex observatione praeceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum ». Cf. S. Augustinus ep. 93 ad Vincentium c. 7 n. 23 Mt. 33, 333.

Quidam *diffusionem iuris* vel efficaciae *retinent*, diffusionem autem *actualem* e notione catholicitatis *exsulare volunt.*

Ita v. g. Otto Kirn, Grundriss der evangelischen Dogmatik, [2] Leipzig 1907 actualem diffusionem non requirit. « Catholica dicitur ecclesia non ob eius empiricam amplitudinem sed ob eius universalem destinationem pro genere humano ». Atque iam olim praecipuus Protestantium auctor dogmaticus Ioan. Gerhard. Loci theologici, locus 21 s. 4 n. 183 ed. 2 tom. V Berolini 1867 p. 426, diffusione iuris concessa docuerat, ipsam actualem amplitudinem esse « dumtaxat accidens quoddam ecclesiae, non quidem proprium et perpetuum, sed mutabile et separabile ».

Plurimi diffusionem quidem actualem admittunt, at eam *non verae ecclesiae* Christi ascribunt, quae e fontibus revelationis noscitur, sed tali ecclesiae, qualis in fontibus revelationis rationem non habet. Ascribunt autem diffusionem actualem aut *ecclesiae invisibili* inter omnes gentes exsistenti, aut eiusmodi sic dictae *ecclesiae, in qua non haberetur ea unitas fidei et regiminis* quam Christus in sua ecclesia instituit.

Ecclesiae *invisibili* « electorum » diffusionem attribuit v. g. Conf. scotica c. 16 atque recentissime J. Kaftan, Dogmatik [4] 1901 p. 593.

Ecclesiae cuidam vagae, *sine debita unitate fidei et regiminis* universalitatem ascribit cum *plurimis* aliis *Protestantibus* v. g. Karl Hase, Handbuch der protest. Polemik [7] 1900 p. 10-2, qui solam consensionem « in quadam brevi summa fidei » pro illa ecclesia postulat. Idem re etiam ii Anglicani statuunt, qui cum Palmer o. c. c. 7 p. 118-31 ecclesiam illam, quam catholicam habent, compositam dicunt e diversis communitatibus inter se independentibus, uti sunt ecclesia Romana, Graeca, Anglicana. — *Graeci* quoque universalitatem ecclesiae Christi, eiusque visibilis, agnoscunt. At in notionem ecclesiae ita diffusae solam unitatem fidei materialiter sumptam sine unitate fidei formali atque sine unitate regiminis admittunt. Ita « Orthodoxa Confessio catholicae atque apostolicae Ecclesiae orientalis » I qu. 84 ad finem, ed. graeca Michalcescu in libro: *Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας*, Die Bekenntnisse u. die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-orientalischen Kirche, Leipzig 1904 p. 64, de ecclesia particulari Hierosolymitana hoc habet: « catholica evasit, quia omnes gentes fidem illius atque doctrinam susceperunt ». Simili ratione catechismus

metropolitae Philareti, quem sacra synodus Petropolitana approbavit, ad art. 9 symboli haec habet: « Cur ecclesia vocatur universalis seu quod idem est, catholica vel oecumenica? Quia ad nullum locum, tempus, populum restricta est, sed vere fideles omnium regionum, temporum, locorum in se complectitur ». Ed. germ. Blumenthal, Frankfurt 1872 p. 340.

Quidam ad id processerunt, ut ipsam *paucitatem asseclarum* uti *proprietatem* verae ecclesiae proponerent. Ad quod utique quasi invitabantur statu haeresis suae. *Rationes* quas adducunt praecipue *exegeticae* sunt, e quibusdam locis ex parte obscurioribus Scripturae haustae. Eas quae principaliores esse videntur proferemus.

Ita videtur sensisse *Cresconius*, ad quem S. Augustinus. Contra Cresconium l. 3 c. 66 n. 75 ML 43, 537 scribit: « In paucis, inquis, frequenter est veritas; errare multorum est ». Idem de omnibus sectis insinuat, Contra adv. leg. et proph. l. 2 c. 12 n. 42 ML 42, 664.

Protestantes qui ita egerint, refert Stapleton, De Contr., Controv. I l. 4 c. 15. Oper. omn. Paris 1620 p. 142-3. Qui simul difficultates eorum affert atque solvit.

Ob. 1) — Ecclesiastae 1, 15 legitur: « Perversi difficile corriguntur et *stultorum infinitus est numerus* ». E quo textu deducitur, religionem veram semper nonnisi paucorum fore.

R. — *a)* Textus hebraicus aliud habet: « Nec quae prava sunt corrigi possunt, *nec quae deficiunt ad numeros suos redigi* (numerari) ». Sensus autem quis sit, sume e Gietmann, Comm. in Ecclesiasten et Cant. Cant., Cursus Script. sacr., Paris. 1890 p. 99: « Si quid Deus », inquit « pravum (curvum) vel fecit vel permisit, si quem passus est in mundo esse vel naevum vel defectum, quis potest rectum e transverso facere; quis id, quod nihil est, quasi sit aliquid, digitis computare? Hoc poeticum simile est vel *proverbium, quo acriter depingitur studiorum nostrorum inanitas*, non sine concitati affectus exaggeratione aliqua; sed si prudenter, quid velit scriptor, attenderis, verissime. In nullo enim negotio aut conatu non sentit homo saepissime, angustis terminis suam vel potentiam vel scientiam circumscribi, temporum locorumque iniquitate coepta retardari atque opprimi, quadam quasi fati necessitate humana omnia ad celerem vergere interitum, denique saeculorum fructum vix apparere. Quamvis enim gloriari soleamus generis humani progressione perpetua, nonne frequenter ipsi fatemur, cum omnia aequo animo circumspicimus, detrimenta temporis cum emolumentis vix aequari? ».

b) Textus vulg. si sumitur, premitur, esse, qui destituti sint « *vera prudentia (practica)* sanoque mentis iudicio », eiusque generis homines in ipso quoque populo electo inveniri, qui tamen veram profitebatur religionem. Cf. Corn. a Lapide ad v. ed. Venet. 1761 tom. 4 p. 48-49 E.

Ob. 2) — Lc. 12, 32 dicitur: « Nolite timere *pusillus grex,* quia complacuit patri vestro dare vobis regnum ». Ergo qui regnum Dei, ecclesiam, possidebunt, semper erunt pauci.

R. — Sermo est de ecclesia futura atque numero asseclarum eius, n.; *de numero eorum, qui tempore Christi regnum Dei in eo statu quo tunc erat, possidebant,* c. — Knabenbauer ad l. Lc.[2] p. 396: Gregem « pusillum vocat, quia pauci sunt et apud homines abiecti et debiles habentur. Cum itaque Deus tanta benevolentia iis regnum disposuerit,... omnem metum inopiae rerum terrenarum excutere debent... ».

Ob. 3) — Mt. 20, 16 scriptum est: « Multi enim sunt vocati, *pauci vero electi* ». Idem versus invenitur Mt. 22, 14. Ergo pauci electi gratiam efficacem accepturi sunt, qua se verae ecclesiae aggregent.

R. — N. hunc esse sensum. 1) *Loci hi* et ob ipsam rem contentam, et teste historia exegeseos, sat sunt *obscuri.* E quibus contra argumentationem certam, aliunde probatum, argumentatio admitti nequit. 2) *Nullum argumentum afferri potest, agi de ea electione,* qua generatim homines eam gratiam efficacem accepturi sint, *ut ecclesiae verae aggregentur.*

Quis vero sit sensus huius versus per se transmitti posset. Videntur autem haec dicenda esse:

a) Quoad Mt. 22, 14. — Verba ea inveniuntur in fine parabolae de invitatis ad nuptias, quae parabola de reprobatione populi Israelitici atque de electione gentium agit. Unde verba ista «... pertinent ad id, quod in parabola potissimum spectatur, *Iudaeos vocari quidem, at maximam partem non sequi,* eos itaque a Deo non eligi, sed reiici, illis autem praeferri gentiles ». Knabenbauer ad l.[2] II 253. — Multi quidem verba de electione omnium hominum ad gloriam coelestem interpretantur. Si hac ratione explicantur, patet, ea thesi nostrae non adversari, cum aliud sit ecclesiam esse diffusam per orbem, aliud ex ecclesia per orbem diffusa (et caeteris hominibus) sive multos, sive relative paucos gloriam aeternam adipisci. De variis explicationibus cf. ib. p. 253-5.

b) Quoad Mt. 20, 16. — Eadem verba hoc loco finem imponunt parabolae de diverso tempore magis vel minus diuturno, quo operarii in vinea laborant, qui tamen omnes nonnisi eandem mercedem, unum denarium accipiunt. Quo in loco verba hunc sensum fundere videntur: « Uti particula ' enim ' indicatur, ratio redditur, vel affertur confirmatio quaedam, cur novissimi evadant primi et primi fiant novissimi. Haec ratio autem in eo est, quia *multi quidem vocantur gratiis ordinariis, quibus ex sua parte non pro virili respondent, pauci vero ad gratias omnino sublimes, quibus egregie cooperantur, pro Dei liberali consilio eliguntur* ». Knabenbauer ad l.[2] II p. 184. — Sunt utique qui solutionem faciliorem proponunt. Haud pauci enim putant, verba ista hoc loco Mt. 20, 16 non esse genuina, sed e Mt. 22, 14 huc irrepsisse. At haec sententia admittenda non est. Cf. ib. p. 184.

Ob. 4) — Mt. 7, 14 Dominus docet: « *Quam angusta porta* et arcta via est, quae ducit ad vitam, et *pauci sunt qui inveniunt eam* ». Quae porta videtur esse ecclesia; ergo pauci ei aggregantur.

R. — N. portam esse ecclesiam. « Docet Christus: Si vis ad vitam ingredi, serva *mandata. Ipsa ergo sunt via et porta angusta*, sed per integram custodiam mandatorum Dei difficile est homini carnali ambulare (Salmeron), et quot putas ex toto genere humano constanter in ea via ingrediuntur? nonne pauci sunt? Plurimis proderit poenitentia seria ». Knabenbauer. ad l. p. 308.

Ob. 5) — Lc. 18, 8 Dominus monet: « Verumtamen *filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* ». Ergo paucissimi erunt verae ecclesiae asseclae, quando Christus veniet ad iudicandum orbem.

R. — 1) *Sententiae plurimae* sunt de sensu huius textus. Unde valet principium, e loco obscurissimo contra rem claram argui non posse. — 2) *Praecipuae* diversae sententiae hae fere enumerari possunt:

a) Agitur *de adventu Christi* ad puniendam *Ierusalem destructione urbis.* Terra est Palaestina. Ita v. g. Passaglia, de eccl. Christi v. I Ratisbonae 1853 l. 2 n. 73 p. 140.

b) Agitur quidem *de Christi secundo adventu.* At nihil dicitur, quod huic thesi ulla ratione sit contrarium.

a) Ut praetermittamus eos, qui putant tantum interrogationem a Domino proponi, at eum ne insinuare quidem se exspectare responsionem negativam, sunt qui arbitrentur, eum loqui de *fide*, quae

montes transferat, ergo de ea quae dicitur *miraculorum*. Huiusmodi autem fidem raram utique esse. Ita S. Augustinus c. Gaudentium l. 2, c. 6 ML. 43, 745.

β) Sunt qui autument, sermonem esse *de fide, quae minus per caritatem operetur, vel de multitudine pravorum* ultimis istis temporibus, qui vitam gerant, quae cum fide parum conveniat. Ita idem Augustinus, De unit. eccl. c. 15 n. 38 ML 43, 419-20.

γ) Sunt plurimi qui putent, revera hic praedici idem quod fere 2 Thess. 2, 3 sq. (cf. 2 Petr. 3, 3); Apoc. c. 13. Scilicet Antichristi persecutione « maiorem fortasse fidelium partem a Christo defecturam esse », Suarez, de myster. vitae Christi dist. 54, sect. 6; « fideles maiore ex parte confluxuros esse ad adorandam imaginem bestiae », Gotti, tom. 3 tract. 15 qu. 1 dist. 5 § 3 n. 17. Similiter alii. — Ut haec sententia generatim admitti possit, ita explicanda est, ut *ea catholicitas absoluta et relativa quam thesi descripsimus* non desinat esse vera nota ecclesiae. Probabimus enim, ei rationem notae revera convenire. Unde addendum est, quod sapienter notat Murray I disp. 4 sect. 3 n. 37 III p. 238: « Posito quod textus obiecti interpretandi sunt de deminutione ecclesiae (de totali enim eius defectione eos non posse intelligi iam vidimus), quoniam tempus huius deminutionis definitum est, scilicet sub persecutione Antichristi; et quoniam ad tempus hoc luctuosum, cum venerit, dignoscendum iis, qui tunc vivent, tot tantaque dabuntur signa Matth. XXIV; Luc. XXI; et quoniam nullibi in verbo Dei ne minimum existit indicium deminutionis ante illud tempus eventurae, sed multa in contrarium: *ergo ante illam deminutionem in fine mundi, alia non erit* ».

Ob. 7) — Isaias 53. 1 conqueritur: « *Quis credidit auditui* (nuntio) *nostro?* » Verba inveniuntur initio prophetiae de Messiae perpessionibus. Vide eventum vaticinii in verbis Pauli ad Rom. 10, 16: « Sed non omnes (i. e. per litoten, *paucissimi) obediunt evangelio* », i. e. credent evangelio, unde S. Paulus etiam verba Isaiae adducit.

R. — Apud Isaiam sermo est *de paucitate Iudaeorum, qui in praedicatione de perpessionibus Christi scandalum non sint sumpturi.* Id quod primo unice contextui proximo congruit. Nam in versibus sequentibus propheta nomine populi Israelitici loquitur, et versus 53, 1 oppositionem ad gentiles Messiam reverentes exprimit. Secundo, hoc congruit cum testimoniis aliis prophetarum, qui saepius paucos ex

Israel credituros multis creditur is ex gentibus opponunt. Cf. Knabenbauer, Comment. in Isaiam II 1887, p. 295-7. — Eo sensu quem diximus, S. Paulum allegare haec verba v. Cornely, Comm. in ep. ad Rom. 1896 p. 546. Ubi attendendum est, in graeco non haberi « obediunt », sed obediverunt. S. Paulus non statuit legem, quae etiam pro ethnicis valeret, sed dolens extollit factum, quod in Iudaeis sui temporis locum habuit.

DE SANCTITATE ECCLESIAE

In quantum est proprietas.

Notio. — Sanctitas *primario est coniunctio alicuius personae cum Deo ut fine ultimo*, vi cuius coniunctionis ea est obiectum caritatis divinae. Potest quis autem esse coniunctus cum Deo per *substantiam*, per *habitum*, per *actum*. Per substantiam cum Deo coniungitur Iesus Christus, quia eius humana natura hypostatice cum persona Verbi divini unitur. Per habitum gratiae sanctificantis et aliarum virtutum uti Christus ita multi alii cum Deo uniuntur, etiam ii baptizati, qui adhuc usu rationis carent. Per actus soli adulti cum Deo uniri possunt. — Haec sanctitas quae primaria est in ordine sanctitatis, aut *simpliciter* talis est aut secundum quid. Simpliciter talis est, si coniunctio cum Deo simpliciter talis habetur, scilicet per actum (qui secum fert habitum) *caritatis; secundum quid*, si homo cum Deo coniungitur solum per *actus* (et habitus) minoris perfectionis, uti per actus fidei, poenitentiae etc., qui a perfectione coniunctionis per caritatem deficiunt.

Sanctitas *secundario* et per analogiam dicitur *de rebus et personis, in quantum scilicet ad eam sanctitatem, quam mox diximus, referuntur*. Ita *res* dicuntur sanctae, in quantum applicatae sunt ad sanctitatem inter homines efficiendam. V. g. sacramenta sancta dicuntur, quia conferunt habitum sanctitatis; doctrinae et leges, in quantum aptae sunt ad sanctos mores formandos; vasa, templa etc., in quantum ad cultum divinum ab hominibus exercendum destinatae sunt. — *Personae* vero hac ratione sanctae dicuntur, in quantum v. g. ad cultum divinum destinatae sunt, uti omnes Christiani vi characteris baptismalis; vel in quantum munus habent ut v. g. sacra hominibus dispensent. — De notione santitatis cf. 2, 2, qu. 81 a. 8. — Turrecremata l. 1 c. 9 p. 18-20. — Bañez in 2, 2, q. 1 a. 10 Secunda conclusio, ed. Venet. 1587 col. 313-26. — Stentrup, Christologia thesis 77 II p. 1224-35. — Pesch IV n. 276-80.

Ecclesiam sanctam esse patet evidentissime e Scriptura. Is. 62, 3: « Et vocabunt eos ' Populus sanctus, redempti a Domino ' ». 1 Petr. 2, 9: « Vos autem gens sancta ». E traditione hoc unum sufficiat, quod haec proprietas in symbolo exprimitur.

At quaeritur de sanctitate ecclesiae accurate determinanda. — Quaeritur scilicet, quae sint *rationes diversae*, ob quas ecclesia sancta vocetur, praeterea *quo modo eae quasi species sanctitatis*, quas ecclesiae ascribimus, atque praecipue sanctitas membrorum, *determinandae* sint.

Divisio. — Prius breviter absolvimus ea, quae de sanctitate ecclesiae dicenda sunt, si *sanctitas secundaria ratione praedicatur;* haec enim post ea quae usque nunc docuimus, evidentia sunt. Est autem ea sanctitas auctoris, finis, mediorum ad finem. Deinde fusius ea tractabimus, quae de *sanctitate morum* in membris dicenda sunt, quae sanctitas, uti vidimus, *primario* talis est. Consistit autem ea in speciali atque postea accuratius determinanda mensura fidei miraculorum, sanctitatis heroicae, cumuli actionum bonarum.

CAPUT I. De sanctitate ratione auctoris, finis, mediorum, cuiusdam membrorum consecrationis.

Assertio Ecclesiae essentialiter sancta est auctore, fine, mediis, quadam membrorum consecratione.

Adversarii. — *Protestantes orthodoxi* concedere solent, ecclesiam sanctam esse auctore atque fine saltem ultimo. Si vero sanctitas mediorum consideratur, putant ecclesiam *in ea perfectione, in qua quasi e manibus Christi* prodiit, omnino *sanctam fuisse* atque proinde eam, si semper talis remansisset, sine dubio semper sanctam futuram fuisse. *Negant autem, ecclesiam hanc suam sanctitatem retinuisse.* Tempus vero, in quo depravatio sanctitatis mediorum initium sumpserit, non eodem modo semper determinarunt. Hodie sat communiter *in ipso tempore apostolico germina depravationis* detegunt.

Protestantes liberales atque Rationalistae omnem sanctitatem ab ecclesia auferunt. Etenim neque in ipso Christo omnimodam sanctitatem morum atque doctrinarum admittunt. V. g. accomodationem ad doctrinas haud rectas populi, doctrinam de fuga immoderata rerum huius mundi etc. in Christo statuere non verentur.

Expl. terminorum. — Intelligimus non tantum quasdam partes e fine vel e mediis ecclesiae sanctas esse, *sed omnino nihil non sancti* in iis inveniri. — Affirmamus porro hoc non tantum valere de ecclesia, prouti a Christo primo instituta erat, sed prouti *per omnia saecula* exstitura est; imo dicimus hanc sanctitatem *vi intrinseci principii* semper necessario in ea inveniendam esse.

Modus argumentationis in eo erit, ut ea quae hac thesi statuuntur, *ut consectaria quaedam e thesibus antea probatis* deducamus.

Sanctitas auctoris. — Ipse *Iesus* immediate ecclesiam *fundavit.* Cf. prop. p. 201-8. Atqui is sane sanctissimus erat. Ergo ecclesia sancta est *ratione auctoris.* — Adiungi potest, etiam *propagatores primos* ecclesiae ei specialem sanctitatem conferre, quippe qui fuerint apostoli, quorum sanctitatem tota retro sacra antiquitas celebrat.

Sanctitas finis. — *Finis ecclesiae* est is, quem propositionibus diversis p. 209-30 exhibuimus. Scilicet finis pro membris hic in terra obtinendus consistit immediate *in exercitio religionis christianae*, mediate in *sanctitate et perfectione animarum;* finis vero in coelis adipiscendus in ipsa *visione beatifica* situs est. Finis pro Christo est, ut sibi *gloriam nominis* acquirat atque in hierarchia ecclesiastica *medium* instituat, *quo redemptionem generi humano applicet.* Finis *pro Deo est specialis eius gloria.* Iamvero ex una parte evidens est, in his omnibus finibus, prouti a Christo instituti erant, *nihil non sancti* inveniri. Ex alia parte ex ipsa perpetua assistentia Christi patet, ecclesiam *semper* hos fines sibi praestituere. Tandem hanc *assistentiam* Christus ecclesiae *ideo* dat, quia *est ea societas quam loco sui humano generi reliquit.* Ergo ecclesia ob naturam suam semper sancta erit sanctitate finis.

Sanctitas mediorum. — *Media* seu principia, quibus ecclesia finem suum prosequitur, sunt sacramenta cum sacramentalibus atque sacrificium missae; doctrinae tum revelatae tum eae quae cum revelatis connexae sunt; leges tum divinae tum ecclesiasticae, quae ad diversissimas materias applicantur; regimen, partim divinitus partim auctoritate ecclesiae institutum; gratiae internae, quas ipse Christus uti caput ecclesiae animis dat. Iamvero ipsae gratiae internae certe nonnisi sanctae sunt. Caetera vero omnia, quae commemoravimus, aut *ab ipso Deo revelata atque instituta* atque ut fide divina credenda ab ecclesia proposita sunt, aut *a sola ecclesia sive instituta sive ob connexionem cum revelatis* ut assensu irrevocabili tenenda *proposita* sunt. Atqui primum genus veritatum atque institutionum sane prout a Deo processit nihil non sancti continebat, ob infallibilitatem ecclesiae vero eae veritates atque institutiones neque minui neque augeri neque mutari possunt. Ergo necessario sanctae permanent. Neque aliud de secundo genere veritatum atque institutionum dicendum est. Probavimus enim, ecclesiam etiam in hoc genere veritatum et

institutionum infallibilem esse. Si autem eae ex una parte ad mores pertinent, ex alia parte infallibilem veritatem continent, ergo ad mores sanctos formandos non aptae esse non possunt.

Sanctitas membrorum, in quantum interim a moribus eorum abstrahimus. — *In membris* quoque ecclesiae, *etsi ab eorum moribus interim abstrahitur*, quaedam sanctitas inveniatur necesse est. Etenim primo *omnes Christiani vi characteris baptismalis* ad cultum divinum, idque intrinseca quadam conformatione cum Christo sacerdote, destinata sunt. Deinde *externa professione fidei atque submissione sub sancto regimine ecclesiae*, externa quoque *cultus catholici frequentatione*, quaedam vincula in se habent, quae per se sancta sunt, quae ampliore ratione cum societate sancta coniungunt, quae denique, uti videbimus, etiam ad id valent ut quemdam sanctum effectum etiam in iis excitent, qui interne ab ecclesia se forte seiunxerunt.

Saltem principaliter ob hanc sanctitatem, quae per se a singulorum moribus abstrahit, Christiani olim *ab apostolis* in ipsis inscriptionibus epistolarum atque generatim in vita cotidiana *sancti* dicebantur. Cf. Rom. 1, 7 S. Paulus « vocatis sanctis », i. e. iis qui vocatione sancti sunt, epistulam destinat. « Neque enim ad singulorum mores conscientiaeque statum in hac appelatione attendit, sed id beneficium considerat, quod baptismo.... divino servitio consecrati sunt... ». Cornely ad l. p. 51-2. Cf. 1 Cor. 1, 2, 30; 6, 11. Caeterum idem erat modus loquendi V T. Cf. Exod. 19, 6, ubi totus populus a Deo vocatur gens sancta; Num. 16, 3 ubi omnes Israelitae a seditiosis vocantur sancti: « Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus ».

Similis usus *per complura saecula* obtinuit. V. g. S. Augustinus serm. 318 n. 1 ML 39, 1437 eos qui praedicationi suae assistebant salutat titulo « Sanctitas vestra ». Papa Hilarius dicitur « episcopus sanctae plebi Dei ». Grisar, Anal. Rom. 1849, 147.

Maior talis sanctitatis gradus ascribendus est *episcopis*, atque imprimis primo inter eos, *Romano Pontifici*. Etenim principaliori gradu ad cultum divinum destinati sunt, quippe quibus *munus* incumbat, ut alios tum dispensatione sacrorum tum doctrina sancta tum regimine sancto *sanctificent*.

Unde, uti hodie solum *caput ecclesiae* ex usu communi vi officii vocatur Sanctissimus, ita anteactis saeculis v. g. omnes *episcopi*, imo ipsi *imperatores christiani* ratione officii similibus titulis appellabantur. In concilio Carthaginiensi episcopi dicuntur: « sanctissimi consacerdotes ». S. Cypr., ed. Hartel p. 441. Idem titulus etiam singulis dabatur. V. g. in Conc. Chalced. actione 3 Mansi tom. 6 vol. 991 legitur: « Constantius episcopus ad episcopum Dioscurum dixit: Sancta synodus tuam obse-

erat sanctitatem ». S. Ambrosius Gratianum imperatorem in vita degentem alloquitur « Sancte imperator », v. g. De fide ad Gratian. l. 1 c. 1 ML 16, 527 et saepe. Ratio huius usus communis in eo videtur esse, quod potestas regendi a Deo descendit atque a principe christiano suo modo ad bonum etiam spirituale fidelium ordinanda est. — De usu vocis « sanctus » primis ecclesiae saeculis cf. H. Delahay S. I., Sanctus, in Anal. Boll. tom. 28 a. 1909 p. 145-200, p. 161 sqq.

CAPUT II. De sanctitate morum in membris.

Ex una parte omnes *infantes baptizati* gratia sanctificante ornati sunt. Ex alia parte omnes infantes baptizati, ad ecclesiam catholicam pertinent, etsi a schismaticis, haereticis, paganis oblati atque baptizati fuerint. Ergo semper *maximus numerus membrorum ecclesiae* hic in terris versantis *Deo gratus* exsistit.

Hanc sanctitatem tot membrorum ecclesiae supponentes, de sanctitate morum in iis membris agemus, qui rationis usum habent. Inter sanctos mores autem et gratiam utique multiplex est nexus, qui in alio tractatu exponitur.

Adversarii. — In genere quoad sanctitatem morum. — *Multi e Protestantibus orthodoxis* ipsi quoque statuunt, ecclesiam esse « communionem sanctorum », at re aliud de sanctitate membrorum docent atque Catholici.

Nam primo *omnia membra ecclesiae ea morum sanctitate* praedita esse dicunt, quam iustificatione acquiri volunt. Catholici autem non omnibus membris ecclesiae hanc sanctitatem ascribunt.

Secundo, *Protestantes* membris *invisibilis suae ecclesiae* eam sanctitatem attribuunt, Catholici vero membris ecclesiae visibilis.

Tertio, omissis aliis differentiis maximis in notione sanctitatis prouti ea a Catholicis atque Protestantibus concipitur, *Protestantes de heroica sanctitate, quae ecclesiae ascribenda sit, silent,* imo eam saepe improbant; Catholici eam ipsam in ecclesia esse debere contendunt.

Quarto, Catholici statuunt, sanctitatem membrorum vi sanctitatis mediorum oriri, idque locum habere evidenter ostendunt, quippe cum ordinaria media salutis ecclesiae, eique soli, concredita sint; Protestantes vero *solis verbis ecclesiam ut causam sanctitatis celebrant*, de facto autem rem ipsam negant. Etenim verbis quidem docent sanctos per verbum Dei et sacramenta, atque ideo mediante ecclesia, formari. At *de facto secundum Protestantium doctrinam verbum Dei non per-*

tinet ad ecclesiam, sacramenta vero non sanctificant. Etenim *verbum* Dei, quod est Scriptura, secundum Protestantes de facto ecclesiae concreditum non est. Probavimus enim, eos nullum habere magisterium vivum, quod Scripturam proponat atque explicet. Sacramentorum vero operatio, si Protestantes suam doctrinam de fide, quae sola iustificat, relinquere nolunt, non potest esse alia atque ea, ut homines certi reddantur de remissione peccatorum iam per solam fidem obtenta. Fides autem secundum Protestantes per solum Spiritum Sanctum et Scripturam efficitur.

At *erant atque forte sunt alii inter Protestantes orthodoxos,* qui ex una parte *ecclesiam invisibilem reiciant,* ex alia parte affirment, *ecclesiam universam omniaque eius membra* sub papa ut antichristo idololatriae vitio deditam fuisse. Cf. locum quendam e Protestante Anglo saeculi 19 Murray I n. 19-20 p. 256-8.

In specie quoad fidem miraculorum. — Quidam e praecipuis auctoribus inter Protestantes orthodoxos saltem *aliquando negabant, miracula a se exigi debere.* Ita v. g. *Luther* in tertio sermone in ascensionem Christi ed. oper. Luth. Erlangen 12[1] p. 218-21 miracula inutilia habet, quippe cum evangelium ubique divulgatum sit. Imo quasi triumphans exclamat: « non videbunt signum a nobis patratum ». Si enim ipsi patraturi essent miracula, mundum ea diabolo ascripturum esse, Erl. 46 p. 205 sqq. Attamen sicut Luther generatim sibi contradicere solet, ita etiam in hac re aliis in locis alia docet. Cf. Grisar, Luther II[2] 1911 c. 16, 3 p. 127-32. — Etiam *Calvinus* effert, miracula a Reformatoribus exposci non debere. Cf. Inst. Praefatio ad regem Galliae, recensio 2[a] 1599 op. omn. ed. Baum etc. Corp. Reform. vol. 30 col. 15-8. Brevius in recens. 1536 vol. 29 col. 15-6.

Saeculis tamen prioribus, fere antenicaenis, Protestantes orthodoxi generatim miracula ascribebant. Ea autem *omnino ad aevum apostolicum limitanda esse* vehementissime propugnavit Conyers *Middleton* († 1750), A Free Inquiry to the Miraculous Powers etc. Quem multi secuti sunt. Cf. plura Murray II p. 9-13.

Propositio. Fides miraculorum est proprietas verae ecclesiae.

Restringimus considerationem nostram *ad miracula in ordine potentiae, quin de caeteris actionibus miraculosis agamus,* quales sunt v. g. actiones miraculosae in intellectu, uti prophetiae, donum linguarum, porro dona mystica etc. Cuius modi procedendi ratio prima est, quia verba Christi magis explicite et clarius de miraculis in ordine potentiae

uti proprietate ecclesiae agunt quam de caeteris actionibus miraculosis. Secunda ratio est, ne materia nimium excrescat. Quae autem in hac paragrapho de miraculis in ordine potentiae statuimus, ad caeteros ordines actionum miraculosarum de facto applicari possunt. — De omnibus quasi speciebus actionum miraculosarum simul sumptis postea agemus, quando scilicet eas plurimas species, quae post Christum acciderunt, ut motivum credibilitatis pro religione christiana vel pro ecclesia catholica proponimus.

De fide miraculorum agimus, *non de miraculis simpliciter talibus.* Sanctitas neque constituitur per miracula neque ex natura sua cum absoluta necessitate miracula ad sui manifestationem requirit neque necessario ea uti quasi quendam fructum profert. Attamen in hoc ordine rerum Deus constituit, se cum fide quadam ratione miracula coniungere velle. Fides autem ad sanctitatem pertinet. Unde iam ex hoc solo capite intelligitur cur, cum de proprietate sanctitatis ecclesiae agitur, fides miraculorum et propter eam miracula tractentur. — Non autem negamus, etiam alias esse relationes miraculorum ad sanctitatem membrorum ecclesiae. De quibus alio in loco sermo est.

Fides miraculorum in ecclesia vera invenitur.

Io. 14, 11-3 Iesus ait: « Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, *qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet*, quia ego ad Patrem vado. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*, ut glorificetur Pater in Filio ». Opera non intelliguntur virtutes morales, cum sane Christi virtutes morales superare non possimus. In contextu de miraculis Christi sermo est: « Alioquin propter opera ipsa credite ». — Mc. 16, 17-18: « Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si quid mortiferum biberint, non eis nocebit; super aegros manus imponent, et bene habebunt ». — Utroque in loco Dominus *alloquitur apostolos, per quos ecclesiae filii fidem accipere debebant.*

Fides miraculorum semper, idque ob ipsam ecclesiae naturam, in ecclesia vera invenietur.

1) Christus coniungit miracula *cum fide simpliciter*, non vero tantum cum fide primi aevi ecclesiae.

2) Iesus agit de hoc dono apostolos alloquens non uti sunt primi propagatores religionis christianae, sed *uti in aeternum vivunt.* Nam Mc. 16 est locus parallelus Mt. 28, 20 ubi Iesus apostolos certe ut in aeternum viventes alloquitur.

3) Dominus Io. 14, 11-3 in miraculorum patratione per suam propriam personam facienda sibi substituit apostolos, « *quia vado ad Patrem* ». Ut *finem* patrationi constituit in genere *manifestationem suae divinitatis*, in specie manifestationem suae exaltationis ad dexteram Patris. Iamvero semper abest Christus a terris; *semper eius divinitas*, eius gloria ad dexteram Patris, *manifestanda est.* Ergo Iesus temporibus universis hoc donum concessisse dicendus est.

Contextus hic est secundum Toletum ed. Lugdun. 1589 II p. 74–6 : « Si opera, quae ego facio non vobis suadent, me esse in Patre, et Patrem in me : suadeant saltem opera, quae facturi sunt credentes in me, et me esse in Patre, et Patrem in me : nam hi facient opera, quae ego facio nempe opera Patris et divinitatis... Quia vado, causa est, cur credentes faciant, quasi diceret; iam ego in hoc saeculo visibiliter non ero, nec amplius cum hominibus, ut hactenus conversabor, idcirco *hoc munus meae manifestationis credentibus in me relinquo,* et ipsi facient, et prosequentur facere opera mea... Vado quidem, et ad Patrem vado, non ut otiosus sim, non ut ab opere vacem, sed facturus quodcumque petieritis in nomine meo; id est *ad nominis mei invocationem faciam omnia per quae Pater glorificandus est in filio ;* id est, quibus manifestabitur divinitas mea, secundum quam Pater est in me : glorificatur enim Pater in filio, dum filius consubstantialis ostenditur ipsi Patri per illa opera, quae facit filius, qui Christus est. Haec igitur est causa, cur facietis opera, et maiora ; quia ego vado, et ad Patrem, et sic vado, ut faciam quidquid petieritis in nomine meo : quidquid, inquam, per quod mea divinitas, quam habeo cum Patre communem manifestanda est ».

4) *Ante Christum semper habebantur miracula.* Vide quae Scriptura narrat inde a paradiso usque ad tempora Christi (Cf. Io. 5, 2-4 de probatica piscina).

5) Accedit, quod *de facto semper inde a primis* temporibus in ecclesia *habebantur* miracula.

Qua mensura fides miraculorum in vera ecclesia invenienda sit.

1) *Non omnis fidelis patrabit miracula.* Nam primo hoc historiae contradicit. Deinde hoc verbis Domini non postulatur. Etenim *a)* terminus « ii qui crediderint » potest explicari ut « so-

cietas credentium ». — *b)* Neque obstat quod Io. 14, 12 dicitur in singulari : « qui credit in me... ». Nam ut habet Toletus in h. l. : « haec... verba ad confirmandam sententiam illam [priorem in versu 13] pronuntiata sunt, nempe Christum esse in Patre et Patrem in eo, ad quod sufficit, si virtute huius veritatis et fidei fiant et facta sint opera divina ».

2) *Non excluditur, aliquando aliquod miraculum fieri ab aliquo qui est extra veram ecclesiam*, dummodo hoc miraculum non patretur ad probandam sectam — hoc enim impossibile est —, sed sive ad Christianismum probandum sive ad aliquam aliam causam, v. g. ad exauditionem precum, quae ab homine bonae fidei magno cum fervore factae fuerint. — Nam *a)* Patres huiusmodi casus aliquando fieri posse supponere videntur. Cf. Aug. l. c. in Tract. de revel. in abstr. n. 104 p. 81 Ob. 12. — *b)* Neque id incommodi in hac re habetur, ut rudes miraculo ea ratione facto facile ad iudicium pertraherentur, quasi illa secta esset vera ecclesia. Nam ipsa raritas factorum collata cum maxima frequentia in ecclesia catholica ostenderet, ibi illud esse per accidens ; ob aliam causam quam ad gloriam quandam sectae qua tali afferendam. Porro alia accedere possent, v. g. miraculum fieri per eucharistiam, quae a schismaticis, uti aliunde constat, valide consecrata sit. — Alia autem ratio cur eiusmodi casus cogitetur impossibilis praeter illam, quam insinuavimus, vix inveniri potest.

3) *In vera ecclesia splendor et numerus miraculorum, quae e fide miraculorum procedunt, sine ulla comparatione maior erit quam in sectis.* — Non agitur de ullo mirculo, quod ad probandam veritatem alicuius sectae relatum esset. Etenim ex iis, quae in Tract. de rev. rel. in abstr. prop. 18 p. 73-7 docuimus evidens est, nullum miraculum in confirmationem falsitatis fieri posse. Sed agitur de miraculis, quae saltem directe ad alios fines patrarentur, v. g. ad corporis sanitatem obtinendam. Cf. ib. n. 74 p. 51-2. Rationes pro assertione ita intellecta hae sunt :

a) Dominus hoc charisma promittit iis, qui per apostolos, i. e. per legitimam auctoritatem ecclesiasticam crediderint i. e. filiis ecclesiae. Ergo illud ad alios per se non pertinet. Ergo tantum per accidens aliis tale quid concedi potest.

b) Miracula Io. 14, 11-3 promittuntur primo ut motivum credibilitatis pro divinitate Christi, substituendum illi motivo cre-

dibilitatis quod Christus propriis suis miraculis, quamdiu vivebat, exhibuit ; secundo ut medium quo Christus glorificaretur. Atqui primo Christus verae ecclesiae eique soli dedit officium, ut loco sui veram fidem praedicaret atque propagaret; secundo, sola vera ecclesia eum finem habet, ut glorificet Christum. Cf. Franzelin thesis 20: Gloria Christi finis ecclesiae. Ergo extra veram ecclesiam miracula aut nullo modo invenientur aut nonnisi tam tenui modo, ut moraliter in comparatione cum iis quae in ecclesia fiunt, consideranda non sint. — Vide locos e Toleto antea citatos.

c) E *theologis* cf. v. g. Wilmers prop. 104 n. 2-3, Ottiger p. 469-74 coll. n. 9 p. 469 et Cor. II p. 473, qui miracula sub eo respectu considerant, uti hic facimus. Saepe quidem theologi, ubi de nota miraculorum vel de nota sanctitatis pro ecclesia agunt, miracula etiam eatenus tractant, quatenus directe referuntur ad probandam sive veritatem alicuius doctrinae sive sanctitatem personae ea patrantis. Ab etiam in tali tractatione id quod statuimus ant implicite docere ant omnino supponere videntur. — In genere conferri possunt v. g. Bellarminus, l. 4 c. 14 col. 1347-58. — Dominicus a SS. Trinitate, tom. V pars 1 p. 61 « Tertium » - 62. — Liberius a Iesu, I p. 170-80, praecipue p. 180, 209. — Tournely, de ecclesia qu. 2 a 3 Prima conclusio R. 2 III. — Pichler, Theol. dogm.-pol. tom. II n. 97 ed. Rom. 1819 II p. 366. — Hurter [12] n. 302-3, 325, 4. — De San p. 137-44. — Palmieri, Appendix p. 763, 768. — De Groot qu. 5 a. 3.

Difficultates.

Ob. 1) — Christus nihil dat quod non habet finem. Atqui *charismata post stabilitam religionem christianam finem iam non habent.* R. — N. min. Fines sunt: *a)* propagare ecclesiam iam stabilitam; tueri eius divinitatem contra haereticos semper insurgentes; confirmare iudicium credibilitatis ipsorum fidelium; manifestare Christi gloriosi potentiam (Io. 14, 13) atque gloriam sanctorum a quibus petuntur seu merita sanctitatis ob quam conceduntur (cf. prop. sequentem); ecclesiam gloria speciali circumdare; a malis eos eripere qui rite orant; tandem caetera ea praestare, de quibus in fine miraculorum in genere statuendo actum est. Cf. De rev. rel. in abstr. n. 74 p. 51.

Ob. 2) — Mt. 7, 22-23 legimus: « Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in

nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discedite, qui operamini iniquitatem ». Ergo *haeretici secundum ipsa Christi verba plurima miracula facient.* — R. *a)* Certe non eiusmodi miracula patrabunt, ut sive quoad splendorem sive quoad numerum ulla ratione cum iis comparari possint, quae in vera ecclesia fient. Id quod probavimus atque omnium sententia est. Ergo textus cum hac veritate componendus est. — *b)* Hic textus multas nactus est interpretationes, de quibus cf. Mald. in Mt. 7, 15-23, ed. Magunt, p. 228-38.

Quidam putant agi de falsis miraculis, id quod improbabile est : « Non respondet (Iesus), mentiri eos, sed se eos, quamvis ita fecerint non novisse..., magnum non esset, si moneret nos, ne falsa facientibus miracula crederemus (p. 236-7) ».

Alii docent agi de veris miraculis. Qui tamen in diversas partes abeunt. — Alii tradunt, agi de iis hominibus in ecclesia, qui ea miracula ex fide quidem faciunt, at sine caritate. Provocant ad contextum, scilicet v. 21 ; ad oppositionem inter incisum hoc. : « Non omnis qui dicit Domine, Domine... » et incisum illud : « qui operamini iniquitatem » ; ad ipsum locum : « in nomine tuo.... daemonia eiecimus » ; ad finem loci, ut bona opera prae sola fide commendentur. Quod si tenetur, in textu sane nulla difficultas contra thesim contineretur ; ageretur enim de filiis ecclesiae credentibus. — Alii explicant locum de haereticis, qui tamen utantur nomine Iesu vel aliis sacris, quibus utitur ecclesia. Quod si tenes, manet tamen, « miracula per fidem saepe, sine fide raro admodum fieri posse ». Neque si tales casus absolute multi essent, destrueretur illa eminentia in miraculis patrandis, quam in ecclesia inesse probavimus. — Cf. etiam Knabenbaur [2] ad l p. 310-1.

Ob. 3) — Io. 14, 13: Verbum Domini: « et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam », *intelligitur de effectibus orationis.* Ergo non de miraculis. — R. Dist. antecedens: Inter hos effectus ex ipso contextu premuntur miracula, c. — Cf. contextum quem indicavimus verbis Toleti p. 279.

Ob. 4) — *Pseudochristi*, etc. in *fine saeculorum plurima miracula patrabunt.* Cf. locos De revel. rel. in abstr. o. c. p. 81 Ob. 11. — R. Dist.: Patrabunt miracula ficta vel diabolica c.; realia atque a Deo profecta n. Cf. ib.

Ob. 5) — Protestantes multi obiecerunt: 1 Cor. 14, 22 dicitur: « *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus;* prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus ». Ergo miracula tantum

eo tempore debebant patrari, quando homines infideles erant, ergo in sola prima propagatione ecclesiae. — R. *a)* N. consequentiam. Ad summum sequeretur, illud unum miraculorum genus, quod est in linguis, non fore perenne. Num prophetia non miraculum est? — *b)* At neque id sequitur, linguas nonnisi prima aetate christianismi locum habere potuisse. Nam omissis aliis quae quoad hunc locum dici possent, haec habet Cornely, Com. p. 434: « Aliud est in signum esse, aliud ad utilitatem esse: itaque Paulus linguas fidelibus in signum datas esse negans, nequaquam eas fidelibus inutiles esse docet; quomodo enim sibi contradiceret? » (Cfr. v. 4 sq.: « Qui loquitur lingua, seipsum aedificat..... volo autem omnes loqui linguis »). « Directe quidem et immediate glossolali ad infidelium conversionem non magis iuvant, quam olim Assyrii ad Iudaeorum conversionem iuverunt (cfr. v. 23); sicut vero remote et indirecte Assyriorum irruptio conversionem Iudaeorum praeparavit, ita linguae ad praeparandam infidelium conversionem aliquid interdum conferre possunt: revera in prima pentecoste multos Iudaeos hoc signo obstupefactos et quasi exterritos confusosque Petro miraculi rationem explicanti aures praebuisse eiusque deinde exhortatione ad poenitentiam agendum adductos esse videmus ».

Ob. 6) — *Patres toties dicunt, suis temporibus miracula non iam fieri*, ea tantum initio ecclesiae fieri debuisse. Ergo alieni erant a doctrina, miracula esse proprietatem verae ecclesiae. — R. Ex aliis plurimis testimoniis, quibus Patres data opera miracula suorum temporum testantur, discimus haec eorum dicta esse intelligenda relative, i. e. generatim suis temporibus non iam tot miracula fieri, quot Deus ab initio ad introducendum Christianismum in orbem terrarum patraverat.

Porro ita data opera rem explicat S. Augustinus: « Alio loco, inquit, cum miracula commemorarem, quae Dominus Iesus fecit, adiunxi dicens: ' Cur, inquis, ista modo non fiunt? ' Atque respondi: ' Quia non moverent, nisi mira essent; si autem solita essent, mira non essent '. Hoc autem dixi, quia *non tanta, nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo* ». Retract. l. 1 c. 14 n. 5 ML 32, 607. — « Nam etiam nunc fiunt miracula in eius (Iesu) nomine, sive per sacramenta eius sive per orationes vel memorias sanctorum eius ». De civ. Dei l. 22 c. 8 n. 1 ML 41, 760.

Propositio. Sanctitas heroica in ecclesia vera ut proprietas inveniri debet.

Terminus « *heroicus* » ab ethnicis desumptus est. Apud quos heros significabat hominem, « qui supra hominis conditionem elevabatur quia (ut homini licet) se diis similem praestitit ».

Virtus ergo *heroica* a theologis catholicis, uti v. g. a Card. Brancato de Lauriaea in l. 3 sent. disp. 32 a. 3 n. 27 tom. 2, Romae 1668 p. 713, dicitur « ille virtutis (alicuius christianae) gradus, perfectio seu fulgor et excellentia, quae facit, ut homo circa materiam virtutis *supra communem aliorum hominum (iustorum) operandi modum* operetur et in hoc Deo similis sit ». Cf. quoque Bened. XIV De servorum Dei beatif. etc. l. 3 c. 21 n. 8 ed. Rom. 1748 tom. 3 p. 280. — Iamvero sanctitas omnis consistit principaliter in virtutibus theologicis atque praeprimis quidem in caritate, secundario in virtutibus moralibus, secundum quod occasio pro iis exercendis oblata fuerit. Unde *sanctitas heroica integre considerata consistit primario in heroico gradu virtutum theologalium atque imprimis quidem caritatis*, accedet vero heroicus gradus in eis virtutibus moralibus, in quibus homo iuxta statum suum se poterit exercere, cum praeparatione animi ad sic gerendam in aliis, si occasio oblata fuisset eas exercendi. Ib. p. 291, 283, 286.

Atque his quidam illud *elementum comparativum* exhibuimus, quo sanctitas heroica ad sanctitatem non heroicam se habet. Cf. ib. n. 9 p. 283.

Si vero *elementa absoluta* quaerimus, quae hunc gradum sanctitatis constituunt, ea his comprehendi videntur: Vita illa virtutibus dedita *per longum tempus non interruptum*, ib. p. 288, c. 39 n. 5 p. 619, porro constanter usque ad mortem exerceri debet, *quin alii defectus commissi fuerint quam tales, qui, considerato naturae humanae statu, rari atque leves dicendi sunt*, ib. p. 305, ampliora p. 622-3. Vita illa non tantum paucos actus virtuosos in se habere debet, sed earum virtutum debet esse «*perpetuus usus et exercitatio* » quasi « avide arrepta », ib. p. 285. Vita illa virtutum saltem debet esse eius vigoris, ut *etiam difficiles singulas actiones complectatur*, si eae ex natura rei erant ponendae, vel eam *constantiam diuturnam* in omnibus actionibus requisitis ostendat, quae iam per se ipsa difficillima est. Tandem illa vita virtutum cum *alacritate atque quadam facilitate* exeri debet, ib. p. 300. — De notione virtutis et sanctitatis heroicae cf. praecipue o. c. c. 21 et 22 p. 273-307.

Sanctitas heroica semper in vera ecclesia invenietur.

Omissis aliis multis, quae afferri possent, placet ex uno S. Paulo argumentum breviter conficere.

S. Paulus vi apostolatus sui sanctitatem heroicam commendavit. Atqui secundum Mt. 28, 20 Iesus efficaciter cooperaturus est, ut ea, quae ab apostolis praedicari mandavit, semper in ecclesia observentur. Ergo sanctitas heroica semper in ecclesia florebit.

Ad maiorem. — *a)* S. Paulus 1 Cor. 12, 31-14, 1 *viam caritatis divinae* demonstrat atque hortatur, ut Christiani eam « aemulentur ». Iamvero *ea caritas ad quam aemulandam hortatur, est caritas in gradu heroico.* Etenim 13, 4-7 docet, hanc caritatem praeditam esse quindecim perfectionibus quas enumerat. Hae autem ex natura sua, uti legentibus patet, *totam vitam* complectuntur atque *frequentissimos,* imo continuos *actus* sibi volunt. Praeterea haec caritas etiam ad *difficillima* se extendit. Etenim praeterquam quod haec ipsa continua operositas difficilis est, apostolus uti ultimam caritatis perfectionem eam exhibet, quod « omnia sustinet »; Qui eam habet, « omnia mala cuiuscunque generis non minus fortiter quam patienter sustinet, neque ulla calamitate perterritus aut fractus, sub onere imposito perdurat ». Cornely, ad l. p. 399. Intelligi autem patientiam omnium malorum alacrem, iam ex eo patet, quod Hebr. 10, 34 in Christianis laudat: « rapinam bonorum vestrorum *cum gaudio* suscepistis ».

b) S. Paulus ipse sane sanctitate heroica enituit. Iamvero *Christianos hortatus est, ut hanc suam sanctitatem heroicam imitarentur.*

Ad minorem. — V. g. 1 Cor. 4, 9-13 S. Paulus de ea vitae ratione loquitur, qua apostoli « spectaculum facti sunt mundo et angelis et hominibus », v. 9. Versibus 9-10 hanc vitam heroicae sanctitatis graphice describit. Concludit v. 16: « Rogo ergo vos, imitatores mei estote... ».

1 Cor. 11, 1 eandem precem repetit: « Imitatores mei estote sicut ego Christi », in ea caritate, qua « per omnia omnibus » utilis esse studebat.

Phil. 3, 12-6 de eo studio perfectionis loquitur, quo, quin attendat ad ea bona quae usque ad id tempus iam peregerat, « ad ea quae sunt priora [ad metam perfectionis christianae] extendebat seipsum [magna contentione tendebat] ». Cf. a Lapide ad l. Etiam hic apostolus concludit v. 17: « Imitatores mei estote, fratres ». Atque 4, 9

hoc consilium universim applicat ad omnem suam vitam virtutis: « quae et didicistis et accepistis et audistis et *vidistis in me*, haec agite ».

Mensura huius doni in vera ecclesiae.

a) Sanctitas heroica non erit in unoquoque. Id quod iam ex eo patet, quod Christus praedixit fore peccatores in ecclesia. Praeterea id ex ipsa experientia certum est. Constat enim, veram ecclesiam Christi adhuc exsistere, in nullo autem coetu ex iis, qui se christianos dicunt, sanctitatem heroicam omni membro propriam esse.

b) Hoc donum erit in ecclesia vera *saltem gradu incomparabiliter maiore quam in ullis sectis*, si tamen in secta unquam invenitur. Nam

α) Eiusmodi sanctitas producitur ex doctrina, ex aliis mediis sanctitatis, ex gratia tanto magis speciali, quanto magis difficilis et rara huiusmodi sanctitas est. Iamvero primo sectae (et saltem si per longum tempus protrahuntur etiam schismata) de doctrina Christi atque mediis ad salutem datis semper plura amittere solent. Deinde repugnat, quominus Christus modo ulla ratione aequali auxilia sua specialia dividat inter sectas et veram ecclesiam.

β) Idem continetur *Eph. 5, 25-33*. Nam verba illa v. 26: « ut illam (ecclesiam Christus) sanctificaret, mundans (postquam mundavit eam) lavacro aquae in verbo vitae » saltem etiam de ecclesia his in terris valent. Porro v. 28-32 Paulus amorem efficacem viri, qui nutrit et fovet uxorem suam *unam*, ut imaginem exhibet eius amoris efficacis, quem Christus erga unicam ecclesiam suam habet. Iamvero qui pretiosissima dona et uxori et extraneis concederet, certe nunquam quam maxime uxori suae amorem ostendere diceretur. Atqui *dona inter omnia quam maxime pretiosa sunt gratiae illae extraordinariae, quibus sanctitas heroica de facto acquiritur*. — Abstrahimus a questione, num v. 27 de ecclesia hic in terris an in coelis valeat.

Nota. — Quodsi quis cum De San p. 142 putaret, non absolute repugnare, quominus in casu aliquo particulari aliquis, qui ex ignorantia invincibili in aliqua secta retineretur, ad sanctitatem heroicam, utique vi principiorum non sectae sed verae ecclesiae eluctaretur, id tamen ita intelligendum est, ut absolute repugnet, quominus

Deus hoc pretiosissimum atque plane miraculosum donum unquam in favorem sectae concedere videatur. Videretur autem Deus illud donum in favorem sectae concedere, si in concreto prudenter iudicari posset, illam sanctitatem e principiis sectae ortam esse, vel hoc maximum miraculum morale uno ex illis modis ad probandam sectam relatum esse, quibus, uti in tract. de rel. revel. in abstr. thesi 26 vidimus, miracula moralia ad probandam veram religionem referri possunt. Debet autem Deus talem providentiam tum ecclesiae, quae est unica salutis atque sanctitatis via, tum hominibus, qui in ea via quaerenda atque retinenda iuvandi sunt.

Ob. — *Inaequalitas* in dandis gratiis, quibus sanctitas heroica acquiritur, *iniusta est* erga eos, qui inter ipsas sectas bona fide vivunt. — R. N. Et historia et experientia constat, etiam inter ipsos catholicos hos prae aliis praeveniri gratiis multo uberioribus. Porro cf. quae docent dogmatici de distributione gratiarum summe libera. — Homini autem facienti quod in se est, Deus eam gratiam non denegat, qua ad finem beatitudinis pervenire possit.

Propositio. Quidam excessus in bonis actionibus et recessus a malis, quem relate ad sectas accuratim determinandum suscipimus, in vera ecclesia ut proprietas inveniatur necesse est.

In vera ecclesia quidam cumulus bonarum actionum invenietur.

E Vetere Testamento.

Scientia Dei describitur ut propriatas regni Messianici. Is. 11, 9: « quia *repleta est terra scientia Domini*, sicut aquae maris operientis ». Iamvero haec scientia intelligitur *practica*. Etenim propter eam « non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo ».

Isaiae c. 54 totum est de ecclesia, quae cum suis charismatibus opponitur synagogae. Exhibetur ecclesia ut aedificium aeternum e pretiosis lapidibus confectum. Pro more v. 15-4 propheta imaginem antea propositam explicat: *ponam « universos filios tuos doctos a Domino et multitudinem pacis filiis tuis et in iustitia fundaberis. »* De quibus verbis haec habet Knabenbauer in l.: « Hanc autem cognitionem divinitus infusam [doctos a domino] consequitur pacis abundantia, quae pax omnium bonorum cumulum exhibet et periodi messianicae constans est signum et tessera (cf. 9, 6, 7; 11, 6). Nova igitur theocratia *et intellectum hominis et voluntatem propriis bonis*

donisque imbuet; nam ‘ lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est ’ (Ioan. 1, 17). Haec pacis bona oriri dicuntur ex intima illa cognitione Dei: optime quidem; nam ‘ haec est vita aeterna ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum ’ (Ioan. 17: 3). Unde quid magnifica illa aedificatio Ierusalem sibi velit, vates ulterius declarat v. 14 ‘ et in iustitia fundaberis; recede procul a calumnia quia non timebis, et a pavore quia non appropinquabit tibi ’! — hebr. iustitia firmaberis; firma novae theocratiae conditio in eo consistit quod in ea perpetua adest sanctitas. Priori enim theocratiae hostes ideo nocere poterant, quia *populus* a pietate defecerat, nova e contra *stabili pietate firmabitur;* quare ei dici potest: procul esto ab oppressione; iam nullum adest periculum quod timeat, quia dum sanctitate firmatur; nullus ei hostis damnum inferre poterit ».

E Novo Testamento.

Mt. 28, 20. — Dominus promittit successum in eo quod apostoli docent servare omnia quaecunque mandavit. *Mandavit autem servari fidem et bona opera.*

Io. 17, 23. — Christus orat « *ut sint unum*, sicut et nos unum sumus; ego in eis et tu in me; ut sint consummati in unum et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et delexisti eos, sicut et me dilexisti ». Atqui *unitas Patris et Filii, quam imitari possumus, praecipue in caritate consistit.* Quae in hoc ordine rerum fidem supponit. Ergo Dominus petit caritatem ex fide operantem. Iamvero haec petitio efficax erat. Etenim efficaciter petit quae absolute petit. Iamvero ea petitio absoluta erat, non conditionata; nam eam *petit ut motivum credibilitatis pro mundo.*

Ea sanctitas fructuum semper erit in ecclesia.

Isaias c. 54. — *a)* In contextu, quem supra indicavimus, Deus ait v. 9-10: « Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram: sic iuravi ut non irascar tibi et non increpem te. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent: *misericordia autem mea non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur:* dixit miserator tuus Dominus ». Ergo sicut iuravit Deus Noe permansurum esse statum rerum sine novo diluvio, sicut montes firmiter stant, ita firmiter

stabit ea sanctitas fructuum, quam Deus ecclesiae promisit. — *b)* Ea sanctitas fructuum uti proprietas quaedam regni Messianici statui synagogae ante Christum opponitur.

Mt. 28. 20. — Quoad modum argumentandi cf. p. 245.

Determinatur mensura, qua haec sanctitas in vera ecclesia erit.

1) *Non in omnibus membris iustitia invenitur.* — Nam *a)* certo certius ecclesia adhuc exsistit. Non est autem ullus coetus christianus, in quo non sint nisi iusti. Ergo sanctitas quam ecclesiae promisit, a Christo non ita intellecta est. — *b)* Christus praedixit in ecclesia sua fore peccatores. Mt. 13, 41: « Colligent de regno eius omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem. » — *c)* Exempla temporis et apostolici et posterioris plurima suppetunt. Cf. v. g. quae dicta sunt in thesi de membris ecclesiae. Repet. p. 195.

2) Sanctitas ecclesia debet esse *aliquid in se absolute magnum et dignum Christo,* cuius quasi praemium et corona ii sunt qui redimuntur.

3) *Individua singula in sectis quaedam bona habere possunt.* Cuius rei rationes hae sunt:

a) Ipsa natura humana actus multos honestos facere potest. Id quod de ipsis paganis valet. Cf. Baii prop. 26 damnata, Denzinger 1025.

b) Gratia extra ecclesiam ipsis quoque paganis datur uti etiam haereticis. Cf. prop. 5 damnata ab Alexandro VIII, Denzinger 1275.

c) Haeretici et schismatici bonae fidei *multa ex vera doctrina Christi de rebus divinis et praeceptis naturalibus et positivis, quaedam quoque ex mediis ab ipso institutis, ut puta sacramentis, retinere solent.* Illa fide divina amplecti, haec valide et fructuose recipere possunt. Porro gratia divina actualis conatibus eorum qui bonae fidei sunt, deesse non potest, cum Deus omnium velit salutem. Unde fidem, spem, caritatem, exercere possunt.

d) Praeterea *populi haeretici facti* multa ex iis legibus, usibus, exemplis retinere solent, quae *Patres eorum catholici, duce ecclesia, dederant atque observaverant.*

e) Imo *saepe posteriores haeretici asseclas priores sui coetus moribus superant.* Nam hi in ecclesia educati erant, isti non, unde isti facilius bona fide sunt quam hi. Porro posteriores, duce

ipsa evidentia et natura humana recta, a quibusdam pessimis doctrinis haeresiarcharum sive formaliter sive aequivalenter recedunt, uti multi Protestantes hodie non iam tenent doctrinam de inutilitate bonorum operum.

f) Unde est quod singuli quidam haeretici in bona fide existentes singula quaedam membra verae ecclesiae bonis moribus multum superare possunt.

4) *In genere membra ecclesiae omnia, si cum omnibus membris alicuius sectae comparantur, palpabili quodam modo atque plurimum ea superare debent.* Cuius rei ratio haec est. Bonitas moralis e tribus his elementis quasi efflorescit: e doctrina sancta, ex mediis salutis, ex gratia divina. Iamvero haec elementa multo plus operantur in ecclesia vera quam in aliqua secta. Nam

a) Ex natura rei. — *α)* Sectae quaedam inde ab initio multas *doctrinas continent, quae in rebus de Deo et actionibus ipsi honestati naturali opponuntur. Aliae* ab initio quidem tantum eiusmodi doctrinas pervertebant, quae honestatem naturalem non directe tangunt, uti v. g. Spiritum sanctum a solo Patre, non vero etiam a Filio procedere. At etiam hae, cum ab infallibili ecclesia separatae sint, debilitati intellectus proprii in explicanda revelatione christiana relictae sunt. Unde connaturale est, eas *sensim ad ea deflectere, quae ipsi quoque legi naturali repugnant.* Id quod historia testatur. Hoc etiam de iis valet, qui ab initio tantum schismatici erant. Mox etiam in haereses incidere solent.

β) Sectae saepe *multa ex ipsis mediis salutis* a Christo institutis *amittunt,* cum haereses saepe ita circa ipsa media versentur ut ea vel ex parte vel quasi omnia respuant.

b) Ex auxilio Dei efficaci promisso Mt. 28, 20 et Eph. c. 5 ecclesiae verae, non vero sectis. Cf. p. 245, 285.

c) Christus Io. 17, 21 ideo efficaciter impetrat sanctitatem morum ecclesiae, « ut credat mundus, quia tu me misisti ». Ergo *sanctitas ecclesiae inhaerens est motivum credibilitatis.* Ergo palpabili modo debet superare omnem sanctitatem, quae in membris societatum haereticarum invenitur.

Quae quasi summa actionum bonarum tum in se magna esse tum plurimum sectarum mores superare potest, etsi in ecclesia non eadem est omnibus aetatibus, sed sat magnae quasi undulationes in ea conspiciuntur.

Difficultates.

Ob. 1) — Is. 2, 4 de ecclesia praenuntiatur: « Et conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium nec exercebuntur ultra ad proelium ». Ergo *nulla peccata contra iustitiam vel caritatem fraternam erunt.*

R. — Non recte locum explicarunt vel de mera pace interna cum Deo; vel de pace tempore nativitatis Christi; vel de pace ultimi temporis Messianici; vel de sola vi intrinseca pacem efficiendi quae inest in evangelio. Effertur *pax continua procedens ex principiis evangelii sed ea mensura, quae secundum alia v. g. parabolam de zizaniis admitti potest.* Cf. Knabenbauer ad l. p. 64-6. — Uberius de interpretationibus datis cf. Murray I p. 298-308.

Ob. 2) — S. Paulus, Rom. 3, 5 ait: « Est autem Deus verax [in implendis promissis], *omnis autem homo mendax* ». Ergo nemo sanctus erit. — R. « Alterum membrum (omnis autem homo mendax) *quasi hypothetice* adiectum esse plerique recte censent, quo insinuatur, tantum abesse ut *aliquorum incredulitas* fidelitatem divinam sit evacuatura, ut ne omnium quidem perversitas eam evacuare possit. Veritas ac fidelitas semper ex parte Dei, ex sola parte hominum erit mendacium ». Cornely, ad l. p. 160.

Ob. 3) — Sanctitas membrorum in ecclesia ita describitur, ut cum tot tantisque eorum criminibus componi possit, imo ut non repugnet maiorem partem adultorum etiam sat aperte peccata gravia committere. Iamvero si hoc ita est, ecclesia iam non potest vocari sancta ratione membrorum, sed *potius vel saltem eodem iure vocari debet non sancta vel impia.* — R. N. ass.:

a) Explicationes non rectae. — *α)* Non recte dicitur, ecclesiam *nullo modo* sanctam esse *ratione membrorum*, sed tantum ratione institutionum et fidei obiective sumptae. — *β)* Non recte dicitur, membra sancta dici *tantum ratione consecrationis* in servitium Dei, quam acceperunt in baptismate vel quia sunt membra illius societatis, quae est Deo dicata. De qua ratione sanctitatis cf. quae diximus c. 1 huius tractationis de proprietate sanctitatis. — *γ)* Non recte dicitur, ideo ecclesiam dici sanctam, quia *omnes qui proprie eius membra sunt, sancti sint,* quasi peccatores non proprie essent membra ecclesiae.

b) Explicatio recta. — *α)* Si agitur de denominatione, secundum aliquam formam quae ex natura sua nonnisi *homogeneo*

modo in toto inveniri potest, tunc utique non potest totum denominari secundum hanc formam, nisi saltem *maior pars totius* hanc formam habeat. Exemplo sint denominationes: murus albus, niger.

Si vero agitur de denominatione secundum aliquam formam, quae in diversis partibus totius modo diverso inveniri potest, distinguendum est. *Neque in hoc casu* denominatio sumi potest e minore parte, *si ista minor pars non habet aliquem effectum specialem pro toto, qui effectus qualitate opposita maioris partis impediri non potest.* Ita v. g. populus vix vocabitur monarchicus si quidam monarchiam valde amant, ardenter propugnant, dum maior pars democratiam amet et propagationem idearum monarchicarum impediat.

At *aliud est,* si agitur de tali *forma, quae e natura sua in gradu maiore vel minore inhaerere potest, quae praeterea, si in quibusdam inhaeret, eiusmodi effectum pro toto producit, qui ex eo impediri nequit, quod haec forma in maiore numero deest.* Ita v. g. natio vocatur dives, etsi maior pars membrorum eius dives non est, si tamen primo aliqua pars valde dives est, si secundo hae divitiae faciunt ut natio haec possit v. g. certa commercia agere, bella ducere, quae alia natio ob deficientiam pecuniae agere non potest. Imo eiusmodi natio recte vocabitur ditissima omnium, si eiusmodi divitiis omnes alias nationes superat. Qui effectus impediri non potest eo quod plurima membra nationis divitias non habent. — Cui considerationi insistit Harendt, De ecclesiae... propriet. Lithogr. 1891 p. 465-70.

Ita secundum diversos auctores ecclesia iam ex hoc sancta vocari potest ratione membrorum, quia *a) membra multa eximiam, imo heroicam sanctitatem habent, b) haec sanctitas eam ab omnibus societatibus distinguit, c) ea sanctitas eiusque effectus, scilicet distinguendi ecclesiam ab aliis, defectu sanctitatis in caeteris membris, nullatenus impediri potest.*

Accedit, quod illa sanctitas demonstrat, vires sanctitatis effectrices in illa una ecclesia inesse.

β) Tunc certe aliqua societas potest denominari secundum aliquam formam, si praeter ea, quae iam diximus, *membra, sumpta uti dicam in aliqua massa, semper et ubique ea ipsa forma ab omnibus aliis membris alterius cuiusdam societatis sub iisdem*

circumstantiis eodem modo sumptis, clare, palpabiliter, modo quodam largissimo distinguuntur. V. g. propterea una natio prae alia dicitur activa, ad commercium apta, robusta, fertilis etc. Cuius ratio haec est, quod societates *secundum id denominantur, quod in iis perspicitur distinctivi, ergo proprii*, quod proinde etiam ad ipsum intrinsecum esse rei proprium reducitur. Iamvero vidimus, *membra ecclesiae catholicae ita sumpta, etsi plurimi peccant, tamen si cum aliis sub iisdem conditionibus comparantur minus peccare, plus bonorum operum ponere, ergo sanctitate actionum multum superare omnes alias societates.*

Accedit, quod in membris ecclesiae catholicae, in quantum talia sunt, semper aliquid bonae et sanctae voluntatis invenitur. Etenim semper laudabile est, intellectum suum Deo loquenti et revelationem per ecclesiam explicanti, submittere; semper laudabile, eius societatis regimini se submittere, quae a Deo hoc officium accepit. Praeterea tali modo principia retinent, quibus ipsi caeteris facilius a peccatis suis salvantur. Quae bona non destruuntur sed manent, etsi in aliis multis peccant.

Tandem illud quoque cum Suarez, De fide, disp. 9 s. 7 n. 4 ed. Par. tom. 12 p. 270 observandum est, quod « sanctitas iustorum est ex intentione et instituto ecclesiae, cui contraria est malitia ».

CALIF. PRO

De cognoscibilitate ecclesiae Romano-Catholicae ut verae Christi ecclesiae.

INTRODUCTIO

§ 1. De fine huius tractationis.

Finis theologiae fundamentalis, in quantum est aliqua disciplina theologica, quae partem facit integri cursus theologici, in eo consistit, ut scientiam fidei possibilem reddat. Ad quem finem duplex factum probat: Dei locutionem praecipue per Christum, huiusque doctrinae divinae in ecclesia catholica conservationem mediantibus locis theologicis, uti sunt definitiones Romani Pontificis, auctoritas sacra Patrum etc. Cf. van Laak, De theologia generatim n. 7 p. 6.

Unde in tractatu de revelatione christiana demonstravimus: Christum fuisse legatum Dei ad religionem revelatam hominibus deferendam. In tractatu de ecclesia ut magistra infallibili veritatis revelatae adiunximus inter alia haec: Christus, ut sua religio illibata permaneret, fundavit ecclesiam, cui donum infallibilitatis in hac doctrina revelata praedicanda in aeternum *concessit. Quae societas vel ecclesia ea est, in qua Petrus eiusque successores in primatu summum imperium habent.* Haec autem ecclesia est ea, quae dicitur *Romano-Catholica.*

Sequitur, *ad eum finem, qui proprius est theologiae fundamentalis, in quantum est aliqua disciplina quae ad scientiam fidei praeparat, non esse absolute necessarium,* alias rationes addere, quibus identitas inter ecclesiam Romanam atque veram ecclesiam Christi demonstretur. A fortiori non est absolute necessarium, *addere integram tractationem de omnibus modis, quibus haec identitas cognosci potest.* Etenim modus quo hoc fecimus, est modus rectus isque quam maxime scientificus. Etenim successio Romani Pontificis in locum Petri ut

capitis ecclesiae est motivum certum, obvium, quam maxime ex ipsa natura ecclesiae haustum, unde iudicium de identitate inter ecclesiam Romano-Catholicam et ecclesiam a Christo instututam probetur.

Sequitur quoque, *ad eum finem, ut quis se ecclesiae catholicae rationabiliter aggregare possit, non esse absolute et ex natura rei necessariam aliam viam praeter eam quam iam proposuimus,* sed hanc unam vere sufficere.

Quod exposuimus praeformavit Suarez, Def. fidei cath. l. 1 c. 7 n. 10 ed. Paris. tom. 24 p. 34: « Unum e potissimis signis ad cognoscendam veram ecclesiam est successio episcoporum in pontificatu Petri ». — Idem pluribus exponit Raphael Cercia S. I.; Tractatus primus de ecclesia Christi [1] 1848 p. 289. — Recte quoque Palmieri appendicem ad tractatum de Romano Pontifice [3] 1902 p. 757 ita exorditur: « Absolvimus tractationem de Romano Pontifice, cuius primatus demonstratio si teneatur, non opus est alia nota ad discernendam veram ecclesiam ». — Quae doctrina iam in ipsos libros manuales merito transsumpta est. Ita de Romani Pontificis successione in primatu Petri recte ait Tanquerey I, De eccl. Christi, c. 1 art. 1 n. 111 nota: « Quod quidem per se solum sufficit ad probandam Romanae Ecclesiae divinitatem, quum, ex dictis, primatus institutio sit unum ex essentialibus elementis verae Ecclesiae, solique Rom. Pontifices sibi vindicaverint et exercuerint huiusmodi primatum ». In eandem sententiam ib. adducit testimonium Protestantis Allies.

Nihilominus *valde utile, imo moraliter necessarium est, plura atque diversorum generum motiva — si exsistunt — proponere,* unde identitas inter ecclesiam Romano-Catholicam atque veram Christi ecclesiam cognoscatur. Etenim tali ratione eiusmodi iudicium et firmius redditur et multo facilius acquiritur; haec autem maior firmitas atque facilitas quam maxime utilis, imo moraliter necessaria est.

Assensus firmior redditur, uti patet, si ad idem iudicium multa motiva impellunt, quam si tantum unum motivum ad illum inducit. Porro sane generatim facilius acquiritur si plura motiva proponuntur, quam si unum tantum exhibetur, tum ex aliis rationibus, tum praecipue ideo, quia haud raro accidit, ut propter impedimenta quaedam in subiecto cognoscente exsistentia una ratio, etsi in se optima, firmam ac certam persuasionem non efficiat, cum alia quaedam ratio eam producat.

Quam maxime vero utile, imo moraliter necessarium est, ut hoc iudicium de identitate inter ecclesiam a Christo institutam atque ec-

clesiam Romano-Catholicam firmissimum sit et facile acquiri possit, idque propter duo: primo quia hoc iudicium maximi momenti est, secundo, quia praecipue his temporibus haud parvam difficultatem secum fert.

Maximi momenti est hoc iudicium. — Hoc iam patet, *etsi theologiam fundamentalem solum eatenus respicimus, quatenus est aliqua scientia theologica, quae scientiam fidei praeparat.* — Etenim identitas inter ecclesiam Romano-Catholicam et veram Christi ecclesiam non est quaedam veritas e multis eiusdem omnino rationis quales in theologia fundamentali tractantur, ubi v. g. veritas de legitimate argumenti theologici praescriptionis, sed *est veritas plane fundamentalis.* Etenim omnes loci theologici, e quibus argumentum dogmaticum pro revelatione in Scriptura vel Traditione contenta peti potest, v. g. decretum e cathedra Romani Pontificis, auctoritas sacra Patrum ecclesiae, semper, ut suum valorem dogmaticum infallibilem habeant, supponunt ecclesiam Romano-Catholicam esse eam ipsam quam Christus instituit. Ei enim soli ecclesiae, quam ipse instituit dotem infallibilitas concessit.

At praecipue momentum huius iudicii perspicitur, si perpendimus, quanti illud *pro vita practica faciendum sit.* — Nam *ex agnita veritate de identitate inter ecclesiam Romano-Catholicam et veram Christi ecclesiam pendet in concreto agnitio integrae veritatis a Christo revelatae*, cum ea integra uni ecclesiae infallibili custodienda tradita sit atque extra ecclesiam, historia teste, sensim perdatur. Ex hac veritate agnita pendet *possibilitas implendi praeceptum Christi* summi momenti, ut *scilicit ecclesiam suam ingrediamur*, a qua deinde veritatem revelatam plenam hauriamus, in qua porro religionem christianam integram exerceamus. Ex hac veritate agnita pendet, *ut homo frui possit tot bonis religiosis supernaturalibus*, quae, uti tractatus dogmaticus de ecclesia probat, in ea inveniuntur, quibusque etiam ii sive magna ex parte sive omnino privantur, qui sine culpa extra ecclesiam versantur. Qualia bona sunt v. g. sacramenta, sacrificium missae, disciplina illa salutaris, qua fideles ad retinendam fidem, ad retinendam vel recuperandam gratiam multis modis disponuntur. Imo, ab ea veritate cognita pendet, *ut possimus esse in ea societate, quae, uti idem dogma docet, necessaria est necessitate medii*, i. e. quae sola est via ad visionem beatificam, in qua sola Christus Deus atque redemptor noster media salutis deposuit.

At, sicut iudicium de identitate inter ecclesiam Romanam atque veram ecclesiam Christi summi momenti est, ita saepe *haud parvae difficulcatis psychologicae est.* Dico psychologicae. Qua loquendi ratione indicatur, difficultates, quae agnitioni huius veritatis obstant, non ex eo oriri, quod motiva pro hoc iudicio per se nonnisi difficile etiam ab iis hominibus cognoscerentur, qui optime ad mandata divina etiam difficillima exsequenda dispositi essent, qui a praeiudiciis liberi essent, qui debite instruerentur, qui contra tale iudicium non impeterentur variis atque vehementibus tentationibus. Indicatur vero, difficultates e contra ex eo provenire, quod, his similibusque impedimentis, quae in animis hominum per accidens subortae sunt, impediatur, quominus vim suam nativam in eos exserat.

Quae difficultas, idque hodie speciali modo, *premit multos, qui sub ipso magisterio ecclesiae fidem susceperunt, plurimos schismaticos atque haereticos, ethnicos.*

Omnibus his classibus communis est haec difficultas in hoc iudicio formando et retinendo: Agitur de iudicio, quod ex una parte, uti homo clare videt, secum fert obligationem, *ut admittat revelationem cum omnibus suis mysteriis atque difficillimis praeceptis;* ut se subiciat *multis legibus,* quae *a sola ecclesia,* e facultate Christi, ad salutares effectus obtinendos, legibus immediate divinis adduntur. Ex alia parte motiva pro hoc iudicio generatim non ea evidentia fulgent, quae physica quadam vi intellectum ad assentiendum cogat sed in quo assumendo *libertas multas partes* habet.

Accedunt *difficultates* quae praecipue his temporibus *singulis istis hominum classibus propriae sunt.* — Multi vel ex iis ipsis, qui sub ecclesiae magisterio fidem susceperunt, hodie plurimum moventur rationibus contra ecclesiam Romano-Catholicam haustis tum ex statu vitae culturae externae atque omnis generis scientiarum e parte plurimorum haereticorum, tum e plurimis continuisque calumniis quibus vita atque doctrina, vis atque efficacia ecclesiae Romano-Catholicae impetuntur. — Haeretici atque Schismatici, quorum numerus fere numerum Catholicorum aequat, primo in ipso suo numero, potentia, scientiis omnis generis, aliquod quasi signum veritatis religiosae sibi habere fere videntur; deinde saepe ipsis principiis quibus res religiosae diiudicanda sunt, destituuntur, nedum ad aequam applicationem principiorum facile pervenire possint. — Ethnicorum atque aliorum incredulorum difficultates in amplectenda vera religione etiam eo

augentur, quod hodie multae communitates seu ecclesiae ante oculos eorum versantur, quae affirment, a se, non vero ab ecclesia catholica eam religionem coli, quam Christus coli voluerit.

§ 2. De duplici via qua ecclesia Romano-Catholica ut ecclesia a Christo instituta cognosci possit: per notas, per signa seu motiva credibilitatis.

Duplici modo aliqua res nobis nota reddi potest *a) per se ipsam*, eo quod essentia seu proprietas rei cognoscitur eaque sive per se et in se sive per qualitates et consequenter effectus proprios; *b) per aliquid quod a sua essentia, proprietatibus, actionibus sibi propriis distinctum est.*

Quod diximus, etiam *applicandum est ad cognoscibilitatem ecclesiae Romano-Catholicae ut verae Christi ecclesiae.* Ecclesia Romano-Catholica, cuius exsistentia certe non minus est factum externum evidens atque exsistentia alicuius sectae, affirmat, se esse ecclesiam illam, quae per voluntatem Dei in Christo manifestatam ad eum finem instituta sit, ut integram revelationem divinam infallibiliter custodiat, atque explicet (vel etiam insuper homines mediante hac fide mediisque salutis supernaturalibus ad visionem beatificam perducat).

Hanc affirmationem ecclesiae de se ipsa veram esse, duplici via demonstrari potest. Una via in eo est, ut *monstretur in ecclesia inveniri eas proprietates, quae secundum Christi institutionem in sola vera ecclesia Christi reperiri possunt.* Secunda via in eo est, ut *provocetur ad actiones miraculosas* (vel effectus cum iis cohaerentes), *quibus a Deo hoc testimonium ecclesiae de se ipsa approbatum sit.*

Quod ad modum loquendi attinet hodie multum, etsi non universim, in usu est ut eiusmodi proprietas e natura ecclesiae emergens, quae eam simul notificat, dicatur *nota ecclesia;* actio vero miraculosa, qua ecclesia commonstretur, simpliciter dicatur *signum*, scilicet divinum (quod scilicet non simul sit nota seu saltem non ut talis consideretur). Quia porro haec signa seu hae actiones miraculosae nos inducere debent ad credendum, inter alias veritates revelatas etiam eam revelationem contineri, certam societatem religiosam, quae hoc de se affirmat, esse revera magistram divinitus datam et ducem ad salutem, haec signa divina etiam dicuntur *motiva credibilitatis.* Cf. Wilmers, De religione revelata libri quinque p. 581-2; idem, De ecclesia Christi libri sex n. 266 p. 481. — Unde duplex habetur via ad cognoscendam ecclesiam Romano-Catholicam ut ecclesiam a Christo institutam, *via*

per notas, via per signa simpliciter vel per motiva credibilitatis. — Ad motiva credibilitatis, uti patet, etiam ea motiva pertinent, quae in tractatu De revelatione religionis in abstracto considerata n. 65, 5 p. 46 motiva secundaria diximus.

Exemplum pro nota sit v. g. quod eadem integra potestas regendi, quae data est apostolis ut eam successoribus suis transmittant, hodie in Romano Pontifice atque episcopis cum eo coniunctis invenitur.

Exemplum pro mero motivo credibilitatis ecclesiae catholicae hoc accipe. Miraculum quod quis, qui affirmaret, ecclesiam romano-catholicam esse eam, quam Christus instituit, in probationem huius suae affirmationis patraret, certe demonstraret eam esse a Christo institutam. At hoc miraculum neque est ipsa essentia ecclesiae neque ex eius essentia, fluit. Unde motivum credibilitatis est, non vero nota.

Ex eo quod vox notae saepe etiam ultimis saeculis latiore modo pro omni re notificante, etiam pro simplici motivo credibilitatis usurpabatur, ex parte declarari potest, quod *auctores haud pauci multas notas ecclesiae statuerint, quas nos inter eas numerare non possumus.* — Ita v. g. Bellarminus 15 enumerat; at ab initio tractactionis de notis declarat, se considerare velle « plurimas notas, testimonia et signa ». Ex aliis auctoribus in lit. citandis v. g. Bozius habet 100 signa et notas.

Porro saepe notam mere negativam de quibus mox sermo erit, simpliciter notam dicebant. Ita v. g. Bozius saepe notas solummodo negativas inter suas notas connumerat. Etiam Bellarminus de not. c. 9 per totum, ut notam proponit conspirationem in doctrina cum vetere ecclesia, quae conspiratio, si per se sola sumitur, nonnisi nota negativa est.

Ex aliis auctoribus v. g. Michael de Medina, De recta in Deum fide l. 7 c. 26 notas 10 habet (11?); Cunerus Petri, De notis ecclesiae (Hurter Nomenclator [3] III 42), 14; Sanderus, De visibili monarch. c. 50, ipsas 50, alibi plures; Ios. Rud. Hamilton (ib. IV 1056) 50; item Ant. Ulrich, dux brunsvicensis et luneburgensis (ib. IV 708), Martinus Szentiványi (ib. IV 702), Car. Franz. Mangoni (ib. IV 690); Io. Georgius (ib. IV 110) habet 36; Io. Laur. Lucchesini (ib. IV 693) 100: scilicet 16 ex unitate, 26 ex sanctitate, 40 ex universalitate, 18 ex apostolicitate.

Notandum est, non repugnare, quominus aliquid ex una parte sit proprietas ecclesiae, ex alia parte in concreto exsistere non possit sine actione divina miraculosa. Quod si accidit, *eadem res sub uno respectu potest considerari ut nota ecclesiae, sub alio ut merum motivum credibilitatis.* Unde eiusmodi rem pro diversitate respectuum tum in parte de notis tractabimus, tum in parte de motivis credibilitatis. Ita v. g. catholicitas diffusionis est proprietas ecclesiae, simul tamen ut pars quaedam illud miraculum morale ingreditur, quod, ut videbimus, est ipsa ecclesia.

§ 3. **Pro quibus demonstratio suscipiatur.**

Primo, *pro iis, qui sub magisterio ecclesiae continuo inde ab initio vitae* suae *ad fidem instituuntur.* Etenim omnes catholici quam maxime docentur, ut credant quaecunque Deus revelaverit et per ecclesiam suam, in concreto sumptam, ut credendum proposuerit. Iamvero patet, hunc actum ab iis elici non posse, nisi iis antea vero quodam modo constiterit atque continuo constet, ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi ecclesiam.

Secundo, *pro iis, qui sive infideles negative, sive haeretici sive schismatici sive pagani fuerint.*

Non est autem sane essentiale, ut quis, antequam iudicium de identitate ecclesiae Romano-Catholicae cum ecclesia a Christo instituta sibi formet, ecclesiam Romanam cum una vel pluribus societatibus haereticis vel schismaticis comparaverit. Sufficit omnino, ut unam proprietatem quae soli ecclesiae verae inhaerere possit, in ecclesia Romano-Catholica apprehendat, v. g. successionem Romani Pontificis in primatum Petri.

PARS I.
De notis ecclesiae.

De notis ecclesiae in genere spectatis.

§ 1. **Conceptus Notae proponitur.**

QUIBUS ELEMENTIS CONCEPTUS NOTAE COMPONATUR.

1) Nota est *proprietas, quae* (sive sola sive in quantum consideratur simul cum aliis) *soli ecclesiae a Christo institutae et obiective competit et subiective ut talis cognoscitur.* 2) Debet esse aliqua perfectio, *quae in aliquo certo coetu religioso nunc exsistente inest, atque qua ei inhaerens cognoscitur independenter ab ea cognitione, qua hunc coetum exsistentem uti ecclesiam a Christo institutam primo cognovimus.* — Quae duo elementa si adsunt, illa perfectio cum absoluta certitudine notificat hunc coetum exsistentem ut identicum cum ea ecclesia, quam Christus instituit.

Modus procedendi in cognoscenda vera ecclesia similis est scenae recognitionis, uti in libris historicis aliquando refertur. Sume hanc similitu-

dinem: Genitus erat filius regis atque regni haeres. At subito a latronibus e sinu familiae abripiebatur. Attamen quasdam « notas eius genitivas », omnino ut aiunt significativas, incommunicabiles, et parentes narrarunt et publica documenta servant. Exeunt igitur duces populi, ut inter gentes et nationes longinquas regem suum legitimum quaerant. Inveniunt iuvenem, in quo ea inveniuntur, quae secundum documenta regi vero soli inesse posse sciuntur. Procidunt coram eo eumque adorant — invenerunt regem suum. — Genuit ecclesiam atque notas genitivas huic suae societati indidit mens atque cor Christi. Enarrant eas notas ea documenta, quibus proprietates ecclesiae ab ipso institutae exhibentur: ipsa verba Christi, apostolorum, Patrum quae omnia sive in scriptura sive in Traditione historica fide dignis continentur. Lustramus societates religiosas quae exsistunt, quaerendo ubi ea societas sit, quae notas genitivas a Christo inditas in se portet. Talem si invenerimus, eam salutamus ut veram Christi ecclesiam.

Singula elementa conceptus notae declarantur.

Sunt qui *ecclesiam a Christo institutam* eamque ut talem cognitam, vocent *ecclesiam in abstracto consideratam:* coetum *hodie existentem,* qui cum ea identicus est, *ecclesiam in concreto.* Termini forte in se minus apti sunt, cum ecclesia a Christo instituta omnino concreta fuerit. Adhibentur autem atque recte intelligi possunt.

1) Nota est proprietas ecclesiae. Hoc elemento nota ecclesiae a motivo credibilitatis distinguitur. Cf. Introd. § 2.

2) Nota est eiusmodi proprietas ecclesiae, quae natura prius cognoscatur necesse est, quam ipsa ecclesia vera in concreto. Etenim si hoc elementum in conceptu notae non inveniretur, necesse esset, iam prius cognoscere veram ecclesiam in concreto, quam eius notam, ergo nota non primo in cognitionem verae ecclesiae duceret, i. e. nota ecclesiam iam ut cognitam supponeret, non vero eam ex ignota notam reddere posset. De qua re recte Hurter n. 317 contra Protestantes: « Absurdum est, illud pro verae Ecclesiae nota proponere quod ab ipsa Ecclesia nos discere oportet ». Tali modo v. g. se habent eae veritates, quae nonnisi per auctoritatem dogmaticam ecclesiae constare possunt.

3) Nota distinguitur in positivam, negativam. — *Nota positiva est ea res, quae ipsa per se sola (quasi ponendo, positive) demonstrat, societatem cui inest, esse ecclesiam a Christo institutam. Nota vero negativa ea res est, quae in Ecclesia a Christo instituta utique necessario inest, quae autem etiam in aliis societatibus absolute inesse*

potest, unde per se sola non demonstrat, societatem cui inest, esse veram ecclesiam Christi, sed tantum demonstrat, nihil obstare, quominus ea forte ex alia nota demonstretur vera Ecclesia Christi. — Quae distinctio eadem est, quam pro motivis credibilitatis statuimus in tractatu de revel. relig. in abst. n. 65, 2 p. 45.

Praeter notam negativam etiam *nota falsitatis* attendenda est. Haec est eiusmodi res, quae si in aliqua societate inest, demonstrat eam non esse Ecclesiam a Christo institutam.

Quamvis ut diximus proprie et per se tantum notam positivam quaeramus, tamen ad cognoscendam ecclesiam *plurimum iuvare potest, etiam notas negativas et notas falsitatis considerare. Etenim, ut alias utilitates taceam, notae falsitatis et notae negativae per accidens aequivalere possunt notae cuidam positivae.* Ratio haec est. Demonstravimus e praedictione Christi, veram ecclesiam adhuc exsistere idque ita ut qua ecclesia vera cognosci possit. Quo supposito ita procedi potest: Omnes secietates religiosae, excepta ea quae dicitur romano-catholica habent saltem unum signum falsitatis v. g. dicamus aliquam doctrinam contra bonos mores. Ergo sola Ecclesia Romano-Catholica, etiam abstrahendo ab ulteriori inquisitione, statui debet vera Ecclesia Christi. Vel ita: aliqua nota negativa hac vel illa re continetur. Iamvero haec nota negativa in ecclesia romano-catholica invenitur, in nulla vero alia societate religiosa habetur. Ergo ecclesia romano-catholica est vera ecclesia Christi.

Id quod primo loco in tractatu de notis quaerimus, est nota positiva.

Ex expositione etiam patet, *quid de relatione proprietatis ad notam* dicendum sit. Etenim *a) omnis quidem nota est proprietas, at non omnis proprietas est nota*, cum non omnis sit notior quam ecclesia in concreto. Ita aeternitas ecclesiae est proprietas, cum a Christo ecclesiae attributa sit; at ea non est nota, cum tantum per revelationem cognosci possit num haec societas in concreto sit aeterna. Alio enim modo haec aeternitas cognoscibilis non est, nisi excipis experientiam, quae nonnisi in ultimo iudicio completa esse potest. Item origo ecclesiae a Christo est proprietas verae ecclesiae, cum vera ecclesia ab eo debeat esse instituta; at non est nota. Nam etsi haec veritas independenter a fide divina cognosci possit, tamen non est se ipsa notior. Nam id quod cognoscere volumus est omnino illud, quae ecclesia sit

ea, quae a Christo instituta est. — *b) Ipsae illae proprietates, quae inter notas connumerantur, tamen non necessario secundum totum suum Esse munere notae fungi debent.* Etenim non repugnat, quominus quaedam proprietates tantum secundum partem sui apparere possint. Id quod v. g. de sanctitate videbimus. Quae in quantum est proprietas, est supernaturalis sensu stricto i. e. ad visionem beatificam intrinsecum ordinem dicit; at nota est tantum eatenus, quatenus est conformitas cum regulis morum, non vero in quantum est supernaturalis sensu stricto. Supernaturalitas est enim mysterium sensu stricto, quod in societate visibili externe apparere nequit.

§ 2. De loco, in quo doctrina de notis tractanda sit.

E CONCEPTU NOTAE EVOLUTO SEQUITUR, QUO LOCO HAEC DOCTRINA TRACTANDA SIT. — Uti vidimus, nota est omnis proprietas externe manifestata atque ut talis cognita, cognita porro natura prius quam identitas inter aliquam societatem in concreto et eam, quam Christus instituit. Ergo

1) *Impossibile est omnem doctrinam de notis absolvere*, atque proinde tractatum completum de notis tradere, *priusquam universa ea perfectio ecclesiae cognita sit, quae ad essentiam eius pertinet atque independenter ab ecclesia in concreto cognita cognosci potest.* Etenim antequam essentia ecclesiae tali ratione exhibita est, omnes eius proprietates cum certitudine scire non possumus; consequenter neque diiudicare possumus, num eiusmodi perfectiones eius externe manifestentur, consequenter neque iudicare possumus, num veram Ecclesiam ab aliis societatibus distinguant. Aliis verbis: cognitio ecclesiae e notis est cognitio hausta ex cognita essentia, ergo ex cognitione intimae rationis ecclesiae. Ergo necesse est, ut antea omnem essentiam ecclesiae quantum fieri potest cognoscam.

2) Sequitur quoque, *doctrinam de notis nonnisi imperfecte statui posse antequam primatus Petri atque successorum eius traditus sit.* Hic enim ad intimam ecclesiae constitutionem pertinet, imo fundamentum constitutionis ecclesiae est. Unde multa, praecipue uti videbimus, unitas, apostolicitas bene cognosci non possunt, nisi haec quasi anima constitutionis ecclesiae considerata fuerit. Quare multi auctores qui notas ante primatum tractant, in solvendis multis difficultatibus doctrinam de primatu Petri eiusque successorum iamiam

ut probatam sumunt vel etiam breviter eum primatum probant, quem postea iterum data opera demonstrant.

3) *Sequitur, in tantum aliquam doctrinam de aliquibus notis recte iam ante absolutam considerationem totius constitutionis ecclesiae proponi, in quantum aliquae proprietates cognoscendae ab hac constitutione cognoscenda abstrahunt.*

4) Sequitur etiam illud, *aliquas notas forte posse iam tractari, postquam pauca tantum de ecclesia proposita fuerint.* Non enim repugnat, quominus aliquod quasi minimum, quod ad ecclesiae intimam essentiam pertinet, coniunctum cum quibusdam, quae a providentia divina cum ecclesia coniuncta esse e Scriptura facile cognosci possunt, ad eam designandam plane sufficiat.

Quod de loco notis assignando affirmavimus, etiam asserunt sive theoretice sive theoretice et practice v. g. Zeitsch. f. kath. Theol. tom. 5 p. 552 (Straub); tom. 9, 1885 p. 559. — Wilmers, unus e primariis auctoribus, qui de ecclesia scripserunt. — Devoti, cf. Institution. tom. 1. c. 7. — Hurter [12] I n. 321 censet, tractationem de notis « opportunius postponi disputationi de primatu romani Pontificis, ut longe facilius citra multas ambages » veritas ecclesiae Rom. Cath. evinci possit. « Verum supposita etiam interim divina primatus institutione demonstratio nostra erit efficax omnibus, qui bonae sunt voluntatis ». — Mendive p. 311 sq. doctrinam de notis ponit post primatum, proprietates ante infallibilitatem. — Murray, hunc tractatum ultimum habet totius operis, tom. 3 disp. 21, 22, post omnia alia tractata, speciatim post primatum. — Pesch, post tract. de natura et proprietatibus ecclesiae. — Tepe, post tractatam auctoritatem omnem ecclesiae, at ante infallibilitatem Romani Pontificis. — Ottiger II post primatum, infallibilitatem ecclesiae.

§ 3. Numerus notarum.

Hodie auctores generatim — id quod Bellarminus suo tempore de « recentioribus » dicebat — notas sensu stricto 4 enumerant: unitatem, sanctitatem, catholicitatem, apostolicitatem. Multi putant, eam unitatem, sanctitatem, catholicitatem, apostolicitatem, de qua in symbolo Constantinopolitano sermo est, significare non solum proprietates quatuor ecclesiae, verum etiam eas ut notas exhibere. Ita v. g. Hurter n. 319.

At hic numerus non ita intelligendus est, ut his vocibus singulis tantum unum factum vel una quasi proprietas intelligatur, e qua vera ecclesia demonstrari possit. Ita nomine sanctitatis comprehendi omnino videntur plura facta, vel potius complures series factorum, quae singulae,

aliis non consideratis, ecclesiam veram sufficienter demonstrent. Unde sanctitatis nomen potius plures notas designat, quibus aliquid commune est, quod caeteris tribus notis commune non est. — Unde apte cum Bellarmino dicitur, notas omnes « aliquo modo ad illas quatuor revocari ». Quatuor etiam ideo apte numerantur, quia e singulis societatis elementis singulae notae vel notarum series hauriuntur. Scilicet una hauritur ex parte materiae ex qua ecclesia coalescit, quae est multitudo hominum; nam ex hac parte habetur diffusio per orbem seu catholicitas. Una ex parte quasi formae societatis, scilicet conspirationis et auctoritatis quae eam efficit; ex hac parte se tenet unitas fidei, communionis, regiminis. Una ex parte finis et consequenter fructuum, qui ex efficaci intentione finis procedunt; ex hac parte se tenet sanctitas. Una ex parte quasi causae efficientis instrumentalis; ex hac parte se tenet apostolicitas, quia potestas ecclesiastica per apostolos ut instrumenta a Christo derivari debet.

§ 4. Quaestio, num singulae notae iam per se solae sufficiant, a diversis diverso modo solvitur.

Cum quaeritur, num singulae ex illis quatuor notis (imo forte iam singula quaedam elementa saltem e quibusdam notis) ecclesiam ita cognitam reddant, ut caeterae ad plenum argumentum habendum non debeant considerationi mentis obversari, *auctores non eandem sententiam profitentur*. Multi hodie clare affirmant, singulas plane sufficere. Sunt, qui modestius loquantur, atque statuant, saltem illas quatuor simul sufficere. Sunt qui aliquam distinctionem adhibeant. Dicunt enim, singulas ut singulas ecclesiam veram probare si adaequate spectentur. Cum autem explicant, quid sit, notam aliquam adaequate spectari, id a quibusdam ita explicari videtur, ut una nota aliquod elementum alterius in se habeat, quod etiam considerari debeat. De qua re quid accuratius singuli dicant quidque tenendum videatur, aptius in tractatione aliquarum singularum notarum explicabitur.

§ 5. Quaedam difficultates contra omnem argumentationem e notis.

Circulus vitiosus. — Contra tractatum de notis saepe ea difficultas proponitur, quam iam habet Bell. de notis c. 2 col. 1297 B, C, scilicet nos in iis tractandis committere circulum vitiosum. Etenim nos demonstrare Scripturam ex ecclesia vera, ecclesiam veram autem ex Scriptura.

At in hac difficultate multiplex adest confusio idearum. Etenim cum ecclesiam in abstracto demonstramus e Scriptura, tunc Scripturam non consideramus in quantum inspirata est, sed in quantum continet veritates revelatas, inter quas etiam invenitur non una veritas revelata de essentia Ecclesiae per Christi mentem determinata.

Postquam ex his veritatibus revelatis proprietates verae ecclesiae Christi in abstracto sumptae cognovimus, methodo historica videmus, in quo e coetibus nunc exsistentibus eae proprietates non communes ecclesiae Christi inveniantur, quae proinde sit vera Christi Ecclesia.

Postquam cognovimus, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram ecclesiam Christi, inter proprietates autem verae ecclesiae contineri etiam auctoritatem infallibilem in definiendis veritatibus ad fidem et mores pertinentibus, sequitur, ea quae ecclesia Romano-Catholica definierit, vera esse.

Postquam hoc cognitum fuerit, demonstratur ecclesiam Romano-Catholicam definivisse, omnes libros canonis esse a Deo inspiratos. Concluditur, Scripturam recte inspiratam dici.

In hac idearum connexione, nullus, opinor, invenitur circulus vitiosus. Etenim e Scriptura non considerata in quantum est inspirata, cognoscitur ecclesia in abstracto, qua mediante cognoscitur ecclesia in concreto, qua mediante tandem cognoscitur Scriptura ut inspirata.

§ 6. Divisio tractatus.

Prius notas veras ecclesiae statuimus; deinde falsas notas ab haereticis inventas reicimus.

§ 7. Literatura de notis simul sumptis.

De aevo Patrum cf. v. g. Anton Seitz, Die Apologie des Christentums bei den Griechen des 4 u. 5 Iahrhunderts in systematischer Darstellung, Würzburg 1895 p. 291-6. — Gregor Schmitt, Die Apologie der drei ersten Iahrhunderte in historisch-systematischer Darstellung, Mainz 1890, p. 124-38.

Praecipue S. Augustinus, De utilitate credendi M L 42, 65-92; contra epistolam Manichaei quam vocant fundamenti, ib. 42, 173-206; multa e scripto: Contra Faustum Manichaeum libri 33, ib. 207-518.

E medio aevo praecipue Turrecremata, Summa de ecclesia, in parte prima c. 6-21, ed. Salmanticae 1560 p. 11-37. — Georgius Trapezuntinus († 1484 vel 86): De processione Spiritus S. et de una, sancta, catholica ecclesia, MG 161, 829-68.

Tempore recentiori Thomas Bozius, De signis ecclesiae Dei ll. 24 ed.

Colon. Agrip. 1592 tomi 2 in 3 vol. (pp. 1110+719+1474) praeter copiosos Indices. Ad quod opus Scholastici saepe remittunt. — Dom. Gravina, Cathol. praescript. adv. haer. l. 4 controv. 4, tomi 3[i] pars 2, Neapoli 1632 p. 165-382. — Bellarminus, Controv. tom. 1 conrov. 4 l. 4 ed. Ingolst. 1580 col. 1292-635 — Stapleton, Contr. 1 l. 4, Opera omnia 1620 I p. 113-59. — Bañez in 2, 2 q. 1 a 10 ' Duvitatur secundo ' ed. Venet. 1587 col. 298-391 (col. 368 proxime de proprietatibus). — Suarez, De fide, disp. 9 s. 5-9 (praecipue s. 9) ed. Paris. tom. 12 p. 260-80 ; idem, Defens. fid. cath. l. 1, ed. Paris. tom. 24 p. 1-126 appicatio ad sectam anglicanam. — Salmeron, Com. tom. 13 l. 1 disp. in ep. Paui pars 3 disp. 3-8. — Gonetus, Clyp. theol. thom. 4 disp. 3 art. 2 ed. Antuerp. 1874 col. 176-78. — Tournely, Opera omnia ed. Venet. 1790 tom. 5 De eccl. pars 1 p. 25-119. — Liberius a Iesu, Controv. dogm. tom. 1 disp. 3 et 4 p. 151-229. — Wirceburg I De princip. theol. [3] (Kilber) disp. 2 c. 1 art. 3 p. 101-11; art. 5 p. 131-42; II De relig. (Neubauer) [3] diss. 8 p. 213-45 (pp. 290). — Perrone II s. 1 de eccl. Christ. c. 3 ed. 34 p. 60-142. — Murray III p. 809-78. — Palmieri, in appendice ed. 3 p. 766-80. — Mazella [2] p. 633-48. — Hurter [12] 1909 I Tract. 3 pars 1 c. 4 th. 62-64 p. 348-9. — Pesch I[3] th. 38-40 p. 248-68. — Mendive p. 277-324. — Tepe p. 317-49. — Billot [2] qu. 2-6 p. 128-277. — Wilmers p. 492-618. — de Groot [3] q. 5 p. 146-89. — Murillo, Iesucristo y la iglesia Romana 1902 parte 2 tomo 1 p. 245-333. — Tanquerey I [13] 1910 De eccl. c. 3 p. 505-32. — Yves de la Brière, art. Eglise C. in Dict. d'Apolog. [4] col. 1277-99. — Ottiger II p. 495-1058. — Praecipue commendandi videntur tractatus Wilmers et Ottiger.

Secundum volumen operis Ottiger non vidi nisi postquam fere omnia quae de notis hic leguntur iam conscripta erant. Unde eo non multum uti poteram. Sive modum argumentandi sive argumentorum evolutionem respicis in multis omnino convenimus. Id quod, si de re historica agitur quae magnam partem argumenti in hac materia format, praecipue ex eo explicandum est, quod iisdem operibus melioribus auctorum sive catholicorum sive acatholicorum recentiorum temporum uti studuimus.

Omisi opera magis directe ad convertendos haereticos scripta. De quibus in alia occasione.

TRACTATUS
DE INSPIRATIONE SCRIPTURAE

EA PARS QUAE EST

DE ESSENTIA INSPIRATIONIS

Caput II. Quid requiratur ad inspirationem.

Propositio. I. Inspiratio non necessario adimit usum intellectus aut simpliciter talem aut saltem imperturbatum; non usum voluntatis aut simpliciter talem aut saltem liberum; non conscientiam sui; non veram quandam intelligentiam eorum quae sub inspiratione scribuntur.

II. Imo hagiographi sub inspiratione constituti perfectionibus oppositis plene perfruebantur.

Qual. — Ea quae diximus, si ipsam rem spectas, *de fide divina catholica* sunt, quia clare aut in Scriptura aut in Traditione aut in utroque revelationis fonte continentur atque a Patribus instanter inculcantur. Forte tamen sufficit dicere, esse saltem theologice certum, *semper* libertatem in scribendo adfuisse. Ratio est, quia forte textus Patrum *frequentius explicite* perfectiones caeteras premunt quam libertatem. Saltem textus quos usque nunc considerare potui, id prae se ferre mihi videbantur.

Ratio cur thesis ponatur. — Quamvis ea, quae in hac thesi de influxu in intellectum et voluntatem in genere dicemus, in posteriore tractatione, in qua de ratione intimiore inspirationis agetur, implicite contineantur, tamen iuverit *erroribus indignissimis, qui olim aut propositi sunt aut propositi esse videntur, data opera ipsam veritatem opponere, praecipue cum hodie haud pauci auctores acatholici affirment, antiquitatem christianam eiusmodi erroribus imbutam fuisse.*

Expl. term. — Scriptio inspirata *sine omni usu intellectus et consequenter voluntatis* procederet, si Deus ad eum finem, ut aliquem librum quomodocumque hominis opera iuvante componeret, tantum hominis vires sensiles, imo forte tantum vires eius motrices, miraculoso modo ad externa signa linguae humanae scribenda moveret, quin talis motio divina per intellectum atque voluntatem humanam transiret. In hac suppositione Deus *tali fere modo* moveret hominem ad id, ut aliquid a se, Deo, intentum scripto exprimeret, *quali modo Deus olim Num. 22, 28 « os asinae Balaam aperuit »*.

Rectus usus intellectus *opponitur amentiae* minoris vel maioris gradus, porro omni morboso enthusiasmo qui claram, tranquillam, serenam applicationem intellectus impedit.

Cum negamus hominem *carere intelligentia eorum, quae scribantur*, negamus hominem in eo statu versari, in quo non vero quodam modo *caperet sensum naturalem literalem eorum verborum, quae scribit.* Accuratius vero determinare, quam perfecte hagiographi ea intellexerint, quae Deus per eos scribebat, non est huius loci. Generatim auctores statuunt, hagiographos non necessario omnem sensum eorum quae scribebant, v. g. etiam mysticum eumque perfecte intellexisse.

Modus tractationis. — Cum in prima parte de re in se evidenti agatur, *ipsa argumenta brevissime* afferemus. — *Ampliore quadam ratione de adversariis* agendum esse videtur. Alias non bene capitur, quid sibi velint tum veteres quidam adversarii verae notionis inspirationis atque oppositae Patrum disputationes, tum praecipue tot recentiores acatholici, qui in doctrina antiquitatis christianae de inspiratione « mantici » quid invenire sibi videntur. Hac thesi complentur ea quae in Lith. p. 149-51 tantum breviter tradidimus.

Adversarii. — **Radices erroris** praecipue sitae esse videntur *in doctrina et praxi ethnicorum.*

In *doctrina* ethnicorum. Docebat enim *Plato,* numen et poetis et oracula edentibus et vatibus « abstulisse mentem eorum » Io 534 c. d. Cf. quoque Tim. 71 e. Ideo eos « nihil scire eorum quae dicant », Meno 99 d. Ultima autem ratio talis doctrinae forte in eo est, quod Platoni difficilius esse videtur concipere, quomodo humana per divina elevâri possint quin destruantur.

In praxi ethnicorum. Etenim mantissa celeberrima antiquitatis Graecae, *Pythia,* in eo statu oracula edebat, in quo et sensus et mens eius vaporibus e rima quadam terrae ascendentibus ob nubilabatur, in quo valde excitabatur atque verba inter se non cohaerentia ore aliquando etiam spumante proferebat. Cf. plurima de hoc statu ex auctoribus antiquitatis classicae collecta apud Rohde, Psyche II[4], Tübingen 1907, p. 18-22, 56-61. V. quoque Döllinger Heidentum u. Judentum, Regensburg 1857, p. 189.

Similia de aliis « prophetis » deorum referuntur, uti v. g. de *sacerdotibus « magnae matris » Cybeles in Phrygia,* qui in suis processionibus in honorem deae factis inter saltationes et cantus tantopere excitabantur, ut se ipsi etiam graviter vulnerarent. Cf. Rohde l. c.; Döllinger o. c. p. 345-7.

Ad adversarios ipsos convertimur. — Inter Iudaeos **Philo** ex una parte quidem docet, v. g. in libro Vita Mosis l. 1 n. 4 ed. Cohn et Wendland 1898 III p. 120, Mosen « sacras Scripturas uti mira documenta suae propriae sapientiae nobis reliquisse », atque saepe in eo est, ut ex iis libris magnam sapientiam hagiographorum qua talium ostendat. Qua in re utique id refert, quod e traditione

vera iudaica hauserat. Ex alia parte, sibi ipsi contradicens atque, uti videtur, nescio quem influxum doctrinae platonicae subiens, de ratione prophetae haec habet in libro Quis rerum Divinarum haeres § 53 n. 263-6 ed. C. et W. III p. 60-1: « ... vere enim propheta, *etiam quando loqui videtur, secundum veritatem silet,* alius autem eius loquendi organis, ore et lingua, utitur ad proferenda quae vult. ». Extra propheticum statum « nostri conscii, numine non corripimur », quippe cum adhuc « intellectus noster luceat ». At quando « lux divina fulget, *occidit humana (lux)... emigrat nobis sensus [noster] ad divini spiritus accessum* ». Ipse Philo quoque, uti affirmat, millies inspirationem in se expertus est. Quam ita describit in libro De migratione Abrahae § 7 n. 34-5, ed. C. et W. II 275. Ex una parte « mens percipit inventum, lucis fruitionem... »; ex alia parte factum est, ut « quando vacuus accessi, plenus subito exsisterem, desuper ad modum nivis vel imbris invisibiliter descendentibus cogitationibus, *ut raptu divino furens nullatenus neque locum cognoscerem neque praesentes neque me ipsum neque quae dicebam nequé quae scribebam* ». — Locos plenius exscriptos v. Pesch n. 13-6.

Montanistae. — Montanistae, pseudo-prophetae saeculi 2[i], *sine dubio quibusdam partibus theseos nostrae opponebantur.* Num vero omnibus, praecipue etiam primae parti de usu intellectus et voluntatis simpliciter sumpto in prophetia emittenda, forte non ita constat. Ratio est, quia in genere difficile est, accurate determinare, quae de falsa prophetia docuerint. Id quod praecipue ex eo provenire videtur, quod nonnisi pauca eorum dicta nobis servata sunt; quod praeterea opera catholicorum, quae data opera contra eos conscripta sunt, perierunt; quod tandem ea quae postea hinc inde contra eos scripta inveniuntur, non ita multa sunt.

Collegit omnia quae servata sunt *Nathanael Bonwetsch,* Die Geschichte des Montanismus, Erlangen 1881 p. 57-69; *Adolf Hilgenfeld,* Die Ketzergeschichte des Urchristentums, Leipzig 1884. Hic p. 591-5 ipsa fragmenta omnia habet quibus dicta eorum continentur, p. 561-601 alia ad eos spectantia proponit. Omnia fere quae alicuius momenti pro nobis sunt collegit *Pesch*, praecipue n. 54-9; porro 111, 171 nota.

Montanistae *proxime quidem agebant de prophetis, qui loquebantur ore.* At doctrinam suam quae dignitati propheticae derogabat, saltem implicite etiam ad hagiographos extendebant. Id quod tum ex eo patet, quod doctrina eorum, quae de essentia propheticae enuntiationis erat, e natura sua omnem prophetiam comprehendebat, inspiratio vero qua talis prophetas constituit; tum ex eo eruitur, quod Patres in suis refutationibus supponunt, Montanistas etiam de hagiographis egisse.

Celebre dictum *Montani* ab Epiphanio l. c. n. 4 relatum hoc est: « Ecce homo tamquam lyra, ego (Deus) vero ceu plectrum advolo.

Homo dormit (in edenda prophetia), ego vero vigilo. Ecce Dominus est, qui extra se rapit corda hominum et qui dat corda hominibus ».

Montanistarum doctrinam *Pesch* n. 59 nota 1 *ita interpretatur*, ut probabilius habeat, eos docuisse, « ad inspirationem requiri eam exstasim, qua homo *etiam usu intellectus* [non tantum sensuum externorum] *privatus, tamquam irrationale instrumentum virtute superiore ageretur* ». Si vero usu intellectus privatur, certe etiam usu voluntatis destituitur. — E refutatione ampliore quae e tempore Patrum nobis servata est, scilicet *S. Epiphanii* haer. 48 MG. 4, 855-79, apparet, hunc Sanctum Patrem in Montanistarum doctrina praecipue eum errorem impugnare, *prophetam non habere usum rationis imperturbatum*, seu eum amentia quadam laborare. Ubi autem intellectus perturbatus est, neque libertas plena remanet. Porro generatim Patres, uti etiam Epiphanius, fortiter perstringunt doctrinam Montanistarum, hagiographos *non intellexisse ea quae scribebant.* Ergo Montanistae saltem talia docuerunt.

Tempore renascentiae *Hieronymus Cardanus,* Italus, († 1576) in opere De rerum varietate 1557 p. 920, si *Denzinger* credimus, crassum ethnicorum errorem suscitavit: « Omnis divinatio sine propria cognitione necessario fit... In universum homo vigilans et cognoscens non potest divinare... Idem dico, cum quis fortem a Deo petit exstasim et enthusiasmum, si recte petere debet, pati necesse est. Ex hoc liquet, omnes vates amentes esse, quoniam *non fit divinatio absque enthusiasmo; in eo autem sensus et ratio ablegantur* ». Textum v. *Denzinger*, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis n. 120, II 1857 p. 228.

E Protestantibus. — *Inter* orthodoxos *Ernst Wilhelm Hengstenberg* influxum divinum in inspiratione exaggeravit. Docuit enim in opere Christologie des Alten Testamentes[1] 1829 p. 297 et 302: « Etiam ad veros prophetas applicari debet quod Plato in Ione et Phaedro evolvit, scilicet *cum vaticinio* (prophetia?) *necessario coniunctam esse abolitionem activitatis humanae et plenae conscientiae humanae* ». « ... cohaerens atque omnia comprehendens ratio exhibendi (aliquam) rem tantum potest exspectari ab iis, qui cum plena conscientia docent », quales utique secundum eum prophetae non erant. In ed. 2 a. 1854-7 III 2 p. 158 sqq. ea quae antea proposuerat emollit quidem, at non ita, ut ab errore iam sint libera. Quam formam erroris mitigatam v. refutatam apud *Franz Leitner*, Die prophetische Inspiration, Freiburg 1896, p. 28-35.

Quidam acatholici recentiores, praecipue *Protestantes liberales,* eandem doctrinam sive aliis quibusdam testibus traditionis sive praecipue quibusdam apologetis antiquitatis christianae ascribunt. Ita *Ioan. Delitzsch,* De inspiratione Scripturae Sacrae quid statuerint Patres apostolici et apologetae secundi saeculi, Lipsiae 1872, ut fructum amplioris suae inquisitionis proponit p. 49: Secundum

Iustinum et Athenagoram « *neutiquam aliqua, licet minima, prophetae cooperatio vel suimet ipsius ad Spiritus divini gratiam applicatio* » in hagiographis assumenda est. Explicatur hoc aliis locis v. g. p. 47 ita : « Vates divinitus afflati, quid pronuntient nesciunt » ; p. 46 : « *Propria mens propriaque voluntas iis abiudicanda* » est in scribendo ; p. 23 : « Inspirationem vere divinam *cum suspensione conscientiae humanae* necessario coniunctam esse ». — Alios, qui de « mantica » notione inspirationis sive apud orthodoxos Iudaeos sive in ecclesia loquuntur, v. g. *Hase*, *A. Sabatier*, v. in Tract. ampliore De insp. 1910 p. 158-9.

Quaedam de exstasi notantur. — *De duplici significatione vocis exstasis. — Eum statum hominis quem mox e Platone, Montanistis etc. exhibuimus*, auctores praecipue veteres saepe mentis exstasim nominarunt. At idem nomen tum antiquitus tum praecipue postea statui omnino opposito inditum est. Qui status in eo est, ut homo, quia ad divina contemplanda elevatur, *actus sublimiores intellectus atque voluntatis ponit, atque ideo ab operatione sensuum in maior vel minore gradu impeditur*. Quae significatio singulis locis conveniat, e contextu determinandum est.

Quam exstasim hagiographis non negemus. — Si quis putat, hagiographos aliquando in tali sublimi statu mentis scripsisse, v. g. dictando, is aliquid diceret, quod utique probare vix posset, at quod huic thesi, uti patet, nullo modo opponitur. *Cognitionem* tamen earum rerum, quas nobiscum communicare debebant, hagiographi forte saepe in *eiusmodi exstasi* acceperunt. Cogita de S. Ioanne, quando ei mysteria Apocalypsis revelabantur. Talem exstasim v. g. S. Hieronymus etiam Ezechieli in visione constituto ascribit, Com. in Ezech. l. 3 c. 12 in c. 11, 24-5 ML 25, 101. Imo aliquando etiam in eiusmodi exstasi constituti mandatum scribendi acceperunt. Cf. Apocal. 1, 11.

PARS I.

Arg. e Scriptura. — Omnes sententiae Scripturae inspiratae sunt. Atqui *inveniuntur plurimae sententiae Scripturae, in quibus scribendis, uti e speciali ratione in ipsis Scriptoris expressa evidentissimum est, intercessit* hagiographi intellectus, isque imperturbate indicans, voluntas eaque libere agens, conscientia sui, intelligentia eorum quae scribebant. Ergo ad essentiam inspirationis non pertinet, his omnibus perfectionibus vel saltem una ex illis privari.

Prob. min. — Haud raro hagiographi referunt, sibi a Deo *mandatum* esse, ut hoc vel illud scriptum, quod inspiratum est, eiusve partem, componant ; se ex hoc vel illo *motivo* scriptionem huius vel illius scripti inspirati eiusve partis elegisse ; se in hac vel illa re scribenda actum *virtutis* exercuisse. Atqui impletio mandati, electio ob motiva cognita eaque ad ordinem virtutis spectantia, sane supponunt actum intellectus imperturbate agentis, volun-

tatis liberae, conscientiam sui, intellectionem aliquam eorum quae scribenda erant.

Quoad *mandatum* hagiographo datum cf. v. g. *Habacuc* 2, 2. Cf. Knabenbauer Prophet. Min. I p. 71. — *Apocalyps.* 1, 11, 19; 2, 1, 8, 12, 18; 19, 9.

Quoad *motiva,* quibus permoti scripserint, cf. v. g. *Lc. 1, 1-4;* in genere epistolas NT. De quibus motivis, in quae Patres ulterius inquirunt, Introductio in S. Scripturam conferatur.

Quoad *actum virtutis* scriptione exercitum cf. v. g. Rom. 15, 15-6, ubi S. Paulus haec habet: « Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quae data est mihi a Deo, *ut sim minister Christi* in gentibus... » i. e. ut satisfaciam muneri quod Deus gratia sua mihi demandavit. Cf. quoque 2 Cor. 13, 10: « Ideo absens haec scribo, *ut non praesens durius agam*, secundum potestatem quam dedit mihi Deus in aedificationem, non in destructionem ». Ergo S. Paulus scribendo mansuetudinem Christi secutus est. Quas virtutes Pauli in ipsa sua multiplici scriptione inspirata exercitas multis extollit praecipue S. Chrysostomus. — V. quoque 2 Cor. 7, 8, 9; 2 Mach. 15, 38-9.

PARS II.

Quoad omnes perfectiones intellectus et voluntatis, de quibus agitur, simul sumptas.

Argumentum e Patribus proponitur. — Cum res demonstranda sat clara sit, cum praeterea in intima ratione influxus inspirativi postea evolvenda ea, quae hic statuuntur, implicite contineantur, argumentationem non per singulos fontes theologicos prosequimur, sed *ea sola proferimus, quae Patres data opera Montanistis opponebant.*

Patres generatim quidem vix premunt, in hagiographo sub inspiratione constituto actus intellectus atque voluntatis omnino haberi, sed id potius supponunt, cum eas perfectiones mentis describunt, quas in inspirato auctore statuunt. — Has vero perfectiones singulas saepe etiam data opera stabiliunt. Inter eas autem *praecipue inculcant, hagiographos ea omnia quae scribebant vere intellexisse,* idque ita ut scriptio eorum ex ipsa animi sapientia procederet, quippe cum ex ipsis scriptis hagiographorum ad sapientiam eorum concludant. *Quod cum praecipue premunt, etiam omnia caetera edicunt* quae hic probanda suscepimus. Nam si hagiographi scientiam quam ipsi intellectu suo susceperunt aliis communicant eamque dum communicant intelligunt, sane in scribendo intellectu utuntur, animum haud perturbatum habent, extra se non rapiuntur. Etiam voluntatis usus sequitur. Etenim quae intellectu possidentur, nonnisi mediante voluntate scripto exhiberi possunt.

Miltiades saeculi 2^{i} auctor contra Montanistas eorumque pseudo-exstasim scripsit opus quo docuerat, « *non debere prophetam in (pseudo-) exstasi loqui* ». Ita Anonymus, apud Euseb. h. e. l. 5 c. 17 MG. 20, 424. Quod opus periit.

Anonymus ille saeculi 2^{i} negat, ullum prophetam unquam locutum esse in Montanistarum illorum « falso mentis excessu, cuius comes est licentia et audacia, *a spontanea quidem imperitia initium sumens, in amentiam autem, ut iam dixi, desinens* ».

Origenes c. Cels. l. 7 c. 3 et 4 MG 11, 1424-5 inter se opponit rationem qua Pythia et rationem qua veri prophetae vaticinantur: « ... et *vaticinantem (uti in Pythia fit) extra se abripere* et in furorem agere, ut sibi ipsa constare non possit, *id certe Spiritus divini non est opus.* Oportet enim, ut qui divino Spiritu afflatus est, *is longe ante eos, qui oracula consulunt, utilitatem inde percipiat,* ac tum maxime fiat perspicax, cum numini ipsi coniungitur... Si autem *extra se rapitur, si sui compos non est Pythia* dum vaticinia edit, cuiusnam alius generis censeri oportet *spiritum* illum qui menti et rationi tenebras offundit, praeterquam ... *daemonum... ?* ». — De Principiis l. 3 c. 3. n. 4 MG 11, 317-8 ut unum e criteriis, quibus cognoscatur, num « anima melioris spiritus praesentia moveatur », hoc ponit: « si *nullam prorsus ex imminenti aspiratione obturbationem vel alienationem mentis incurrat, nec perdat arbitrii sui iudicium liberum;* sicut exemplo sunt omnes vel prophetae vel apostoli, qui divinis responsis sine ulla mentis obturbatione ministrabant ». — In Ezech. Homil. 6 n. 1 MG 13, 709-10 fatetur, se admirari verba, quibus Isaias 1, 10-11 Israelitas graviter monet, quippe cum eiusmodi libera increpatione sibi pericula penes Iudaeos crearet. Etenim eum, ad eloquendum haec verba (scripto) non fuisse coactum. « *Dicebat haec, cum posset dicere vel tacere.* Neque enim, ut quidam suspicantur, *mente excidebant prophetae, et ex necessitate spiritus loquebantur* ». Provocat ad 1 Cor. 14, 30, porro ad verba Domini quibus Balaam Num. 22, 35 hortatur, « quasi potestatem habente eo, ut accepto verbo Dei diceret seu taceret ». Quae deinde amplius evolvit.

S. Athanasius orat. 3 contra Arianos n. 47 MG 26, 422 C *Phrygum* « *impietatem* » commemorat, « quorum nempe sententia est, prophetas et alios Verbi administros *ignorare* tum *ea quae* agunt tum quae *annuntiant* ». Imo eo in loco talem applicationem huius veri principii facit, quae eam scientiam nimium extollere videtur.

S. Epiphanius in refutatione sua erroris Montanistarum per integram « haeresim 48 » plurima ad rem nostram habet. — N. 4 MG 41, 859 C « veros prophetas » ita describit: « qui *in pleno robore habent mentem et docendi facultatem* ». Paullo post charisma Spiritus hac ratione exibet: « quod et *prophetam informat* et eos qui *per prophetae instructionem* veritatem consequuntur ». — Opponit per numeros 4-6 veram exstasim Adae illi exstasi quam Montanistae iactabant.

Postquam citavit verba prophetica Gen 2, 24, quae Adae post extasim in admirationem erumpenti ascribit, exclamat col. 864 D: « Talia non sunt hominis *fanatici* neque *incohoaerentia loquentis, sed eius qui in pleno robore habet intellectum* ». — Expositioni de aliis quibusdam locis Scripturae finem imponens n. 7 ad finem col. 865 C effert, *omnia, quae a prophetis dicta sint,* dicta esse « *cum plena et firma distinguendi facultate, cum sobrio rationis usu, non vero in amentia* ». Locutus erat antea inter alia de verbis David Ps. 105, 11 atque de plurimis eius praedictionibus. — Numerum 10 col. 869 B ita orditur: « Omnis igitur propheta tam in V. quam in N. T. quae dicit *intelligentia consequitur* ».

Ps.-Basilius, aequalis fere S. Basilii, Com. in Isaiam Prooem. n. 5 MG 30, 126 haec habet: « Porro sunt qui dicant, eos (Isaiam et Ezechielem, quorum sublimes visiones commemoraverat), furore ac insania correptos prophetare, humana mente a spiritu absorpta. Verum *id abhorret a professione divinae presentiae, ut amentem reddat, qui a numine corripitur,* cumque plenus divinorum decretorum esse coeperit, tum a sui ipsius mente excidat, et *qui aliis ex sese praebeat utilitatem, ipse ex propriis sermonibus nihil accipiat emolumenti.* In summa, qua ratione consentaneum est, ut quis per sapientiae Spiritum simillimus insano evadat ac ex intelligentiae Spiritu vim amittat intelligendi? Quin potius neque lumen caecitatem parit, verum videndi facultatem a natura insitam expergefacit; neque Spiritus tenebras inducit animis, sed ad contemplationem rerum intelligibilium mentem a peccati maculis puram excitat. Non quidem dissimile veri est, improbam potestatem, naturae humanae insidiantem (i. e. diabolum) confundere mentem; sed idipsum per Spiritus divini praesentiam effici, dicere impium est. Ad haec, *si sapientes sunt sancti quomodo eorum quae vaticinio edebant,* intelligentiam non sunt assecuti? »

S. Hieronymus, Com. in ep. ad Ephes. in c. 3 v. 5, l. 2 ML 26, 479 enumerat diversa vaticinia, quae ab Abraham, Iacob, Isaia, in Psalmis pronuntiata sunt atque de adventu Christi et de vocatione gentium agunt. Quaerit utrum isti caeterique prophetae vere haec vaticinia intellexerint necne. Respondit: « *Aut igitur iuxta Montanum patriarchas et prophetas in exstasi locutos accipiendum,* et nescisse quae dixerint; aut si hoc *impium* est (spiritus quippe prophetarum prophetis subiectus est) *intellexerunt utique, quae locuti sunt* ». — Similia habet Com. in Isaiam, Prooem. ML 24, 19-20: « *Neque* vero, ut Montanus cum insanis feminis somniat, Prophetae *in exstasi sunt locuti, ut nescierint, quid* loquerentur, et cum alios erudirent, ipsi ignorarent, quid dicerent... Legimus et in alio Apostoli loco: Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt (1 Cor. 14, 32): *uti in sua habeant potestate, quando taceant, quando loquantur.* Quod si cui videtur infirmum, illud eiusdem Apostoli audiat [adducit 1 Cor. 14, 29]. Qua possunt ratione reticere, cum

in ditione [mss. fere omnes: datione] sit spiritus qui loquitur per prophetas, vel tacere vel dicere? » — Prologus in Habacuc ML 25, 1274: « Necnon et hoc animavertendum, quod assumptio vel pondus, quae gravia esse iam diximus, prophetae visio est, et *adversum Montani dogma perversum intelligit quod videt; nec ut amens loquitur, nec in morem insanientium feminarum dat sine mente sonum.* Unde et apostolus iubet, ut si, prophetantibus aliis, alii fuerit revelatum, taceant qui prius loquebantur (2 Cor. 14, 33). Ex quo intelligitur, cum quis voluntate reticet, et alteri locum dat ad loquendum, *posse et loqui et tacere cum velit. Qui autem in extasi, h. e. invitus loquitur*, nec tacere nec loqui in sua potestate habet ».

S. Chrysostomus agens de v. 1 Ps. 44 MG 55, 183-4 maxima cum claritate intelligentiam verorum prophetarum illi statui amentiae quem Montanistae iis ascribebant, opponit. Colligit ex eo versu David scribentis: « Eructavit cor meum verbum *bonum* », « prophetas non fuisse sicut vates (paganos) ». Quod ita demonstrat atque evolvit.

« Illic enim, quando *daemon* animam invaserit, *orbat mentem* et cogitationem et rationem obscurat, et *ita omnia illi ore suo loquuntur, mente nihil intelligente* eorum quae loquuntur, non secus ac si tibia aliqua inanimata loquatur. Hoc etiam dixit aliquis eorum qui sunt apud ipsos philosophorum, his verbis: ' Quemadmodum ii qui responsa canunt, et vates, multa quidem canunt, eorum autem quae dicunt nihil sciunt. '

Sed *non ita facit sanctus Spiritus*, sed permittit, *ut cor cognoscat quae dicuntur*. Si enim non cognosceret, quomodo diceret: ' Verbum bonum '? Daemon enim, utpote hostis et inimicus, cum hominum natura bellum gerit; Spiritus autem sanctus, ut *qui nostri curam gerat, et beneficio afficiat*, id agit ut, qui ipsum suscipiunt, sint sensus (*γνώμης*) participes, et illis intelligentibus revelat quae dicuntur ».

Alio in loco, Homil. 29 in 1 Cor. c. 12 v. 1 et 2 n. 1 et 2 MG 61, 239-42 S. Chrysostomus in eo est, ut criteria inter prophetiam veram divinam et falsam diabolicam ponat. Primum signum hoc e mente Pauli ponit col. 241: « In idolis, inquit (Paulus), si quis abreptus esset *a spiritu immundo* et vaticinaretur, quasi abductus sic ille *trahebatur a spiritu vinctus, nihil sciens eorum quae dicebat.* Hoc enim divinatori proprium est, ut mente excedat, vim patiatur, pellatur, trahatur quasi furens. Propheta vero non sic, sed cum vigili mente, *cum temperanti constitutione, illa sciens quae dicit omnia loquitur...* ». Opponit deinde S. Doctor hanc Pauli doctrinam doctrinae Platonis atque praxi inter Graecos, praecipue quod ad Pythiam spectat.

Simul cum intelligentia eorum quae dicuntur, *libertatem in loquendo* uti veris prophetis propriam praedicat col. 242: « *Penes*

illos erat et loqui et non loqui ; neque enim necessitate tenebantur, sed potestatis honore donati erant... Deus vero non cum necessitate impellit ipsos, sed consiliis, hortationibus et comminationibus utitur, mentem tenebris non offundens. Daemonis enim proprium est, et tumultum et furorem et multam immittere caliginem ; Dei vero est illuminare, et quae opus est cum intelligentia docere ».

In specie quoad libertatem hagiographorum.

1) E ratione theologica. — Ex una parte *cum modo, quem Deus in suis donis conferendis sequitur, convenit,* atque a Patribus, uti iam quosdam disserentes audivimus, principii loco ponitur, Deum, prophetas constituendo, eas perfectiones, quae in eorum natura humana insint, nedum auferre vel minuere, verum etiam perficere. Iamvero libertas est perfectio humanae naturae, dummodo non agatur de potestate eligendi ea, quae a firma coniunctione cum fine ultimo abducere possunt. Id quod in nostra re sane non obtinet. — Ex alia parte « libertas hagiographorum saepe exprimitur [scilicet in Scriptura, uti ex iis patet, quae in parte prima huius propositionis tradidimus], *nusquam vero* [in *Scriptura vel in Traditione*] *minimum indicium adest, quemquam illorum sine libertate scripsisse* ». Pesch n. 413. Unde merito libertas in scribendo sacris auctoribus attribuitur.

2) Theologi hodie in hac assertione unanimes esse videntur. E monographiis amplioribus de inspiratione cf. v. g. Pesch n. 413 p. 420-1 ; Crets p. 172-3. Atque iam S. Thomas De veritate qu. 12 a. 4 in corp. docuerat : « Usus autem prophetiae cuiuslibet est in potestate prophetae, et secundum hoc dicitur 1 Cor. 14, 32 : ' Et spiritus prophetis subiecti sunt '. Et ideo ab usu prophetiae aliquis potest se ipsum impedire ».

3) Patres *haud raro explicite* docent, essentialem dotem propheticae elocutionis in eo sitam esse, ut propheta libere eloquatur. Ita mox audivimus docentem *Origenem,* De principiis et In Ezech. ; *S. Hieronymum,* Prolog. in Habacuc, Prolog. in Isaiam ; *S. Chrysostomum,* Homil. 29 in 1 Cor.

Difficultates.

E Scriptura.

Scriptura saepe exstasim prophetarum commemorat. — Exstasim *in scribendo,* n. ; *in accipienda scientia rerum scribendarum,* subdist. : eiusmodi exstasim, quae consistebat in eo ut sensus quidem aliquid de activitate sua amitteret, *intellectus vero illuminaretur atque voluntas libera remaneret,* c. ; eiusmodi exstasim, in qua ii qui eam patiebantur usu intellectus atque voluntatis privarentur aut in eo damnum paterentur, n.

Propheta *Balaam nesciebat, quae dicebat;* porro *necessitatus erat ad prophetandum.* Primum patet e Num. 24, 3-4, ubi in exordio tertii sui vaticinii se ipsum vocat: « virum cuius obturatus est oculus... qui cadit [corruit]... ». Secundum ex huiusmodi verbis uti Num. 22, 18: « non potero immutare verbum Domini mei ». E quo exemplo et olim Montanistae argumentabantur pro sua vesana prophetandi ratione, et recentius Hengstenberg arguit pro « diminutione (saltem) rationabilis cognitionis ». Quem etiam Leitner p. 32 sequitur.

R. — *a)* N. primum. Explicatio legitima haec est: Agitur de visione, qua accepta « concidebat i. e. corruebat... exhaustus viribus [prae stupore magnificae visionis] relabebatur animo in tardemah illam [somnum exstaticum, uti Abraham Gen. 15, 12], corruebat corpore, moxque revelatis oculis ad vitam communem redibat. Tandem secundum visionis habitae recordationem verba oraculi ipse [dirigente atque assistente Deo] formabat ». Hummelauer, Com. in Num. p. 289.

b) N. secundum. Quamvis Flavius Iosephus, Antiqu. 4, 5 atque Calmet verba ea caeteraque similia 22, 38; 23, 8 de ablata libertate loquendi intellexerint, tamen cum Origene l. mox citato ex Homil. in Ezech., Caietano, Sylvio, Hummelauer omnino statuendum videtur, agi tantum « de firma et fixa promptitudine ad obediendum verbo Dei ». Cf. Hummelauer p. 279.

Caeterum etsi quis putaret, Balaam ad prophetandum coactum fuisse, nihil inde contra thesim sequeretur. Etenim agitur de homine, qui avaritiae crimen ipsis divinis favoribus intermiscuit (2 Petr. 2, 15) qui filiabus Moab et Ammon auctor factus est, ut Israelitas ad luxuriam et superstitionem perducerent (Exod. 31, 16; Apoc. 2, 14). Quodsi putas, eum a Deo ad prophetandum ablata libertate adigendum fuisse, id probare studeas. Certe inde non sequitur, talem vim malo homini illatam ad essentiam prophetiae pertinere, aut contra id quod revelatio docet in hagiographis assumendam esse.

In ipsa Scriptura prophetae dicuntur « amentes ». Ita Ier. 29, 24; Os. 9, 7; 4 Reg. 4, 11. — In duobus prioribus locis *pseudoprophetae* ita vocantur ob externam rationem qua se ceu amentes gerebant, id quod e contextu patet; in tertio loco illud vocabulum de propheta vero, at a malis hominibus *ludibrii causa* adhibetur.

Secundum 1 Cor. 14, 1-40 *glossolalia primo* locum habebat in iis *qui conscientia sui non fruebantur,* qui *sonos non articulatos,* a perfectione veri verbi significantis alienos, proferebant, vel qui certe more Pythiae *incohaerentia loquebantur. Secundo* glossolali saltem *liberi non erant,* ut eo dono uterentur. *Tertio non intelligebant* ea quae in lingua illa aliena proferebant. Atqui donum linguarum secundum S. Paulum etiam ipsum divinum erat. Ergo habetur perfectum analogon ad scriptionem inspiratam, quae proferretur

ab inconsciis, necessario, sine intelligentia eorum quae dicebantur. Haec interpretatio glossolaliae sive ex parte sive integra a multis acatholicis profertur. Erant etiam qui ex ea ita intellecta doctrinam Montanistarum defendere se posse putarent.

R. — *Nego omnia* quae dicta sunt. — *Ad primum.* Glossolali *sui conscii* erant. Nam apostolus docet eos, in quantum hoc dono utantur, orare (v. 2, 14-5), se ipsos aedificare (12, 17), eos posse pro eo quod sibi visum fuerit, eo dono aut omnino non uti in publico consessu, aut saltem nonnisi certo ordine servato (20-8, 39-40). — Glossolali *non proferebant sonos inarticulatos.* Etenim apostolus asserit, eos qui hoc dono praediti erant, linguis loqui, lingua autem est complexus vocum quae ad perfectionem verorum verborum elevatae sunt. Praeterea iubet sive eos ipsos, qui tale donum habent, sive alios, orare, ut Deus quibusdam etiam donum interpretationis horum sermonum concedat (13). — *Neque incohaerentia* proferebant glossolali. Id quod ex eodem praecepto apparet.

Ad secundum. Nego, ullam necessitatem dono hoc utendi glossolalis esse illatam. Imo libertas clare apparet ex praeceptis, quos apostolis iis pro usu huius doni dat.

Ad tertium. Concedo, glossolalos eatenus non intellexisse ea, quae proferebant, in quantum non aliud sciebant, quam id, verbis quae pronuntiabant, laudem Dei contineri, quin tamen significationem singulorum verborum cognoscerent. « Pio tamen affectu, qui linguae locutionem comitabatur, (glossolalus) ad Deum elevabatur eique arctius coniungebatur, eadem ratione qua piae virgines divino cultui sacratae, si linguam latinam ignorantes latinum officium recitant, magnum fructum ex precibus suis haurire possunt ». Cornely ad v. 4 p. 418. At falsum est, glossolalos prophetas fuisse, sive prophetas sensu magis particulari sumis, quatenus aliis futura e revelatione divina nuntiant, sive magis generali, quatenus nomine Dei alia hominibus eloquuntur. Etenim S. Paulus illud donum data opera distinguit a prophetia etiam sensu illo magis universali intellecta (3-5, 22, 24, 29, 39). Iamvero traditio Patrum textatur *prophetas* intelligere debere, quae aliis enuntient, hagiographos autem vere prophetas esse.

De glossolalia cf. optimam explicationem Cornely, Com. in 1 Cor. p. 410-47. — Breviter Pesch, V n. 443-6 p. 242-3. — L. Fonck, in Lexic. bibl. ad v. Charismata III tom. 1 p. 848-60, Paris 1905.

E Patribus.

Ioan. Delitzsch in libro, quem in exhibendis sententiis quorundam Protestantium recentiorum citavimus, concedit quidem p. 45, in genere Patres atque apologetas immerito pro inspiratione mantica adduci. Duos tamen scriptores eam tradidisse contendit: *Athenagoram,* qui scripsit fere a 177, et *Auctorem Cohortationis ad Graecos,* scriptorem uti videtur saeculi tertii (quod scriptum

Delitzsch non recte Iustino tribuit, cf. Bardenhewever, Patrologie [3] p. 42). Atque quatuor quidem argumentis Delitzsch probare studet, in quibusdam locis horum auctorum inspirationem manticam hagiographis ascribi.

Responsum.

Contextus locorum nihil de mantica inspiratione habet.

Cum adversarius omnino *negligat medium primarium, unde sensus dictorum eruatur, scilicet considerationem contextus*, ante omnia huic defectui remedium afferemus. Quae consideratio nos docebit, nullam rationem esse, cur affirmetur, iis in locis manticam inspirationem proponi.

Athenagoras.

In libro « Supplicatio pro Christianis » c. 7, MG 6, 904 ; Otto, Corpus Apologetarum tom. 7, Ienae 1851, p. 34-7 Athenagoras doctrinam de Deo, prout proposita erat ab iis paganis poetis et philosophis, qui « de Deo non a Deo sed a se quisque discendum existimassent », opponit doctrinae de Deo, prout proposita erat a prophetis, « qui spiritu divino afflati de Deo ac rebus divinis pronuntiarunt ». *Illos* proinde *nonnisi coniciendo res divinas attingere, hos perfecto modo.* Unde immerito istis a magistratibus permitti « impune dicere », Christianis autem debitam in profitenda fide libertatem adimi. « Id vos quoque (imperatores) confirmabitis, qui prudentia et pietate in verum numen divinum caeteros superatis, alienum esse a ratione, ut *Dei spiritui, qui prophetarum ora tamquam instrumenta pulsavit,* credere supersedentes, adiungamus animum ad opiniones humanas ».

Omnino evidens est, his verbis eo in contextu nihil aliud edici, quam id, *prophetas cum scriberent in ratione instrumenti perfecte Deo inserviisse,* atque ideo nonnisi veritatem divinam ab iis enuntiari. Quid hoc ad manticam inspirationem ?

Iuverit secundum locum, similem priori, adducere, quem adversarius affert in ratione sua secunda quam postea considerabimus. Eius enim sensus sensum prioris loci confirmabit.

Athenagoras c. 9 MG 6, 905-6 Otto p. 42-3 in eo est, ut argumentum pro unitate Dei ex ratione haustum e Scriptura inspirata confirmet. « Si eiusmodi tantum rationibus niteremur, aliquis iudicaret, humanam esse nostram doctrinam. Sed quia prophetarum voces argumenta nostra confirmant (puto etiam vobis, qui literatissimi et doctissimi estis, non ignota esse scripta Mosis aut Isaiae aut Ieremiae et reliquorum prophetarum, qui mente extra se rapti [*κατ' ἔκστασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λογισμῶν,* secundum exstasim rationis suae, cogitationum suarum] *impellente spiritu divino*, quae ipsis inspirabantur locuti sunt, utente iis spiritu, velut *si tibicen tibiam inflet*) : quid igitur illi [dicunt de Deo] ? ».

Etiam in hoc loco primo imago tibicinis tibiam inflantis e contextu evidenter nihil aliud dicit, quam Deum homine uti in ratione perfecti instrumenti pro deferenda veritate *divina*. Etenim veritatem a prophetis allatam ut divinam hoc loco celebrat. — De voce « exstasis » mox agemus.

Auctor Cohortationis ad Graecos.

Auctor Cohortationis ad Graecos c. 8 MG 6, 256-7 : Otto, tom. 2 [3], Ienae 1879, p. 40-1 *inter se opponit defectum auctoritatis in philosophis graecis atque plenissimam auctoritatem hagiographorum*. Premit haec duo : *Illos « ex sua ipsorum cogitatione docuisse »*, hos vero « *dono quod superne in sanctos viros tum descendebat* ». Illos « *contentionis et partium studio* » pleno fuisse in (discendo et) docendo, hos a tali recte discendi atque docendi *impedimento liberrimos, soli ductui divino in discendo et docendo se tradidisse.*

Audiamus textum : « Itaque quandoquidem nihil veri de religione a vestris magistris disci potest, ut qui idonea vobis suae inscitiae documenta mutuis dissensionibus praebuerint, consentaneum existimo ad maiores nostros recurrere, qui et multo antiquiores vestris magistris fuerunt et nihil ex sua ipsorum cogitatione nos docuerunt, neque inter se digladiati aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine contentionis ac partium studio scientiam a deo acceperunt eamque nos docuerunt. Neque enim natura neque humana cogitatione res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed dono quod superne in sanctos viros tum descendebat, quibus nec verborum artificio opus fuit nec rixandi quidquam et litigandi studio dicere, sed *puros seipsos divini spiritus praebere operationi, ut ipsum divinum e coelo delapsum plectrum, velut instrumento citharae alicuius vel lyrae iustis viris utens, rerum divinarum nobis et caelestium cognitionem revelaret.* Idcirco igitur velut uno ore unaque lingua et de Deo et de mundi creatione et de formatione hominis et de humanae animae immortalitate futuroque post hanc vitam iudicio et de omnibus rebus, quarum necessaria nobis cognitio est, summa secum ipsis constantia et inter se consensione nos docuerunt, idque quum diversis locis ac temporibus divinam nobis doctrinam traderent ».

Duae cogitationes, contextu clare docente, verbis illis quae subduximus exprimuntur : Prima est, *tam perfecte hagiographos Spiritui sancto operanti inserviisse in ratione instrumenti,* ut nihil nisi divini ederent, atque hac in re eos opponi sapientibus paganis. Haec cogitatio exprimitur imagine plectri lyram moventis. Secunda est, eos nequaquam studio partium doctrinae divinae rite recipiendae atque fideliter communicandae repugnasse, atque etiam hac in re eos dissimiles fuisse philosophis paganis. Haec cogitatio exibetur verbis illis : « puros seipsos divinae spiritus praebuisse operationi ». Iamvero neque prima cogitatione neque

secunda aliud continetur, quam *exclusio omnis eiusmodi operationis hagiographi, quae efficaciter fidelem transmissionem veritatis divinae impeditura fuisset;* nequaquam vero continetur, omnem operationem sive intellectus sive voluntatis sive aliarum facultatum hagiographis ademptam fuisse.

C. 10 MG 6, 261, Otto p. 48-9 Auctor Cohortationis rationem magisterii in Mose caeterisque prophetis hac ratione celebrat: « Huic (Mosi) primum Deus exibuit *divinum illud et propheticum donum,* quod tum in sanctos viros superne descendebat, et primum hunc religionis nostrae magistrum instituit (*παρεσκεύασεν*), deinde ceteros post eum prophetas, qui ipsi idem atque ille donum consecuti sunt et nos eadem de iisdem rebus docuerunt. Hos nostrae religionis magistros fuisse dicimus, qui nihil ex humana cogitatione sua nos docuerunt, sed ex dono, quod superne iis a deo datum est ». Hunc locum Delitzsch non affert.

Patet vero, hoc loco, qui simillimus est ei quem antea retulimus, nihil de humana activitate negari, sed *tantum originem divinam instructionis affirmari.* Imo quod Moses titulo « magister religionis », honoratur, quod praeterea ad hoc munus institutus, potius « aptus redditus » dicitur, insinuat, animas prophetarum doctrina illa prius ipsas ditissimas redditas fuisse, non vero eos sui et rerum dictarum conscios non fuisse. Cf. quae mox dicemus.

Argumenta e locis parallelis aliisque elementis hausta nihil evincunt.

Adversarius ea argumenta proponit p. 46-9. Sunt autem haec:

Prima ratio. Imago quam auctor Cohortationis adhibet, apud Philonem « significat... inspirationem manticam;... textatur autem, non ignotos sibi esse Philonis *τοῦ σοφωτάτου* libros ».

R. — *Significatio alicuius imaginis* seu metaphorae eodem modo *iudicanda* est, quo significatio vocis, scilicet primario *e contextu.* Quod aliqua imago ab hoc auctore ad hoc tertium comparationis exprimendum adhibetur, id sane impedire non potest, quominus eadem imago ab alio scriptore applicetur ad aliud tertium comparationis exprimendum. Diiudicabit contextus.

Secunda ratio. — Athenagoras alio in loco, in quo eadem imagine utitur, affirmat, omnes prophetas *in exstasi locutos esse.*

R. — *Vox exstasis sane per se nullo modo dicit eum indignum mentis statum,* quem Plato, Montanus aliique cum eo coniungebant. Ita v. g. 2. Paral. 14, 14 adhibetur de magno terrore a Deo in hostes populi electi immisso; Act. 3, 10 de admiratione magna ob miraculum patratum; Act. 10, 11 de coelesti visione Petri. Etiam auctores profani vocem de omni vehementi animi commotione, admiratione etc. adhibent. Cf. Passow adv. Contextus in loco Athenagorae nihil aliud postulat quam talem mentis statum, in quo ea in communicandis veritatibus divinis *sub speciali influxu*

divino supra se ipsam elevabatur. Hoc enim solum, uti vidimus, in contextu effertur.

Tertia ratio. — Auctor Cohortationis c. 37 MG 6, 305-9; Otto p. 118-22 refert, Sibyllam postquam praeterierat status in quo prophetaverat, oblitam fuisse numerorum quos in eo statu protulerat. Porro ad Sybillam applicat eam Platonis descriptionem de vatibus, quam agentes de adversariis huius theseos e Menone commemoravimus: « Quum (vates) dicentes bene conficiunt multas magnasque res, nihil intelligentes eorum quae dicunt ». Unde e sententia Delitzsch auctor Cohortationis « *probare sententiam Platonicam,* secundum quam vates divinitus afflati quid pronuntient nesciunt *haud difficulter subauditur,* praesertim quum Iustinus alibi quoque ad Platonem provocet eiusque doctrinam non adeo differre a Christi praeceptis demonstret ».

R. — Transmisso interim sensu, qui huic loco attribuendus est, certe ex eo deduci nequit, auctorem Cohortationis Platonem ita explicasse, ut ille prophetas, cum a Deo moventur, rationis expertes crediderit. Etenim auctor v. 26 MG 6, 288-9, Otto p. 88-9 statuit, Platonem, a Mose instructum, ex una parte *hominibus deo caris cognitionem rerum ascripsisse,* ex alia parte quam maxime prophetas homines Deo caros habuisse. — Deinde auctor Cohortationis tantum admittit, Sibyllam desinente afflatu *non recordatam* fuisse eorum que dixerat. — Porro ipse in toto libro *in eo versatur,* ut Mosen, quem et tempore et sapientia primum mundi legislatorem habet, *omnibus philosophis sapientiorem statuat.* — Tandem Auctor Cohortationis totus in eo est, ut demonstrare nitatur, ipsum Platonem a se ipso quidem in rebus difficilibus atque praecipue in rebus divinis fere non habere nisi nescientiam et errorem, a Mose vero eum ea hausisse, quae recta proferat. Cf. v. g. c. 5, 6, 8, 10, 20, 23, alia.

Quarta ratio. — « *Postremo* ostendit *Montanismus,* qui *ex ecclesia prodiit et initio intra fines ecclesiae sese continuit,* manticam inspirationis notionem minime ab ecclesia illius aetatis alienam fuisse ». Provocat Delitzsch tum ad *Tertulliani* locos e libro De anima et e libris Adv. Marcionem, tum ad eum Montani locum quem in describendo Montanistarum errore citavimus, cuius *similitudinem cum locis apologetarum* inculcat.

R. — *Montanismus* ab iis quidem hominibus propositus est, qui in ecclesiam recepti aliquando fuerant; *ab ecclesia* vero, uti vidimus, *magno vigore reiectus* est. Erroris magistri in Phrygia eum *ex ethnicismo* hausisse videntur, Tertullianus a Montanistis eum hausit.

Immerito ad istos locos *Tertulliani* provocatur, ut doctrina Montanismi catholica demonstretur. Nam, praetermissis aliis quae dici possent, Tertullianus scriptum *De anima* composuit, *quando iam aperte Montanista factus erat* (cf. Bardenhewer p. 165). Libri

Adv. Marcionem ipsi quoque saltem sat vicini sunt ei tempori, quo ab ecclesia se separavit, ib. p. 161. *Haereticis sententiis praeludi solet.* Unde v. g. Pesch n. 57 p. 57-8 eos libros adhibet, ut nobis Tertullianum Montanistam describat.

Ipse *Montanus sane non ideo haereticus habebatur, quia illam notam imaginem plectri atque lyrae* ad Spiritum sanctum inspirantem et hominem inspiratum *applicat*, sed ideo tantum, quia *e circumstantiis patebat, eum eam imaginem falso intelligere.* Eiusmodi circumstantiae sunt v. g. quod etiam aliam imaginem adiunxit: « homo dormit,... », quod alias falsas doctrinas sine velamine imaginis clare proposuit.

TRACTATUS

DE COGNOSCIBILITATE ECCLESIAE ROMANO-CATHOLICAE

EA PARS QUAE EST

DE NOTIS

DE NOTA CATHOLICITATIS

Assertio: Ea catholicitas facti quam tradidimus, est nota positiva verae ecclesiae.

Argumentum. — Soli verae ecclesiae Christi convenit ea diffusio, ut aliquis coetus, unitatem fidei christianae et regiminis sub magisterio vivo retinens, tum numerum maximum asseclarum obtineat tum omnem alium coetum sua diffusione per orbem plurimum superet. Cf. p. 253-62. Id eo magis dicendum est, si eiusmodi coetus alium omnem coetum christianum *tum numero tum diffusione per orbem simul sumptis plurimum superat.* Atqui eiusmodi proprietas et experimentali cognitione subiacet et notior est quam ipsa fundatio coetus per Christum. Ergo talis diffusio alicuius coetus est nota verae ecclesiae.

Ad min. — *a)* Ipse *numerus* ipsaque *diffusio* certe *experimentali cognitioni subiacent.* At idem de *unitate fidei et regiminis* sub vivo magisterio obtinet, sive externam professionem fidei et obedientiae spectas, sive *in genere* fidem atque submissionem internam, quae externae respondent. Cf. p. 260.

b) Haec omnia ex una parte omnibus saeculis post Christum in ecclesia vera aderant *hodieque ante omnium oculos posita sunt,* ex alia parte eo modo quo diximus nos *in cognitionem perducunt,* eum coetum, in quo ea inveniuntur, esse ipsam ecclesiam a Christo fundatam. Ergo haec omnia etiam magis nota sunt, quam institutio eius coetus in concreto sumpto per Christum, ecclesiae fundatorem.

PROPOSITIO. Ea diffusio, quam ut proprium non commune verae ecclesiae Christi inesse e fontibus revelationis probavimus, in sola ecclesia Romano-Catholica invenitur.

I. **Recentioribus temporibus certe** ecclesia Romano-Catholica *omnes alias societates religiosas Christianas a) superat et extensione geo-*

graphica et numero asseclarum; b) praeterea eam habet diffusionem geographicam, eumque numerum asseclarum, quae ad *catholicitatem moralem absolute sumptam* sufficiant.

Numeri patent e statistica. Magni aestimatur ea, quam dat H. Krose, Stimmen aus Maria-Laach 1903 II p. 16-33, 187-206. Numerantur milliones:

Ecclesia catholica.	264 $^1/_2$
Coetus plurimi protestantes	166 $^1/_2$
15 ecclesiae antocepholae ecclesiae anatolicae. .	109
Rascolnicki.	2 [?]
Schismatici orientales.	6 $^1/_2$

Ecclesiam catholicam numerum suum maximum asseclarum, quo tantopere omnes alios coetus superat, non habere in una parte terrae collectam, verum etiam *ipsa ratione diffusionis* per orbem caeteros singulos coetus incomparabili ratione superare, res est omnibus notissima.

Quot sint coetus *Protestantes* vix dici potest. In sola Prussia « ecclesiae » 37 numerantur. Maiorem numerum inter illas habet ecclesia unita veterum provinciarum, c. 17 milliones. Cf. Realencycl.[3] tom. 16 art. Protestantismus p. 144. — In America septentrionali « denominationes » protestantes, i. e. coetus inter se independentes, quae in genere etiam diversa credunt, numerabantur a statistico H K. Carroll 1911 circa 160. Cf. The World Almanac 1912 p. 549-50. Inter quos fere 17 species Methodistarum simul sumptae maiorem numerum formant, scilicet c. 17 milliones. Cf. Realenc. p. 145.

Inter ecclesias autocephalas *anatolicas* ecclesia Russiaca fere 87 milliones habet, quae in una fere Russia collecti sunt. Caeterae ecclesiae fere in solis terris Balcanicis inveniuntur.

Rascolnicki in plurimas sectas dividuntur. De quibus cf. v. g. brevissime Kirchliches Handlexikon ad v. — Haud pauci numerum multo maiorem pro Rascolnicki statuunt. Generatim quoque affirmatur multos « Dissidentes » inter 87 milliones ecclesiae Russiacae inveniri, praecipue forte plurimos Rascolnicki, qui inter illos 2 milliones non comprehendantur.

Difficultates.

Ob. 1) — Quando tota fere ecclesia *in coenaculo* collecta erat, *ea catholicitas* quam statuimus, in ecclesia vera non *inveniebatur.*

R. — *a) Nego suppositum* difficultatis, *nos notam catholicitatis ecclesiae attribuere antequam evangelium gentibus praedicaretur.*

b) Illud quoque addi potest, iam iis primis temporibus, quando

ecclesia in Palaestina delitescebat, imo iam primis mensibus post Petri praedicationem, potuisse clare videri aptitudinem, ut talis societas per orbem diffunderetur. Videbantur enim signa quae apta erant, ut omnibus ea ut a Christo instituta probaretur; videbatur caritas, caeteraeque virtutes tum praedicantium, tum credentium, quibus vires sociales omnes exercebantur; videbatur, ipsis ritibus et doctrina destructum esse murum maceriae, quo ethnici a Iudaeis separati fuerant; audiebantur ipso die Pentecostes apostoli in linguis diversis Deo operante mirabiliter nuntiare evangelium, qua ratione eius pro omnibus destinatio innuebatur.

Audi S. August., De Civ. Dei l. 18 c. 54, ed. Hoffmann II C. V. 40 p. 360 lin. 12-21.

« Ibi (in Ierusalem) haec fides tam insignibus initiis incanduit, ut aliquot hominum milia in Christi nomen mirabili alacritate conversa venditis suis rebus, ut egenis distribuentur proposito sancto et ardentissima caritate ad paupertatem voluntariam pervenirent adque inter frementes et sanguinem sitientes Iudaeos se usque ad mortem pro veritate certare non armata potentia sed potentiore patientia praepararent. Hoc si nullis magicis artibus factum est, cur credere dubitant eadem virtute divina per totum mundum id fieri potuisse, qua hoc factum est? ».

Ob. 2) — Saeculo 4°, *Arianismo tantopere crescente, ea catholicitas, quam statuimus,* ab ecclesia Romano-Catholica *aberat.* — Etenim *a)* Ariani in se erant multi. *b)* Imo in Concilio Ariminensi (addito Seleuciensi) anno 359 fere 600 episcopi ad Arianismum defecerunt. *c)* Tandem, quod rem evincit, factum illud, totum orbem Arianismo infectum fuisse, S. Hieronymus exhibet...: « Ingemuit orbis et arianum se esse miratus est ». Dial. contra Luciferianos n. 19 ML 23, 172. — R. N. assertum. Atque primo quidem probo, rationes allatas rem non evincere; secundo positive probo, de facto ecclesiam Romano-Catholicam sensu a nobis explicato etiam eo tempore universalem mansisse.

I. *Rationes allatae nihil valent.*

a) Multos defecisse nihil probat; debebat probari, defecisse tot, ut destrueretur absoluta illa et comparativa illa catholicitas ecclesiae Romano-Catholicae quam statuimus. Id quod non probant.

β) Ii episcopi plus quam 400, qui concilio Ariminensi intererant, *Ariani facti non sunt.* Subscripserunt formulae orthodoxae, quae tamen vocem ὁμοούσιος non habebat. *Seleuciae* inter episcopos 165,

circa 80 *omnino catholice sentiebant.* Cf. 8 ib. col. 172, Hefele I ² § 82. — Hergenröther-Kirsch I ⁴ ed. germ. 375-8, ital. II p. 69-77. — Imo etsi isti 400 episcopi defecissent, numerus eorum ad summum quinta fere pars erat numeri episcoporum totius orbis. Etenim ut Labbe habet, notae sunt ex Occidente sedes 1000, ex Oriente c. 800. Multas alias exstitisse scimus, quarum tamen nomina ignoramus. Augustinus contra Crescon. l. 3 c. 3 n. 3 ML 43, 497 ait, a tot millibus episcoporum damnatum esse errorem Novati.

γ) Dictum S. Hieronymi ironicum simul atque rethoricum est. Illud exhibemus eiusque sensum declaramus: « Coeperunt postea Valens et Ursacius (capita episcoporum Arianorum in Concilio Ariminensi), caeterique nequitiae eorum socii, egregii videlicet Christi sacerdotes, palmas suas iactare dicentes, se filium non creaturam negasse, sed similem caeteris creaturis. Tunc usiae nomen abolitum est (in ista formula, quae indeterminata erat, falsa non erat), tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est (ab ea factione, quae subscriptioni symboli ex parte episcoporum catholicorum ascribebat sensum quasi divinitatem filii negarent, qui sensus non inerat formulae). Ingemuit totus orbis (rectius occidens, quem solum Conc. Ariminense repraesentabat, ingemuit ob quandam, at quae prudentem virum atque populum christianum nequaquam movebat, Arianismi apparentiam, quae sibi ex hac indeterminata agendi ratione episcoporum quasi imposita erat), et arianum se esse miratus est (quippe miratus est se esse arianum, cum non esset, miratus est se ab illa factione et forte quibusdam aliis imprudentibus, ut arianum considerari) ».

II. *Catholicitas facti* a nobis in thesi descripta, *in ecclesia Romano-catholica tempore Arianismi non deerat.*

a) Multitudinem quod attinet: *α) Populus erat catholicus in occidente*, etsi multi episcopi ariani essent, multi alii formulae indeterminatae sensu tamen catholico intellectae subscripsissent. De qua re S. Hilarius, Liber contra Auxentium (unum ex episcopis Arianis in Concilio Ariminensi) n. 6 ML 10, 613 haec habet: « Sanctiores aures plebis, quam corda sunt sacerdotum (episcoporum istorum) ». — *β)* In genere de fide *populi christiani in universo orbe* sua aetate S. Athanasius, ep. ad Iovinian. imper., De fide n. 2 a. 363 haec scribit MG 26, 81: « Scito.... hanc ipsam fidem.... suffragio suo comprobare universas totius orbis ecclesias, nempe Hispaniae, Britanniae, Galliae, totius Italiae, Dalmatiae, Daciae, Mysiae, Macedoniae, Grae-

ciaeque et Africae universae, necnon Sardiniae, Cypri, Cretae, Pamphyliae, Lyciae, Isauriae, Aegypti, Lybiae, Ponti, Cappadociae, vicinas quoque nobis necnon Orientis Ecclesias, paucis exceptis, qui Arii haeresim sequuntur. Quae enim sit omnium illarum Ecclesiarum sententia, et experientia novimus, et earum habemus litteras ». — Cf. Hergenröther-Kirsch [4] p. 370: « Apparentia officialis veritati rei omnino erat opposita ». Id quod non excludit, in talibus ecclesiis orthodoxis aliquos vel aliquam factionem Arianam fuisse. — Populi autem quidam barbari quid vere tenuerint, saepe difficile dictu esse videtur.

b) Unitas societatis Arianis omnino deerat. In diversas factiones cum diversis sententiis inter se non raro persequentibus divisi erant. Porro singulae factiones non habebant auctoritatem unam, cui ut sociali se submissos profitebantur.

c) Arianismum non misisse altas radices in populo christiano *confirmatur* eo, quod, favoribus aulae imperatoris subtractis, in imperio Romano quasi integer concidit. Nempe soliditate caruerat. — De Arianismi essentia et historia ample et erudite recentissime disseruit H. Le Bachelet, Arianisme in Dictionnaire de Théologie catholique I 1903 col. 1779-1863, cum lit.

Ob. 3) — Nestorianismus post finem saeculi quinti « *immensos in Oriente fecit progressus.* Diffundebatur non tantum in Syria, Mesopotamia, Chaldaea, Persia, verum etiam usque ad Arabiam, Aegyptum, Mediam, Bactriam, Hyrcaniam, Indiam, atque ad culmen perductus est saeculo 11°, quo tempore Patriarcha Nestorianorum sub se habebat 25 metropolitas [qui singuli sub se habebant 12 episcopos], quos a regno Sinensi usque ad Cap Camorin instituebat ». Silbernagl-Schnitzer, Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirchen des Orients [2], Regensburg 1904 p. 246. Catalogum episcoporum v. Assemani Bibl. Orient. III, 2 p. 706-88. — Testimonium aliquod propagationis sectae inter Sinenses saeculo 8° habes in inscriptione celebri in San-xuen prope Sigan-fu, quae nomina 70 missionariorum christianorum continet.

R. — *a)* Solutio huius difficultatis peti non posse videtur ex eo, quod alias generatim tales difficultates iam a limine solvit, scilicet quod secta non habuerit formam socialem sub auctoritate una. Habebat unum caput, patriarcham Ktesiphontis et Seleuciae.

b) At *propagatio* etsi magna erat, tamen *multum inferior erat propagatione ecclesiae Romano-Catholicae, si et extensio per orbem et numerus asseclarum simul consideratur.* Considerandum autem esse utrumque elemementum simul, ex ipsa expositione theseos patet.

c) Caeterum illa *magna extensio durationem non habuit.* Nam praecipue inde a fine saeculi 14[i] plurimi ad Islam defecerunt. Postea alii ad ecclesiam Romanam temporibus diversis reversi sunt. Unde hodie in loco restricto 150,000 animas numerant.

Lit. Quoad propagationem Nestorianorum. Cf. v. g. Funk, Kirchenlexicon [2] Nestorius u. Nestorianer II col. 169-77 — Silbernagl. o. c. l. c., porro 267-8. — Quaedam in lit. citata ab Ulysse Chevalier, Repertoire des Sources historiques du Moyen Age. Topo-Bibliographie II 1903 ad v. Nestoriens col. 2090-1. — Tabulam geographicam de propagatione Nestorianismi v. Karl Heussi u. Hermann Mulert, Atlas zur Kirchengeschichte 1905 tabula 3[a].

Ob. 4) — *Ecclesia* anatolica seu *Photiana* per magnam partem Orientis propagata est, porro etiam ipsa inter ethnicos missiones habet. Unde *eandem habet catholicitatem atque ecclesia Romano-Catholica.*

R. — Nego assertum. *I. Statum hodiernum si respicis:*

a) Ii qui originem doctrinarum atque schismatis sui e schismate Photii atque Caerulei trahunt, *nullo modo unam formant societatem* cum auctoritate imperandi una. Vide 15 ecclesias autokephalas, quas alio in loco enumeramus.

b) At num fortasse uni ex istis 15 quae tamen unum regimen habet, scilicet regimen sanctae synodi Petroburgensis, *ecclesiae russiacae* dico, catholicitas requisita ascribenda est? Id quod ideo in mentem cuidam venire posset, quia habet magnum numerum asseclarum (80 milliones) et missiones diversas. — Respondeo, id minime fieri posse. Etenim:

Numerum si respicis, detractis Rascolniki habes forte c. 60 milliones, qui ipse numerus tamen ob alias diversas sectas minuendus esse omnino videtur.

Diffusionem si respicis, quasi omnes isti asseclae ecclesiae Russiacae formant unam massam compactam, non vero eam diffusionem per orbem habent, quae diffusionem catholicorum vel a longinquo imitetur.

Habent utique primo *missiones* sive inter Mohamedanos sive inter ethnicos, quorum milliones in regno Russorum inveniuntur. De quibus tamen A. Palmieri, La chiesa russa, le sue odierne condizioni e suo ri-

formismo dottrinale p. 460 hoc iudicium profert : « La chiesa russa si è applicata a battezzare i pagani, dimenticando però d'istruirli, d'imbeverarli di massime cristiane, e perciò il suo lavoro è andato a vuoto ».

Quod iudicium verum esse Palmieri demonstrat primo quoad eos *Mohamedanos qui* natione *Tartari* sunt, quorum urbs principalis est Kazan. Baptismum ob pecunias aliave terrena bona receptum libenter repudiarunt (p. 461-510). — Deinde similia de plurimis ethnicis in *Sibiria* dicenda sunt, ubi multi, post Ukas 17 Aprilis 1905 editum, restitutis missionario crucibus, ad ethnicismum reversi sunt (p. 510-18). — In *America septentrionali* ecclesia Russa tres habet dioeceses, « quarum missionum sterilitatem ipsae litterae russiacae (stampa russa) recognoscunt » (p. 518-20).

Missio inter *Iapones*, si cum caeteris missionibus russis comparatur, florere dici potest (520-25). — Inter *Sinenses* vero a saeculis nullus quasi successus habetur (525-527) : « D'altronde, come è avvenuto pei Tartari, i missionarii russi sanno l'arte di battezzare, ma ignorano quella di trasformare i cuori pagani in cuori cristiani. Non vi è Missione che più della Cina dimostri l'immensa superiorità dell'apostolato cattolico sull'ortodosso ». — Neque *Nestorianorum* multorum conversio quidquam habebat, quo gloriarentur Russi. Neque durare videtur, neque quidquam religiosi ad eam impulit (p. 529-31). — Iis quae diximus, missiones Russorum, caput rei quod attinet, absolvuntur.

II. *Statum antiquum schismatis Photii atque Caerulei* si attendis, illud Schisma neque catholicitatem requisitam pro se ipso habebat neque eam ecclesiae romano-catholicae abstulit. Etenim defectio eorum schismaticorum non ita numerum atque extensionem ecclesiae Catholicae diminuebat, ut non illa catholicitas remanserit quam statuimus, praesertim cum schismati Caerularii, nonnisi sensim magnae partes inter russos accederent, idque tantum eo tempore quo ecclesia Romana novis progressibus inter populos septentriones augebatur. — Missiones autem schismaticorum quod attinet, illud concedendum quidem est, Photium in *Bulgaris* ad fidem adducendis merita sibi acquisivisse. At populi *Russi* eo tempore a missionariis Constantinopolitanis ad fidem conversi sunt, quo ii schismatici non erant.

Ob. 5) - *Protestantismo competit catholicitas.* Etenim Protestantes *numero fere pares sunt* Catholicis, item *per orbem universim modo quam maxime conspicuo dispersi.* Vide tabellam geographicam Heussi-Mulert tab. 12ª.

R. — *Nego assertum.* Ad probationem. *a)* Res principalis est, illos 166 milliones Protestantium *non formare societatem unam, sed centenas.* Ne umbra quidem veri adest, unam ex istis habere illam catholicitatem absolutam et relativam, quae est nota verae ecclesiae.

b) Quamvis illa una responsio ad rem dirimendam omnino sufficiat, iuverit tamen ob momentum difficultatis, quae hodie saepissime repetitur, quaedam *ulteriora addere.* Cf. Ottiger II p. 916-21, porro opera specialia, quae citabimus.

a) Usque ad saeculum fere 19^m^ vix ulla erat activitas Protestantium in ethnicis ad fidem convertendis.

Imo *eam ut evangelio non conformem positive reiciebant.* — Lutherus renuit talem laborem. Ethnicos enim indignos esse, quibus purum evangelium afferretur. — Concedit Protestans Warneck, Abriss einer Geschichte der protestantischen Missionen von der Reformation bis auf die Gegenwart [7], 1901 Berlin, p. 9, Reformatoribus « defuisse ipsam agnitionem officii missionum ». Id quod fere per saeculum et dimidium durabat (ib. p. 24-39). Qua re contra se iudicium tulerunt.

Quo toto tempore vix alia facta sunt, quam ut quaedam brevissimo tempore durans colonia gallica inter Brasilienses fundaretur atque Lappi inter Svedos in parochias a Gustav Wasa dividerentur (Warneck p. 23, 24). Unde recte auctores catholici eius temporis ex hoc ipso statu rerum falsitatem Protestantismi arguebant. Cf. e multis Lugo, de fide, disp. 5 sect. 4 n. 51.

Neque *haec res multum mutabatur, quando Protestantes* falsam doctrinam, de qua diximus, magis reiecerunt atque praeterea, quibusdam viris religiosis uti Leibnitz impellentibus, exemplo praecipue Patrum Societatis Iesu confusi, *ad aliqua agenda se accingebant.*

I. *Tempore Orthodoxiae* quaedam ab Hollandis in coloniis suis indicis facta sunt; quaedam inter Anglos magis portendebantur quam perficiebantur. At de ipso campo praecipuo missionum Hollandiae, Ceylon, iudicat Warneck p. 47: « Christianismus interne sine valore erat », quamvis ibi circiter 400,000 habitantium baptismum recepisse dicantur (ib. p. 42-54).

II. Neque periodo quae sequebatur, *Pietistarum* scilicet, aliquid magni obtentum est. — Imo etiam ad id pervenerunt, ut Protestantes catholicas missiones dextruerent vel ethnicos excitarent, ut a Christi doctrina abhorrerent. Ita v. g. Hollandi Protestantes ob rationes commercii persecutiones ecclesiae Iaponensi movebant. Cf. Hergenröther-Kirsch, [4] vers. ital. VI 1907 p. 516. Praeterea « English-East-Indian-Company » usque ad saeculum 19^m^ generatim non tantum non adiuvisse propagationem religionis christianae, verum etiam eam impedivisse atque in multis idololatriam promovisse ipsi Protestantes clare demonstrarunt. Cf. v. g. Warneck, Abriss p. 81-4.

III. *Saeculi 19^i^ priore parte activitas* externa nondum valde fervebat. Quae tempora praecipue considerat opus, quod in diversis linguis habetur: Marshal, Christian Missions: Their agents, their methode and their results, London 1862 v. 3. Quo opere paucissimi fructus missionum Protestantium oculis exhibentur.

β) At *post medium fere saeculum 19*^{m} externa rerum facies mutata est. *Activitas externa a Protestantibus hodie exercetur magna, atque fructus externus non deest.* Id quod insinuant continuae quaerelae missionariorum catholicorum, de iis quae Protestantes circa ethnicos, non raro catholicos missionarios praeveniendo, agunt.

Statistica, ea, quam habet H. Krose S. I., Katholische Missionsstatistik, Freiburg 1908, rem illustrabit. Prius exhibeo statisticam missionum *hodiernarum* catholicarum e p. 122, deinde Protestantium e p. 126 Hodiernae autem missiones ab auctore vocantur eae, quarum activitas est huius temporis, fructus vero is, qui saeculo 19 acqui situs est, non autem is, qui ex saeculis prioribus perseverat.

Conspectus missionum catholicarum hodiernarum

Campi missionum in	Catholici		Sacerdotes missionarii		Alii adiutores		Stationes principales - secundariae	Ecclesiae et capellae	Scholae	Discipuli utriusque sexus
	a) Numerus totalis	*b)* Originis europaeae	*a)* Numerus totalis	*b)* indigeni	*a)* Fratres laici	*b)* Moniales				
Asia	6,299,886	138,000	9086	5237	2930	11,996	25,157	17,837	13,083	504,074
Australa et Oceania	170,054	—	392	9	291	531	547	553	497	20,634
Africa	853,931	130,000	1842	123	1357	3668	3702	3418	3392	193,813
America	998,092	170,000	985	?	285	1089	1008	928	862	72,357
Summa	8,321,963	438,000	12,305	5369	4863	17,284	30,414	22,736	17,834	790,878

Conspectus missionum protestantium hodiernarum

Campi missionum in	Protestantes indigeni	Missionarii	Indigeni « ordinati »	Alii adiutores	Stationes	Scholae	Discipuli utriusque sexus
Asia	1,528,922	2617	1689	19,676	1632	10,768	413,428
Australia et Oceania	278,830	122	544	5833	207	2917	71,437
Africa	695,232	1268	890	10,081	1090	4719	323,798
America	713,700	463	129	2210	861	517	58,707
Summa	3,216,684	4470	3252	37,800	3790	18,921	867.370

Iudicium de statistica. — Quae ut recte iudicentur, haec addenda putavi:

1) Certe *id quod propagatur*, id quod ethnicis a multis Protestantibus praedicatur, *nulla plane ratione est religio christiana.*

a) Quoad ipsa dogmata. — Dogmata *in genere* quod attinet, aliquando ipsa fundamentalia dogmata Christianismi negantur, v. g. magna pars missionariorum inter Iapones ipsam divinitatem Christi negat. Cf. v. g. Kath. Missionen, 1903 p. 259.

Imo a plurimis *principii loco* statuitur, *tantum eas veritates religiosas, de quibus Protestantes fere inter se conveniant*, esse ethnicis praedicandas. « Secundum iudicium maioris partis [World Missionary Conference, i. e. eius congressus de rebus missionum Protestantium in toto mundo, qui anno 1910 a delegatis 160 « ecclesiarum » et societatum missionis Protestantium in Edinburgh habitus est] systemata [protestantica et catholicum] religiosa Occidentis non sunt transponenda in Orientem. Tantum purum, simplex evangelium esse nuntiandum, ergo idem evangelium indifferens, quod fundamenti loco fuerat, quo admisso conferentia [illa universalis] adunata fuerat. Ecclesiis novellis deinde committendum est, ut evolvant formam religionis, quae conveniat eorum indoli particulari nationali atque intimis eorum indigentiis, ut praeterea fundent ecclesiam nationalem » A. Väth, Die protestantischen Missionsbestrebungen der Gegenwart, Der Kongress zu Edinburg, Simmen... 1910 tom. 79 p. 253-67 p. 261-2. Idem re videtur proponere Warneck, Evangelische Missionslehre ² 3 tomi, Gotha 1897-1903, III p. 19-21. Rationes eas affert, quod in « confessionibus » particularibus ecclesiarum protestantium inveniantur tum doctrinae contradictoriae, tum subtilitates dogmaticae, quas illi convertendi capere non possint. Cf. quoque p. 8, 18. Nihilominus p. 17 vult, ea quae in Scriptura continentur, admitti debere.

Praeterea ethica civilisatione eiusmodi missionarii multa narrant, de Christo ipsi ii qui fide sua quasi eminent, pauca. Cf. Kath. Missionen 1904 p. 38-9.

Dogmata *practica* quod attinet, etiam theoretice, non tantum practice polygamiam saepe tolerant. A. Väth l. c. p. 262 haec refert: « Commissio secunda pro World Missionary Conference, uti patet sequens vota ad congressum missa, iudicaverat, suo iure uti sic dictam ‘ sententiam mitiorem ’, secundum quam *Polygamistae, si aliter fieri* non posset, suscipiendi essent in communitatem chri-

stianam atque *ad baptisma admittendi*, ita tamen ut ' protestatio ' contra hanc coniunctionem non christianam praemittatur. Contra hanc decisionem missionarii ex Africa meridionali intercessionem faciebant. At res non ulterius tractabatur » Cf. quoque Warneck, Missionslehre III p. 40 nota, ubi refert, talia in quibusdam missionibus ab ipsis « clericis » proponi. In Uganda, uti referunt Kath. Missionen 1911 p. 218, Protestantes generatim putant, praecepta moralia solius V. T. non vero NT. esse stricte imposita. — Unde saepe non habes nisi quendam Christianismum adogmaticum neque nimis difficilem.

b) Quoad ipsam unitatem fidei et regiminis. — Unitas *fidei* in missionibus Protestantium secundum ea quae exposuimus, evidenter non est ea, quae ecclesiae Christi propria est. Ut alia omittamus, ne habetur quidem unum vivum magisterium.

Neque ullo modo unitas *regiminis* habetur. Etenim primo illae communitates quas Protestantes convertunt, *nequaquam in unam eandemque ecclesiam externam universalem concrescunt.* Imo Warneck, Abriss III p. 11 concedit, eiusmodi ideam, etsi non ad omnes missiones extenderetur sed ad coetus alicuius territorii maioris v. g. Indiae limitaretur, saltem hodie adhuc esse inter chimaeras numerandam. — Secundo, *ne ea quidem unitas* regiminis habetur, ut isti novi coetus putentur *necessario esse aggregandi ad eam societatem sectariam*, ad quam ii missionarii pertinent, qui eos fundarunt.

Nam sicuti illi missionarii, salvis paucis exceptionibus de quibus cf. Warneck, Abriss III p. 84-7, generatim *non ab iis ipsis coetibus seu sertis i. e. eorum magistratibus mittuntur* sed a plurimis societatibus privatis hominum ad sectas pertinentium, quas v. ib. p. 87-158, ita missionarii generatim quidem coetus a se fundatos simili modo organizant atque eae sectae organizatae sunt ad quas pertinet, sed eas non necessario (cf. ib. p. 9), imo quantum videre possum generatim neque de facto, illi qualicumque sectarum regimini externo subiciunt, quo sectarii in patria aliqua ratione uniri solent. Interim ipsi missionarii eos coetus regunt, eosque aliquando arctius aliquando minus arcte cum secta ad quam ipsi missionarii pertinent coniungunt, at omnino efferunt, tendendum esse ad hoc, ut eiusmodi coetus in ecclesias tam plene sui iuris excrescant, quam plene sectae diversae protestantes in patria fide et regimine inter se independentes sunt, ib. p. 5-39.

Imo sunt, qui uti normam agendi proponant, eam organizationem quam ea secta habet, ad quam missionarii pertinent, istis coetibus non esse imponendam, sed *ipsorum esse, ut aliquam formam, essi forte novam, sibi ipsi constituant.* Ita « Societas missionum Londonensis »

hoc principium fundamentale posuit: « Nobis propositum non est, ut ad ethnicos deferamus Presbyterianismum, Independentismum, Episcopalismum vel aliquam aliam formam ecclesiae atque regiminis ecclesiastici, sed gloriosum evangelium Dei nostri benedicti. Relinquetur iis personis, quos Deus vocabit in societatem filii sui, uti iis semper relinquendum est, ut sit sibi talem ordinem ecclesiasticum constituant, qui iis ipsis melius cum verbo Dei convenire videbitur » Apud Warneck ib. p. 10 nota 2.

2) Protestantes *diversas partes campi missionum* ita excoluerunt, ut *in moribus vix appareret fructus.* — Generatim Warneck, Abriss ad finem p. 384 de « maiore parte » conversorum dicit: « Conversio ad Christianismum apud maiorem partem non est identica cum eo quod nos conversionem dicimus ». — Relative autem fructus inter catholicas missiones superare plurimum eos, qui a Protestantibus acquiruntur, ipsis multis Protestantium testimoniis constat.

3) Unde testimonia ipsorum Protestantium non desunt, quibus quasi vaticinantur, *successum, si alicuius partis futurus sit, fore Catholicorum.* Ita v. g. Protestans Reid de duplici missionis methodo, catholica et protestantica, inter Sinenses haec ait: « Utique non video, quomodo systema Protestantium (clerus sine coelibatu, ministri sat larga pecunia retributi) possit mutari; sed hoc intelligo optime, si regnum Sinense unquam christianae religioni aggregandum sit, hoc potius romana quam protestantica methodo esse perficiendum ». Kath. Miss. 1900-1, p. 48. — De rebus vero Japonensium v. testimonium alterius testis protestantici e Febr. 1900: « Protestantium successus non esse nisi apparentes; missionarios ob defectum unitatis, vitam nimis commodam, negotia saecularia, influxu carere, dum catholicorum missionariorum influxus ob vitae exemplum solidus sit ».

4) Quibus propositis non negavimus posse multos sine culpa fidem veram in Christum cum iis quae eam connaturaliter, gratia Dei cooperante, sequuntur accipere, etsi ii qui eam annuntient Protestantes sint. Potest enim esse, ut tales praedicatores *veritates fundamentales religionis christianae recte proponant easque veris argumentis credibiles reddant.* Sectam autem qua talem non proponent unquam argumentis obiective bonis, imo forte eam aliquando omnino non proponunt.

De fide miraculorum.

Assertio. Ea fides miraculorum quam uti proprietatem verae ecclesiae probavimus, simul est nota ecclesiae.

1) P. 277-83 vidimus, *cum sola vera ecclesia esse coniunctam* tantum fidem qua miracula eo numero eoque splendore fulgentia a Deo impetrentur, ut ea miracula quae forte aliquando ab haereticis patrentur, sine ulla comparatione superent.

2) Fides miraculorum est *aliquid externum, experimentali cognitioni subiectum.* Etenim tali cognitioni, ut patet, primo est subiectum elementum illud, quod est ipsum miraculum; secundo elementum aliud, quod est dependentia miraculi a fide. Haec enim manifestari potest verbis, quibus in genere constare potest, homines ob fiduciam e fide theologica progredientem, miraculum a Deo hic et nunc petere vel petiisse.

3) *Fides miraculorum est notior quam vera ecclesia in concreto.* Etenim potest cognosci independenter a cognitione, quae sit vera ecclesia in concreto, e sola experimentali cognitione miraculorum et earum virtutum, praecipue vero virtutis fidei, quibus ea miracula impetrantur. Haec cognitio aut tempus praesens respicit aut tempus praeteritum historice scrutatur.

Ob. — De *noto loco Aug.* quo dicere videtur per miracula non probari ecclesiam cf. De rev. rel. in abstr. p. 81 Ob. 12.

Propositio. Ea fides miraculorum, quam in ecclesia vera ut notam inesse probavimus, in sola ecclesia Romano-Catholica invenitur.

TEMPORE APOSTOLICO.

Tempore apostolico *plurima et diversissima* miracula facta esse ex Act. apostolorum notissimum est. Cf. materiam amplam Wilmers, de religione revelata theses 92-5, p. 434-53.

E miraculis haereticorum celebriora sunt *Simonis Magi.* At in his saltem deest veritas theologica, cum per modum ostentationis

patrata sint, neque ad Deum humiliter referrentur; cum praecipue ad id referrentur, ut iis probaretur, eum esse Deum. Id quod e revelatione christiana falsum esse noscitur. — Cfr. Bonniot, Le miracle et ses contrefaçons, [5] Paris 1895, p. 210-2.

TEMPORE PATRUM.

S. Irenaeus, Adv. haer. l. 2 c. 31 MG 7, 824-5 *miracula haereticorum* miraculis in ecclesia opponit.

« Super haec arguentur qui sunt a Simone, et Carpocrate, et si qui alii virtutes operari dicuntur: non in virtute Dei, neque in veritate, neque ut benefici hominibus facientes ea, quae faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones et universa fraude, plus laedentes quam utilitatem praestantes his, qui credunt eis, in eo quod seducant. Nec enim caecis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes daemones effugere, praeter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt; neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos: quemadmodum saepe evenit fieri secundum corporalem infirmitatem, vel earum quae a foris accidunt, infirmitatum bonas valetudines restaurare.

Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent, (quemadmodum Dominus excitavit et apostoli per orationem; et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium, ea quae est in quoquo loco Ecclesia universa postulante per ieiunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum): ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri: esse autem resurrectionem a mortuis, agnitionem eius, quae ab eis dicitur, veritatis ».

Quam descriptionem complet c. 32, ubi *de miraculis filiorum ecclesiae* haec addit col. 828-30: « Quapropter et in illius nomine, qui vere illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus; et sint in Ecclesia. Alii autem et praescientiam habent futurorum, et visiones et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant et sanos restituunt. Iam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resur-

rexerunt, et perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Iesu crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit a Deo et gratis ministrat ».

Origenes multa de miraculis catholicorum sui temporis habet. V. g. c. Cels. l. 8 n. 58 MG 11, 1606 B Celso obicit: « Non videt, quo modo haec verba ' in nomine Iesu ' a veris fidelibus pronuntiata non paucos a morbis, a daemoniacis obsessionibus aliisque incommodis liberaverint ». Cf. l. 3 n. 24. — Quibus aliisque locis excluduntur quae falso de Origene statuit Harnack, Dogmengeschichte 1909⁴ I p. 656 nota-658.

S. Augustinus, de Civitate Dei l. 22 c. 8 n. 2-22 col. 761-71 multa miracula sui temporis refert.

Tempore Arianismi habetur miraculum celeberrimum *martyrum Tipasae* (in Africa) qui ab Hunnerico linguis orbati, tamen sine iis loquebantur. De cuius miraculi veritate historica cf. Victor Vitensis, De persec. Vand. l. 5 c. 6 ML 88, 245; ipse Codex Iustin. l. 1 tit. 27. — Explicatio naturalis, quam quidem tentarunt, sustineri nequit. Nam, nullo exercitio praemisso, subito die tertia distincte loqui coeperunt « quomodo antea loquebantur » adhibebant de omnibus, « sermones politos sine ulla offensione » ut de uno eorum Victor Vitensis narrat. Inter quos etiam aliquis surdomutus erat. Cum duo ex iis postea peccatum contra castitatem committerent, miraculoso dono subito iterum privatos se inveniebant.

Inter *miracula haereticorum celebriora* sunt miracula *Marcionis Gnostici*. — In quibus habebatur, teste Hippolyto, histrionum ars; teste Irenaeo seductio feminarum ad impuritatem. — Cf. expositio Bonniot o. c. p. 212-8.

MEDIO AEVO.

Tempore Caerularii habentur miracula *S. Bernardi*. Referuntur plurima. Testes sunt praecipue tres viri optimae notae, generatim Sancti comites atque testes oculati, praeprimis Gandfridus, S. Bernardi notarius. Cf. Hüffer, Die Wunder des hl. Bernhard u. ihre Kritiker, Hist. Iahrbuch 1888 p. 23-45; 748-806.

Ita v. g. uno die prope Constantium sanavit caecos 11, mancos 10, claudos 18.

De ratione argumentandi Hüffer contra Druffel ita sententiam fert Ottokar Lorenz, Leopold von Ranke, die Generationenlehre u. der Geschichtsunterricht, Berlin 1891 p. 324: « Haec controversia demonstrationem sane gratissimam exhibuit, secundum principia quam maxime agnita criticae historiae assumi debere, S. Bernardum a Clairvaux de facto multa miracula patrasse. Et si sapientissimi inter sapientes alias hoc in mentem inducendum esse putarunt, in hac re sibi sine ulla indagatione et dubitare et negare licere, Prof. Hüffer clare ostendit scholam historicam hoc non permittere, cum secundum regulas criticae ne minima quidem ratio habeatur, ut ita reiciatur quod hic traditum habemus ». Quo iudicio non obstante, ob alias rationes Lorenz tamen miracula ista negat.

Tempore magni Schismatis. S. Vincentius Ferrerius in diversis obedientiis summorum Pontificum eius aetatis miracula sua patravit. Testes in 5 processibus auditi sunt 504 e diversis regionibus; miracula referuntur plura quam 860. Inter quae habetur multiplicatio farinae, ita ut ex ea panes pro 2000 hominum conficerentur.

E miraculis haereticorum praecipue nominanda sunt ea quae Albigensibus ascribuntur. Ritibus magicis impudicissimos mores promovebant.

TEMPORE POST REFORMATIONEM.

Ex eo tempore multo facilius quam e temporibus anterioribus de innumeris fere miraculis constat. Habentur enim plurima miracula a Congregatione Rituum approbata.

Cum *inter 1500 et 1880 e solis confessoribus 119 beatificati vel canonizati* sint, iam sola ea *miracula*, quae ab iis post eorum mortem patrata atque iudicialiter *approbata sunt, ad c. 600* ascendant necesse est (4 pro singulis beatificandis, praeterea 2 pro singulis canonizandis). Quae miracula fide ab iis mortuis petebantur. De facto autem saepe in una causa plurima miracula fide digna habentur. — De severo examine miraculorum cf. Bened. XIV, De serv. Dei beatif. etc. l. 4 pars 1 c. 8 ed. Rom. 1749 p. 111-37.

Saeculo 19 commemoranda sunt miracula in *Lourdes*. Inter ea quae ibi vel aliis in locis invocatione B. V. de Lourdes facta sunt, electa sunt 25, quae a diversis episcopis canonice approbata sunt. Cf. Pierre Teilhard de Chardin, Les miracles et les enquêtes cano-

niques, Etudes vol. 118 [1909] p. 161-83. — Cf. in genere: Boissarie, Lourdes, histoire médicale 1858-91, Paris 1891; G. Bertrin, Histoire critique de Lourdes. Apparitions et guérisons, Lourdes-Paris [4] 1905 [34] 1910.

Celebre factum est miraculum in Petro Rudder in Belgio cuius tibia 16 febr. 1867 fracta 7 apr. 1875 subito sanitati plene restituta est, plurimis novis texturis subito formatis. De quo facto diversi libelli et articuli habentur. V. g. L. van Hoestenberghe, docteur en méd., E. Royer, docteur en méd., A. Dechamps S. I., docteur en méd. et en sciences naturelles: Guérison subite d'une fracture, Récit et étude scientifique, Bruxelles 1900. — E. Wassmann, Eine plötzliche Heilung aus neuerer Zeit, in Stimmen... 1900 I 113-28.

De miraculo *S. Ianuarii*, quod in eo consistit, ut sanguis eius die festo eius ebulliat, cf. v. g. Léon Carène, Le célèbre miracle de S. Ianvier, Paris 1909 pp. 356. — Act. Sanct. 19 Septemb.. Addenda ad 3[tio] Sept., tom. VI: De SS. Ianuario... § 28 p. 849-52; praecipue § 30 p. 857-63.

Ad *miracula haereticorum* consideranda convertimur.

Inter *Protestantes*, ut minimum dicamus, tam rara erant atque sunt miracula ex fide procedentia, ut haud pauci e praecipuis eorum scriptoribus negent, ea post tempus apostolorum vel post saecula priora fieri omnino debere vel posse. Ita Luther, Calvinus, Middleton, uti ibidem exposuimus.

At, uti iam p. 277 monuimus, *etiam Reformatores quibusdam in locis ad miracula provocant.*

De *Luthero* Grisar, Luther II [2] 1911 p. 129-32 haec collegit. P. 129: « Lutherus non tantum coram omnibus, verum etiam si eius propriam persuasionem respicimus, maximum momentum attribuebat sequenti evidenti ' signo e coelis dato '. Attamen ex ipso eius (Lutheri) libro pespicitur, agi de re quam maxime naturali et simplici ». Est autem hoc factum in eo, quod *monialis quaedam*, ut ad Lutheri partes transiret, *e monasterio aufugere poterat, quia*, uti ipsa retulit, « *ea persona quae me includere debebat, cellam apertam reliquerat* ». Adiungit Luther, Deum « complura eiusmodi signa per hos tres annos videri patrasse ». — Aliud miraculum quod Luther sibi ascribit, hoc est: *Melanchton, amicus Lutheri, e morbo quodam, utique tantum lento progressu, reconvaluit*, postquam Luther eum visitaverat, eumque letali moestitia confectum consolatus fuerat atque « super eum » precatus fuerat.

Ob modum quo Luther hoc factum narravit, « traditionis locum inter Protestantes obtinuit, vim orationis eius penetrasse abyssos ». Ib. p. 132. — Tandem Mykonius, superintendens in Gotha affirmabat, se nonnisi auxilio orationum Lutheri, quod ille sibi nuntiaverat, quamvis phthisi laboraret, adhuc diu superstitem fuisse, i. e. *per sex annos « in magna infirmitate » vitam misere traxisse.* Ib. p. 132. — Postremo, uti historiographus quidam Protestans scribit, *vitam uxoris suae* Catharinae, cum valde esset aegrota, precibus suis a Deo *impetrasse « fertur »*. Ib. p. 132. — Patet, quam longe haec absint a miraculis rite probatis. — Quae vero *recentius* de Protestantium « sanationibus per preces » narrantur, miraculorum vim assequi non probantur.

Celeberrima sunt miracula *Calvinistarum*. Etenim in montibus *Cevennes* aliquando usque ad 8000 hominum « exstatici » erant; dicuntur (etiam infantes lactantes) lingua gallica esse locuti, cum tamen nescirent nisi Patois; ab igne laesi non sunt, etc. At nullum ex istis miris vim diabolicam transcendit. Porro in istis statibus extraordinariis hortabantur ad crimina v. g. ut in plena pace alios necarent, infantes e gremio praegnantium eriperent; instituebant criminosos quomodo fugerent milites, quorum erat contra talia crimina agere. Cf. de Bonniot o. c. p. 220-6.

Iansenistae. — Octo miracula praecipue efferuntur. At *a)* impetrabantur a mortuo diacono Paris, a quo impetrabantur eae exstases, in quibus patratae sunt impudicitiae. — *b)* Porro nullum ex miraculis est eiusmodi ut diabolica virtus non sufficiat. Cf. de Bonniot o. c. p. 226-32.

Mormones. — Centena miracula ab ipsis facta narrantur. At cum dogmata eorum et in se absurda sint et contra bonos mores, si res superant vires humanas, a diabolo sunt. Cf. de Bonniot p. 232-5.

« *Christian Science* ». — Quaecunque asseclae huius sectae latissime propagatae in corporibus sanandis effecerunt, certe primo usque nunc non demonstrarunt « se efficere posse plus sua methodo spirituali, quam ordinarius hypnotista suggestione sua ». Secundo, quaecunque illi operantur, ea procedunt ex principiis quae tum rationi tum fidei aperte adversantur. Rationi adversantur, cum inter alia asserant, morbos non in re sed tantum in mente hominum exsistere; fidei, cum inter alia vim sanandi pantheistice

explicent. De quibus cf. librum praecipuum fundatricis sectae, Mary Baker: Science and Health ' 1875, ed. 1904, in plurimis locis. Priorem errorem v. g. p. 373, secundum p. 331. Cf. de hac secta O. Pfülf, Die neue amerikanische Gnosis « Christian Science » in Stimmen... 1905 tom. 69 p. 64-82, p. 174-197, praecipue de miraculis eius ib. p. 181-90.

Graecos et Russos quod attinet, eliminari debent ea miracula, quae facta sunt a Sanctis Catholicis, scilicet iis temporibus vel is temporum intervallis, quibus ecclesiae istae cum Romana unitae ierant. — Ea miracula vero, quae forte remanent, certe cum miraculis ecclesiae catholicae neque certitudine facti aut miraculi neque numero neque splendore ullo modo comparari possunt. — Quod speciatim ad ea miracula pertinet, quae a Russis pro canonizatione Sanctorum requiruntur, nihil probat, ab auctoritate eorum ecclesiastica vel a longe eum rigorem in diiudicandis miraculis observari, quem in ecclesia Romana observari videmus. Atque in specie in inquirenda miraculosa corporum incorruptione, generatim quidem ea dicuntur « conservata et intacta » « Mais les détails circonstanciés sur l'état du corps consignés dans leurs rapports (i. e. membrorum commissionis quam S. Synodus nominat) laissent supposer, qu'ils attachent à ces termes un sens plutôt conventionnel et assez peu rigoureux ». J. Bois, in Dictionnaire de Théol. Cathol., Canonisation dans l'Église Russe IV tom. 2 col. 1669. De abusibus, quae apud populum oriuntur ex faciliore iudicio de quadam corporum exsiccatione, quasi per se miraculosa esset, cf. ib. II 3 col. 1665, Ottiger II p. 1056 nota 1.

In genere quoad omnes haereticos. — Certe nulla secta talia habet miracula nota qualia ecclesia catholica. Deberent autem ea adesse cognoscibili modo. Etenim miracula a Christo ut nota suae verae Ecclesiae instituta sunt.

Difficultates.

Ob. 1) — *Rationalistas* ob principium suum de impossibilitate miraculorum a priori *omnibus saeculis miracula abiudicare debere patet.* Unde aut veritatem eorum historicam negant, aut veritatem philosophicam idque similibus fere rationibus peculiaribus innixi, ob quas etiam miracula Christi negare solent.

Imprimis hodie has ideas premere videntur: generalem defectum

criticae atque credulitatem, quae saeculis anteactis omnia occupaverint; evolutionem atque syncretismum, vi cuius ecclesia aetate Patrum ex aliis religionibus ethnicis miracula semper plura atque semper magis materialia, semper magis opposita indoli spirituali primae aetatis, in se suscipere debuerit; fraudem, quae quasi in methodum excreverit; vim magnam virium naturae corporalis et spiritus proprii in sanandis morbis.

Quoad *Syncretismum*. — Harnack, Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Iahrhunderten ² 1906 II p. 265 plenam evolutionem Syncretismi ascribit saeculo 3⁰: « Religio (catholica) — quae olim utpote pure spiritualis, omnem materializationem vetabat atque oppugnabat — se ipsa materializat omni ex parte. Ipsa morti addixerat mundum et naturam, at nunc incipit eam resuscitare, non utique totam, at eius particulas atque segmenta eaque eiusmodi, quae mortua erant atque foeda. Miracula in ecclesiis fiunt magis numerosa, externa, informia. Quascumque fabulas historiae apostolorum apocryphae narraverant, hae ad tempus praesens trahuntur atque de tempore praesenti affirmantur ».

De *fraudibus* idem auctor ib. p. 187 haec habet: « Veracitas quoad id quod realiter exsistit in omni religione tam facili modo damnum patitur, quam iustitia; atque omni religioni accrescit fanatismus, defectus criticae, fraus. Historia ecclesiastica inde a primis temporibus talia enarrat. In plurimis casibus, in omnibus istis miraculis, quae non sunt facta... hodie non iam possumus decidere, ubi deceptio sui ipsius desiverit esse atque deceptio aliorum inceperit, ubi fanatismus se efformaverit in methodum et methodus in deceptionem ex more usitatam et cotidianam; uti in genere non possumus distinguere, ubi severa exclusivitas [in dogmatibus etc.] se efformaverit in iniustitiam et fanatismum. Non possumus plus facere, quam ut demonstremus, eiusmodi casus proh dolor non fuisse raros, eosque crevisse. Neque in tertio saeculo, imo neque in secundo ea deerant quae dicuntur deceptio sacerdotum atque fraus in re miraculorum ».

R. — N. asserta. — Ad singula:

Credulitas illa ex eo solet erui, quod regulae criticae non erant scientifice excultae, quod miracula habebantur impossibilia. At hae rationes generales non valent. In singulis casibus videndum est. Neque ideo catholici miraculum ut genuinum recipiunt, quia in literatura quomodolibet traditum est.

Syncretismum illum falsum esse aliunde constat. In specie miracula saeculo 1 et 2 numerosiora erant quam postea. Cf. p. 283. Porro quae magis « materialia » erant quam donum linguarum,

quas ne ipsi habentes quidem capiebant? Hoc autem donum praecipue temporis apostolici est (1 Cor. 14, 4-13).

Fraus illa in genere ob indolem aetatis Patristicae notam repugnat. Num in aliquo casu particulari adsit videndum est.

Ob. 2) — Plurimi Protestantes orthodoxi, praecipue Anglicani, affirmant *miracula facta esse tantum tempore apostolico* (Middleton). Aliqui tamen ea extendunt usque fere ad concilium Nicaenum; alii usque ad medium aevum. — R. *Rationes non sunt historicae, sed aprioristicae.* Scilicet, si concederet, miracula facta esse iis temporibus quibus dogmata omnino catholica, v. g. de cultu sanctorum iam floruisse constet, etiam concedere deberent, doctrinam catholicam iis confirmatam esse. Id quod concedere non possunt.

Quasdam singulas obiectiones speciminis causa afferamus:

Ob. 3) — *Si Sancti miracula patrassent, de iis in epistolis suis scripsissent.* — At silet in epistulis v. g. S. Bernardus de suis, Xaverius de suis. — R. *a)* V. g. neque S. Petrus in 1 et 2 sua epistola de miraculis suis loquitur, quae plurima eum patrasse S. Lucas in Actibus narrat. Ratio, cur nonnisi specialibus rationibus adacti de miraculis suis agerent, erat humilitas eorum. — *b)* S. Bernardus de facto breviter de miraculis suis refert in ep. ad Eugenium III, ad Tolosanos. — S. Xaverius in ep. 5 ad Tursellini loquitur de miraculis, quin utique diserte se ipsum nominet: « Deus puerorum ceterorumque fiducia ac pietate adductus aegris compluribus et corporum et animorum restituit sanitatem ».

Ob. 4) — *Relationes vel de eiusmodi sanctis thaumaturgis,* qui celeberrimi sunt, *fidem historicam non merentur.* V. g. miracula S. Xaverii, quae in India facta esse dicuntur, scriptis consignata sunt tantum post 35 annos idque in Europa. — R. Primo, multi etiam aequales de miraculis Xaverii privatim scripserunt. Cf. testimonia quaedam etiam e recentibus inquisitionibus Ottiger II p. 984. — Secundo, de facto in India paucis annis post mortem Xaverii processus canonici de vita iam facti et in documentis publicis relati sunt. Tertio, miracula, quae in processu 1616 deponebantur, utique maximam partem non iam per testes oculatos referri poterant; deponebantur tamen per idoneos. Biographia Sancti, proprio volumine distincta, non est edita nisi 1597,

at in aliis operibus uti « De rebus indicis » 1571 Dillingae, de gestis Sancti relatum est.

Cum ea, quae contra *veritatem philosophicam miraculorum* afferunt, non soleant esse multum diversa ab iis, quae afferunt contra veritatem philosophicam sanationum Christi, pro eiusmodi difficultatibus solvendis ad thesim de veritate philosophica miraculorum Christi remittimus.

Lit. — Act Sanct. Septembris tom VI Addenda de SS. Ianuario etc. § 29 p. 861-3; de aetate Patrum ib. § 29 p. 852-7. — Bellarminus, De notis l. 4 c. 14. — Bened. XIV, De servorum Dei beatif. l. 4 c. 8-31. — Spagni, De miraculis, [2] Romae 1779 pars 6 p. 585-671. — Newman, Two essays on Scripture miracles and of ecclesiastical, [2] London 1870 pp. XI + 393. — Gutberlet Lehrbuch der Apologetik, Münster 1904, II[3] p. 456-74. — Wilmers, De relig. revel. thesis 92-4, 108, 130, 133; de ecclesia th. 108; Lehrbuch der Religion II 1910 p. 611-15. — Ottiger II p. 875-6; 975-85; 1053-8. — Wilmers et Ottiger multa particularia habent de miraculis SS. Bernardi, Vincentii Ferrarii, Xaverii.

De sanctitate heroica.

Assertio. Ea sanctitas heroica, quam ut proprietatem verae ecclesiae probavimus, simul est nota ecclesiae.

1) Sanctitas heroica *experimentali cognitioni subiacet.* Nam *a)* heroica sanctitas etiam vitam externam secundum regulas sanctitatis perfecte ordinat. Praeterea cum ex natura sua quam maxime operosa sit (cf. p. 284) multiplici ratione operibus sanctis tum in honorem Dei tum in veram utilitatem proximi susceptis conspicua sit necesse est. — Imo heroica sanctitas non tantum ordinario quodam modo experimentali cognitioni subiacet, verum etiam ob ipsam rationem miraculosi et rari omnium oculos ad se trahit. — *b)* Non irrationabiliter dicitur, heroicam sanctitatem *saepe* miraculis a Deo esse manifestandam. Etenim, ut vidimus propositione de proprietatibus ecclesiae p. 277-8, Christus fiduciam magnam e fide theologica procedentem miraculis donat. Iamvero primo humilis fiducia habebitur praecipue ab iis qui sanctitate eximia Deo serviunt. Deinde Christus certe praecipue fidem perfectam dono extraordinario ornare intendit. Fides autem perfectissima ea est, cui opera quam maxime perfecta respondent. — Confirmat historia, quae docet, praecipue sanctos opera miraculosa patrasse.

2) Haec heroica sanctitas, experimentali cognitioni subiecta, est *notior quam vera ecclesia.* Nam ea cognitio de sanctitate he-

roica sive horum sive praeteritorum temporum ex natura sua independens est ab ea cognitione, quae ex coetibus christianis sit vera ecclesia.

Ob. 1) — *Sanctitas morum*, uti omnis moralitas, *in voluntate uti in subiecto inhaeret.* Ergo experimentali cognitioni subiecta non est. — R. Sanctitas morum *ita* voluntati inhaeret, *ut tamen per actiones externas* quae, uti in genere moralitatem ita etiam sanctitatem participant, necessario *manifestanda sit*, c.; ita ut haec manifestatio ex natura rei etiam abesse possit, n. Quodsi ordinaria virtus iam se manifestat, id eo magis, ut exposuimus, de sanctitate heroica valet.

Ob. 2) — Actiones, e quibus ad sanctitatem heroicam concludi posse putant, etiam *ex hypocrisi oriri* possunt. Ergo non sunt signum certum sanctitatis heroicae. — Dist. antec.: *Una vel alia actio* vel series actionum ex hypocrisi oriri potest, c.; *ea series actionum*, qualem p. 284 ad sanctitatem heroicam requiri docuimus, n. — *Expl.* Speciatim e duabus rationibus patet, eam actionum seriem non posse nisi e sanctitate, vere heroica oriri. Prima est, sine *virtute prudentiae, summo quodam in gradu* possessae, ne ea quidem a voluntate imperantur, quae in singulis occasionibus ad eas omnes virtutes spectant, quas sanctitas heroica requirit. Iamvero virtus prudentiae summo in gradu nonnisi in iis invenitur, qui sanctitate eminent. Secunda est, actionum sanctarum ea series, quam p. 284 descripsimus, naturae humanae *tam difficilis est, ut nonnisi a voluntate per gratiam quam maxime extraordinariam adiuta* efficaciter imperari possit.

Ob. 3) — Actiones istae ad sanctitatem heroicam requisitae sane e gratia supernaturali strictissimo sensu tali *oriantur necesse est*, atque proinde debent esse intrinsece proportionatae ad finem supernaturalem seu visionem beatificam. Atqui haec eorum *supernaturalitas sine dubio experimentali cognitioni aliorum hominum non subiacet.* Imo neque ab eo ipso, qui sanctitate illa heroica praeditus est, percipi potest. Est enim mysterium sensu stricto, non minus quam ipsa visio beatifica. Ergo sanctitas heroica, uti generatim sanctitas, nequit esse nota ecclesiae. — *N. supposítum* difficultatis, *sanctitatem esse notam secundum ea omnia, quae ad eam requiruntur ad id ut sit proprietas* verae ecclesiae. Est nota in quantum hae actiones oppositae sunt vitiis atque eiusmodi vir-

tutibus, quae non e motivis supernaturalibus sed naturalibus ponantur; in quantum porro eas actiones virtuosas, quae ordinarie a iustis ponuntur, superant iis perfectionibus, quas p. 284 enumeravimus. In tantum autem eae actiones experimentali cognitioni subiacent. — Similis difficultas fieri potest similisque solutio est, quando agitur de fide miraculorum, de excessu in bono et recessu a malo in genere. Sunt notae in quantum numero, firmitate, intensitate etc. eos actus superant, qui a membris aliorum coetuum ponuntur, non in quantum supernaturales sunt.

Propositio. Haec sanctitas heroica invenitur in sola Ecclesia Romano-Catholica.

Consideramus solum tempus inde ab exorto Protestantismo.

Ecclesia Catholica. — Omissis plurimis, quorum cultus approbatus est, omissis quoque iis martyribus, qui solemniter beatificati vel canonizati sunt, *ex iis qui post annum 1500 mortui sunt,* ut confessores *canonizati* sunt *64* personae, beatificatae multae aliae. Catalogum earum quae canonizatae sunt v. Ottiger II p. 973-5.

« Catalogus ac status causarum beatificationis servorum Dei et beatorum Canonizationis, quae apud Sacram Ritum Congregationem per viam non-cultus incedunt », Romae 1909, haec exhibet: *Recensentur causae quae 1909 pertractabantur numero 321.* « Harum num. 24 sunt ad obtinendam Canonizationem. quas inter 2 de duobus Beatis Martyribus. Ad Beatificationem seu Declarationem Martyrii habentur 31 [unaquaeque talis causa Martyrum saepe multos Martyres continet] caeterae ad Beatificationem obtinendam ». Si diem attendas pretiosae mortis... causae desumentur 2 e saeculo 14, 3 e 15, 12 e 16, 73 e 17, 74 e 18, 156 e 19, 1 e 20... Ad clerum saecularem pertinent num. 47 causae; ad ordines sive familias Regulares 139, ad eremitas 2, ad Laicatum 13. Cf. ib. p. IX-XI. De iis, quorum causa beatificationis pertractatur, generatim moralis certitudo magnae perfectionis vitae habetur.

Protestantes vero 1) quantum notum est, neminem habent, de quo sanctitatem heroicam vel asserant.

2) Solet Deus praecipue initia coetuum religiosorum sanctitate eximia illustrare. At praecipue e Reformatoribus nullus, ut minimum dicamus, sanctitate illustris est.

3) Imo quadam invidia, quae eos honorat, Protestantes cor-

dati Sanctos ecclesiae catholicae considerare solent. Vide quoad S. Xaverium testimonia in eius vita scripta a Bouhours. Cf. Hettinger o. c. p. 124. — Leibnitz, Systema theol. haec habet: « Neque id ex minimis eorum est, quae ecclesiam illam commendant, quae una Catholicae nomen et insigna retinuit, in qua sola videmus excellentiam virtutum asceticaeque vitae exempla passim edi atque curari ». Cf. verba Lavater ad comitem Fredericum de Stolberg, qui catholicae religioni se addixerat: « Vos habetis Sanctos, id non nego, nos eos non habemus, saltem non eiusmodi quales vos habetis ». David August Rosenthal, Convertitenbilder aus dem neunzehnten Jahrhundert, ² Schaffhausen 1866, I p. 21.

4) Tandem deest apud eos confirmatio sanctitatis heroicae per miracula. Cf. quae in ultima propositione diximus.

Quoad eos sanctos quos *ecclesia anatolica* cultu sive ad hunc vel illum locum restricto sive universaliore v. g. in tota Russia colit, haec breviter dicenda esse videntur. Aliquando de hominibus agitur, qui malis moribus praediti erant, uti Photius, patriarcha Constantinopolitanus, aliusque Photius, metropolita Kioviensis initio s. 15. Aliquando de iis agitur, qui moribus caeteros quibuscum vivebant, superasse videntur, at ab heroica sanctitate certe alieni erant. Id quod dicendum est v. g. de Petro I archiepiscopo simul et duce Montis Nigri. Generatim vero nulla fiducia haberi potest earum relationum de vitis Sanctorum, quas Russi conscribunt. Etenim « Monitum hagiographorum de anno ecclesiastico Graeco-Slavico » composito a Ioan. Martinov, Acta SS. Octob. tom. 11 Bruxellis 1864 p. I-VII p. V haec habet: « Slavi enim aeque ac reliqui recentiores Orientales plane Vitas nullas habent historicas, quales Latini legunt bene multas; sed quas versant et amant, panegyres sunt verbosae, communibus laudibus plenae, ex quibus vix quidquam de sanctorum gestis cognoscas, ne indolem quidem. Miracula autem saepe prima specie fabulosa apparent, alia autem, quae miraculorum loco habentur, hoc nomine nequaquam digna sunt, siquidem mere naturalia sint... ». — Cf. plura Ottiger II 1055. — De canonizatione in ecclesia Russiaca J. Bois l. c. p. 344 col. 1659-72.

Ob. 1) — Plurimi hodie contra sanctitatem heroicam in ecclesia catholica obiciunt, *quasdam actiones Sanctorum, quas heroicas dicunt Catholici*, non tantum non esse signa heroicae sanctitatis, sed *plane indignas homine*. Tales actiones v. g. habent, quod

quidam impellente caritate ulcera aegrotorum osculati sunt. — R. Eiusmodi difficultatibus ideae non rectae de sanctitate subiacent.

Ob. 2) — Alii ob visiones, dona mystica etc. quae saepissime sanctitatem comitantur, sanctos ut homines *fanaticos, sobrietatis atque ipsius sanae rationis quasi oblitos depingunt.* — R. Primo, ista dona extraordinaria e conceptu suo dona naturalia uti v. g. activitatem intensam scientificam vel organizatricem non deprimunt. Secundo, ii ipsi, qui talibus donis fruebantur, teste historia, vitam intellectus et voluntatis, imo activitatem practicam, saepe maxime evolutam habebant. Cf. S. Paulus, S. Theresia.

De excessu in bonis et recessu a malis in genere.

Assertio: Is excessus in bonis et recessus a malis, quem antea uti proprietatem verae ecclesiae probavimus, etiam notam verae ecclesiae constituit.

1) Eiusmodi excessum in bonis et recessum a malis subiectum esse *experimentali cognitioni* simili modo probatur, quo id de heroica sanctitate antea demonstravimus. Praeterea constat e verbis Christi Mt. 5, 14: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est », eum eiusmodi visibilitatem speciali modo intendisse.

2) Ii fructus sunt *notiores* quam ecclesia vera. Cf. primo ea quae mox in assertione de sanctitate heroica diximus. Secundo idem ex specialibus verbis Christi patet. Nam Io. 17, 21 Christus caritatem erga Deum, in qua omnes virtutes includuntur, constituit ut motivum credibilitatis; Io. 14, 33 speciatim ipsi caritati fraternae hoc quasi munus attribuit: « In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».

Propositio. Is excessus in bonis et recessus a malis, quem in vera ecclesia ut notam inveniendum esse demonstravimus, in sola ecclesia Romano-Catholica invenitur.

De methodo argumentandi. — In moribus unius societatis vel massae cum moribus alterius societatis vel massae comparandis ante oculos habenda sunt *principia de comparandis moribus*, quae inveniuntur De rev. rel. in abstracto n. 157 p. 122. Praecipue premendum est, mores universim sumptos inter se debere comparari; motiva ad mores pertinere; homines sub iisdem circumstantiis

debere comparari. Unde inter se comparamus catholicos et haereticos in iisdem terris sub iisdem circumstantiis in mores influentibus constitutos.

Obici posse videtur, modum argumentandi, quem in tota hac parte de moribus comparandis adhibebimus, ineptum esse. Eum enim e parte versari in rebus statisticis exhibendis. Iamvero primo, *methodus argumentandi pro sanctitate membrorum ecclesiae e statistica* hausta, sane nova est, cum apud Patres atque veteres theologos non inveniatur. *Secundo*, adagium est, numeris omnia quae vis probari posse, quod est idem atque affirmare, *scientia statisticae nihil probari posse.*

R. — Nego assertum. — Ad rationem priorem : *a) Tota scientia statisticae* in ea forma determinata, quae hodie excolitur, *nova est.* Mirum ergo non est, veteres ea scientia usos non fuisse. Summam autem rei quod attinet, ea scientia et exsistebat semper et adhibebatur ab apologetis. Nempe semper v. g. ad numerum magnum martyrum, ad numerum minorem criminum inter christianos apologetae pro sanctitate membrorum ecclesiae demonstranda attentos reddebant.

b) E quo tempore statistica formam suam scientificam accepit, etiam *auctores plures catholici inceperunt* non tantum obiectiones adversariorum e statistica haustas refellere, verum etiam *ea scientia uti* ad sua argumenta stabilienda. Cf. v. g. Gutberlet, Lehrbuch der Apologie III[3] p. 353-71. Cf. effata p. 353, 365. Ottiger II 1911 p. 968-70 e statistica argumentatur, suaeque argumentationi his verbis finem imponit p. 970: « Ergo scientia statistica, si recte ea usus fueris, testimonium non reddit contra Ecclesiam catholicam, sed pro ea ».

Ad rationem alteram additam : Dist.: Statistica, si ad eam materiam applicatur quae sub numerum cadit, *si porro numeri secundum ea principia diiudicantur, quae initio huius propositionis in memoriam revocavimus*, quaeque in tractatu de revelat. relig. in abstracto amplius evolvimus, eiusmodi statistica quaecunque optas atque ita reapse nihil probat, n.; si statistica contra principia dicta excolitur, nihil probat, c. — Nonne eandem distinctionem adhibes, si sanae philosophiae adversarii ad adagium provocant: « Syllogismis omnia, quae vis probantur! » ?

Divisio. — Omissis sectis veterioribus, quae iam interierunt, prius

atque praecipue Protestantes consideramus, praesertim cum ipsi superioritatem moralem et culturalem Protestantismi prae populis catholicis haud raro affirment. Deinde quaedam addemus de ea ex ecclesiis orientalibus schismaticis, quae sanctae synodo Petropolitanae subdita est.

COMPARATUR INTER SE MORES CATHOLICORUM ATQUE PROTESTANTIUM.

Relate ad Deum.

FIDES *in Christum ut legatum (et Filium) Dei* a Christo ut res quam maxime fundamentalis praescripta est. Iamvero evidens est, inter Protestantes cultos *Protestantismum liberalem quam maxime diffusum esse in Germania, Gallia, Anglia atque America septentrionali.* Cf. testimonia plurima, quae in decursu tractatus de revelatione christiana attulimus. Unde nihil mirum, quod aliquis praedicator lutheranus dixerit: « Puto, ex sic dictis sociis fidei meae vix 2 milliones in divinitatem Christi credere ». Cf. H. Pesch, Die sociale Befähigung der Kirche, Berlin 1911, p. 615.

SPEM in Deum, imo generatim mores dirutos esse quam maxime patet *suicidio.* In illud religio magis influit quam ullae aliae considerationes. « Si enim religio vere asseclas suos tuetur atque vires eis influit, hae certe tunc effectum suum habeant necesse est, quando res sunt quam maxime desperatae, quando agitur de eo proposito, quod impossibilem reddit omnem emendationem atque conversionem, quando agitur de suicidio », H. Krose, Religion und Moralstatistik, München 1900, p. 19. Posset utique quis suspicari, praecipue res pecuniarias in frequentiam suicidii influxum habere. At facta aliud dicunt. Cf. H. Krose, Der Einfluss der Konfession auf die Sittlichkeit, Freiburg 1904, p. 78. Ita v. g. inter 60,000 suicidia in Borussia et Saxonia tantum 11, 9 %, resp. 9, 1 % rebus pecuniariis ascribenda erant.

Iamvero in Borussia quoad 1 millionem pertinentium ad aliquam confessionem inveniebantur suicidae:

	1849-55	1869-72	1891-1900
Apud Catholicos	49, 6	69	93
» Protestantes	159, 9	187	247
» Israelitos	46, 4	96	241

Simillima est proportio in Bavaria, Wurtemberga, Baden. Cf. Krose, Religion andMoralistatistik p. 68-81 ; idem, Der Selbstmord im 19 Iahrhundert, Freiburg 1906 ; idem, Die Ursachen der Selbstmordhäufigkeit, Freiburg 1906.

Virtutem religionis quod attinet, factum publicum est, Catholicos in genere multo numerosiores frequentare *cultum publicum*. Ut signum curiosum accipe, in Liverpool die 16 Octob. 1881 numerum Catholicorum qui adierant ecclesiam die dominica relate ad numerum Protestantium se habuisse uti $^{8}/_{1}$. Cf. Stimmen..., 1881 tom. 21 p. 548. Idem valet de confessione peccatorum, quam ipsi Protestantes in se utilem dicere solebant, de sacra communione.

Cultum privatum quod attinet, sufficit lustrare literaturam asceticam, praecipue libros qui orationem mentalem spectant, ut differentiam videas. Ad difficultates quasdam cf. Gutberlet, Lehrbuch der Apologetik[2] III § 10 p. 347-8.

Quamvis Protestantes generatim Catholicos in Germania divitiis duplo superent atque hi plura extraordinaria pro ecclesia dare debuerint quam Protestantes, tamen *expensae liberae pro cultu Dei* 1880-4 ex parte Catholicorum saltem duplo maiores erant. Cf. L. von Hammerstein, Winfrid[4], Trier 1895, p. 280-2.

Statum publicum religionis (ordines et congregationes religiosas) apud Protestantes nullum invenis, apud Catholicos numerosissimum. — Amplissima de statu hodierno ordinum cum statistica: Max Heimbucher, Die Orden und Kongregationen der Kath. Kirche[2], vol. tria, Paderborn 1907-8, pp. 523 + 629 + 635. — Si Diaconissas Protestantium ut aliquid analogum sumere vis, comparationis gratia haec accipe: Diaconissarum in toto mundo c. 16,000 inveniuntur. Catholica ecclesia vero plurimas formas sororum caritatis habet, quae plurima membra numerant. Ea forma, quae a S. Vincentio a Paulo fundata est, sola fere 35,000 numerat. Cf. Heimbucher III p. 538. Congregatio scholarum christianarum fundata a Sancto de la Salle, 1904 habebat membra: 15,472, scholas: 2019, discipulos: 326,579. Cf. Heimbucher III p. 302 — Magnum numerum inter eos digne statu suo vivere, est factum publicum. De religiosis v. g. in Mexico Madame Calderon della Barca, etsi Protestans sit, ait: « Maior pars eorum vitam abnegationis atque virtutis degit ». Cf. Kath. Missionen 1901 p. 155.

Relate ad proximos.

Caritas eiusque fervor in bonis spiritualibus procurandis. — Inde ab initio Protestantismi usque fere ad a. 1850 aut nullum aut minimum fuisse zelum Protestantium *in praedicatione evangelii inter ethnicos*, vidimus ubi egimus de nota catholicitatis ecclesiae.

Dicitur quidem in genere Protestantes magis generosos esse in iuvandis missionibus per media temporalia. De qua re haec accipe ex Kath. Missionen 1910 Febr.-Mai., pluribus articulis cum titulo: Katholische u. protestantische Missionsalmosen: Usque nunc inter se comparari non possunt summae, quas utraque pars confert. Ratio praecipua in eo sita est, quod ea quae ordines religiosi diversis modis conferunt, aestimari non possunt. Deinde etsi assumimus Protestantes omni anno 29 milliones Marc. dare, tamen ex his 20 milliones a Protestantibus stirpis anglicae dantur. Hi autem magna ex parte dant ex motivis quae commercium respiciunt, cum missionarii Protestantes ipsi commercio maximae utilitati sint. Unde singuli magni industriales saepe milliones dant. V. l. c. p. 107-8.

In praedicatione fidei *inter populos christianos* multa quidem faciunt Protestantes tum praedicatione ordinaria dominicali, tum in coniunctione cum sua sic dicta « *missione interna* », quae ab aliis personis fit quam ab iis, qui vi muneris in sectis protestanticis ad illas functiones spirituales deputati sunt. De qua re cf. Kirchliches Handlexicon II 1907 p. 989. — At in quantum « missio interna » praecipue praedicationem dicit, nullo modo comparari potest vel *cum solis ordinibus et congregationibus, quae praecipue missionibus inter Christianos insistunt*, inter quas non pauci speciatim ad hunc finem fundati sunt. Cf. v. g. relationes de « missionibus populi » quae dicuntur, apud Hammerstein, Winfried, p. 42-66.

In bonis materialibus procurandis consideranda est non tam magnitudo rei datae in se spectata, verum quam maxime sacrificia, praecipue aerumnae personales, quae cum ea cura coniunctae sunt, idque imprimis si eae eximiae, heroicae sunt. Iamvero:

Primo, *Medio aevo innumerae fundationes ad miseriam sublevandam debentur. Has magna ex parte Protestantes destruxerunt* atque haud raro principibus addixerunt. Cf. Iansen, Geschichte des deutschen Volkes II p. 301-4; VIII p. 312-17 de spiritu misericordiae multum imminuto; VIII 319-32 de bonis ecclesiasticis

contra finem suum adhibitis. Quoad Angliam praecipue Georg Ratzinger, Geschichte der Kirchl. Armenpflege,[2] Freiburg 1884, p. 451-5.

Secundo, hodie quamvis etiam Protestantes multa in hac parte faciant, tamen *et multitudine et magnitudine operum sub iisdem circumstantiis externis, tum praecipue sacrificiis personalibus Catholici eos multum superare solent.* — Cf. Ratzinger o. c. pars 3, p. 432-541 praecipue p. 508-36 de iis aerumnis quas ordines atque congregationes tolerare solent. Considera v. g. mirabilem caritatem quam exercent « Les petites sœurs des pauvres », quae hodie numerant 5400 membrorum. Cf. Heimbucher III p. 389. — Sume aliud exemplum. *Peste infectos visitare* Praedicantes Calvinistae Genevae 1543 ab animis suis impetrare non poterant. Die 5 Iunii exponebant senatui, « neminem eorum habere hanc constantiam, ut audeat ad nosocomium pestilentia in fectorum ire, quamvis officium suum hoc annexum habere sciant, ut serviant Deo et ecclesiae tempore tam bonae quam malae fortunae usque ad mortem ». Apud Ottiger II p. 1024, ubi alia similia. Eodem tempore in diversis partibus Germaniae usque ad initia belli 30 annorum e solis Jesuitis saltem 121 in servitio pestis libere electo mortui sunt. Cf. Iansen o. c. V p. 196-9. Cf. quoque B. Duhr, Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge, Freiburg I 1907 p. 218 sq., 514 sq. — Similia de saec. 19° cf. apud Card. Dechamps, Entretiens sur la demonstration catholique, 5 entretien, Oeuvres complètes, I p. 504-5 ubi hoc effert, parlamentum anglicum debuisse attestari, se invenisse sacerdotes quidem catholicos ad lectos morientium tempore cholerae in exercitu (1832), non vero suae religionis ministros.

Castitatem quod spectat: *Virginitas Deo sacrata* habetur in sola ecclesia catholica. Etenim diaconissae neque vi obligationis, neque de facto continuo a matrimonio abstinent, sed generatim tantum ad tempus. (Neque Diaconissae a pecunia sua eiusve usu se abdicant). Cf. Kirchenlexicon ad v. Diaconissen III p. 1690. — Conatus ut missionarii Protestantes inter exteras nationes coelibatum servarent, successum non habuerunt.

Matrimonii indissolubilitas. — Matrimonii solutio solet esse indicium multorum peccatorum quae illam antecesserunt et multorum quae eam sequuntur. — Iamvero sub iisdem conditionibus in Germania e mille matrimoniis catholicis solvuntur 0,67; e Pro-

testantibus 2,65. — In Hollandia 1886 e 1000 matrimoniis solvebantur inter Catholicos $^1/_2$; inter Protestantes 6-22. — Porro in nulla terra, in qua Christiani habitant, tot matrimonia solvuntur atque in America septentrionali. V. g. 1867-86 ex 11-31 matrimoniis 1 solvebatur. At quamvis ibi inter annos 1880-1900 numerus dissolutionum creverit, in genere relate ad numerum anteriorem 157 %, tamen in statibus qui dicuntur neo-anglici, numerus decrevit. Id quod Carroll D. Wright, iussu Congressus Washinghton in hanc rem inquirens, ascribit influxui catholicorum, qui fideliter legi suae ecclesiae inhaerent. V. eius opus: A report in marriage and divorce in the United States, Washinghton 1887. — Cf. Krose, Der Einfluss.... c. 10 p. 87-98. — Idem, Religion.... p. 82-91.

Nativitates illegitimae nonnisi caute in comparationem morum adduci possunt. Saepe enim fit, ut per maiorem malitiam sive fructus peccati impediatur sive peiora peccata perpetrentur. At sub iisdem conditionibus in peccata influentibus etiam nativitates illegitimae in comparationem sumi apte possunt. Iamvero in Germania idque in districtibus cum eiusmodi conditionibus sat paribus, in districtu (Regierungsbezirk) catholico Münster nativitates illegitimae habentur 2,09 %, in districtu protestante Köstlin 9,24 %; in catholico Oppeln 5,65 %, in districtu maiore ex parte protestante Liegnitz 12,57 %. — In parte catholica Irlandiae, quamvis ob paupertatem plurimi (39 %) matrimonium inire non possint, tamen in partibus catholicis sunt tantum 1,9 %, in protestantibus vero 6,2 %. — Cf. Krose, Einfluss.... p. 1-60, praecipue 42-60. Integer hic libellus optimus est quoad methodum comparationis.

In *genere Reformatio sic dicta Protestantium catholicos in peius mutavit.* Quaedam verba Lutheri quae huc pertinet haec sunt: « Malitia hominum ita brevi apud nos crevit, atque eum gradum assecuta est, ut putem, mundum non posse durare nisi per quinque vel sex annos », Sermones ad mensam. Cf. Döllinger, Reformation III, Regensburg 1848, p. 230-1. — Iudicia plurima eiusdem generis v. collecta Döllinger ib. p. 1-420, ubi verba plurima ipsorum quoque reformatorum habentur (praecipue Lutheri p. 294-362). Speciatim quoad castitatem ruinae expositam II § 15 p. 426-52; 640-704. — Iansen o. c. VIII pars 3 p. 359-465. Cf. quoque Grisar, Luther II c. 24 p. 534-63. — Ipsi asseclae Lutheri solent ad id tendere,

ut demonstrent, doctrinam de inutilitate operum bonorum non esse causam tantorum malorum; alii in hac ipsa doctrina aliquam praecipuam causam eorum inveniunt.

DE EA ECCLESIA ORIENTALI SCHISMATICA QUAE SYNODO PETROPOTITANAE SUBDITA EST.

E Lit. recentiore. — Anatole Leroy-Beaulieu, L'empire du Tzar, v. I-III ed. germ. 1884-90 pp. 497 + 512 + 616, praecipue fere integer tomus 3. — Aurelio Palmieri, La Chiesa russa, le sue odierne condizioni e il suo riformismo dottrinale, Firenze 1908 pp. 759.

Simili modo atque Protestantes Catholicis opposuimus, etiam membra eius partis ecclesiae graecae, quae synodo Petropolitanae subdita est, generatim sumpta membris ecclesiae catholicae generatim sumptis opponi poterunt. De qua re haec pauca accipe:

De missionariorum zelo vix est cur sermo sit. Cf. Palmieri o. c. c. 7 p. 397-541. *Intra fines Russiae praedicatio evangelii* ex parte cleri ex saeculis rarissima est. Huic defectui magna ex parte ascribitur, quod et superstitio late grassatur et tot tamque numerosae sectae cum doctrinis omnino absurdis inveniuntur. Ita iudicat etiam Palmieri p. 435. Sectas v. collectas praecipue Leroy III ed. germ. p. 312-529. Plura in magno opere quod nunc editur: Karl Konrad Grass, Die russischen Sekten, Leipzig 1907, usque nunc I et II 1. De defectu praedicationis cf. etiam Leroy-Beaulieu p. 302-3.

Status religiosus non eminet numero. Numerantur c. 15.000 monachorum et 38.000 monialium. Praeterea in genere neque ascetice formantur, neque operibus caritatis sive spiritualis sive corporalis insistunt. « Deest iis una ex notis principalibus et inclinationibus, quas in nostris (religiosis) novimus et magni aestimamus, spiritus sacrificii et amoris proximi... pauca sunt instituta, quae se tota dedicant curandis pauperibus, aegrotis, senibus, aut educationi iuventutis... ». Aliquid in hac re ultimis temporibus factum est. Leroy-Beaulieu p. 242. Cf. 237.

Cleri mores. — Generatim clerus *a)* privatus est auctoritate et sufficiente activitate. Cuius causa una est, quod sunt « instrumentum politicum » pro gubernio. Ita Döllinger, Kirche u. Kirchen. München 1861, c. 4 p. 173 — *b)* Sacrosancta synodus in scripto quod pro imperatore destinatum erat, affirmat: 1836-9 esse ob crimen infame in iudiciis publicis damnatam « sextam partem to-

tius cleri russiaci ». Theiner. L'Eglise schismatique russe c. 6., quem librum non vidi. — Regnat late crimen ebrietatis. — *c)* Seminaria nullam vitam virtutis seu ascesim docent. Palmieri, o. c. p. 227-38.

Populus. — *Confessio* generatim fit una vel alia quaestione celeriter posita. « Plerumque sufficit confessio globatim sumpta, confessio simplex culpae, prout habetur in formula indeterminata : peccavi ». Leroy-Beaulieu p. 149-50. — Sub poena mortis confessarius debet revelare ea crimina, quae contra imperatorem atque statum directa sunt. Ita Petrus I constituit. — Cum *communio* semel in anno a statu praescripta sit, circa 50 milliones utique schedam de officio hoc impleto afferunt, at plurimi pro pecunia data talem schedam recipiunt. Leroy-Beaulieu p. 255-7. Generatim nonnisi semel in anno ad communionem acceditur. — Solvitur *matrimonium* ob infidelitatem unius partis.

Propositio. Contra eam sanctitatem membrorum ecclesiae quam statuimus, immerito afferuntur mali eorum mores e diversis epochis usque ad exortum Protestantismum.

Classis prima difficultatum, quae contra sanctitatem membrorum ecclesiae afferuntur, in eo est, ut *efferantur opera mala a Catholicis patrata, praecipue si talia peccatorum genera quibusdam temporibus quasi propria erant. — Responsio generalis est, quod ea crimina non opponuntur ei gradui sanctitatis in membris ecclesiae, qui a Christo efficaci voluntate ut nota suae ecclesiae institutus est.* Etenim non destruunt heroicam virtutem vel fidem miraculorum, quae nullis temporibus deerat; non illam relativam eminentiam in bonis operibus sub iisdem conditionibus prae operibus haereticorum. — Adiungimus tamen ad difficultates singulas proponendas aliquam explicationem sitam in quibusdam tentationibus specialibus quos uni tempori prae alio propriae sunt, sive illae ortae sunt ex indole naturali populi de quo agitur; sive ex malis habitibus, quos ille per longiora tempora contraxit; sive ex novis circumstantiis culturae. Cum sub iisdem circumstantiis Catholici semper moribus Protestantes superent, id sane discimus: si hae tentationes haereticos sub iisdem circumstantiis invasissent, eae effectus etiam magis funestos producturae fuissent. Cum libri Pro-

testantium diversis eiusmodi difficultatibus impleri soleant, quasdam ex iis speciminis gratia considerare haud abs re erit.

Ob. 1) — In ecclesia catholica *forte plures adulti sunt in statu peccati mortalis quam in statu gratiae.* — R. Nego statum gratiae maioris partis adultorum esse ut notam ecclesiae a Christo institutam.

Ob. 2) — *Salvianus ipsos ethnicos barbaros, qui initio saeculi quinti imperium Romanum expugnabant, meliores dicit incolis christianis illius regni.* — R. *a)* Salvianus ostendere vult, Christianos dignos ea poena fuisse atque ideo eos non posse de infortuniis a Deo immissis conqueri. Cum quo cohaeret, quod aliquantum exaggerat. — *b)* Barbari deos colebant, crudeles erant, multa flagitia contra castitatem patrabant, etsi a quibusdam criminibus Romanorum liberi essent, quippe quae cum perfectione culturae externae cohaererent. — *c)* Ratio cur mores Christianorum prae statu anteriore depravati fuerint ea erat, quod, quando post Constantinum ecclesia plenam libertatem nacta erat, plurimi convertebantur. Inter hos plurimos multi erant, qui non sat efficaciter ethnicos mores exuerant; imo neque deerant, qui eo tempore ex motivis terrenis christiani fierent. Caeterum etiam eo tempore multi, praecipue e nobilibus, adhuc ethnici erant, qui in mores publicos malum influxum exercebant. — *d)* S. Augustinus, testis oculatus, hoc habet de Christianis sui temporis, De civ. Dei l 1 c. 9 ML 41, 21: « *Quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis* (barbaris) ». Cogita praeterea plurimos qui in persecutione Vandalica martyres facti sunt; cogita barbaros ab ipsis victis Christianis ad religionem christianam perductos esse etc. Cf. Wilmers, de rel. rev. thesis 106, th. 116 nota, th. 136.

Ob. 3) — *Saeculum 9-11 teste Baronio « ferreum » erat.* — R. Quod Baronius affirmat *non de tota ecclesia affirmat*, sed de rebus italicis, praecipue Romanis. Eligebantur Pontifices indigni. Tales erant Stephanus VI (VII), adolescentes uti Ioannis XII et Bened. IX. Cf. Hergenröther II inter p. 197-219. At eodem tempore alibi, v. g. in Anglia, Irlandia vita religiosa florebat. Hae terrae v. g. plurimos sanctos produxerunt, inter quos non pauci etiam principes saeculares inveniebantur.

Ob. 4) — *Saeculo 14 et 15 in Italia Renascentia florebat. Mores pessimi erant.* Nonne tantopere grassabatur sodomia, ut

urbes quaedam publice eam oppugnare deberent, ut respublica Venetorum Venetiae ipsos laicos constitueret, qui in singulis partibus urbis inculcarent, ut cives a peccando desisterent, ne tandem ob sobolis defectum civitates perirent? Cogita porro Alexandrum VI etc. — R. *a) Neque eo tempore deerant plurimi Beati et Sancti in Italia.* Cf. catalogum, apud Pastor Geschichte der Päpste im Zeitalter der Renaissance I [4] p. 44-5; III p. 66 sq. — *b)* Iis temporibus saepe *et singuli et oppida integra, praedicantibus praecipue sanctis religiosis, conversi sunt.* Cf. Pastor I p. 39-41. — *c)* Rationes speciales cur mala ita creverint, videntur fuisse in magnis divitiis, quae facile et laicos et clericos ad mores dissolutos disponunt; in renascentia litteraturae paganae, qua multi abutebantur ad id ut vitia paganorum imitarentur; forte etiam in illa perturbatione regiminis ecclesiastici, quae ex magno schismate orta erat.

Propositio. Falsae sunt rationes, ob quas Protestantismo praeeminentia in moribus ascribitur.

Post ea, quae mox de statu inferiore morum inter Protestantes demonstravimus, vix capitur, quomodo eiusmodi difficultates fieri possint. At afferuntur, idque saepissime. Unde quasdam speciminis gratia referre atque refutare iuvabit.

Ob. 1) — Protestantes initio exorti Protestantismi destruxerunt lupanaria. — R. *a)* Etiam hodie disputatur num pro moribus melius sit tolerare eas domos publicas, an non. — *b)* Protestantes non universaliter eiusmodi domus destruxerunt neque primi in ea re fuerant. Cf. Iansen, Geschichte des deutschen Volkes VIII p. 450 nota. — *c)* Certe Protestantismus peccata contra castitatem auxit. Luther de asseclis novae doctrinae in genere haec ait. Op. Om. ed. Erlangen I p. 89 (vers.): « .... perspicitur, homines esse hodie magis nefarios, avaros, immisericordes, impuros et peiores quam antea sub papatu ». Speciatim quoad praedicantes in Dania, quamvis iis matrimonium concessum esset, ita iudicat Protestans historicus Troels Lund, Danmarks og Norges Historie XII 1895 p. 312: « Sacerdotes lutherani (in Dania) saeculo 16 quantum ad excessus sexuales spectat, inferiores erant sacerdotibus catholicis, quorum successores erant ». Multo ampliora Döllinger, Die Reformation II § 15. Influxus reformationis in modum quo populus se habebat in rebus sexualibus p. 426-53. Etiam ampliora Iansen, o. c. VIII

pars 3 ed. 12 p. 359-465. — *e)* Hodie urbes protestantes non tantum eiusmodi domus publicas habent, verum etiam tres urbes protestantes Hamburg, Berlin, London, quod numerum personarum prostitutarum attinet primum locum occupant. Cf. Krose, Einfluss p. 18 ubi statistica.

Ob. 2) — Statistica criminalis contra Catholicos est. Conceditur quidem etiam a doctis Protestantibus, comparationem secundum statisticam criminalem inter diversas nationes vix unquam posse iudicium de moribus comparandis fundare. Nam ut ait Dr. v. Scheel, director officii statistici imperialis Berolinensis in opere Kriminalistik p. 888: « 1) Delicta in diversis codicibus poenalibus diverso modo definiuntur; 2) intensitas qua (status civiles) crimina persequuntur valde inaequalis est; 3) ratio statisticam conficiendi tum in quaestionibus principalibus tum in singularibus accidentalibus valde diversa est ». Accedit magna differentia orta ex indole populi, e gravitate vel levitate certorum delictorum, « quae etsi a lege puniuntur, saepe nullam vel vix ullam culpam involvunt », e circumstantiis socialibus v. g. paupertate quae tantopere v. g. ad furtum impellit.

At sane si in iis partibus alicuius terrae, quae iisdem conditionibus gaudent, Catholici plus criminalitatis habent, quomodo hoc non inferioritatem moralem arguit? Iamvero *inter Germanos incolae catholici sunt 35 % omnium incolarum, in criminalitate autem sunt 39,5 %.*

R. — *a)* Cum aliunde superioritas omnimoda Catholicorum in genere morum probata sit, *id solum sequitur, quam male ex sola statistica criminali arguatur.* — *b)* In omnibus delinquentibus catholicis 43, 7 % ad eas provincias pertinent, ubi habitant praecipue membra alicuius nationis, quae nunc paupertate maiore premitur, ubi simul res politicae plures turbas quam alibi excitant. Facile patet, in iis circumstantiis debere numerum multo maiorem eiusmodi « criminum » oriri, quae ad iudicem referuntur. Iamvero si haec crimina quae evidenter extraordinariis circumstantiis debentur detrahis, vel ipsa statistica criminalis pro catholicis numeros aliquo modo minores habet quam pro Protestantibus. Cf. Krose, Einfluss p. 60-76, praecipue 72-6.

Ob. 3) — In Gallia catholica statistica criminalis pro ipsis pueris tam horrenda narrat, quae in Germania protestantica nullo

modo habentur. Ita a. 1897 numerus non-adultorum criminosorum in Gallia duplo superavit numerum criminosorum adultorum, quamvis in Gallia minorennes neque 7 milliones numerent, adulti vero plus quam 20 milliones. — R. Ratio praecipua esse videtur, quia in Germania protestantica in scholis elementaribus *principia religionis revelatae iubente statu pro ipsis quoque Protestantibus proponi solent*, dum in Gallia plurimae scholae atheae sint. Accedit influxus funestus ephemeridum. Cf. v. g. Krose, Einfluss p. 84-5.

Propositio. Immerito contra sanctitatem ecclesiae difficultas petitur e statu inferiori culturae penes nationes catholicas.

Reverend F. J. Horsfield, ut refert Times 1895 die 7 Novembr. sermonem habuit in conventu quodam « Church association conference » in Bristol. In quo sermone inter alia protulit, se ideo inimicum esse unionis Anglorum cum ecclesia Romana, quia *teste historia progressus Romanismi secum ferat ruinam prosperitatis nationis, amissionem libertatis civicae, iacturam pacis nationis, diminutionem potentiae politicae.*

Episcopus protestans oppidi Sador in Anglia in oratione quadam huiusmodi argumentum pro veritate Protestantismi formare videtur: « Videamus, quomodo Deus Angliae benedixerit, e quo tempore principia reformationis sua fecit, atque quomodo ei continuo benedixerit secundum eam mensuram, qua Anglia his principiis fidelis permansit. Ante annos 350 cistae nostrae vacuae erant, terra nostra bellis rosae vastabantur, orbati eramus tum commercio tum coloniis. Hodie gloria nostra atque decus nostrum in eo est, ut sol in imperio britannico non occidat, atque Deus omni in re benedictionem suam super terram nostram effudit ». Cf. The Reccord, 22 Febr. 1895 p. 184. — Utrumque textum citatum v. Pesch, Die sociale Befähigung etc. p. 514.

Similia de quibusdam aliis terris Protestantibus continuo dicuntur atque scribuntur.

At nonne *ipse Deus huiusmodi argumentationem confirmare videtur?* Nam primo in *Vetere Testamento* si populus israeliticus Deo fidelis erat, etiam prosperitas floruit; si Deum dereliquit, miseriae temporali exponebatur. Habemus ergo, prosperitatem vel miseriam temporalem signum esse sanctitatis, vel status peccaminosi nationis, sive putas illam prosperitatem vel miseriam signum naturale esse, sive illam ad specialem providentiam divinam reducis.

« Atque omnino, nonne ea cogitatio quasi sua ipsius vi se commendat: Religio quae effectus culturae adversos producit, praeiudicium forte contra se habet; ea vero, quae veram culturam promovet, certe merito illi alii religioni praefertur? ». Hac ratione difficultatem de qua hic agimus exprimit Gutberlet III ^{3} p. 378.

Hae atque similes difficultates, continuo a plurimis repetitae, hac forma breviter comprehendi posse videntur: *Cultura seu civilizatio est signum tum benedictionis specialis Dei, tum consequenter verae religionis.* Atqui *populi Protestantes cultura superant catholicos.*

R. — *Ad ma.* Vitae sanctitas in populo atque ea externa bona quae proxime ex ea sanctitate efflorescunt, sunt signa verae religionis c., alia bona n. — Quoad ea bona externa, quae proxime ex vitae sanctitate per se quidem efflorescunt, per accidens vero impediri possunt, atque quoad principia, quae in iis diiudicandis tenenda sunt, cf. De rev. relig. in abstr. prop. 32, p. 127-31. — Cf. quoque verissimum atque vividum responsum Cardinalis Vaughan ad eiusmodi obiectionem Anglorum quorumdam, quales mox attulimus, apud Pesch o. c. p. 315-7.

Vetus Testamentum quod spectat, Deus talem *legem positivam* de mercede temporali tulerat, non quidem pro singulis, sed pro populo *ob sapientes rationes, quae tamen e fine et essentia Veteris Legis, quatenus a Nova distinguitur, reputandae sunt.* Lex illa magna ex parte civilis erat: decebat retributio etiam eiusdem generis. Lex erat pro populo carnali, qui a perfectiori statu populi christiani multum distabat; decebat ergo retributio subito externe conferenda. Alia similia. Quae traduntur, cum de revelatione Mosaica agitur. Cf. v. g. Ottiger I p. 429.

Ad min. Infinita esset materia dicendi. Haec breviter accipe, adiecta aliqua literatura.

I. *Factum non ita generatim verum est, neque his nostris temporibus valet.*

1) *Dania cum Islandia, Suecia, maior pars Hollandiae* terrae protestanticae sunt. At hodie neque potentia politica neque praecipua externa prosperitate et cultura eminent. *Belgium* catholicum est: nihilominus paucis abhinc diebus aliquis e radicalibus in Belgio scripsit: « Nous frétillons (ut pisces in aqua) dans la prosperité ». — Saltem usque ad 1870 Gallia non inferior erat terris Germanicis. In Germania provinciae Rhenania et Westfalia cultura externa certe inferiores non sunt caeteris partibus Germaniae. Iamvero eae partes maiore ex parte catholicae sunt.

2) Germania saeculo *ante reformationem* in statu superiore

erat quam per saeculum et dimidium post reformationem — Hollandia in tempore protestantico crevit, eodem in tempore decrevit. — Anglia sub Henrico VIII in peiore conditione inveniebatur quam antea.

II. *Religio catholica certe non impedivit populos catholicos, quominus sub catholicismi regimine potentes et florentes essent.*

1) « *Urbes italicae* dominabantur commercio Orientis atque tantam ex eo hauriebant potentiam, ut suam independentiam vel contra imperatorem cum successu defenderent ». — « Venetia saeculo 14 habebat naves mercantiles 3000. Omni anno unam classim earundem mittebat ad Flandriam; secundam ad Armenos etc.; tertiam ad mare nigrum etc.; quartam ad Aegyptum. Praeterea commercium terrestre cum Germania florentissimum erat. Commercium manufacturam florentissimam possibilem reddidit, cuius merces per totam Europam celeberrimae erant ». — Florentiae mensae publicae (Banche), merces metalli et lanae omnes alias superabant. « Fere incredibilis erat diligentia industriae adhibita. Mensae publicae florentinae dominabantur rei pecuniariae Europae ». — « Mediolanum quoque excellebat manufacturis, at magna quoque pro re agraria fecit ».

2) *De Germania* G. Schönberg, Zur wirtschaftlichen Bedeutung des deutschen Zunftwesens im Mittelalter, Berlin 1868 p. 51 haec habet: « Historia saeculi 14. et 15 nobis refert eiusmodi progressum laboris artificum (gewerbliche Arbeit) et communem prosperitatem artificum, uti utrumque simul nullo alio tempore invenimus ». « Hansa dominabatur saeculo 15 commercio Europae septentrionalis et occidentalis ».

3) « *Hispania* medio saeculo 16 summum culmen fortunae adepta est. In iis quae ad vitam sustentandam maximi momenti sunt, ab exteris non dependebat, atque in aliis quoque multis ramis res apud exteros productas a mercato hispanico excluserat. Praeterea naves ex terris recens detectis tantam quantitatem metallorum pretiosorum afferebant, ut copia auri et argenti brevi tempore altitudinem quasi incredibilem attingeret ».

Item *Lusitani* medio fere saeculo 16 culmen potentiae suae adepti erant; fere nemo eos turbabat in eo, quod eorum solorum erat commercium inter Europam et oras asiaticas, inde a sinu

persico usque ad Iaponiam. Onusti thesauris Orientis mercatores lusitani revertebantur, at ut hos thesauros ad caeteros status europaeos deferrent, permittebant Hollandis, Anglis, Hanseatis, qui in portu Olyssiponensi eorum adventum exspectabant ».

III. *Religio catholica est, quae civilizationem in quasdam terras intulit illatamque promovit.*

Praecipue a monasteriis et episcopatibus « per quaedam saecula *progressus etiam in rebus materialibus* pendebat ». Ita auctor protestans Arnold, Rechts-Wisenschaft, Basel 1863, p. 82.

Omnes nationes, in quantum activitatem colonizatricem explicabant, usque ad haec tempora inter se comparans haec ait Alexander von Hübner, Promenade autour du monde, II, Paris p. 233: « Si ' colonizare ' indigenas, quorum terrae occupantur, vult dicere, civilizationem iis ferre, tunc Lusitani et Hispani saeculi 16 et 17 videntur mihi fuisse primi colonizatores mundi ». — Iamvero sane opus difficillimum est civilizationem, ubi non erat, introducere.

Citationes desumptae sunt ex H. Pesch, Stimmen aus Maria Laach 1895 (48) p. 1-11, 178-90, qui res ipsas praecipue desumit ex H. de B. Gibbins, The History of Commerce in Europe, London 1891, auctore ecclesiae catholicae infenso.

IV. *Rationes cur quaedam nationes protestanticae ad magnam prosperitatem pervenerint.*

Hae rationes non solebant esse religiosae, nisi in quantum quaedam iniustitiae, quibus divitiae acquirebantur, in odio catholicorum originem suam habebant. Cf. v. g. quod anteactis temporibus Elisabeth usque ad 600,000, Iacob I 2 milliones Acres fundi Irlandis eripuit. Si quis ex adversariis praeterea ex una parte ostenderet, bella quaedam iniusta etc. unam e causis prosperitatis alicuius nationis protestanticae constituisse, si porro ex alia parte affirmaret, simpliciter protestantismo illam prosperitatem esse ascribendam, is certe protestantismo tali modo procedendi nullum honorem afferret.

Ut in exemplo quodam ostendatur in concreto, evolutionem talis prosperitatis non Protestantismo, sed aliis causis attribuendam esse, sumamus Angliam. De quibus causis cf. Pesch, Die sociale Befähigung der Kirche c. XIX p. 578-601.

a) Evolutio continua est inde a 1350. Asley, Engl. Wirth-

schaftsgeschichte II, Leipzig 1896. Iam *Henricus VII suis tractatibus commercialibus effecit*, ut Angli suis navibus diversas Europae terras adire inciperent. Unde cum novae terrae detegerentur, Anglia parata erat quae suum in commercio locum sumeret.

b) Anglia *ex aevo suo catholico retinuit institutiones illas libertati tantopere faventes*, quibus etiam hodie gloriatur. His effectum est, ut absolutismus status non posset sibi arripere fructus laboris privatorum, ut porro mercatores multum in legislationem influere possent.

c) Accedit Angliae *situs insularis* isque ad novas vias commercii maritimi, copia portuum aptorum. Quae circumstantiae Angliae commercium facile reddunt, eam liberant a devastatione per bella atque a necessitate magnum exercitum sustinendi.

d) Contulit expugnatio Antuerpiae per Hispanos, quae fuerat locus principalis commercii pro Europa occidentali ; quam maxime vero *interitus Armadae*, a quo tempore potentia Hispaniae maritima fracta erat. Inde initium habebat exspoliatio coloniarum Hispaniae, Lusitaniae, Galliae, Hollandiae (protestanticae). Plurimum florebat ipsum systema piratarum.

e) Succedunt et comitantur *multi tractatus commerciales* pro Anglis *felicissimi*, simul cum *legislatione commerciali*, quae promovebat exportationem rerum manufactarum, invectionem materiarum infectarum.

f) In Anglia habentur *media copiosissima pro industria:* carbones et ferrum; ibi detegebantur machina vaporis, via ferrea. Haec Protestantismo deberi nemo prudens dicet. Fere dimidia pars indigenarum manufacturae operam dat.

g) Systema colonizationis id erat, ut omnia ad utilitatem ipsius Angliae conspirare deberent. Ita Angli commercium et manufacturas proprias Americae septentrionalis saeculo 17 et 18 suppresserant.

V. *Ratione quaedam in concreto, cur quaedam nationes catholicae a sua prosperitate multum defecerint.*

Italia.

1) Karl Knies, Politische Oekonomie, Braunschweig 1883, p. 59 sq. docet: « *Mutatio in magnis viis pro commercio mundano* pro populis, ad quos pertinet, semper quaestio vitalis erat ». Iam-

vero detectio Americae, inventio novae viae maritimae ad Indiam, expugnatio Aegypti per Selim I anno 1517 hanc viam commercii praecipue cum Oriente ab Italis abduxit.

2) Paulatim *in aliis terris manufacturae magis excolebantur*. Ita non iam ab Italis eas requirebant.

3) *Machiavellismus principes induxit, ut bonum nationale postponerent bono sic dicti « status »*. Per saeculum et dimidium monetae peiorabantur; reditus publici locabantur; iniusta tributa multa in res consummandas imponebantur: alta portoria imponebantur in exportationem manufacturae, in invectionem materiarum infectarum.

Hispania.

1) Cum America detecta esset, populus Hispanus qui usque ad id tempus per 7 saecula praecipue debellandis hostibus Mauris incubuerat, *subito in re agraria, industriali, commerciali, colonizatoria, maritima, talia praestare debebat, qualia antea nullus populus*. Ad quae experientiae schola ei defuerat. Unde multi defectus haud leves commissi sunt.

2) Saeculo 16 agricultura, commercium et industria per ipsum populum diligentem et animosum miros progressus faciebant. At *reges inde a Philippo II et camerae repraesentantes legibus bonum materiale nationis partim non promovebant partim impediebant*, idque quamvis ipse rex iustissimus esset. Politica interna magis ad id tendebat, ut ex terra pecunia haberetur pro politica externa, quae convenire videbatur, quam ut prosperitas temporalis directe promoveretur. « Si intelligentia naturalis oeconomica gubernii et repraesentantium terrae vel ulla ratione aequasset progressum mirabilem populi in rebus aggrediendis, ruina Hispaniae si non omnino impedita, at saltem per saecula dilata esset ». Konrad Häbler, Die wirtschaftliche Blüte Spaniens im 16. Jahrhundert u. ihr Verfall, Berlin 1888 pp. 179, p. 35.

3) Ea aetate Hispania *metallis pretiosis quasi innundabatur. Ea exportari non permittebantur; unde pretia* pro rebus ad vitam necessariis plurimum *augebantur*. Inde *manufacturae ad tale pretium ascendebant, ut exterae nationes iam ipsae eas pro minore pretio fabricarent*. Imprudentissima erat *taxatio pretii frumenti a gubernatio facta*. Ita agricultura et commercium, quae brevi

tempore maxime creverant, brevi tempore iterum quam maxime imminuebantur. Cortes inter sua membra vix habebant mercatores eosque vix audiebant. Unde tributa et portaria ita disposita erant, ut plurimum minuerent animum res aggrediendi. Contra monopolia scripsit Mariana; at non audiebatur. Cum non obstantibus his divitiis regibus necessarium esset mutuam pecuniam accipere, pro hac re *ad exteros* recurrerunt, quibus *reditus status etc. in pignora* dederunt.

4) *Series extraordinariorum infortuniorum in bello navali* a 3 $^1/_2$ saeculis praecipue Hispanos invasit. Tempestates 600 naves cum multis millibus hominum dextruxerunt. Cf. interitus Armadae, « maximum infortunium navale, quod mundus novit ». Accedunt bella non felicia, etiam civilia saeculi 19.

Lusitania.

1) Lusitani coloniis suis magnis detectis, priusquam ars mercantilis status evolvi potuerat, *problemata maxima aggredi debebant.*

2) *Terra parva* erat; unde continua bella pro suis possessionibus transmarinis eam valde premebant.

3) Eo tempore quo cum Hispania unita erat, impedimenta, quae evolutioni materiali Hispaniae oberant, etiam suum influxum in Lusitaniam exercebant.

4) Fons divitiarum pro Lusitania, Brasilia, arefactus est per *pactionem commercialem « quae minus capi potest, quam omnes aliae quae unquam factae sunt »*, scilicet per eam, quam Lord Methuen 1703 ex parte Angliae cum Lusitania pepigit. Etenim per eam et commercium cum Brasilia ad Anglos transiit et industria atque agricultura in Lusitania ruinae exposita est.

Quae de causis prosperitatis, ruinae nationum diversarum dixi, cum ipse de his rebus non sufficienter indicium ferre possim, referentis non iudicantis modo excerpsi ex: Heinrich Pesch S. I., Die sociale Befähigung der Kirche, p. 562-75. Quod opus ab eruditis valde laudatur.

Lit. — De comparandis nationibus catholicis et protestantibus praecipue sub respectu prosperitatis v. v. g. haec: *Balmes*, Protestantismus et Catholicismus in suis relationibus cum civilizatione europaea, hisp.,

versio in multas linguas, praecipue c. 45-8. — *Card. Wiseman,* oratio quam 1853 habuit in Leeds praecipue de scientiis ad progressum materialem relatis speciatim inter Italos. — *L. de Haulleville,* De l'avenir des peuples catholiques 1876. — Bougaud, Le Christianisme et les temps présents III[3] c. 3, 4 p. 318-59. — *Gutberlet,* Apologie[2] III p. 350-70. — Praecipue *Heinr. Pesch* S. I., Die sociale Befähigung der Kirche,[3] Berlin 1911 c. 18-9 p. 504-81, c. 18 de inferioritate nationum catholicorum, c. 19 de superioritate Protestantium (etiam aliis locis v. g. c. 2 p. 14-49 ; c. 17 p. 494-503; c. 20-1 p. 581-643). — *Idem* auctor brevius ex parte in : Stimmen.... 1895 tom. 48 p. 1-11 ; 178-90; 361-71. — *M. Weyrich,* in Revue Sociale catholique (Louvain) 1899 mai p. 214-19, juin p. 225-34. — *Yves de la Brière* S. I., Nations protestantes et nations catholiques, Études 1905 tom. 104 p. 225-42; 801 19. — *L. Murillo,* Las naciones latinas en nuestras dias, in Razón y Fe 1902 tom. 2 p. 421-35. — *Idem,* La civilización y las naciones latinas, ib. tom. 3 p. 425-9. — *Flamerion,* De la prospérité comparée des nations catholiques et des nations protestantes aux points de vue économique, moral, social, Paris 1899 (etiam germ.). — Card. *Vaughan,* Oratio quaedam habita in Wigan.

Opera quae defendunt superioritatem Protestantismi : *Napoléon Roussel,* Les Nations catholiques et les Nations protestantes comparées sous le triple rapport du bien-être, du lumière, et de la moralité, Paris 1854, 2 vol. — *Emile de Laveleye,* De l'avenir des peuples catholiques.... ed. nova Paris 1899.

TRACTATUS
DE INSPIRATIONE SCRIPTURAE

EA PARS QUAE EST

DE ESSENTIA INSPIRATIONIS

PROPOSITIO. Deus « supernaturali virtute ita » hagiographos « ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent ». — Cf. Lithogr. p. 152-92.

Contextus, in quo haec declaratio continetur. — Leo XIII versus finem Encyclicae « Providentissimus » docet, *nefas esse « concedere, sacrum ipsum errasse auctorem »*. Rationem hanc reddit, integram Scripturam inspiratam esse, inspiratione vero necessario errorem excludi; hanc esse antiquam ecclesiae fidem, expressius declaratam in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum sit, ecclesiam libros in canone recensitos propterea pro sacris et canonicis, habere, « quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem. Quare* nihil admodum refert, Spiritum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. *Nam* supernaturali ipse virtute ita eos [...sequitur phrasis propositionis]: *secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae* ». Hoc, scilicet Deum ipsum per hagiographos scripsisse, ratum semper habuisse Ss. Patres. Citantur S. Augustinus, Gregorius. « *Consequitur*, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existimant, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem ».

Constat ergo, Pontificem per phrasim, quae in propositione nostra legitur, exhibere voluisse, quid rei sit, Deum per homines inspiratos uti instrumenta sua Scripturam condidisse. Id quoque facile videtur, in hoc ipso passu quam maxime inerrantiam Scripturae premi, unde forte haec vel illa expressio in thesi posita lumen quoddam accipit.

Divisio. — Prius *summaria quadam ratione* haec verba Leonis XIII declaramus atque probamus; deinde idem speciatim de intimiore ratione influxus tum in intellectum tum in voluntatem tum in facultates exsecutivas praestabimus.

Summaria quaedam declaratio atque probatio.

Influxus generatim sumptus consideratur.

1) *Inspiratio est influxus supernaturalis.* — Etenim non est naturale homini ita scribere, ut vi huius scriptionis omnes hominis sententiae scriptae sint sententiae a Deo scriptae. Alias v. g. omnis liber ab homine scriptus esset sacra Scriptura in sensu specifico.

Sequitur, inspirationem *non esse concursum generalem Dei*, qui in omnibus actionibus creaturis necessarius est. Caeterum, si esset concursus generalis, omnes libri essent inspirati, etiam blasphemi etc.

2) Inspiratio est eiusmodi influxus supernaturalis, qui ad *dona charismatica* pertinet. — Charisma est donum supernaturaliter concessum, quod non datur directe ad iustificationem propriam eius qui illud recipit, sed ad utilitatem aliorum. Iamvero influxus inspirativus directe ad id datur, ut per eum habeatur locutio Dei ad homines alios mediantibus signis scriptis. Ergo.

Unde patet, quae sit *distinctio* inspirationis *a gratia* supernaturali simpliciter dicta. Haec enim est donum, quo is qui eam recipit intrinsece disponitur modo sive magis remoto sive magis propinquo in ordine ad visionem beatificam. — Caeterum, nisi haec distinctio obtineret, omnis liber cuius scriptio e gratia habituali et actuali procederet, esset inspiratus. Quod falsum est. Sane in hagiographis sanctitate praestantibus scriptio libri inspirati simul erat opus salutare atque meritorium, simul inspiratum. At per alium influxum divinum illa scriptio erat salutaris et meritoria, per alium inspirata.

3) Inspiratio est eiusmodi influxus charismaticus, quo homo in componenda Scriptura *ut instrumentum Dei* agit. Non omni influxu charismatico homo constituitur instrumentum Dei in operando. V. g. donum linguarum, prout illud 1 Cor. 14 describitur, est donum charismaticum. Nihilominus locutio eius, qui tali dono fruebatur, non erat divina, sed humana, ornata tamen aliqua perfectione praeternaturali. Aliud est agere ut causam principalem, Deo praeternaturale adiutorum concedente, aliud est agere uti causam instrumentalem sub Deo ut causa principali.

Ratio instrumenti divini hagiographo qua tali *ob hanc rationem* ascribenda est: Effectus facultatum hagiographi, in quantum sub inspiratione scribit, est *scriptio, quae vi originis divina est.* Atqui evidens est, hominem, si ut causa principalis scribit, non posse habere actum scribendi, qui vi originis divinus sit. Ergo homo qua inspiratus agit ut instrumentum sub Deo ut auctore principali.

4) Inspiratio e communi theologorum sententia est eiusmodi influxus, qui non datur per modum habitus permanentis, sed *per modum actus praetereuntis.* Etenim primo effectus, inspiratio, non est necessarius ad totam vitam hominis, uti v. g. est elicere actus virtutum theologicarum, sed tantum ad tempus, quando scilicet Deo placuerit inspiratam scripturam concedere. Praeterea inspiratio pertinet ad donum propheticum generalius acceptum, quod ipsum per modum actus praetereuntis conceditur. 2, 2 qu. 171 a. 2.

Influxus consideratur relate ad actus, in quos exercetur.

5) Influxus inspirativus vera quadam ratione pertinere debet *ad omnes eos actus, qui scriptionem libri constituunt.* — Etenim scriptio libri ab homine procedit instrumentaliter, a Deo principaliter, idque mediante influxu inspirativo. Ergo *scriptio libri non habetur per influxum inspirativum, nisi omnes actus qui ad constituendam scriptionem concurrunt, sub influxu inspirativo perficiuntur.*

Non diximus, influxum eiusdem rationis ad omnes actus pertingere debere. Videbimus, immediatum influxum physicum exerceri in intellectum et voluntatem, mediatum in facultates exsecutivas.

6) Influxus inspirativus pertineat necesse est *ad intellectum, voluntatem, facultates* quae sub imperio voluntatis *exsecutioni incumbunt.* Atque ad intellectum quidem, ut « *concipiat* » *scribenda,* ad voluntatem ut ea *scribere velit,* ad facultates exsecutivas ut ea de facto *scribant.* — Ratio haec est: Influxus inspirativus scriptionem efficiat necesse est. Iamvero, teste philosophia, ea omnia eaque sola, quae diximus, ad essentiam scriptionis pertinent.

Qualis sit ea « conceptio » sententiarum scribendarum, de qua Pontifex loquitur, ex parte iam vidimus, ex parte amplius postea declarabitur. Intelligitur iudicium quoddam quoad res qua scribendas.

Influxus consideratur relate ad obiecta, quae scribenda sunt.

7) Influxus *inspirativus* debet esse ita comparatus, ut homo *ea sola concipiat scribenda, velit scribere, scribat, quae Deus in suo libro scribere vult.* — Si enim homo aliquam sententiam ad scribendum conciperet et scribere vellet, aut ex defectibilitate facultatum exsecutivarum praeter suam intentionem scriberet, quam Deus in libro suo scribere non volebat, certe Deus huius sententiae non esset auctor vel conscriptor, atque consequenter Deus non esset auctor omnium sententiarum Scripturae.

8) Influxus inspirativus debet esse ita comparatus, ut homo ea *omnia concipiat scribenda, scribere velit, scribat, quae Deus in suo libro scribere vult.* — Nam si homo aliquam sententiam, quam Deus in suo libro scribere vult, aut in ordine ad scribendum omittit concipere aut scribere non vult aut de facto non scribit, certe liber ille non est is, quem Deus per hominem uti per instrumentum suum scribere vult.

9) Influxus inspirativus necessario est eiusmodi, ut homo ea quae diximus, *concipiat* in ordine ad scribendum *recte, scribere velit fideliter,* de facto *apte infallibili veritate exprimat.*

Terminis « *recte, fideliter, apte infallibili veritate* » nihil edicitur, quod non ex iis, quae usque nunc diximus, necessario sequeretur. Unde hae *perfectiones* nonnisi *ulterioris declarationis gratia* explicite *additae* esse videntur. In explicatione eorum in memoriam revocare convenit, *in contextu* totius phraseos a Leone XIII praecipue *inerrantiam ut sequelam inspirationis premi.* Unde sic:

Recte concipere ob contextum significat saltem eam rectitudinem in

conceptu hagiographi de re scribenda, ut in eo *nulla sit difformitas ab iis quae Deus per hominem scribere sibi proponit.* Schiffini p. 217 addit, eo termino praeterea significari conceptionem debere esse accommodatam « propriae indoli operis conscribendi, qualem Deus intendit ». Exemplo ponit genus dicendi Psalmorum. Etiam haec perfectio conceptionis inspirato auctori deesse sane non potest, uti mox videbimus. Eam vero hoc termino comprehendi forte non ita patet.

Fideliter scribere velle dicit, voluntatem a Deo motam *omnino tale propositum formare atque tale imperium facultatibus exsecutivis dare, quale perfecte respondet ei conceptioni* de re scribenda, qualem mox in hagiographo stabilivimus, nihil addendo, nihil diminuendo, nihil mutando.

Terminus complexus « *apte infallibili veritate exprimerent* » saltem dicit haec duo: Primo, in signis externis inerit ea *aptitudo ad iudicia divina exprimenda, ut ea signa perfecte sint conformia cum illis iudiciis divinis,* quae per illa signa exprimenda sunt, nulla re significata quae non erat significanda, nullius rei quae significanda erat, significatione omissa. Secundo, haec aptitudo ad exprimenda perfecte iudicia divina non tantum de facto in his signis inerit, verum etiam *vi actionis inspirativae infallibili cum efficacia inerit.* « Si ergo Deus sua inspiratione rerum et sensuum ita agit in hominem inspiratum ad scribendum, ut liber scriptus infallibiliter vi ipsius inspirationis divinae vere et sincere contineat sensa Dei, cum ipsa inspiratione cohaereat necesse est, seu in ea includatur talis operatio divina, ut homo scribens non solum actu eligat, sed etiam infallibiliter eligat signa apta ad res et sententias inspiratas vere et sincere exprimendas, atque adeo in signorum aliorumque quae ad partem materialem pertinent, apta electione reddatur infallibilis ». Franzelin [3] p. 355. — Sequitur sane, signa illa non posse non esse conformia cum veritate rerum obiectiva, quippe quae non possint non esse conformia cum iudiciis divinis, quae ipsa absoluta cum necessitate cum rebus conformia sunt. — Forte termino « apte » illud quoque elementum continetur, quod mox in explicatione termini « recte » secundo loco posuimus.

Argumentum. — Si intellectus falsi quid conciperet, sane *voluntas* falsi quid scribere *sibi proponeret atque scribendum facultatibus exsecutivis imperaret* et consequenter facultates exsecutivae falsi quid scribendo *exprimerent.* Quae expressio iudicii falsi etiam tunc locum haberet, *si* intellectus quidem, in quantum a Deo movetur, omnia recte conciperet, at *voluntatis imperium falsi quid* — quod utique non divinitus sed tantum humanitus conceptum esset — *scribere imperaret.* Tandem falsitas in expressione etiam tunc inveniretur, *si* intellectus quidem a Deo illustratus omnia recte conciperet, et voluntas, in quantum a Deo movetur, omnia fideliter scribere vellet, *ipsum imperium voluntatis tamen efficacia sua debita destitueretur.*

Iamvero inspiratio ex una parte, uti vidimus, est influxus in intellectum ut omnia ea scribenda concipiat, in voluntatem ut omnia ea

scribere velit, in facultates exsecutivas ut omnia ea scribenda exprimant, quae Deus in eo libro scribere vult. Ex alia parte repugnat, quominus Deus falsi quid conscribat. Ergo influxus divinus in hominem inspiratum necessario ita comparatus est, ut homo omnia recte concipiat, fideliter scribere velit, apte infallibili veritate exprimat.

Influxus consideratur relate ad eos, ad quos Deus eo mediante loquitur, et consequenter relate ad tempus in quo dabatur.

Influxus inspirativus, quo nostra S. Scriptura constituitur, *ex ea intentione Dei processit, ut hi libri qua verbum Dei scriptum et proinde qua fons et regula fidei divinae universae ecclesiae traderentur. Atque haec intentio Dei ad essentiam inspirationis Scripturae pertinet.*

Non negamus, aliquem librum aut olim potuisse aut nunc posse *sub tali influxu divino conscribi, qualem usque nunc descripsimus, et tamen eum tantum ad usum aliquarum personarum a Deo dirigi aut potuisse aut posse.* Nihilominus talis liber non esset ea S. Scriptura, qualis in nostra oeconomia ab ecclesia intelligitur. Deesset nempe illud elementum, quod in asserto enuntiavimus. Talis liber a nostra S. Scriptura distingueretur sicut revelatio privata a revelatione publica.

Probatio. — Docente Concilio Vaticano, Denzinger 1787, Ecclesia libros V. et N. T. ideo « pro sacris et canonicis habet..., quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem *atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* ». Eos autem ut tales ipsi Ecclesiae tradi, includit, eos ut fontes regulam fidei immediate divinae ab omnibus ecclesiae filiis assumendos esse. Sunt ergo revelatio publica ecclesiae tradita.

At sane *nullus liber uti verbum Dei ab omnibus credendum universae Ecclesiae tradi potuisset, nisi iam antea vere fuisset verbum Dei ad omnes directum.* Iamvero ex una parte locutio seu revelatio publica a locutione seu revelatione privata non distinguitur nisi intentione, qua loquens conceptus suos ad omnes vel ad quosdam tantum dirigit. Ex alia parte Deus hominibus omnibus loquitur omnino mediante illo influxu inspirativo, quem uni homini impertit et quo eum ut instrumentum locutionis suae ad alios adhibet. Ergo ad inspirationem nostrae S. Scripturae essentiale est, influxum inspirativum ex ea intentione Dei processisse, ut per eum eiusmodi liber constitueretur, qui ab universa ecclesia fide immediata divina susciperetur.

Sequitur, *eiusmodi influxum inspirativum,* qualis, uti ex dictis patet, in S. Scriptura invenitur, *post mortem apostolorum dari non iam potuisse.* — Etenim, uti in tractatu de revelatione christiana atque de ecclesia vel in tractatu de fide docetur, *revelatio publica post mortem apostolorum clausa est.* Iamvero per talem inspirationem, uti mox demonstravimus, constitueretur revelatio publica. Ergo dari non iam potest.

Speciatim de influxu in intellectum.

Influxus inspirativus in intellectum requirit lumen iudicativum.

Ratio prima petitur *ex exclusione.* Certe influxus inspirativus in intellectum omnibus consentientibus lumen quoddam est. Atqui propositione p. 230-6 vidimus, illud lumen *non esse in revelatione vel infusione specierum,* verbo in acceptatione scientiae. Ergo *nihil aliud remanet,* nisi ut sit lumen, quo in ipsum iudicium influxus exereeatur.

Ratio secunda petitur *e natura rei.* — Inspiratio, uti vidimus, in eo est, ut Deus per hominem uti instrumentum suum caeteris hominibus *scribat.* Atqui scriptio non incipit ab eo, ut quis scientiam de iis rebus accipiat, quae per se scribi possunt, sed ab eo, ut quis iudicium practicum formet, rem quam scit, esse a se caeteris communicandam. Etenim *scriptio est directio conceptuum seu iudiciorum ad alios,* atque proinde ab eo actu incipit, a quo ipsa directio scientiae ad alios initium habet. Directio autem scientiae non incipit ab eo, quod quis scientiam alicuius rei habet vel acquisivit. Sed haec scientiae possessio vel acquisitio est aliquod *praesuppositum scriptionis,* in quantum scilicet obiectum alicuius actus exsistere debet, ut actus circa illud exerceri possit. — Quod diximus etiam e vita cotidiana evidenter patet. Quot enim sunt, qui plurima sciant, quin unquam animos eorum vel leviter tangat cogitatio, ut ea aliis scribendo communicent. Imo aliquando sunt, qui plurima addiscant atque sciant, simul tamen propositum secum nutriant, nunquam de iis rebus scribendi.

Effectus huius luminis iudicativi duplex sit necesse est.

Effectus *primus* est, ut vi huius influxus hagiographus *ea efficacia, quae certissime effectu suo non frustrabitur, omnia ea scribenda esse iudicet,* quae Deus per eum scribere vult. — Etenim hoc lumen procedit ex absoluta voluntate Dei, ut eo mediante homo talem librum cum talibus sententiis componat. Ergo necesse est, Deum talem motionem concedere, quae effectu suo nullo modo frustrabitur.

Effectus *secundus,* isque nobilior, in eo est, ut homo vi huius luminis, uti habet S. Thomas 2, 2 qu. 174 a. 2 ad 3, « *secundum certitudinem veritatis divinae* » *ea quae sunt scribenda diiudicet.* Cf. alios eius textus indicatos p. 232. — Nam id omne quod auctor sacer scribit, fide divina credendum est, idque vi originis, quae his sententiis propria est. Iamvero quod vi originis fide divina credendum est, id antea certitudine divina dictum fuerit necesse est. Atqui affirmatio ob ipsam affirmationis originem certitudine divina constare nequit, nisi sub lumine divino diiudicata fuerit. Ergo lumen illud divinum hoc munus habet, ut in virtute eius oriantur propositiones, quae ob ipsam earum originem fide divina credibiles sint.

Hoc lumen iudicativum directe saltem ad iudicium practicum formandum dirigitur.

Iudicium *theoreticum* id est, quo propositio quaedam *iudicatur vera*; iudicium *practicum* in nostra re intelligitur id, quo iudicatur *conveniens esse, hanc vel illam propositionem scribi.* — Intelligimus illud iudicium practicum, quod actum *formaliter* liberum antecedit. — Uti ex enuntiatione asserti quod posuimus patet, abstrahimus a quaestione, utrum vi luminis indicativi a Deo dati *directe* tantum iudicium practicum an directe etiam ipsum iudicium theoreticum efformandum sit.

Probatio haec est: *Scriptio est directio* iudiciorum, quae iam in mente exsistunt, ad alios. Atqui *ut eiusmodi directio sit actus humanus, eam praecedat necesse est iudicium practicum de ipsa hac directione facienda.* Ergo lumen iudicativum saltem directe ad iudicium practicum referatur necesse est. Pesch n. 414-9.

Quaestio autem *controversa* inter auctores est, *num* lumen indicativum etiam necessario directe referatur *ad iudicium theoreticum de re, quae scribenda est, uti vera.* Ratio praecipua speculativa, ob quam haec sententia forte cui arridere possit, haec esse videtur: Id quod ab auctore sacro affirmatur, uti mox vidimus, vi inspirationis est fide divina credendum idque vi originis taliis affirmationis. Proinde necesse est, id a Deo antea affirmatum esse. Iamvero quomodo omnia, quae auctor inspiratus dicit, a Deo affirmantur, si lumen inspirativum non ad id dirigitur, ut ipsa veritas rerum vi huius divini luminis affirmetur? Si autem lumen divinum ad id dirigitur, ut per illud ipsa veritas sententiarum affirmatur, sane hoc lumen indicativum directe etiam ad iudicium theoreticum dirigatur necesse est.

Ex iis, qui aliter sentiunt, Christ. Pesch, Theologische Zeitfragen, 3 Folge, Freiburg 1902, p. 76, vers. lat. a F. Pignataro S. I. sub titulo: Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis penes Catholicos, Romae 1903, p. 80-3 concedit quidem, vi illius luminis necessario ab ipso Deo veritatem rerum scribendarum affirmari debere, censet autem, hanc affirmationem divinam ut ita dicam indirecte, implicite vel eminenter in illo ipso lumine contineri, quod directe ad iudicium practicum efficiendum refertur. P. 81: « Per eiusmodi influxum supernaturalem iam eatenus sublimior veritatis gradus rebus attribuitur, quatenus contradictorium sit, Deum hac ratione movere ad affirmationem errorum.... Si Deus moveat supernaturaliter auctorem sacrum, ut scribat [suo, Dei nomine cf. p. 81 ad finem] ad aliorum doctrinam hoc vel illud ipsi iam [cum certitudine] notum, hoc ipso suas facit cogitationes et iudicia scriptoris, eorum veritatem testatur [se vadem interponit pro veritate eorum] et eos docet ad quos scripta diriguntur ».

Quaedam magis determinata de obiecto huius luminis iudicativi proponuntur.

1) Lumen hoc iudicativum primo pro obiecto habet *omnes et singulas res qua scribendas*, seu potius iudicia ipsa de talibus rebus qua scribenda, in quantum interim ab hac vel illa forma illa iudicia exprimendi abstrahitur. — Ratio est, quia probavimus, omnes et singulas sententias Scripturae Deum habere auctorem. Iamvero evidentissime Deus non esset auctor earum, nisi illae singulae ex lumine divino procederent.

Ob. — Non potest plus requiri ab aliquo libro, quam ut eo mediante certi simus de rebus, quas continet. Atqui, uti concessum est, *homo iam ante influxum inspirativum quo Deus eum ut instrumentum pro scriptione adhibet, certus esse potest de rebus, quas scribit*, idque sive eas naturaliter sive praeternaturaliter accepit. Praeterea *assistentia divina hominem dirigere potest ut apte exprimat quod certe scit.* Quod si factum esse assumimus, influxus ille inspirativus, quo Deus hominem ut instrumentum adhibet, non necessarius est. — C. ma. et. min. *N. suppositum, eiusmodi librum a nobis esse explicandum, cuius sententiae assumendae sint ob veritatem eorum intrinsecam perspectam vel ob auctoritatem humanam hagiographi.* Est explicandus eiusmodi liber, cuius singula asserta assumenda sint ob auctoritatem divinam, idque non vi alicuius revelationis divinae antecedentis vel consequentis, quae veritatem talium sententiarum mere humanitus dictarum testaretur, sed omnino vi ipsius scriptionis talium sententiarum.

Ob. — Qui iam omnino determinatus est, is sane non est iterum determinandus. Atqui sacri auctores saepe iamiam ad talem et talem cognitionem determinati erant. V. g. S. Ioannes antequam evangelium suum scripsit, iam omnia ea scivit, vel saltem iam omnia ea scivisse merito existimatur, quae postea in evangelio conscripsit. Ergo non iterum influxu inspirativo determinandi erant. — Dist. ma.: *Qui iam omnia scit quae Deus per eum scribere constituit is non est iterum determinandus ad ea scienda, c. : is non est determinandus ad ea scribenda quae scit, n.* — Suppositum obiectionis est confusio inter acceptationem notitiae divinitus factam et scriptionem vi inspirationis effectam. Iam antea (p. 230-6) ostendimus, haec duo omnino distincta esse. — Decet suavem Dei providentiam in operibus quae efficere vult, uti creaturis in tantum, in quantum hoc natura rei convenienter patitur. Iamvero natura inspirationis, uti vidimus, non requirit, ipsam scientiam de re quae scribenda est operatione divina extraordinaria homini concedi. Ergo decet, Deum ad inspirationem libri, in quo tales res continentur, quas certi homines, attenta eorum speciali conditione prae aliis scire poterant, iis ipsis hominibus uti, qui de facto eas res sciebant, vel iis, qui vi officii sui vel conditionis suae quam maxime apti erant, uti eas Deo dirigente discerent.

2) Lumen hoc iudicativum *secundo* pro obiecto habet *saltem ea ex ipsa forma libri, circa quae rationabilis auctor pro fine, quem in libro suo intendit, indifferens esse nequit,* quae proinde omnis rationabilis auctor in libro suo scribendo ipse determinat vel, ut alii dicunt, per se intendit. Ita determinat v. g. num carmen an oratio soluta scribenda sit; num commentatio an epistula. Consequenter etiam determinat quaedam quoad genus dicendi, ut scilicet tale sit, quale carmini, epistulae etc. conveniat. — *Ratio est,* quia liber habet auctorem Deum. Ad librum autem certe omnia ea pertinent, quae auctor in eo pro fine quem in eo habet absolute inesse vult.

Ob. — Generatim conceditur, *Deum in conscribendo libro v. g. Isaiae cum suo genere dicendi poetico, ideo usum esse Isaia, quia is iam natura et arte aptissimus erat, qui hoc genus dicendi adhiberet;* Deum ideo inconscribendo libro v. g. Esdrae cum suo genere dicendi libris annalibus proprio, quia Esdras vi officii et conditionis suae eiusmodi dicendi generi assuetus erat, etc. *Atqui si hoc assumi potest, non Deus, sed natura atque ars talium hominum eiusmodi genus literarium determinavit.* Ergo influxu inspirativo genus dicendi non determinatur. — *Maior* merito concedi potest. *Dist. min.:* In eo casu *assumi nequit, Deum eiusmodi hagiographis supernaturaliter infudisse indolem poeticam atque artem stilo poetico utendi,* vel indolem atque artem qua stilum historiae conscribendae accommodatum adhibet, *c.; assumi nequit, Deum eos influxu supernaturali determinasse ad hoc, ut hic et nunc in tali libro scribendo sua natura suaque arte uterentur, n.* — Ratio, cur Deus etiam eiusmodi dispositionibus creaturarum suarum utatur, quae formam libri scribendi spectant, eadem est, quam in responsione ad obiectionem antecedentem commemoravimus.

3) Lumen iudicativum *tertio* pro obiecto habet *omnia vocabula seu verba externa, in quantum sunt apta ad reddendos eos conceptus, ea iudicia quae Deus per hominem ut instrumentum suum scribere vult.* — Ratio haec est: *Influxus* inspirativus *ad librum conficiendum* dirigitur. Iamvero *liber essentialiter consistit in signis externis,* iisque *in quantum sunt apta ad sensum, quem auctor intendit, exprimendum.* Consistit primo in vocabulis, sane non in conceptibus, quippe qui menti hominis interni sunt; consistit secundo in vocabulis, in quantum conceptus significant, alias non essent vocabula sed meri soni materiales. Cf. De San n. 275.

Sequitur, influxum divinum *saltem eatenus omnia verba externa efficaciter eligenda determinare,* in quantum ea apta sunt ad sensum divinum reddendum.

4) *Quaestio* inter auctores *controversa* est, num lumen inspirativum *efficaciter semper et necessario determinet hoc* vocabulum, *quod ab hagiographo electum sit, prae illo,* hanc expressionem prae illa.

Sunt qui affirment, sunt qui negent. — *Maior pars theologorum negativam sententiam amplexa est.* Quorum ratio speculativa principalis haec est: Ad hoc ut talis determinatio dici posset semper et necessario adesse, « oporteret ut vocabula, ordo, stylus, quatenus sunt in individuo determinata, essent per se intenta in scriptione scripturarum sanctarum. Hoc autem dici non posse manifestum est; *quod enim inter plura vocabula, plures rerum ordines, pluraque genera dicendi per se idonea ad vere et sincere exprimenda ea sensa quae Deus vult libro consignari, haec vocabula, hic ordo, hoc dicendi genus potius quam alia vocabula, alius ordo, aliud genus dicendi adhibeantur, hoc est indifferens ad eum finem operis, ad quem liber communiter sumptus ordinatur*, qui finis, uti diximus unice est manifestatio eorum sensuum, quos auctor libri vult scripto perhiberi. Et *tametsi ex speciali fine,* in quem liber aliquis tamquam in finem operis dirigitur, *contingere possit, ut vocabula, ordo, genus dicendi in individuo determinata, sint per se intenta in scriptione libri, hoc tamen non contingit,* quando, sicut evenit, *in casu scripturarum divinarum, libri sunt didactici vel morales vel historici;* eiusmodi enim libri unice ordinantur ad manifestationem rerum et sententiarum, qui est finis communis omnium librorum. Non ergo ad inspirationem scripturarum per se requiritur particularis inspiratio verborum individuorum, ordinis est styli [determinatio huius vocabuli prae illa... vi ipsius influxus inspirativi].

Dixi particularem horum inspirationem non requiri per se; *per accidens enim ea* inspiratio requiritur, quotiens vel propter aptitudinem mysterii, de quo agitur, vel propter defectum memoriae vel propter aliam eiusmodi causam scriptori humano non occurrunt satis apta verba ad exprimenda ea sensa, quae Deus ab eo vult exprimi ». De San, Tractatus de Divina Traditione et Scriptura, Brugis 1903 p. 248.

Iamvero, « *Deus non facit per plura id quod convenienter fieri potest per pauciora* ». Ostendimus autem, eiusmodi influxum determinantem necessarium dici non posse ad eum finem ut liber a Deo scriptus esse dicatur. Scriptura vero atque Traditio, ut minimum dicatur, nullo modo indicant, Deum quoad determinationem huius vocabuli prae illo, quod eundem sensum aeque apte redderet, plus fecisse quam id, quod ex natura rei necessarium est, ut auctor libri dicatur. Ergo eiusmodi influxus determinans admittendus non est. Ib. p. 249. Cf. argumenta e Scriptura, Patribus, ratione theologica ab affirmantibus vel negantibus allata in Lith. p. 174-89; Pesch n. 451-78 p. 459-87.

Praeter lumen iudicativum requiritur assistentia.

Assistentia, si, uti hic, sensu technico adhibetur, *opponitur revelationi* atque *influxui continuo physico.* Consistit vero in ea *providentia divina extraordinaria, qua Deus aliis quibuslibet mediis*

utens, impedit, quominus facultates hominis in iis, quae absoluta voluntate ab iis fieri vult, deficiant. Potest in eo esse, ut homo in usu facultatum suarum naturalium a Deo per naturalia media infallibili ratione ita dirigatur, ut eae a recto tramite non deflectant, quin ulla praeternaturalis operatio in eas exerceatur.

Ratio cur eiusmodi assistentia requiratur, haec est. Ad inspirationem constituendam necessaria est eiusmodi virtus supernaturalis, vi cuius hagiographus non tantum ea omnia scribat, quae Deus per eum conscribere vult, verum etiam ut ea sola scribat, quae Deus per eum scribere vult. Iamvero si *homo per lumen iudicativum divinitus datum* quaedam scripsit, non eo ipso ei « adimitur naturalis potestas suo marte scribendi », atque proinde « *non eo ipso impeditur, quominus aliqua addat de suis,* cum inspiratio [motio illa divina] non sit motio diu noctuque non cessans nec sinens hominem nisi scribere, dum totus liber usque ad ultimam litteram sit finitus, sed inspiratio habet sua intervalla, abscedit, redit. Quibus in intervallis posset hagiographus aliqua scripto adiungere secundum suum sensum et suam voluntatem, maxime si conscientiam inspirationis non habet, quando adest. *Hoc igitur ne fiat, Deus assistentia sua impedire debet* ». Pesch n. 477 p. 486.

Ii, qui negant lumine iudicativo divinitus immisso hoc vocabulum prae illo semper determinari, etiam ex alia ratione assistentiam uti necessariam statuunt. Etenim inspiratio, uti vidimus, etiam hoc requirit, ut hagiographus infallibili efficacia recte ea omnia exprimat, quae Deus per eum scribere vult. Iamvero haec infallibilis efficacia in apta expressione supponit infallibilem efficaciam in electione aptae expressionis; haec vero infallibilis efficacia in electione aptae expressionis supponit infallibilem efficaciam in iudicio practico de hac expressione prae illa eligenda.

Atqui *haec infallibilis rectitudo iudicii practici de hac expressione prae illa eligenda primo non habetur per ipsam naturam humanam.* Id quod edivens est. Secundo, *non* habetur *per tale lumen divinum iudicativum, quo hoc vocabulum prae illo ab ipso Deo determinaretur.* Etenim ii theologi, de quibus nunc agimus, tale lumen non admittunt. Tertio, *non* habetur *per illud lumen divinum, quo hagiographus iudicium practicum format, hanc rem aliquo termino apto esse exprimendam.* Etenim primo, *non* habetur per tale lumen *formaliter.* Nam iudicium practicum de hac re modo quodam apto exprimenda, realiter distinctum est a iudicio practico de hac re exprimenda per hoc vocabulum potius quam per illud. Neque secundo habetur per tale lumen *mediante quadam eius efficientia physica.* Etenim pro tali statuenda nulla ratio est. *Ergo,* cum tamen infallibilis rectitudo iudicii practici de hac expressione prae illa eligenda ad essentiam inspirationis requiratur, *nihil remanet, quam ut Deus assistentiam suam infallibilem pro tali iudicio practico formando concedat.*

De influxu in voluntatem.

Requiritur influxus physicus immediatus in voluntatem.

Ratio haec est: *Scribendi actus debet esse* divinus, a Deo ut causa principali, ab homine ut instrumentali procedens. *Atqui ad actum scribendi pertinet velle scribere.* Ergo ille actus, quo homo scribere vult debet principaliter a Deo procedere. Iamvero actus voluntatis non ideo potest dici procedere principaliter a Deo, quia iudicium practicum de re uti scribenda principaliter a Deo procedit. Etenim *motio iudicii practici* non est ex parte causa efficientis, et physica, sed *tantum se habet ex parte propositionis obiecti.* Eo ipso autem quod obiectum divinitus proponitur, ipsa electio huius obiecti non necessario a Deo procedit sed viribus humanis relicta esse potest. Quod si fieret, haberetur actus voluntatis eligentis scriptionem, qui non esset ad Deum ut causam principalem reducendus, sed simpliciter humanus. Ergo etiam actus voluntatis debet principaliter procedere a Deo in quantum influxu physico immediato eam movet.

Effectus huius influxus.

Idem duplex effectus statuendus est, quem, de influxu in intellectum agentes, stabilivimus. Primus effectus is est, ut vi huius influxus voluntas *infallibili efficacia id scribere velit,* quod intellectus a Deo motus scribendum proposuit. Secundus, *ut actus voluntatis principaliter a Deo,* secundario tantum atque ut a causa instrumentali ab homine procedat.

Obiectum huius influxus.

Influxus hic versatur circa id, ut voluntas sibi *proponat* scribere *omnia quae intellectus scribenda concepit,* atque praeterea *eo modo quo illa scribenda concepit,* ut insuper facultatibus exsecutivis ea ipsa exsequenda *imperet.* — Ratio patet.

Ob. 1. — Thesi contra *Montanistas* posita probatum est, *hagiographum cum libertate scribere.* Atqui *hoc loco* ostensum est, eum *efficaciter determinari* ad hoc ut illud scribat, quod Deus per eum scribere vult, ut id porro eo modo scribat, quo Deus illud scribere vult. *Ergo aut illa thesis aut haec assertio falsa est. — N. suppositum, infallibilem efficaciam actionis divinae cum libertate stare non posse.* Haec duo de facto inter se amice componi omnes theologi affirmant. Modum vero discutere quo hoc fit, non est huius loci. Etenim ex una parte hac quaestio data opera discutitur quando infallibilitas efficacis gratiae non obstante hominis libertate explicatur; ex alia parte ea quae de inspiratione dicenda sunt, nihil novi ad hanc quaestionem solvendam afferunt. Ergo ea solutio, quae ob generalia principia habitudinis influxus efficacis ad actionem liberam hominis, in eo tractatu eligitur, eadem etiam ad hunc casum particularem applicanda est.

Ob. 2. — Auctores sacri aliquando motivis creatis moti sunt, ut hoc vel illud scriberent, id quod v. g. p. 314 vidimus. *Ergo* ad idem scribendum *non movebantur influxu supernaturali eoque immediato ipsius Dei,* qui eos ut instrumenta in scribendo adhiberet. — Dist. ma.: Auctores motivis istis moti sunt *ex parte obiecti* seu boni quod scribendo appetebant; *c; ex parte causae efficientis, n.* Unde sane remanet possibilitas, ut Deus ipse supernaturaliter ex parte causae efficientis in actum voluntatis influat, imo eum qua causa principalis efficiat. Cf. analogon in tractatu de gratia. Etenim saltem ii, qui gratia habituali ornati non sunt, ad actus liberos salutares et motivis, uti per se patet, et simul gratia actuali interna movendi sunt.

De influxu in facultates exsecutivas.

Requiritur influxus physicus in facultates exsecutivas.

Ipsa scriptio a Deo ut causa principali physica procedat necesse est. Atqui etiam ea *quae ad exsecutionem imperii voluntatis necessaria sunt, ad scriptionem pertinent.* Ergo haec quoque a Deo ut causa principali procedant necesse est. Iamvero *non procederent* a Deo ut causa principali physica, *nisi influxu physico supernaturali efficerentur.* Ergo influxus supernaturalis physicus in facultates exsecutivas statuendus est.

Ad id ut scriptio materialis a Deo ut causa principali procedat, non requiritur, novum influxum supernaturalem directe ipsis facultatibus exsecutivis a Deo impertiri, sed sufficit is, qui a voluntate supernaturaliter mota in eas descendit.

Si quae facultas ad actum suum physice movetur ab aliqua facultate, quae ipsa qua supernaturaliter mota agit, tunc facultas, eo ipso per physicum influxum supernaturalem movetur. Atqui voluntas ex una parte, uti e philosophia notum est, facultates exsecutivas physice movet; ex alia parte voluntas ipsa ad scriptionem libri quem Deus per hagiographum scribere vult, qua physice elevata movet. Ergo actus facultatum exsecutivarum eo ipso quod a voluntate ad scriptionem libri inspirati moventur, ab ipso Deo ut causa principali supernaturaliter agente moventur, atque proinde non requiritur novus influxus immediate iis ipsis impertitus.

Influxus inspirativus elevans et movens in intellectu et voluntate perseveret necesse est per totum illud tempus, quod auctor sacer scribendo impendit.

Uti ex iis quae mox diximus patet, non id affirmatur, auctorem sacrum qui v. g. per annum in scribendo aliquo libro occuparetur, omni momento per hunc annum actu influxu inspirativo fruitum esse. Sed id affirmatur, hagiographum illo influxu physice elevante et movente fruitum esse *non tantum eo tempore, in quo rem qua conscribendam concepit eamque scribere sibi proposuit, non tantum*

eo momento quo materialem scriptiorem (seu dictationem cf. prop. p. 236-7) *incepit, sed per totum illud tempus in quo actu in materiali scriptione (vel dictatione) occupatus erat.*

Ratio haec est: Actio hagiographi in conscribendo libro inspirato non est nisi actio causae instrumentalis physica sub Deo ut causa principali physica. Iamvero *instrumentum physicum desinit agere sub principali causa physica simulatque influxus physicus causae principalis recesserit.* Ergo ille influxus perduret necesse est per totum tempus, in quo liber scribitur.

Obiectiones. — Leo XIII in illo asserto, in quo explicando versamur, hoc habet: Deus supernaturali virtute hagiographos ita « ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus astitit... ». E qua expressione difficultates oriuntur duae:

a) Si Deus tantum *ad scribendum* excitat et movet, sane motio illa *inter scribendum non perseverat.*

b) Si Deus *ad scribendum* quidem excitavit *et movit*, *scribentibus* vero tantum *astitit,* sane *motio illa divina* physica, quando scriptio (vel dictatio) materialis incepit, *in meram assistentiam mutata est.*

R. — *Nego utrumque assertum.* — *In genere.* E phrasi quae in Encyclica immediate eam declarationem inspirationis quam in thesi nostra exhibuimus *antecedit,* item e verbis quae in Encyclica eam declarationem immediate sequuntur, omnino patet, *Pontificem versari in explicando eo influxu physico Dei, per quem ipse est causa principalis physica scriptionis, homo vero tantum causa instrumentalis.* Iamvero ob ipsam naturam causae principalis physicae, quae sane omnibus nota supponitur, evidentissimum est, in tali contextu *continuum* influxum physicum in causam instrumentalem statuendum esse. Unde expressiones, quae occurrunt, in hunc sensum explicandae essent. etsi per se ambiguae vel minus usitatae esse viderentur.

In specie. — *a)* At de facto expressio « *ad agendum moveri* » e modo loquendi communi, *cum de causa instrumentali physica sermo est, ita intelligitur,* ut motio physica *inter agendum perseveret.* V. g. qui dicit: « *Pictor penicillum ad pingendum adhibet* », nequaquam hac espressione dicere vult, influxum physicum moventem a pictore in penicillum derivatum quidem esse quando pingere incepit, inter pingendum vero eum recessisse, sed omnino id edicit, *eam motionem physicam pictoris perdurare, quamdio actio pingendi perduret.*

Quam *connaturalis* sit *hic modus loquendi* accipe v. g. ex hoc: Crets p. 112 eadem duo elementa ad inspirationem requirit, quae in Encyclica commemorantur, ut scilicet homo « tum mente concipiat, tum simul voluntate infallibiliter moveatur *ad scribendum* ea omnia et sola, quae Spiritus Sanctus per ipsum scripto consignanda consilio suo comprehendit. Insuper requiritur assistentia.... » *Nihilominus* p. 158 docet, hanc voluntatis motionem tum se habere debere « antecedenter ad scriptionem », tum « *in ipso actu scriptionis hunc voluntatis influxum perdurare atque concomitantem esse* ».

b) Ex solutione generali atque ea explicatione speciali termini « ad scribendum », quam mox adiunximus, iam patet, distinctionem inter excitationem et motionem ex una parte atque assistentiam ex alia parte *non posse ad id valere, ut mutationem motionis in vigilantiam significet.* Unde non remanet nisi difficultas exegetica qua ratione distinctio inter eos terminos accuratius explicanda sit.

Omnes quidem concedunt, terminis « excitavit et movit » significari influxum positivum physicum elevantem et moventem.

Termino « *adstitit* » auctores generatim eum *sensum technicum attribuunt, quem p. 380-1 de assistentia agentes stabilivimus.* Quam assistentiam secundum ea, quae mox diximus, influxui physico elevanti et determinanti addunt, non vero substituunt. Convenit cum hac explicatione significatio ordinaria termini « assistentia » in usu ecclesiastico, praecipue si excitationi opponitur. Convenit modus loquendi maioris numeri auctorum, qui inde a saeculo 16 usque ad haec tempora tum influxum quendam physicum tum assistentiam pro inspiratione requirebant, idque ita, ut assistentiam hagiographis datam cum assistentia conciliorum etc. compararent, eamque necessariam, at non sufficientem ad inspirationem declararent. Conveniunt eae descriptiones inspirationis quae eo tempore quo Encyclica « Providentissimus » scribebatur praecipue in usu erant. Hae enim assistentiam speciatim referunt ad expressionem eorum iudiciorum quae ut scribenda iam concepta et volita supponuntur. Cf. v. g. Cornely, Comp. Appendix n. 4 ed. 2ª; Franzelin, De Scriptura[3] p. 351, 360. Cf. de hac explicatione Pesch n. 428.

Schiffini hos terminos aliter explicare videtur: « *Antecedentem* [relate ad scriptionem] profecto influxum positivum important verba illa *ad scribendum excitavit et movit; concomitantem* vero illa alia verba *scribentibus adstitit.* Deinde significatur etiam infrustrabilitas sive *efficacia* talis divinae operationis, sicut Christus Dominus ad significandum suum praesidium efficax » apud Mt. 28, 20 hoc vocabulum adhibuit.

Ad id ut facultates exsecutivae scribendo ea exprimant, quae voluntas scribenda imperavit, non requiritur novus influxus positivus determinans in iis receptus, sed sufficit assistentia.

Determinatio facultatum exsecutivarum per se eo habetur, quod voluntas qua determinata illis quaedam exsequenda imperavit. Etenim *voluntas influxu physico eas ad mandata sua exsequenda determinat.* Unde effectus determinatus habebitur, dummodo illae facultates per accidens ab imperio recepto non aberrent. Iamvero eiusmodi aberratio possibilis est, v. g. oscitantia, oblivione aliove naturali defectu, uti cotidiana experientia commonstrat. Atqui Deus absoluta voluntate sibi proposuit, per hominem uti instrumentum suum has et has sententias conscribere. Ergo *necesse est, Deum adiutorium extraordinarium concedere, quo eiusmodi aberrationes in facultatibus exsecutivis efficaciter impediantur.*

At quaeritur, *qualis naturae eiusmodi adiutorium esse debeat*, num

scilicet requiratur influxus positivus physicus continuus in omnes actus facultatum exsecutivarum exercitus eosque ad talem effectum determinans, an sufficiat assistentia. Dicimus sufficere assistentiam.

Etenim *determinatio facultatum exsecutivarum per se habetur vi influxus physici voluntatis,* quippe quem illae facultates ob naturam et voluntatis et suam per se non sequi non possunt. Aberratio per accidens est. Sufficit ergo, si *quodam vero modo huic defectui* per accidens orienti efficax remedium afferatur. Affertur autem efficax remedium per assistentiam. Ergo ea sufficere dicenda est.

Ob. — Id quod assistentia divina adiuvante scribitur, non est vi originis verbum Dei scriptum. Cogita v. g. de decretis Conciliorum. Atqui tota Scriptura ob ipsam inspirationem est vi originis verbum Dei scriptum. Ergo assistentia non sufficit. — Id quod mera assistentia divina scriptionem adiuvante componitur, id non est vi originis verbum Dei scriptum, c.; id quod *procedit a voluntate, quae ipsa a Deo ut causa principali supernaturaliter movetur, simulque sub assistentia divina aberrationem ab imperio voluntatis impediente componitur, id non est vi originis scriptum verbum Dei,* n.

E TRACTATU
DE REVELATIONE CHRISTIANA

E Sect. IV: Iesus professus est, se esse verum Deum.

Supponitur, iam probatum esse, Iesum sibi ascripsisse aeternam praexsistentiam (prop. 13), infinitam scientiam (14), eandem potentiam atque essentiam, quam habet Pater (15), eum approbasse confessionem Thomae, qui Iesum ut verum Deum agnoverat.

PROPOSITIO. Iesus professus est, se esse Filium naturalem Dei. — *Cf. De revel. christ. fasc. II A p. 151-99.*

Expl. term. — *Filius* sensu proprio is est, qui *eandem naturam ab alio per generationem accepit.* Cum nonnisi unicus Deus sit, ratio Filii Dei in eo est, ut Filius Dei a Deo Patre acceperit naturam numerice eandem, non vero tantum specifice eandem, numerice autem diversam. — Filius sensu improprio multis modis dici potest atque etiam in Scriptura dicitur. Unde ex eo quod Iesus tantum aliqua ratione se Filium Dei proclamasset, legitima probatio pro thesi nostra non haberetur. Sed *ex certis argumentis ostendimus, sensum improprium in eo termino, prout Iesus eum ad se ipsum applicavit, exclusum, sensum vero proprium omnino admittendum esse.*

Idea generalis argumenti. — Qui ita se dicit Filium alterius, ut sibi simul eandem naturam ascribat, quam alter habet, ille sane se dicit Filium eius naturalem. Iamvero *Iesus se ita dixit Filium Dei Patris, uti sibi simul eandem naturam ascribat, quam habet Pater.* Ergo. — Prob. min.

E Io. 1, 34.

Iesus omnem doctrinam Ioannis Baptistae approbavit. Atqui *Baptista* ex una parte, uti prop. 13 vidimus, *Iesu praeexsistentiam aeternam* atque proinde divinitatem *ascripsit; ex alia parte* Io. I, 34 de eo dicit: « *hic est Filius Dei* ». Ergo.

E Io. 10, 36.

Cum *Iesus Io. 10, 30* ait: « Ego et Pater unum sumus », *sibi eandem essentiam ascribit,* quam habeat Pater, id quod prop. 15 ostendimus. Atqui *10, 36 effert, se his verbis saltem implicite dixisse: « Filius Dei sum ».* Ergo Iesus se confessus est Filium Dei naturalem.

E Mt. 11, 27.

Iesus, uti prop. 14 probavimus, *Mt. 11, 27 sibi attribuit eamdem scientiam* atque proinde eamdem *essentiam* quam habet Pater. Atqui *eodem in textu se diversis vicibus Filium Patris dicit.* Ergo se Filium naturalem Dei Patris profitetur.

E Mt. 16, 16-17. Iesus laudat confessionem Petri, qui eum verum Deum confessus fuerat. — *p. 155-61.*

Patres atque theologi, exceptis tantum quibusdam recentissimis, affirmant, Petrum iis verbis Iesum non tantum ut Messiam, verum etiam ut Filium Dei confessum esse. — Rationes autem eiusmodi fere adducuntur:

Arg. — 1) Petrus *iam antea divinitatem Christi eiusque filiationem divinam praedicatam audiverat eamque tradi intellexerat.* Atqui *Mt. 16, 16 non aliam rationem Filii Dei in Christo confessus est,* quam antea audivit atque intellexit. Ergo.

Ad ma. — *Audiverat* divinitatem et divinam filiationem Christi praedicari a Ioanne Baptista v. g. Io. 1, 15, 30, 34, et 3, 34; a Domino Io. 5, 18; imo e sententia magis communi etiam verba Domini Mt. 11, 27 iam praecesserant. — *Intellexerat,* Dominum sibi divinitatem attribuere. Etenim ipsi Iudaei verba Domini Io. 5, 18 de eius divinitate et filiatione divina intellexerant atque, audientibus apostolis, hanc suam intellectionem verborum Domini clare manifestaverant.

Ad min. — Primo iam per se clarum est Petrum, *cum solemni modo* ab ipso Domino interrogatur, quis ab ipsis apostolis dicatur, non dignitatem minorem prae maiore extulisse. Etenim *finis Domini* evidenter in eo est, ut experiatur, *quantopere apostoli sui a populo incredulo in profitenda dignitate suae personae distent.* — Praeterea Dominus confessionem atque proinde etiam *fidem Petri* quam maxime *laudat.* Iamvero si Petrus solam fidem in Messianicam dignitatem Christi confessus fuisset, *haec confessio in minorem dignitatem Christi, post omnia quae praecesserant non potuisset habere rationem nisi in quadam debilitate fidei Petri* atque proinde Petrus non tantam laudem sed potius aliquod vituperium meruisset.

2) Ab optimis auctoribus pro explicatione Mt. 16, 16 etiam *remittitur ad Mt. 11, 27.* Etenim Iesus Mt. 16, 17 docet, obiectum fidei Petri tam sublime esse, ut illud nonnisi a Patre revelari potuerit. Iamvero. Mt. 11, 27 docuerat, speciatim cognitionem divinitatis suae nonnisi a revelatione Patris descendere posse.

3) *Confirmatur* ex eo, quod Iesus v. 18 se uti Deum exhibet, promittendo, se propria auctoritate ecclesiam suam aedificaturum esse. Chrysost.

Difficultates.

Mt. 16, 16-7 nihil aliud continetur atque Mc. 8, 29 et Lc. 9, 20. Atqui *Mc. et Lc. faciunt Petrum tantum dicere: « Tu es Christus »*. Ergo verba Petri etiam apud Mt. de sola dignitate Messianica Christi explicanda sunt.

Quidam respondent: Peto probationem maioris. Potest esse, ut Mc. et Lc. tantum partem responsi Petri referant. Quod responsum forte ita fulcire licet: Mc. et Lc. eam scenam proxime ad eum finem tradere videntur ut doceant, Iesum apostolis scandalum crucis tantum inde ab eo tempore revelare voluisse, quo per confessionem solemnem Petri in dignitatem Christi in fide in eum firmati erant. Iamvero haec paedagogia Christi iam aliquo modo capitur, etsi Mc. et Lc. tantum eam partem confessionis Petri narrant, quae est de dignitate Messianica. Etenim Iudaei iam solam dignitatem Messiae cum eius perpessionibus nonnisi difficile componebant.

Melior responsio haec est: *Christifideles eo tempore quo Mc. et Lc. scribebant, nomina « Christus » et « Filius Dei » promiscue usurpabant.* Ita saepissime S. Paulus; ita Lc. Act. 9, 20 col. cum 9, 22; ita Io. 1 Io. 2, 22; ita iam ipse Dominus Io. 17, 3. Ergo Mc. pro talibus lectoribus optime verba Petri « Tu es Christus Filius Dei » compendio quodam ita referre poterat: « Tu es Christus ». Imo forte is iam erat modus loquendi tempore apostolorum, dum adhuc cum Domino degerent. Cf. Io. 17, 3.

Iesus Mt. 16, 20 post verba ad Petrum directa « praecepit discipulis suis *ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus* (in gr. omittitur *Iesus*) ». Atqui *hoc est idem atque praecipere, ne cui dicerent suam dignitatem Messianicam.* Ergo ipse Christus verba Petri ita explicavit, ut iis nihil aliud contineretur, quam ratio dignitatis Messianicae. — *a)* N. min. Poterat Iesus *terminum « Christus »* ita exhibere, uti in solutione secunda ad ultimam difficultatem exposuimus. *b)* Transeat min. N. consequentiam. Poterat Christus se ad id limitare, ut formaliter vetaret, quominus suam dignitatem Messianicam praedicarent, supponens scilicet, eos eo ipso intelligere, se a fortiori non debere dignitatem etiam altiorem Christi praedicare.

Ex eo quod Christus confitetur, se esse non tantum filium David secundum naturam humanam, verum etiam filium Dei secundum naturam divinam. Mt. 22, 41-6 et locis paral. — *p. 161-6.*

Cum Iesus de Messia docet; « ... Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? », sensus e contextu is est: « *Si Messias est filius naturalis solius David, non vero simul filius naturalis Dei Patris, certe non posset vi essentiae suae physicae esse Dominus David. Iamvero vi essentiae suae physicae est Dominus David.* Ergo

Messias non est filius naturalis solius David, verum etiam Dei Patris ». — Probo hanc interpretationem verborum Domini legitimam esse.

1) Iesus interrogans : « Cuius filius est (Messias) », *interrogat, cuius filius naturalis Messias sit.* Etenim *a)* Haec est usitata significatio vocabuli. *b)* Ita pharisaei terminum intelligunt, quippe qui sine haesitatione respondeant, eum esse filium David. Omnes autem sciebant, Messiam esse filium naturalem David.

2) Iesus docet, *Messiam non esse filium naturalem solius David.* Etenim cum ait, Messiam, si sit filius David, non posse esse Dominum David, non potest aliter intelligi atque ita ut asserat, Messiam si sit filius naturalis solius David, non posse esse Dominum David. Nam *a)* Iesus aliis in locis et se Messiam professus fuerat, et suam originem a David asseruerat. Ergo non remanet alia explicatio. *b)* Pharisaei responsum quod Domino dederant, Messiam esse filium David ita intellexerant. Etenim secundum Io. 10, 33 impossibile habebant, hominem posse simul esse filium naturalem hominis, simul Deum eumque filium naturalem Dei. Unde verba Domini ita interpretanda sunt. « Si, uti vos dicitis Messias est filius naturalis solius David, non potest esse Dominus David ».

3) Iesus affirmat, *Messiam esse filium naturalem etiam ipsius Dei Patris.* Etenim *a)* In praecedentibus disputationibus Domini cum pharisaeis quam maxime de hac re agebatur, num ipse sit verus Deus et naturalis filius Dei. Cf. Io. c. 5, c. 10. Ergo etiam hoc loco, negando se esse filium naturalem solius David, Iesus iam indirecte affirmat, se esse filium naturalem Dei. *b)* Praeterea Iesus pro dignitate divina Messiae ita e Scriptura argumentatur : « Messias a David vocatur Deus sensu proprio. Atqui si Messias est Deus sensu proprio, sane non potest esse filius naturalis, solius David. Porro, cum aliunde etiam pateat Messiam ita esse Deum ut sit simul filius Dei, non potest esse nisi filius naturalis Dei Patris ». Probo hanc interpretationem verborum Domini rectam esse.

Iesus ita argumentatur : « David vocat Messiam Dominum suum. Ergo non est filius naturalis solius David ». Iamvero haec illatio recta non esset, nisi e mente Iesu ageretur de ea dominatione Messiae in David, quae ex ipsa natura physica Messiae oritur, non vero ex quodam titulo, qui naturae eius physicae additur. Etenim evidenter non repugnat, imo saepe in vita humana evenit, ut quis, qui est filius naturalis alicuius, tamen eius dominus fiat, v. g. eo quod in regem totius gentis eligitur. — Praeterea Dominus argumentatur ex ea ratione dominationis, quae Messiae in Psalmo 109 ascribitur. Iamvero, uti in tractatu de vaticiniis Messianicis tum ex Parallelismo cum Ps. 2, 7 et 44, 8 tum e sessione Messiae ad dexteram Dei Ps. 109, 1 demonstratur, cum hoc loco Messias « Dominus » dicitur, agitur de vera divinitate eius, qui « Dominus » vocatur. — Tandem aliunde v. g. ex

Ps. v. 2, 7, ex continua praedicatione Domini patebat, eum Messiae tali ratione dignitatem divinam ascribere, ut eum simul filium Dei Patris diceret.

Difficultates.

Iesus haec duo sola dicere vult: *a) non necessarium esse,* ut Messias sit filius David; *b)* eius dignitatem esse *a re sublimiore.* — *a) N. primum* punctum. Cf. arg. *b)* Dist. secundum; Iesus *tantum indeterminate* affirmat, suam dignitatem esse e re sublimiore quam ex origine davidica, *n.*; Iesus *determinate* affirmat eam oriri *ex quod sit filius naturalis Dei, c.*

Iesus hoc unum docet, esse *oppositionem inter titulum genealogicum* pro dignitate Messianica et *titulum internum* quendam *e conscientia Messianica.* — *N. suppositum,* agi de diversis titulis pro dignitate Messianica; *agitur de duabus naturis eius qui dignitatem Messianicam habet.*

Ex eo quod Messias est Dominus David, non sequitur, eum esse Deum. — Id non sequeretur ex eo, quod Messias diceretur Dominus David *ob titulum qui naturae physicae Messiae mere externus esset, c.*; non ex eo, quod dicitur Dominus David *vi suae naturae physicae, n.*

Ex eo quod Iesus coram synedrio, interrogatus num sit « Christus, Filius Dei », affirmando respondet. — *p. 166-9.*

Quid quaeratur. — Multi *acatholici* atque *quidam recentissimi catholici* affirmant, Iesum, cum coram synedrio responderet, se esse Christum filium Dei, terminum « Messias » intellexisse pro eo, cui munera Messianica incumbant, terminum vero « filius Dei » adhibuisse uti synonymum cum termino Messiae ita intellecto, ut diximus. *Demonstramus, Iesum terminum « filius Dei » adhibuisse pro filio Dei naturali.* — Abstrahimus autem ab ea questione, utrum synedrium eo loco per terminum « Christus » tantum designaverit eum qui habeat munera Messianica, praescindendo ab eo, num is simul sit filius Dei naturalis; an potius eo termino formaliter explicite quidem designare voluerint eum, qui habet munera Messianica, formaliter implicite vero eum, qui simul sit filius Dei naturalis, ita ut secundus terminus « filius Dei » tantum ideo additus sit priori « Christus », ut explicite efferretur, quod implicite in priore iam cogitabatur contentum.

Exegetae catholici communissime, praeterea multi protestantes, in nostra assertione conveniunt. Id quod etiam valet de singulis argumentis quae proponemus.

E fine, quem Synedristae interrogatione sua se obtinuisse confessi sunt.

Iesus in responsione sua terminum « filius Dei » *non in significatione minus sublimi adhibet, quam synedrium.* Etenim respondet se esse eum, quem Synedrium in sua interrogatione designaverat. Atqui

synedrium terminum « filius Dei » intellexit pro filio Dei naturali. Id deducimus ex fine, quem synedristae sua interrogatione prosecuti sunt.

Finis, quem synedrium sua quaestione obtinere vult, is est, ut Christus talem assertionem de se ipso proferat, ob quam, *independenter ab omni probatione pro ratione criminis in asserto,* ob ipsam evidentiam criminis morte luendi in ipsa assertione contenti, *eum mortis condemnare possint.* Atqui tale crimen e mente synedrii *a)* situm non erat in confessione Iesu, se esse Messiam, *b)* inveniebatur vero in confessione, se esse filium Dei naturalem. Ergo synedristae terminum « filius Dei » adhibent pro filio Dei naturali.

Ad ma. — Mt. 26, 55-6: « Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam.... At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis ».

Ad min. — Quoad a) Evidens est, Synedristas ipsam confessionem Messianicae dignitatis simpliciter sumptam non potuisse habere ut crimen morte luendum, sed eos tantum eatenus eam confessionem ut criminosam considerare potuisse, quatenus probaretur, eam e mala fide procedere. Porro Iesum, qui se saepius Messiam proclamaverat, nunquam ob id ipsum reum mortis habuerant, sed eum falsitatis asserti arguere studuerant.

Quoad b) Ex una parte e mente Synedristarum erat *crimen morte luendum, si quis, qui vere homo erat, asserebat se esse Deum;* ex alia parte e mente synedristarum *idem erat, asserere se esse filium Dei naturalem atque esserere se esse verum Deum.* Sententia prior ex eo patet, quod Io. 5, 18 et 10, 33 Iesum ideo lapidare voluerant « quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum ». Sententia secunda ex eo certa est, quod tum Io. 5, 18 tum Io. 10, 33 Iesum, postquam se *aequalem Deo Patri Filium* exhibuerat, accusant eum se facere aequalem *Deo.*

Ex eo quod iudices confessionem Christi blasphemam dicunt.

Synedristae confessionem Iesu, se esse Christum Filium Dei, blasphemam iudicarunt. Iamvero *e mente Synedrii confessio dignitatis Messianicae independenter ab argumentis pro eius falsitate afferendis blasphema non erat.* Erat autem blasphema ipsa assertio filiationis, naturalis divinae. Ergo.

Ad ma. — Cf. quae immediate ante diximus. — *Ad min.:* Scribae, pharisaei, duces populi (moraliter iidem atque Synedristae), Io. 10, 33 exclamant: « *Lapidamus te de blasphemia* et (*et* epexegeticum), *quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum* ». Mt. 9, 2-9 (Mc. 2, 3-12), cum Iesus paralytico dixisset: « Fili, dimittuntur tibi peccata tua », scribae quidam cogitabant intra se: « .... blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? ».

Ex eo quod Iesus in responso suo filiationem suam divinam argumento pro ea allato declarat atque confirmat.

Iesus verbis: « Ego sum (Christus Filius Dei) » adiungit sec. Mt., Mc., Lc. haec: « .... *videbitis filium hominis (i. e. me) sedentem a dexteris virtutis Dei...* ». Qua ratione dicit, se esse eum, qui *in Ps. 109, 1, ad quem verba illa remittere* ab exegetis catholicis et plurimis protestantibus *conceditur*, dicitur sedere a dextris Dei. Atqui adhuc ante duos dies Dominus clare coram pharisaeis et toto populo docuerat, *ea verba de Messia dici, idque de Messia qui simul Deus sit*. Id quod mox demostravimus. Ergo Iesus in suo responso declarat, se esse ita Filium Dei, ut simul sit verus Deus, idque declarat modo omnibus perspicuo.

Ex eo quod Synedristae e verbis Christi, se fore sedentem a dextris Dei, deducunt, eum se dicere Filium Dei.

Synedristae auditis his verbis Christi, atque sine dubio memoria retinentes, Iesum ante duos dies e Ps. mox a se citato deduxisse Messiam esse Filium Dei naturalem et verum Deum, inferunt: « Tu *ergo* es Filius Dei? » Ergo terminum « *Filius Dei* » *intelligunt eo modo, quo Christus eum in sua oratione coram Pharisaeis et populo intellexerat*. Iamvero Christus respondet: « Vos (recte) dicitis, quia ego sum (filius Dei naturalis) ». Ergo Iesus his verbis se confessus est Filium Dei naturalem.

Ex eo quod Iudaei accusationi coram Pilato factae, Iesum se fecisse filium Dei, aliud obiectum attribuunt atque accusationi, eum se dicere Christum regem.

Tria sunt *stadia* accusationis Christi coram Pilato.

Primum stadium est accusatio *de tribus criminibus politicis*, scilicet de seditione mota, de tributo prohibito, de principatu politico sibi vindicato. Ut fundamentum pro illa ultima accusatione adducunt, Iesum se dixisse « *Christum regem* » Quod fundamentum cum adducunt, utique sensum eorum verborum Christi pervertunt. Pilatus hanc triplicem accusationem politicam uti non fundatam reicit. Sequitur, eum illa duo facta allata pro falso assertis habuisse; praeterea ipse propria indagatione detexit, titulum illum « Christi regis » a Iesu usurpatum quidem esse at alio sensu.

Secundum stadium his verbis Synedristarum continetur: « *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit* ». His verbis *primo aliud crimen* edicitur atque illa tria crimina politica. Etenim quia Pilatus crimina illa politica contra Iesum allata reiecit, sane Iudaeis in mentem venire non poterat, ut vellent Iesum propter ea ipsa crimina condemnari secundum normam legis Mosaicae, propter quae, ob factorum criminosorum defectum condemnari non potuerat secundum legem Romanam. *Secundo*, sermo est *de eo crimine religioso, quod Iesus se filium*

naturalem Dei declaravit. Nam primo *redit ratio antea allata,* scilicet, si Synedristae verba « filius Dei » sensu mere messianico adhibuissent, non potuissent affirmare, hanc solam assertionem, independenter a probationibus pro eius falsitate et mala fide e qua procederet, esse contra legem Mosaicam. Praeterea Synedristae sine dubio *eam dignitatem his verbis designare voluntt, ob quam, iisdem verbis designatam, Iesum noctu secundum normam legis Mosaicae mortis condemnaverant.* Condemnaverant eum autem ob dignitatem divinam sibi ascriptam.

Confirmatur explicatio his: Pilatus interrogat: « Unde es tu? », i. e. e coelo an e terra? Praeterea audita nova accusatione Iudaeorum « magis timuit », veritus scilicet ne, divinam quandam dignitatem spernendo, sibi ultionem divinam attraheret, quare « exinde quaerebat dimittere eum ».

Tertium stadium. Iudaei accusationem politicam de principatu a Iesu sibi ascripto iterum proponunt, additis minis, se Pilatum ad Tiberium delaturos esse, si hominem, qui se regem fecerit, dimiserit. Quibus minis Pilatus cessit.

Difficultates. — p. 187-99.

Omittimus difficultates contra genuinitatem textuum, qui scenam coram synedrio vel Pilato referunt. Has in systemata diversa composuerunt v. g. Renan, Wellhausen, Loisy. Quae exposita atque refutata vide, si placet, p. 175-87. Hic tantum afferimus difficultates *contra sensum textuum, e quibus argumentati sumus.*

« Indagatio historica » ostendit, in mentibus Synedristarum *ideam de divinitate Christi non substitisse.* Ergo Domino *ne quaestionem quidem ponere poterant, num sit Deus.* — Synedristae non habebant aut persuasionem aut opinionem probabilem aut omnino ullam ideam de divinitate Messiae, *si consideratur ea notitia quam de facto e Scriptura vel e traditione iudaica hauserunt, transeat;* non habebant notitiam de divinitate Messiae uti haustam *e praedicatione Domini atque e disputationibus cum eo, subdist.: non habebant fidem* in divinitatem Messiae Iesu, *c.,* non habebant simplicem *notitiam seu ideam de vera divinitate Iesu uti de re a Christo asserta, n.* Cf. prop. 13 et 15.

Synedristis saltem *deerat idea de filio naturali Dei.* Ergo *quaestionem, num sit filius naturalis Dei,* Iudaei illi culti, quos Dominus in Io. c. 10 allocutus erat, ne *ponere quidem poterant.* Prob. antecedens: *Primo,* e verbis Domini Io. 10, 30, « Ego et Pater unum sumus » tantum *concludunt, Iesum se dixisse Deum,* non vero eum se dixisse Filium Dei. *Secundo,* omnes Iudaei *rigidissimo monotheismo imbuti* erant. — N. assertum. Cf. thesim nostram. — Ad rationes additas:

Ad priorem: Illi Iudaei eo in loco *explicite* tantum conclusionem de vera *divinitate* a Iesu sibi ascripta efferunt, idque ideo, quia

Iesus eo in loco principaliter ipsam divinitatem suam inculcaverat, c.; Iudaei eo ipso in loco non vere intellexerunt, Iesum se naturalem filium Dei proclamare, n. Etenim audierant Iesum dicentem: « Ego et Pater unum sumus »; audierant eum hanc sententiam explicantem per ea verba: « Filius Dei sum » (10, 36). Ergone illud quidem intellexerunt, eum se « aequalem Deo » facere, non vero illud, eum se aequalem « Deo Patri » suo dicere? Caeterum, etsi Iudaei id ex eo loco non didicissent, didicerunt ex aliis.

Ad secundam: Si « rigidissimus Monotheismus » intelligitur *firmissima persuasio de perfecta unicitate naturae divinae, sane is non impedit aut ideam aut fidem de pluralitate personarum in Deo. Si* vero, quamvis non apte, intelligitur *firmissima persuasio de unicitate Dei, simul cum negatione pluralitatis personarum in Deo, quamdiu talis persuasio perseverat, non potest haberi fides in pluralitatem personarum vel persuasio de ea, c.; non potest haberi idea de tali pluralitate ab aliquo asserta, n.* Haec autem si haberi potest, ratio adversariorum iam non valet. — Caeterum transmitto assertum, Iudaeos cultos independenter a praedicatione Domini non habuisse ideam de pluralitate personarum in Deo.

Si Synedristae putassent, Iesum se dicere Deum, *eum mente captum habuissent.* Nam vidissent monstruositatem eiusmodi assertionis, hominem, imo hominem ligatum atque potestati hostili traditum, esse ipsum Deum. — *N. assertum. Non poterant Iesum mente captum habere, quia in Iesu simul cum eius assertione de propria divinitate, continuo signa evidentissima extraordinariae sapientiae viderant.* — Ad rationem additam: Iudaei in assertione Christi de facto viderunt id quod in obiectione inepte dicitur « monstruositas », recte vero vocandum est *mysterium.* Nam ideo omnino Iesum blasphemiae maximaeque superbiae reum proclamabant, quia ex una parte videbant, quam « monstruosa » sit haec idea, ex alia parte plenissimam persuasionem de maximo vigore mentis Christi habebant.

Hi duo tituli « Christus » et « filius Dei » iuxta se ponuntur. Ergo *identici* sunt. — C. antec. Dist. conseq.: *Si iuxtapositio nonnisi ex identitate rationis in utroque titulo expressa explicari potest, c.; si* etiam aliunde explicari potest, scilicet ex eo quod *diversa ratio in utroque titulo expressa in eadem persona invenitur, n.* Iamvero demonstravimus, hoc ultimum e mente Synedristarum locum habere. Quid, si quis e titulo: « Vestra realis et imperialis maiestas » inferre vellet, eandem esse rationem regis, eamdem imperatoris?

Mt. et Mc. tantum unam quaestionem in ore Synedristarum ponunt: « Si tu es Christus, filius Dei ». Lc. vero duas habet. Prior est: « Si tu es Christus, dic nobis ». Secunda ponitur *post responsum Domini indirectum, in quo ad locum Scripturae de functione Messianica provocat,* atque sonat: « Tu *ergo* es Filius Dei? » Ergo *secundum Lc. pro Synedristis inter se synonymi sunt termini « filius-*

Dei » *et* « *Christus* », in quantum adhibetur pro eo, qui functionem aliquam Messianicam implet. Iamvero *Mt. et Mc.*, quippe qui una quaestione i. e. magis compendiose, mentem Synedristarum exhibeat, *explicandi sunt secundum Lc.*, quippe qui duabus quaestionibus, i. e. magis enucleate, mentem Synedristarum referat. Ergo apud omnes Synopticos terminus « filius Dei » synonymus est cum termino « Messias », in quantum eum dicit, cui munera Messianica incumbunt. — Falsum est, Synedristas ea verba « Tu ergo es Filius Dei » pronuntiare, postquam Dominus tantum ad functionem Messianicam provocaverat. *Ea pronuntiant, postquam Dominus tum ad functionem proxime Messianicam Daniel 7, 2 provocaverat, tum ad Ps. 109, 1.* Iamvero vidimus, Dominum *eo quod ad hunc psalmum provocavit se Deum verum et filium Dei dixisse*, idque tali ratione ut etiam Synedristae id intelligerent. Ergo cum ii post talia verba Domini de sua filiatione vere divina interrogant: Tu ergo es filius Dei », hunc terminum ipsi quoque de vera filiatione intelligunt.

Contra argumentum, quod hausimus e condemnatione Iesu ob blasphemiam.

Multis aliis modis blasphemia pronuntiari potest quam eo, quod quis se confitetur Deum. Ergo falso e condemnatione Iesu propter blasphemiam concluditur, eum se coram synedrio Deum confessum esse. — *N. suppositum*, nos ita argumentatos esse: Quicumque ob blasphemiam condemnatur, is sibi divinitatem ascripsisse convincitur. Argumentum hoc est: Christus *mortis condemnatus est ob blasphemiam, quae e mente Synedristarum inveniebatur in eius confessione, se esse Christum, filium Dei.* Atqui e mente Iudaeorum ea confessio *blasphema esse non poterat ob confessionem se esse Messiam;* poterat vero esse blasphema, imo certissime *e mente eorum blasphema erat, ob confessionem, se esse Filium Dei naturalem.* Ergo recte ex eo quod Christus ob confessionem, se esse Christum filium Dei, uti blasphemus condemnatus est, concluditur, eum condemnatum esse quia sibi divinitatem ascripserit.

Iesus e mente Synedristarum, uti omnium Iudaeorum, blasphemus erat iam ob ipsam confessionem se esse Messiam. Ergo remanet difficultas mox posita. Prob. antec.: *Iudaei in Messia expectabant regem politicum gloriosum.* Atqui evidens erat, Iesum pauperem et despectum non esse regem politicum gloriosum. — N. assertum. Ad rationem additam: Iudaeis sat communiter persuasum erat, Messiam *aliquando fore* gloriosum regem politicum, transeat; *eum subito atque suam dignitatem manifestaturus sit, etiam exstiturum esse regem politicum vel saltem aemulum regni politici, n.*

Expl. Baptista non se dixit regem politicum. Nihilominus Iudaei cogitabant de Baptista, « ne forte ipse esset Christus ». Iesus nunquam principatum politicum sibi ascripsit, imo negavit se eum

admittere velle. Nihilominus Iesum habebant Messiam iam post multiplicationem panum. Pharisaei nunquam hoc criterium negativum, quod tamen evidentissimum fuisset, contra dignitatem Messianicam Christi opponunt, scilicet quod regnum politicum non ambiret. Ingredienti in Ierusalem turba multa ut Messiae acclamabat. Ex ipsis proceribus multi in eum crediderunt.

Iudaei Mt. 27, *40 verbis « Si Filius Dei es, descende de cruce », ideo rationem filii Dei in Iesu negant, quia miraculoso modo e cruce descendere non poterat. Iamvero ad id ut Iesus hoc miraculum patraret, non requirebatur ut esset Filius Dei naturalis.* Ergo terminus « filius Dei » ab iis sensu latiore intelligebatur. — *a)* Ad summum sequeretur, hunc terminum *eo in loco* ab illudentibus sensu latiore adhibitum fuisse. E quo sane non sequitur, eum aliis in locis non sensu proprio adhibitum esse. *b)* At primo saltem *ex parte contextus nihil obstat, quominus sensus strictus termini* etiam hic *admittatur.* Contextus enim esset hic: Iudaei ludibrii causa exclamant, eum statum summae miseriae, qui in Iesu inveniebatur, profecto non convenire cum illo amore, quo Deus Pater Filium suum proprium complecti deberet. Qui contextus sane aptissimus est. Secundo, *moraliter certum esse videtur, etiam hoc loco hunc terminum pro filio Dei naturali adhibitum esse.* Nam qui hoc ludibrium proferunt sunt tum *Synedristae* tum alii praetereuntes. Iamvero Synedristae eadem nocte Iesum ob filiationem divinam proprie talem sibi vindicatam mortis damnaverant. *Praetereuntes* autem caeteri primo noverunt, de quibus criminibus Iesus coram synedrio accusatus erat, uti patet ex alio ludibrio quo Iesum impetunt, scilicet eum voluisse templum Dei destruere; praeterea *accusationes quae coram Pilato contra Christum conflatae fuerant* perspectas habebant, quippe quae a toto populo auditae fuerint. Iamvero in utroque iudicio Iesus ob veram filiationem divinam sibi vindicatam accusatus fuerat.

E TRACTATU
DE RELIGIONIS REVELATIONE IN ABSTRACTO CONSIDERATA

Propositio. Revelatio religionis physice possibilis est. — *Cf. Tract. de rel. rev. in abstr. p. 15-8.*

Con. mat. — Hanc thesim praecipue ideo distinctim ab ea proponimus, qua possibilitas revelationisgenerice sumptae probatur, quia ii qui possibilitatem revelationis in genere negant, *speciales rationes contra possibilitatem revelationis religionis afferre solent.*

Expl. term. — *Veritas religiosa* est enuntiabile seu propositio, qua *aliquid de Deo vel de relatione rerum ad Deum affirmatur.* Veritas *profana* est eiusmodi enuntiabile seu propositio, qua aliquid de rebus creatis affirmatur, *quin earum relatio ad Deum spectetur.* — *Religio* (obiective sumpta) est *eiusmodi complexus veritatum religiosarum, quo praecipuae veritates de Deo atque de relationibus creaturarum ad Deum exhibentur.* Qui complexus non necessario in forma systematis scientifici proponitur.

Modus argumentandi. — Sufficit probare possibilitatem *physicam alicuius* veritatis religiosae, ut eo ipso constet de *physica* possibilitate revelationis complexus. — Differentia inter aliquam propositionem generice sumptam et religiosam tantum se tenet ex parte obiecti credendi. Unde sufficit *argumentis in thesi de possibilitate revelationis in genere sumptae ea addere, quae ad obiectum religiosum spectant.* — Consideramus hac thesi *tantum eiusmodi veritates religiosas, quae non sunt mysteria sensu stricto.*

Arg. — 1) E ratione intrinseca. — *Quoad formam efficiendam:* Etiam res religiosae omnes *conceptibus analogis* repraesentari possunt. Ergo nulla ratio est, cur profanae revelabiles dicantur, religiosae non. — *Quoad intelligentiam eius qui revelationem recipit: Sensus* multarum propositionum religiosarum *non est difficilior quam profanarum.* Si in quibusdam propositionibus intelligendis quaedam specialis difficultas est, ea indagatione atque instructione humana, speciali providentia divina, infusione scientiae, nova revelatione tolli potest. — *Quoad eum finem revelationis, qui fide continetur:* Theologi maiore ex parte admittunt, habitum scientiae alicuius rei etiam evidenter cognitae cum actu fidei in eandem rem stare posse. Unde nulla difficultate pressi admittunt, omnes res religiosas, etiam eas, quae cum evidentia sciuntur, omnibus revelari

posse. Thomistae vero, quamvis hoc negent, tamen ipsi quoque statuunt, plurimas veritates religiosas exsistere, quae non ita evidenter ab omnibus sciuntur, atque consequenter saltem a quibusdam credi et consequenter saltem pro iis revelari possunt. Eiusmodi veritates sunt multa facta providentiae divinae, speciatim prophetiae, multae propositiones theodiceae et ethicae.

2) **Auctoritate generis humani.** — Quae, uti in thesi antecedente (Rip. I p. 6) diximus, ab humano generi universim revelata putantur, fere omnia religiosa erant. Cf. praeterea propositiones creditas a Christianis, Iudaeis.

Obiectiones. — Veritates divinae revelatae, si nostris conceptibus exprimerentur, *ad ordinem sensibilem deprimerentur. — Secundum ea, quae* conceptus nostri de rebus divinis repraesentant, *n.;* secundum modum, quo ea repraesentant, *scilicet analogice, c.*

Veritas divina seu absoluta, in hominis mente repraesentata, *necessario fit relativa.* Atqui veritas *relativa ex elementis veris et falsis consistit.* Ergo nulla veritas divina homini revelari potest. — Dist. ma.: Fit relativa, *in quantum modus quo veritas divina repraesentatur, scilicet analogice, non est absolute perfectus* sed perfectionis tantum finitae, *c.;* in quantum *id quod repraesentatur, necessario aliquid falsi continet, n.* Contradist. min. — Caeterum difficultas tantum contra veritates quasdam religiosas dirigitur.

Si Deus, uti saepe in revelatione fit, nobis clarius exhibetur, *libertas in eius praeceptis implendis iam hic in terris destruitur.* — Libertas ea perit, si *veritates quaedam religiosae* nobis sub divina quidem auctoritate atque etiam, uti saltem saepe fit, clarius, at *semper analogice, proponuntur, n.;* periret, *si essentia divina a nobis intuitive videretur*, scilicet nulla mediante eius similitudine in mente humana, cognitione quam theologi facialem dicunt, *c.*

Omnes res religiosae sciri, ergo credi non possunt, *ergo sapienter revelari non possunt.* — Cf. arg.

Ex eo, quod *ethnici diis ascribebant potestatem revelandi eiusmodi res religiosas, quae falsae sunt*, uti mythologicas, sane *non sequitur, eorum auctoritatem posse adduci pro thesi de possibilitate revelatione religionis verae. — a)* Etiam quaedam vera e revelatione deorum deducebant. *b)* Potestatem revelandi religiosa ex superioritate deorum, non vero ex eorum imperfectione derivabant. Ergo *principia tenebant, unde thesis nostra fluit.*

PROPOSITIO. **Divina revelatio mediata conveniens est.** — *Cf. p. 37-8.*

Agitur de revelatione per unum vel quosdam *integro populo vel humano generi* communicata.

Arg. — E ratione intrinseca. — Ita *manifestatur Dei potentia,* cum una actione miraculosa, qua uni revelationem dat, idem obtinet, ac si singulis immediate revelet; *bonitas,* cum homini etiam id commu-

nicet, ut sit quadam ratione causa cognitionis veritatis divinae in aliis; *sapientia,* cum Deus utatur viribus creatis, quantum potest, cum praetera ordinem naturae imitetur, in quo vita materialis et saepe etiam intellectualis ab uno in omnes vel multos derivatur. — Ita *homines vario modo perficiuntur.* Crescit certitudo de facto revelationis ob argumentum ex auctoritate humana; crescit humilitas, cum unus ab alio revelationem recipere obligetur, unio animorum, cum omnes eodem homine magistro utantur.

Ex **auctoritate generis humani.** — Omnes populi revelationem ab uno vel alio in caeteros derivare solebant.

Obiectiones. — Secundum dogma catholicum *Deus in omni actu credendi immediate atque sublimissimo modo in mentem hominis agit* — *Proponendo* per se ipsum unicuique *obiectum credendum, n.*; elevando intellectum et voluntatem ad ordinem visionis beatificae, *c.* Si Deus omni homini *immediate* eandem summam veritatum revelasset, ea *cognitio certe magis vivida* fuisset. — Deessent tamen caetera a nobis in thesi proposita, quae ad gloriam Dei et hominum utilitatm faciunt.

Propositio. Demonstrari nequit, mysteriorum exsistentiam aut revelationem repugnare. — *Cf. p. 18-25.*

Expl. term. — *Etymologice* vox mysterii *(μύω?)* significare videtur veritatem coram quibusdam *occludendam. Usu* adhibebatur pro omni veritate, quae saltem *aliqua ratione* quibusdam *occulta* erat.

Divisio mysteriorum. — Secundum *modum quo* aliqua res cognoscitur: Omnis res quae non per se ipsam sed *tantum secundum analogiam* quam cum aliis rebus habet, cognoscitur, ob id ipsum cum quadam obscuritate *cognoscitur,* atque ideo mysterium (naturale) saepe dicitur.

Secundum *id quod* in aliqua re absconditum est: Veritates, quarum possibilitas et exsistentia per se sine revelatione cognosci potest, quarum *exsistentia* tamen *a maiore parte hominum, ob difficultatem inquisitionis, ignoratur. Mysteria naturae,* v. g. quaedam species plantarum in mari.

Res, quarum possibilitas quidem independenter a ratione sciri potest, *exsistentia tamen sine humana vel divina locutione ex ipsa rerum natura occulta manet.* Mysteria sensu lato, v. g. liberae hominum volitiones non expressae, libera decreta Dei.

Res, quarum *neque exsistentia neque possibilitas independenter a revelatione divina ab ulla mente creata cognosci potest.* Mysteria sensu stricto, seu sine addito (sensu technico) v. g. Trinitas. In propositione quae mysterium continet, *et subiectum et praedicatum naturaliter notum esse potest: neque conceptus subiecti et praedicati quoad modum repraesentandi naturam intellectus humani vel angelici superet necesse est.* Id unum ad essentiam mysterii sensu stricto

pertinet, ut *sociabilitas vel insociabilitas notarum nonnisi e revelatione divina constare possit.* Sequitur, eam sociabilitatem neque post revelationem e natura rei vel ex experientia ullo modo deduci posse.

Exsistentia mysteriorum in eo est, ut in Dei essentia vel inter obiecta ab eo factibilia mysteria inveniantur. — *Revelabilitas* eorum in eo est, ut si exsistant, revelari possint.

Abstrahimus a quaestione controversa, num positive probari possit, mysteria exsistere, atque si exsistunt, revelari posse. Tantum dicimus, *nullam creaturam unquam demonstrare posse, mysteriorum aut exsistentiam aut revelationem repugnare.*

Primo, *hoc saltem in theologia fundamentali demonstrandum est.* Alias, si inter propositiones revelatas aliqua inveniretur, cuius neque exsistentia neque possibilitas demonstrari potest, conclamaretur, cum in obiecto revelato absurdi quid contineatur, motiva credibilitatis necessario omni vi probativa carere. Secundo, *sufficit* quoque hoc probare, cum, hac re probata, intellectus nihil habeat, quod valori motivi credibilitatis opponat.

Adversarii. — Praeter Rationalistas, i. e. eos qui omnem revelationem impossibilem habent, adversarii theseos sunt *etiam Semirationalistae,* i. e. ii qui revelationem quidem aliam possibilem habent, revelationem mysteriorum vero e specialibus rationibus impossibilem dicunt. Erant v. g. medio aevo inter Iudaeos Caraitae, inter Catholicos Abaelardus. Recentiore tempore v. g. inter Protestantes Sociniani, Latitudinarii, inter Catholicos v. gr. Günther; inter Modernistas Loisy.

Pars I. Nequit demonstrari, mysteria exsistere non posse.

Arg. — Ex defectu medii demonstrationis. — Eiusmodi medium esset *aut conceptus Dei sive proprius sive analogus aut experientia.* Iamvero conceptum proprium Dei non habemus. Nequit porro demonstrari, conceptum Dei *analogum*, i. e. haustum *ex effectibus aequivocis Dei, causae infinitae*, atque experientiam, quae item nonnisi effectus aequivocos Dei, causae infinitae, considerare potest, *omnia exhibere posse, quae in causa illa infinita insunt.*

Pars II. Nequit demonstrari, mysteria, si exsistunt, revelari non posse.

Arg. — E ratione intrinseca. — Ad argumentum pro possibilitate revelationis in genere sumptae, adiungimus ea elementa, quae ad rem nostram spectant.

Quoad formam efficiendam, quae scilicet est *subiectum et praedicatum, quod ex una parte aliunde notum* vel ex ideis aliunde notis compositum sit, in quo *ex alia parte sociabilitas notarum a mente creata detegi nequeat.* — Repugnantia talis propositionis demonstrari nequit. Nam *a) non est formalis oppositio* inter ea duo. Sunt

enim rationes diversae. *β) Neque demonstrari potest, ex eo quod sociabilitas notarum naturaliter cognosci nequit, sequi, neque terminos coniungendos naturaliter notos esse posse.* Demonstrari enim nequit, rationem, *cur quaedam perfectiones ut singulae quidem in creaturis inveniri possint, non vero ut coniunctae, non in eo esse posse, quod in creaturis secundum modum imperfectum inveniantur, in Deo secundum modum perfectum.* Conceptum vero, qui ea quae sunt in Deo secundum eum modum exhibet, quo in eo inveniuntur, habere non possumus.

Ex parte subiecti suscipientis revelationem. — Intelligi possunt res omnes conceptibus analogis repraesentatae, intelligi potest copula affirmans.

Ex parte fidei in propositionem revelatam. — Cum sociabilitas notarum nullo modo cognosci possit, certe *scientia evidens de ea exclusa est.* Unde certe nullum impedimentum exsistere potest, quominus eiusmodi propositio credi possit.

Utraque pars confirmatur ex auctoritate humana ecclesiae catholicae. — In ecclesia inde a primis temporibus plurimi et scientia et sanctitate mirabili praestantes mysteria crediderunt atque credunt. *Si in ipsa notione mysterii repugnantia esset, eam naturaliter invenissent.* Saltem *Deus providentia sua* id egisset, ut optimi sui amici, qui praeterea veritatis religiosae percupidi erant, eam repugnantiam invenirent.

Obiectiones. — Ex Dei infinitate omnes eius perfectiones colligi possunt. Atqui *conceptus analogus Dei nobis exhibet eius infinitatem.* Ergo nobis exhibet omnes Dei perfectiones, etiam mysteria. — Dist. ma.: *Ex Dei infinitate cognita uti est in se, c.; cognita per conceptum analogum,* subdist: cognosci potest, Deum habere omnes perfectiones tales, quae revera simplices sunt, c.; etiam *cognosci potest, quae perfectiones sint simplices* ideoque Deo tribuendae, v. g. esse unum et trinum, quae non, *n.*

Obiectum adaequatum intellectus humani est Ens. Atqui *sociabilitas notarum in quacunque propositione est Ens.* Ergo cognosci potest. — Dist. ma.: *Dummodo illud Ens debite propositum fuerit.* sive per conceptum proprium sive per conceptum analogum sive per auctoritatem divinam vel humanam, c.; etsi non debite propositum fuerit, n.

Quod non habet cognoscibilitatem, non habet entitatem. Atqui mysterium non habet cognoscibilitatem. Ergo non habet entitatem. — Dist. ma: *Quod non habet cognoscibilitatem pro ullo intellectu, hoc non habet entitatem c.;* quod, si a revelatione abstrahitur, non habet cognoscibilitatem pro intellectu creato, n. Ea impossibilitas cognitionis pro intellectu creato oritur e debilitate intellectus relate ad tantam plenitudinem Entis.

Illas perfectiones divinas, quas creaturae ne analogice quidem imitari possunt, nulla mens creata ne analogice quidem repraesentare potest.

Atqui mysteria sunt eiusmodi perfectiones, quas creaturae ne analogice quidem imitari possunt. — Si creatura sociabilitatem ne analogice quidem imitari potest, sequitur, intellectum, in quantum e creatura sua conceptus suos haurit, non posse sociabilitatem eam affirmare. Non vero sequitur, eum hanc sociabilitatem ob revelationem divinam, quae eam affirmat, asserere non posse.

Ea propositio sapienter revelari nequit, quae absolute intelligi nequit. Atqui mysterium absolute intelligi nequit. Ergo sapienter revelari nequit. — Dist. : *Si neque sensus subiecti, praedicati, copulae intelligitur, neque cognoscitur, sociabilitatem notarum a Deo affirmari, c. ;* si haec cognoscuntur, ignota vero manet tantum *intrinseca ratio sociabilitatis notarum, n.*

In antiquitate christiana mysteria ignota erant. Etenim *Scriptura* V. et N. T. ea non novit; *apologetae saeculi 2 et 3* docent, religionem christianam non esse nisi philosophiam; *Patres utique inde a saeculo 4* mysteria tradiderunt, at haud ignorabant ea nonnisi « complexionem oppositorum » esse. — N. assertum. Quoad primam rationem additam cf. dogma. Quoad secundam : Apologetae mysteria data opera tradunt, religionem christianam vero ideo nominant philosophiam, quia est digna « sapientiam amantibus ». Tertia ratio contradicit tum probitati Patrum tum disertae eorum doctrinae de altissima sapientia in mysteriis abscondita.

210.2
L11
1883
LAAK, S. J., HERMANNUS VAN
AUTHOR
De Theologia Generatim
TITLE ~~Theologia Fundamentalis~~
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
FR. DONOVAN

1883